CRISIS THEOLOGICA,

In qua plures

SELECTÆ DIFFICULTATES EX MORALI THEOLOGIA *AD LYDIUM VERITATIS LAPIDEM REVOCANTUR*,

Ex regula morum posita

à SS. D. N. INNOCENTIO XI P. M.

In Diplomate damnante sexaginta quinque Propositiones;

Exposita

à R. P. IOANNE DE CARDENAS

Hispalensi, è Societate IESV, & in Provincia Bæthica Exprovinciali,

Opus omnibus Theologis, ac Jurisperitis valdè, sed animarum curam habentibus apprimè necessarium.

Cum duplici Indice, Dissertationum & Capitum; nec non Rerum ac Verborum.

Episcopi Viennensis

COLONIÆ AGRIPPINÆ.

Sumptibus Hæredum JOANNIS WIDENFELT, & GODEFRIDI de BERGES.

Anno M. DC. LXXXX.

Cum privilegio Sac. Cæs. Maj.

IVDICIVM COLLEGII HISPALENSIS D. Hermenegildi Societatis Iesu.

POsthumum hunc, nobilis tamen *dexteræ* filium, (Genes. 35.18) quem meritò etiam doloris appellare possit Bœtica nostra, facilè ex vultu, lineamentisque agnoscendum, magnæ mentis fœtum, cui immortuus Pater, & à quo nominis vitam auspicabitur immortalem, tota animi attentione perspeximus. Equidem Authoris nomen adscribi, ferè otiosum censuimus; adeò parentem refert suum, & fortasse tanquam *senectutis filius* (Genes. 37.3.) teneriori dignus amore videatur, majorisque commendationis omen præ se ferat, utpotè quem non ingenii effervescentis audacia, aut calami purientis impetus effuderit; sed severior judicii lima perpoliverit, animique gravitas, immensaque lectionis assiduitate fœcunda mens, conceperit, aluerit, ediderit. Polymitam vestem (alter velut Joseph) à Patre accepit: quo ornatu (si Philoni lib. de Joseph credimus) multiplex eruditio, solida doctrinæ copia, ingens cum acumine conjuncta dexteritas, dilucida explicandi, distinguendique difficultatum nodos fermè inextricabiles methodus intelligitur: denique agendi jura, & non agendi rationes à viro civili, & in commune bonum nato, optimè perspectæ, ac traditæ continentur. Authorem nosti, Patrem Joannem de Cardenas sua Crisi Theologica, & Gemino Mariani diadematis sydere in lucem dato olim orbi conspicuum. Qui indefesso studio, acri ingenio, maturoque judicio Morum Theologiam tractans, è veteri novam novæ opinionum proscriptione redditam à Sede Apostolicâ, Columnâ, & fundamento veritatis, juxta Paulum (1. Thimot. 3. 15.) hoc opere luce dignissimo complectitur. Nil est, quod in eo avidus lector desideret, nil quod doctum offendere, nild quod minus in Theologicis versatum litteris remorari meritò possit. Pervolvet ergo orbem doctrinæ pennis, & obtineat, primos illos Fidei, morumque Principes imitatus, de quibus eximiè Theoderetus, quæst. 1. in Josue explicans ea Sacri textus verba: *Omnem locum, quem calcaverit vestigium pedis vestri, vobis tradam*, ita ad rem loquitur: *Divini Apostoli non solùm obtinuerunt ea loca quæ calcaverunt, sed etiam illa, in quibus eorum docta scripta lecta sunt.* Quare diu desido-

ſideratas, votiſque expetitas ferè communibus Diſſertationes has, quibus Propoſitiones à Sanctiſſimo Domino noſtro Innocentio XI. Summo Eccleſiæ Paſtore, & veritatis infallibili Judice damnatæ traduntur, explicanturque, publici juris fieri æquiſſimum cenſemus; in quibus nec *jota unum*, *nec apex* à lege præterit, nec à Fidei regula minimum diſſonat, nec à morum canone vel verbo abit. Ita cenſemus in Collegio Hiſpalenſi Societatis Jeſu Divo Hermenegildo Regi, & Martyri ſacro. 15. Mai. an. 1685.

Petrus Zapata,
Rect. & ſtudiorum Præfectus.

Joannes de Zannartu,
Primariæ Theologiæ Cathedræ Profeſſor.

Franciſcus Ortiz,
Tertius Theologiæ Profeſſor.

Joannes de Gamiz,
Veſpertinus Theologiæ Profeſſor.

BAlthaſar de Egues, Præpoſitus Provincialis Societatis Jeſu in Provincia Bœtica, poteſtate ad id mihi conceſſâ à R. A. P. Carolo de Noyelle Præpoſito Generali Societatis Jeſu, facultatem concedo, ut liber inſcriptus: Criſis Theologica, à P. Joanne de Cardenas, Societatis noſtræ compoſitus, eiuſdem Societatis gravium, Doctorumque virorum judicio examinatus, & approbatus, Typis mandetur. In quorum fidem has litteras manu noſtra ſubſcriptas, & ſigillo officii noſtri munitas, ac teſtimonio Secretarii noſtri firmatas dedimus in hoc noſtro Ubetenſi collegio Societatis Jeſu, die decimâ ſextâ Novembris, anno Domini milleſimo ſexcenteſimo octogeſimo tertio.

Balthaſar de Egues.

Loco ✠ ſigilli.

Ferdinandus Caro.
Secret.

Parecer del sennor Doct. D. Luis de Ayllon y Quadros, electo Obispo de Ceuta.

DE commission del sennor Doct. D. Gregorio Bastan y Arostegui, Arcediano de Ezija, Dignidad en la Santa Iglesia Metropolitana, y Patriarcal desta Ciudad de Sevilla, Provisor, Juez Oficial, y Vicario General en ella, y su Arçobispado, he leido un libro intitulado: *Dissertationes ad Decretum Sanctissimi Domini Innocentii XI. in quo damnantur, & prohibentur sexaginta quinque propositiones*: compuesto por el Reverendissimo Padre Juan de Cardenas, Religioso Professo de la Compannia de Jesus, Provincial que fue en esta Provincia de la Andaluzia, y no he hallado en el dicho libro proposicion alguna contraria a nuestra Santa Fè, y buenas costumbres; sino muy sana, y solida doctrina, como lo expressarè mas ampliamente en la censura, que he de hazer para que se imprima con dicho libro: y assi soy de parecer, que se le puede dar licencia para proceder a su impression. Fecho en Sevilla en 2. dias del mes de Enero de 1684.

Doct. D. Luis de Ayllon y Quadros, electo Obispo de Ceuta.

LICENCIA DEL ORDINARIO.

DOy licencia pro lo que toca a este Tribunal, para que se pueda imprimir este libro, attento a la aprobacion, que dà el sennor Doctor D. Luis de Ayllon y Quadros, Obispo electo de Ceuta. Sevilla, y Enero à 4. de 1684.

Doct. D. Gregorio Bastan y Arostegui.

Por mandato del sennor Provisor.
D. Francisco de Alvarado.

CEN-

CENSURA R. P. M. IOANNIS DE PALAZOL
Societatis Iesu, Theologiæ Scholasticæ Professoris in Madritensi Imperiali Collegio ejusdem Societatis, Regii Concionatoris, & Toletanæ Diœcesis Examinatoris Synodalis

QUoniam *solent interdum homines laudare, quod non probant, & alienam stultitiam cassis nutrire præconiis* (ut verissimè aiebat Hieronymus Epist. 61.) idcirco volumen hoc posthumum, quod sapientissimus Magister Pater Joannes de Cardenas nostræ Societatis, suæque Boeticæ præcellentis Provinciæ æternum decus, & ornamentum, quasi fœcundissimi ingenii ultimum fœtum edidit, cui titulus est: *Crisis Theologica, in qua plures selectæ difficultates ex morali Theologia ad lydium veritatis lapidem revocantur ex regula morum posita à SS. D. N. Innocentio XI. P. M. in diplomate damnante sexaginta quinque propositiones:* non solum pro viribus extollere, verum etiam urgente supremi Senatus Castellæ mandato, probare per singulas ejus paginas libentissimè cogor. At quis illico suo calculo non probaret vel ex ipso Authoris nomine, viri in re Morali præstantissimi, cujus locuples supellex in versandis Doctoribus, opinionibusque discernendis scholas omnes ditavit? Quem ad formandos mores, conscientiæque vias expediendas absque aberrandi periculo unicè dicas natum, si singula ejus opera æquabili penses judicio; ita ut dicere possis cum Hieronymo Epist. 59. *Quisquis igitur hos voluerit legere libros, & calceatis pedibus ad terram repromissionis pergere, necubi à serpentibus mordeatur, & arcuato scorpii vulnere verberetur, legat prius hunc librum, & antequam ingrediatur viam, quæ sibi cavenda sint, noverit.* Scilicet hujus voluminis antidoto præmuniri jam deinceps cuncti morales libri tutò poterunt legi citra venenati morsus periculum, propter non paucas jam damnatas opiniones à supremo Fidei, morumque judice, id est, à Pontifice Romano, *cujus solius est* (cum D. Cyrillo Alexand. in thesauro, quem exscripsit D. Thomas contra Græcos) *reprehendere, corrigere, statuere ::: à quo nostrum est quærere, quid credere, quid tenere debeamus.* Invectæ sanè fuere in scholas Christianas plurimæ laxioris disciplinæ opiniones, libidine quadam novandi: *Diabolo semper operante, & adjiciente quotidie ad iniquitatis ingenia,* ut suo in sæculo querebatur Tertul. de Velan. Virg. cap. 2. Quam obrem curæ fuit supremis Ecclesiæ Pastoribus infallibili sua censoria virga eas abole-

re

re: at Doctori nostro eruditissimo pro sua mira sapientia onus fuit jam abolitas explicare, ne in errorem dilabantur legentes, damnationis vim intensivam, & extensivam non penetrantes. Et meo quidem judicio inter alia hujus elaborati operis emolumenta non exigua æstimanda est utilitas Reipublicæ Theologicæ, quod legibus justitiæ servatis, cuivis Authori restituatur, quod suum est, ne sani pro noxiis traducantur, aut noxii prò sanis propinentur, cùm non spernenda veritatis injuria adversus clarissimos Doctores optimè de moribus, atque de Ecclesia meritos, quos vel livor, vel ignorantia voluit computare inter damnatos. Scioli tantum ad detrahendum, qui in eo se doctos ostentare velint, si omnium dicta lacerent. (Hieron. Apolog. ad Pammach. cap. 7.) *Pateat igitur, quod noxium est, ut possit conteri cùm patuerit.* (lib. 1. adv. Jovin.) Nimirum pateant per hunc librum opiniones damnatæ, ut possint conteri: pateant earum veri Authores, ut possint vitari, vel cautè legi. Sic censeo, salvo semper meliori judicio. Madriti in hoc Collegio Imperiali Societatis Jesu 4. Aprilis, ann. 1686.

Joannes de Palazol.

PRIVILEGIUM CÆSAREUM.

Cùm ex mandato Sacræ Cæsareæ Majestatis omnibus & singulis Typographis & Bibliopolis, ac aliis quamcumque Librariam negotiationem exercentibus, seriò firmiterque inhibeatur, ne quisquam libros ullos à Patribus Societatis Jesu hactenus editos, aut imposterum edendos, intra Sacri Romani Imperii, Regnorum, Dominiorumq; suæ Cæsareæ Majestatis hæreditariorum fines, simili aliove charactere aut forma sive in toto, sive in parte excudere, recudere, vel aliò vendendos aut recudendos mittere, vendere, distrahere clàm seu palam ultra supradictorum Patrum consensum ac testimonium audeat vel præsumat; idcirco ego Fridericus Lamberti Societatis Jesu, per Provinciam Rheni inferioris præpositus Provincialis, potestate mihi à Patre nostro P. Thyrso Gonzalez Societatis nostræ præposito Generali, ad id factâ, concedo Hæredibus D. Joannis Weidenfeld & Godefrido de Berges, Bibliopolis facultatem Typis recudendi opus

P. Joannis de Cardenas ejusdem Societatis per deputatos ad id Patres lectum & approbatum; quod inscribitur *Crisis Theologica in 66. Sententias ab INNOCENTIO XI. damnatas*, iisdemque Jus Cæsarei Privilegii usurpandi eatenus indulgeo, ut ipsis invitis Opus hoc nemo deinceps recudere, nemo intra S. R. Imperii fines & hæreditarias S. Cæs. Majestatis Provincias importare, aut venum exponere audeat. In cujus rei fidem has litteras manu propriâ consuetoque Officii Sigillo munitas dedi, Coloniæ sextâ Martii Anno 1690.

Fridericus Lambertz.

(L. S.)

INDEX

INDEX DISSERTATIONUM, ET CAPITUM.

DISSERTATIO PRIMA PROŒMIALIS.

DISSERTATIO II.

DISSERTATIO III.

DISSERTATIO IV.

DISSERTATIO V.

DISSERTATIO VI.

DISSERTATIO VII.

DISSERTATIO VIII.

DISSERTATIO IX.

DISSERTATIO X.

DISSSERTATIO XI.

DISSERTATIO XII.

DISSERTATIO XIII.

DISSERTATIO XIV.

DISSERTATIO XV.

DISSERTATIO XVI.

DISSERTATIO XVII.

DIS-

DISSERTATIO XVIII.

DISSERTATIO XIX.

DISSERTATIO XX.

DISSERTATIO XXI.

DISSERTATIO XXII.

DISSERTATIO XXIII.

DISSERTATIO XXIV.

DISSERTATIO XXV.

DISSERTATIO XXVI.

DISSERTATIO XXVII.

DISSERTATIO XXVIII.

DISSERTATIO XXIX.

DISSERTATIO XXX.

DISSERTATIO XXXI.

DISSERTATIO XXXII.

DISSERTATIO XXXIII.

DISSERTATIO XXXIV.

DISSERTATIO XXXV.

DISSERTATIO XXXVI.

DISSERTATIO XXXVII.

DISSERTATIO XXXVIII.

DISSERTATIO XXXIX.

absque

DISSERTATIO XL.

DISSERTATIO XLI.

DISSERTATIO XLII.

INDEX
RERUM AC VERBORUM.

Prior nota dissertationem, secunda numerum marginalem indicat. Ne plurieş eadem repetantur, hæc remissi-vè quæres.

possit, est tenuiter probabile, n.303. 304. Sicut extensio ad moniales, n.308. Approbatus in unâ diœcesi, nequit virtute Bullæ, audire confessiones in aliâ, à n.270. & seq.

Attritio.

Certum est eam sufficere ad Sacramentum Pœnitentiæ, d.2. n.61. Licèt in articulo mortis non sufficiat, n.66. Non damnatur, quod attritio concepta ex metu pœnarum temporalium sufficiat, n. 71. Damnatur, confiteri advertentèr cum solâ attritione, n. 72. Naturalis concipitur ex motivo purè humano, d.36, n.2. Nec sufficit ad valorem, nec ad fructum, n.3. Entitativè naturalis, & supernaturalis quoad modum, de facto nequit deservire ad justificationem, n. 9.

B.

Baptismus.

Baptizare in minimâ parte corporis, est lethale, d.2. n.42. Non licet uti aquâ ex herbis expressâ, n.43. Nec uti formâ tantum probabili, n.44. Ad valorem Baptismi non requiritur attritio, n.37. Quomodo ordinetur in remissionem peccatorum, d.6. n.83. In Baptismo semper sequenda pars tutior circa valorem, d.2. n.2.

Beneficiarius. Beneficium.

Collatio Beneficii pinguis sub onere renunciandi minùs pingue, facta ab Episcopo, simoniâ caret, d.27. n.122. Ea conditio de e inest, n.144. 162. Beneficiorum pluralitas in jure odiosa est, n.145. Varii modi conferendi Beneficium sub illâ conditione, n. . Translatio de unâ in aliam Ecclesiam, cum sub conditione, facta ab Episcopo, caret simoniâ, n.163. Dispositio Concilii circa collationem Beneficiorum dignioribus, non ... de Beneficiis compatibilibus, d.28. Beneficia alia habent immediatè Curam animarum, alia mediatè, n.34. Qui Digniores dicantur, n. 6. Digniores sunt utiliores Ecclesiæ, n. 11. Beneficia Ecclesiastica primariò instituta sunt in utilitatem Ecclesiæ, n.7. Ad Episcopatus, & Cardinalatus eligendos esse digniores, certum est, n.11. Ad id tenetur Patronus laicus, n.21. Et opposita opinio subjacet damnationi, n.31. Elector Ecclesiasticus ad Beneficium Parochiale tenetur eligere digniorem, n.33. Est obligatio juris naturalis, n.34. Quid de Patrono laico? n. 37. Nomine *Dignioris* nequit intelligi *dignus*, etiam absque concursu, n.40.

Bulla.

Posse absolvi à reservatis, vi Bullæ, est probabilitatis dubiæ, d.2. n.191. Rejiciendum à praxi, ibid. & seq. Tenuis probabilitatis, n.206. Non potest approbatus in unâ, confessiones audire in aliâ Diœcesi, vi Bullæ n.270.

C.

Cardinalis.

Ad Cardinalatum debet eligi dignior. d. 28. n.11.

Certitudo.

Objectiva, & subjectiva, d.14. n.5. Utraque est de conceptu Fidei supernaturalis, n.6. Nulla probabilitas prævalet contra certitudinem, d.23. n.46. Nec Authorum numerus, d.2. n. 376.

Chirographum.

Potest vendi minori pretio, ratione lucri cessantis, d.25. n.28. Etiam secluso alio titulo, non damnatur ea opinio, n. 33. Est tamen falsa, n.37.

Cibus.

Licitum est, comedere propter voluptatem cibum necessarium ad vitæ sustentatio-

n.48. Si non sit certum, nequit censeri inferre violentiam, n. 49. Si probabile est, licet minus, causam esse spiritualem, non infert violentiam cognoscendo de illo, n.53. Judex potest tortura adigere reum ad fatendum crimen, licet reus non teneatur sub culpa id fateri, d.19, n.85.

Juramentum.

Juramentum assertorium falsum, etsi in re levissima, est lethale, d.17.n.1. Promissorium quid sit, n.7.8. Quomodo contra illud peccatur, n.11. Si est sine intentione implendi, etiam in re levi, est mortale, n 12. In ipsa impletione potest dari parvitas materiæ, & peccatum veniale, n. 19. Juramentum verè non est, cùm deest intentio jurandi, d.18.n. 2. Non damnatur opinio dicens, esse veniale jurare verum sine intentione jurandi, n. 7. 8. est vera, n.12. Qui refert juramentum alterius, nec venialiter peccat, n.27. Qui jurat nihil affirmando, nec negando, peccat, n.30. Consuetudo pejerandi etiam sine advertentia, debet explicari in confessione, d.37.n.12. & 131.

Jurisdictio.

Certò falsum est pœnitentem posse absolvi cum jurisdictione merè probabili, d.2. n.137. Error communis cum titulo putativo à legitimo Superiore collato, certò dat jurisdictionem, n.149. Etiam pro foro interno, n. 150. Probabiliter dat, si desit titulus, vel non sit à legitimo Superiore, n.151. Opinio verè probabilis est error communis, n. 154. Datâ opinione verè probabili, & eo titulo, Ecclesia certò confert jurisdidictionem, n. 155. Secus, si de probabilitate dubitetur, n. 156. Si non detur titulus, probabile est, non conferre, n, 157. Certum est, conferre, quoties datur opinio verè probabilis circa jurisdictionem, n.161.

L.

Lex.

Leges Ecclesiasticæ aliæ præceptivæ, aliæ directivæ, d.32. n. 5. Non omnes obligant sub culpa, n.6. Lex humana potest obligare sub culpa, etiam absque contemptu transgredientem, n.18. Aliæ directivæ, aliæ coactivæ. d.34.n.19. Aliquando vis directiva separatur à coactiva, n. 30. Legem humanam solum ferri circa actus externos, ut conformius naturæ humanæ, probabiliter dicitur, n.34. Impugnatur tamen, à n.35.

Luxuria.

Contra naturam est intrinsecè mala, d.29. n. 16. 65.86. In materia luxuriæ magis fugiendæ occasiones externæ, d.40, n.58.

M.

Malum.

Malum temporale alterius potest desiderari propter bonum spirituale illius, vel alterius, d. 10.n.7. Et propter ingens bonum temporale Reipublicæ, n.8. Et ad vitandum magnum nocumentum illius, vel alterius, n. 9. Propter commoda temporalia non licet directè desiderare, aut gaudere de morte proximi, n.20. Nec gaudere de morte Patris ob hæreditatem, n.23.

Martyr.

Verus Martyr esset, qui mortem subiret pro cultu, & festo Conceptionis B.V. d.21. n.85.

Matrimonium.

Ejus materia, & forma sunt verba, seu signa consensus utriusque. d.20.n.76. Est contractus, & Sacramentum, n.77. Simulare matrimonium ut Sacramentum est peccatum mortale, nec excusatur per metum gravem,

**** 3 n.78.

*****

do

In

LECTOR BENEVOLE.

Paucis te moror. Authorem hujus operis nosti P. Joannem de Cardenas, Hispalensem, natalibus illustrem, virtutibus clarissimum, omni doctrinæ luce conspicuum. Qui Societati Jesu à puero adscriptus in ea ad omnem virtutem conformatus est, quarum per diuturnum vitæ spatium nobilia dedit exempla. Eloquentiâ, Philosophiâ, Theologiâque apprimè excultus, ingenio assiduâque lectione in virum evasit sanè Doctum, Sapientemque. Prudentiam, imperandi Artem, ostendit tum Marcenensi Collegio, tum Hispalensi, deinde in Domo Probationis Rector, in Professorum Domo Præpositus, & demum Bæthicæ Provincialis. Eum ad suorum filiorum institutionem expetivit Exc. D. D. Rodericus Poncius de Leon Dux de Arcos, qui per multos annos P. Joannis de Cardenas consiliis ad difficiliora negotia tractanda usus est. Eum deinceps, & suum Theologum nuncupavit, & sibi à confessionibus esse voluit incomparabilis Præsul D. D. Ambrosius Ignatius Spinola, & Guzman, cujus eximia perfectio multum tanti Magistri, Doctorisque Sapientiæ debuit. Et qui secessum, & litteras semper amaverat, postremis hisce annis se totum illis tradidit; quin tamen confessionibus, ministeriisque Societatis, quibus animarum salutem procurat, se subtraheret. Intima illi cum Deo conversatio, cum B. Virgine dulcis, ac frequens allocutio, cum S. P. N. Ignatio fervens, ac planè filialis devotio.

Longum esset per omnia decurrere. Id noveris, Vitæ integritate, Modestiâ, Candore, Humilitate, Ingenii Acumine, Sensuum Profunditate, Rationum pondere, Eruditionis copiâ inter magnos, ac præcellentes Viros meritò recensendum. Obiit prope septuagenarius die 6. Junii ann. 1684. Plura sunt ejus ingenii monumenta.

1. Geminum Sydus Mariani Diadematis, sive duplex disputatio de infinita Dignitate Matris Dei, & ejus gratia simpliciter infinita. Lugduni ann. 1673.

2. Crisis Theologica, in qua plures Morales quæstiones enodantur. Opus doctissimum & utilissimum. Tribus tomis, duo primi editi sunt Lugduni an. 1670. tertius Hispali 1680.

3. Crisis Theologica in qua propositiones damnatæ à SS. D. N. Innocentio XI. explicantur. Ibid. ann. 1687.

4. Hispano Idiomate edidit Vitam V. V. Damianæ de las Llagas. Hispali an. 1675.

5. Vitam D. Michaelis Mannara Hispalensis Nobilis, Virtutis fama notissimi. Ibid. a. 1682

6. Septem Meditationes de Christo Crucifixo. Ibidem ann. 1678.

7. B. Ignatii de Loyola Novennales preces, & Coronam Hispanice. *La Novena*. Ibi. 1679

8. Possemus etiam numerare quam plurima Edicta, Eloquentiâ Sacrâ, pietate ac gravitate plenissima, quibus oves suas Illustriss. D. Ambrosius Ignatius Spinola, & Guzman, Hispalensis Archiepiscopus, pro temporum varietate exhortatus est: quæ nostri Authoris opera, & labore confecta sunt; sicut & plura alia minutiora pietati alendæ aptissima. Necnon Morales resolutiones, ex quibus justum confici Volumen posset, doctrinæ varietate, casuum difficultate, & sapienti enodatione gratissimas futuras; quas Authoris obitu amisimus. Vale.

DECRE-

DECRETUM
SS. D. N. INNOCENTIJ IX
FERIA V. 2. MARTII 1679.

N GENERALI CONGREGATIONE SANCTÆ
omanæ, & Universalis Inquisitionis *habita in* Palatio *Apostolico*
aticano coram Sanctissimo D. N. Innocentio Divina Providentia Papa XI. ac Eminentissimis & Reverendissimis Dominis S. R. E. Cardinalibus in tota Republica Christiana contrà hæreticam pravitatem Generalibus Inquisitoribus à Sancta Sede Apostolica specialiter deputatis.

SAnctissimus D. N. Innocentius Papa XI. prædictus ovium sibi à Deo creditarum saluti sedulò incumbens, & salubre opus in segregandis noxiis doctrinarum pascuis ab innoxiis à fel. record. Alexandro VII. Prædecessore suo inchoatũ prosequi volens: plurimas propositiones partim ex diversis vel libris, vel thesibus, seu scriptis excerptas, & partim nov... .r adinventas; Theologorum plurium examini, & deindè Eminentissimis, & Reverẽdissimis D D. Cardinalibus contrà hæreticam pravitatem Generalibus Inquisitoribus subjecit. Quibus propositionibus sedulò, & accuratè sæpiùs discussis, eorundem Eminentissimorum Cardinalium, & Theologorum votis per Sanctitatẽ suam auditis: Idem Sanctissimus D. N. re posteà maturè considerata, statuit, & decrevit: pro nunc *sequentes propositiones, & unamquamque ipsarum, sicut jacent, ut minimùm tanquam scandalosas, & in praxi perniciosas, esse damnandas, & prohibendas*, sicuti eas damnat, & prohibet. Non intendens tamen Sanctitas sua per hoc Decretum alias propositiones in ipso non expressas, & Sanctitati suæ quo-

modolibet, & ex quacunque parte exhibitas, vel exhibendas ullatenùs approbare.

1. Non est illicitum in Sacramentis conferendis sequi opinionẽ probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiore, nisi id vetet lex, conventio, aut periculum gravis damni incurrendi. Hinc sententia probabili tantùm utendum non est in collatione Baptismi, Ordinis Sacerdotalis, aut Episcopalis.

2. Probabiliter existimo, Iudicem posse judicare juxtà opinionem etiam minùs probabilem.

3. Generatim dum probabilitate, sivè intrinseca, sivè extrinseca quantumvis tenui, modò à probabilitatis finibus non exeatur, confisi aliquid agimus, semper prudenter agimus.

4. Ab infidelitate excusabitur Infidelis non credens ductus opinione minùs probabili.

5. An peccet mortalitèr, qui actũ dilectionis Dei semel tantùm in vita eliceret, condemnare non audemus.

6. Probabile est, ne singulis quidẽ rigorosè quinquenniis per se obligare præceptũ charitatis ergà Deũ

7. Tùnc solum obligat, quando tenemur justificari, & non habemus aliam viam, qua justificari possumus.

8. Comedere, & bibere usque ad satietatem ob solam voluptatem, nõ est peccatum, modò non obsit valetudini: quia licitè potest appetitus naturalis suis actibus frui.

9. Opus conjugii ob solam voluptatem exercitum omni penitùs caret culpâ, ac defectu veniali.

10. Non tenemur proximum diligere actu interno, & formali.

11. Præcepto proximum diligendi satisfacere possumus per solos actus externos.

12. Vix in Sæcularibus invenies, etiam in Regibus superfluum statui. Et ita vix aliquis tenetur ad eleemosynam, quando tenetur tantùm ex superfluo statui.

13. Si cum debita moderatione facias, potes absq; peccato mortali de vita alicujus tristari, & de illius morte naturali gaudere, illam inefficaci affectu petere, & desiderare, nõ quidem ex displicentia personæ, sed ob aliquod temporale emolumentum.

14. Licitum est absoluto desiderio cupere mortem Patris, non quidem, ut malum Patris, sed ut bonum cupientis, quia nimirum ei obventura est pinguis hæreditas.

15. Licitum est filio gaudere de parricidio Parentis à se in ebrietate perpetrato propter ingentes divitias indè ex hæreditate consecutas.

16. Fides non censetur cadere sub præceptum speciale, & secundum se.

17. Satis est, actum Fidei semel in vita elicere.

18. Si à potestate publica quis interrogatur; fidem ingenuè confiteri ut Deo, & fidei gloriosũ consulo; tacere, ut peccaminosum per se non damno.

19. Voluntas non poteſt efficere, ut aſſenſus fidei in ſe ipſo ſit magis firmus, quàm mereatur pondus rationum ad aſſenſum impellentium.

20. Hinc poteſt quis prudenter repudiare aſſenſum, quem habebat ſupernaturalem.

21. Aſſenſus fidei ſupernaturalis, & utilis ad ſalutem ſtat cum notitia ſolùm probabili revelationis; immò cum formidine, qua quis formidet, ne non ſit locutus Deus.

22. Non niſi fides unius Dei neceſſaria videtur neceſſitate medii, non autẽ explicita Remuneratoris.

23. Fides latè dicta ex teſtimonio creaturarum, ſimilivè motivo, ad juſtificationem ſufficit.

24. Vocare Deum in Teſtem mendaciĩ levis non eſt tanta irreverentia, propter quam velit, aut poſſit damnare hominem.

25. Cum cauſa licitum eſt jurare ſine animo jurandi, ſive res ſit levis, ſive gravis.

26. Si quis, vel ſolus, vel coràm aliis, ſive interrogatus, ſive propria ſponte, ſive recreationis cauſa, ſive quocumque alio fine juret, ſe non feciſſe aliquid quod reverà fecit, intelligendo intrà ſe aliquid aliud, quod non fecit, vel aliam viam ab ea, in qua fecit, vel quodvis aliud additum verum, reverà non mentitur, nec eſt perjurus.

27. Cauſa juſta utendi his amphibologiis eſt, quoties id neceſſarium aut utile eſt ad ſalutem corporis, honorem, res familiares tuendas, vel ad quemlibet alium virtutis actum, ita ut veritatis occultatio cenſeatur tunc expediens, & ſtudioſa.

28. Qui mediante commmendatione, vel munere ad Magiſtratũ; vel Officium publicũ promotus eſt, poterit cũ reſtrictione mentali præſtare juramentum, quod de mandato Regis à ſimilibus ſolet exigi, nõ habito reſpectu ad intẽtionẽ exigentis, quia non tenetur fateri crimen occultum.

29. Vrgens metus gravis eſt cauſa juſta Sacramentorum adminiſtrationem ſimulandi.

30. Fas eſt viro honorato occidere invaſorem, qui nititur calumniam inferre, ſi aliter hæc ignominia vitari nequit; idem quoque dicendum, ſi quis impingat alapam, vel fuſtè percutiat, & poſt impactam alapam, vel ictum fuſtis fugiat.

31. Regularitèr occidere poſſum furem pro cõſervatione unius aurei.

32. Non ſolùm licitum eſt defendere defenſione occiſiva, quæ actu poſſidemus, ſed etiam ad quæ jus inchoatum habemus, & quæ nos poſſeſſuros ſperamus.

33. Licitum eſt tàm hæredi, quàm legatario contrà injuſtè impedientem, ne vel hæreditas adeatur, vel legata ſolvantur, ſe talitèr defendere, ſicut & jus habenti in Cathedram, vel Præbendam contra eorum poſſeſſionem injuſtè impedientem.

34. Li-

34. Licet procurare abortum ante animationem fœtus, ne puella deprehensa gravida occidatur, aut infametur.

35. Videtur probabile, omnem fœtum, quamdiu in utero est, carere anima rationali, & tunc primùm incipere eandē habere, cùm paritur: ac consequenter dicendum erit in nullo abortu homicidium committi.

36. Permissum est furari non solùm in extrema necessitate, sed etiam in gravi.

37. Famuli, & famulæ domesticæ possunt occultè heris suis subripere ad compensandam operam suam, quam majorem judicant salario, quod recipiunt.

38. Non tenetur quis sub pœna peccati mortalis restituere quod ablatum est per parva furta, quantumcumque sit magna summa totalis.

39. Qui alium movet, aut inducit ad inferendum grave damnum tertio, non tenetur ad restitutionem istius damni illati.

40. Contractus Mohatra licitus est, etiam respectu ejusdem personæ, & cum contractu retrovenditionis prævie inito, cùm intentione lucri.

41. Cùm numerata pecunia pretiosior sit numerandâ, & nullus sit, qui non majoris faciat pecuniam præsentem, quàm futuram, potest creditor aliquid ultrà sortem à mutuatario exigere, & eo titulo ab usura excusari.

42. Usura non est, dum ultrà sortem aliquid exigitur tanquam ex benevolentia, & gratitudine debitum, sed solùm si exigatur tanquam ex justitia debitum.

43. Quidni, non nisi veniale sit, detrahentis auctoritatem magnam sibi noxiam falso crimine elidere?

44. Probabile est, non peccare mortaliter qui imponit falsum crimen alicui, ut suam justitiam, & honorem defendat. Etsi hoc non sit probabile, vix ulla erit opinio probabilis in Theologia.

45. Dare temporale pro spirituali non est simonia, quando temporale non datur tamquàm pretium, sed dumtaxat tamquàm motivum conferendi, vel efficiendi spirituale: vel etiam quandò temporale sit solùm gratuita compensatio pro spirituali, aut è contra.

46. Et id quoque locum habet, etiam si temporale sit principale motivum dandi spirituale; immò etiàm si sit finis ipsius rei spiritualis, sic ut illud pluris æstimetur, quàm res spiritualis.

47. Cùm dixit Concilium Tridentinum, eos alienis peccatis communicantes mortaliter peccare, qui, nisi quos digniores; & Ecclesiæ magis utiles, ipsi judicaverint, ad Ecclesias promovent; Concilium vel primò videtur per hoc *digniores* non aliud significare velle, nisi dignitatem eli-

gendorum; sumpto comparativo pro positivo; vel secundò locutione minùs propria ponit digniores, ut excludat indignos, non verò dignos; vel tandem loquitur tertiò, quando fit concursus.

48. Tam clarum videtur, fornicationem secũdùm se nullam involvere malitiam, & solùm esse malam, quia interdicta, ut contrarium omninò rationi dissonum videatur.

49. Mollities jure naturæ prohibita non est. Undè si Deus eam non interdixisset, sæpè esset bona, & aliquando obligatoria sub mortali.

50. Copula cùm conjugata, consentiente marito, nõ est adulterium; adeòque sufficit in confessione dicere, se esse fornicatum

51. Famulus, qui submissis humeris scienter adjuvat herum suum ascendere per fenestras ad stuprandum virginem, & multotiès eidem subservit deferendo scalam, aperiendo januam, aút quid simile cooperando non peccat mortaliter, si id faciat metu notabilis detrimenti, putà ne à Domino malè tractetur, ne torvis oculis aspiciatur, ne domo expellatur.

52. Præceptum servandi festa nõ obligat sub mortali, seposito scandalo, si absit contemptus.

53. Satisfacit præcepto Ecclesiæ de audiendo Sacro, qui duas ejus partes, imò quatuor simul à diversis Celebrantibus audit.

54. Qui non potest recitare Matutinum, & Laudes, potest autem reliquas Horas, ad nihil tenetur, quia major pars trahit ad se minorem.

55. Præcepto Communionis annuæ satisfit per sacrilegam Domini manducationem.

56. Frequens Confessio, & Communio, etiam in his, qui gentiliter vivunt, est notâ prædestinationis.

57. Probabile est, sufficere attritionem naturalem, modò honestã.

58. Non tenemur Confessario interroganti fateri peccati alicujus consuetudinem.

59. Licet sacramentaliter absolvere dimidiatè tantum confessos ratione magni concursus Pœnitentium, qualis v. g. potest contingere in die magnæ alicujus festivitatis, aut Indulgentiæ.

60. Pœnitenti habenti consuetudinem peccandi contra legem Dei, Naturæ, aut Ecclesiæ, etsi emendationis spes nulla appareat, nec est neganda, nec differenda absolutio; dummodo ore proferat, se dolere, & proponere emendationem.

61. Potest aliquando absolvi, qui in proximâ occasione peccandi versatur, quàm potest, & non vult omittere, quinimò directè, & ex proposito quærit, aut ei se ingerit.

62. Proxima occasio peccandi non est fugienda, quando causa aliqua utilis, aut honesta non fugiendi occurrit.

63. Licitum est quærere directè occasionem proximam peccandi pro bono spirituali, vel temporali nostro, vel proximi.

64. Absolutionis capax est homo, quantumvis laboret ignorantiâ Mysteriorum Fidei, & etiam si per negligentiam etiam culpabilem nesciat Mysterium Sanctissimæ Trinitatis, & Incarnationis Domini Nostri Iesu-Christi.

65. Sufficit illa Mysteria semel credidisse.

Quicumque autem cujusvis conditionis, status, & dignitatis illas, vel illarum aliquam conjunctim, vel divisim defenderit, vel de eis disputativè, publicè, aut privatim tractaverit, vel prædicaverit, nisi forsan impugnando, ipso facto incidat in excommunicationem latæ sententiæ, à qua non possit (præterquam in articulo mortis) ab alio quacumque etiam dignitate fulgente, nisi pro tempore existente Romano Pontifice, absolvi.

Insuper districtè in virtute Sanctæ Obedientiæ, & sub interminatione Divini judicii prohibet omnibus Christi fidelibus, cujuscumque conditionis, dignitatis, & status, etiam speciali, & specialissima nota dignis, ne prædictas opiniones, aut aliquam ipsarum ad praxim deducant.

Tandem, ut ab injuriosis contentionibus Doctores, seu scholastici, aut alii quicumque in posterum se abstineant, & ut paci, & charitati consulatur; idem Sanctissimus in virtute Sanctæ Obedientiæ eis præcipit, ut tam in libris imprimendis, ac manuscriptis, quam in Thesibus, Disputationibus, ac Prædicationibus caveant ab omni censura, ac nota, nec non à quibuscumque conviciis contra eas propositiones, quæ adhuc inter Catholicos hinc indè controvertuntur, donec à S. Sede recognitæ super eisdem propositionibus judicium proferatur.

Franciscus Ricardus Sanctæ Romanæ, & Universalis Inquisitionis Not.

Locus ✠ Sigilli.

Anno à nativitate D. N. Iesu Christi millesimo sexcentesimo septuagesimo nono Indictione secunda, die verò 3. mensis Martij, Pontificatus autem Sanctissi in Christo Patris, & D. N. D. Innocentij Divina providentia Papæ XI. anno tertio, supradictum Decretum affixum, & publicatum fuit ad valvas Basilicæ Principis Apostolorum, Cancellariæ Apostolicæ, & in acie Campi Floræ, ac in aliis locis solitis; & consuetis Vrbis per me Franciscum Perinum, ejusdem Sanctissi. D. N. D. Papæ, & Sanctissimæ Inquisitionis Cursorem.

DI,

DISERTATIO PRIMA

PROÆMIALIS.

Quomodo debeant Catholici revereri, & propugnare hoc Decretum Innocentii XI. Ubi de qualitatibus hujus Decreti.

CAPUT I.

An Romanus Pontifex loquens ex Cathedra possit errare in materia morum?

LAtissimé egi de hac materia in 1. *part. Cris. Theol. disp.* 9. *præcipuè cap.* 6. *& cap.* 20. contra eam opinionẽ Caramuelis, quod *Non datur in mundo visibili authoritas damnandi opiniones probabiles.* Sed cum ea tractatio maximè necessaria sit ad intelligendam authoritatem hujus decreti, durũ videbitur lectori, quod illum mittam ad quærendum eam primam partem meæ Crisis præfatę. Ideo ergo quamvis nimis importunus videar, scribendo eadem semel & iterum; placuit tamen consulere potiùs utilitati Lectoris, quam metuere meæ existimationi. Quarè in pręsenti disertatione multa repetam ex ea *disp.* 9. quibus multa etiam superaddam ad complementum materiæ

ARTICULUS I.

Quid censeant Theologi de hac quæstione?

SUMMARIUM.

Quod Pontifex erret in materia morum, repugnat sanctitati Ecclesiæ. Ex Suario, Bellarmino, Cano, & pluribus aliis. n. 2. & seqq.

Si Pontifex erraret in materia morũ erraret etiã circà Fidẽ. Ex eisdem authoribus. n. 4. & seq.

Quarè Pontifex non possit errare in approbatione Religionum? Ex S. Thom. n. 16.

Quomodò Authores distinguant materiam morum à materia Fidei? n. 17.

An doctrina tradita non solùm intelligatur, quando præcipit, sed etiam quando approbat, vel reprobat? n. 18.

2. IN loco citato scripsi hæc, quæ reproduco, aliquibus superadditis (Certissimum est inter Catholicos Doctores, Rom. Pontificem loquentẽ ex Cathedra errare non posse in materia morum. *Ità P. Suarez disp.* 5. *de Fide, sect.* 8. *num.* 7. Attentione digna sunt ejus verba: *Approbare autem turpia pro honestis, & è converso, damnare honesta tamquam iniqua, repugnat virtuti, & sanctitati Ecclesiæ; & ideò in his etiam non potest errare Pontifex.* Pro quo citat alios Doctores. Idem docet *tom.* 3. *de Religion. lib.* 2. *cap.* 17. *num.* 19.

3. Ex quibus verbis hæc resultat demonstratio. Certissimum est ex Fide, Ecclesiam esse sanctam: sed approbare turpia pro honestis, & damnare honesta tamquam iniqua

qua

qua, repugnat sanctitati Ecclesiæ: ergo repugnat principio certissimo. Sed quod repugnat principio certissimo, est certissimè falsum; ergo certissimè falsum est, quod Ecclesia possit approbare turpia pro honestis, & damnare honesta tamquàm iniqua. Sed quod Romanus Pontifex docet Ecclesiam, Ecclesia approbat (hoc enim nomine intelligimus Ecclesiam cum suo capite) & quod Pontifex docet damnandum, Ecclesia damnat: ergo si Romanus Pontifex posset approbare turpia pro honestis, & damnare honesta tamquam iniqua, illa approbaret, & hæc damnaret Ecclesia.

4. Idem tanquàm certissimum tenet *Card. Bellarminus lib. 4. de Romano Pontifice, cap. 1.* ubi pollicetur, se demonstraturum, judicium Romani Pontificis esse infallibile in materia Fidei, & morum. Et circa materiam morum id præstat *cap 5.* in cujus fine hæc habet verba. *Quod autem non possi. Pontifex errare in moribus per se bonis, vel malis, probatur. Nam tunc Ecclesia non posset verè dici sancta: ut in symbolo Apostolorum vocatur. Nam sancta dicitur potissimum ob sanctam professionem, ut alibi ostendimus; quia nimirùm legem, & professionem sanctam profitetur, quæ nihil docet falsum, nihil præcipit malum. Secundò, quia tunc necessario erraret circa* Fidem. *Nam Fides Catholica docet, omnem virtutem esse bonam, omne vitium esse malum: si autem Papa erraret præcipiendo vitia, vel prohibendo virtutes, teneretur Ecclesia credere, vitia esse bona, & virtutes malas.*

5. Idem docet *Canus lib. 5. de locis cap. 5. conclus. 2. §. Deinde.* Ubi ita ait: *Si enim Ecclesia, vel expresso judicio, vel lege latâ turpia probaret, aut reprobaret honesta, hic jam nimirùm error nonsolum Fidelibus pestem, ac perniciem afferret, sed Fidei etiam quodammodò adversaretur, quæ omnem virtutem probat, universa vitia condemnat.* Ubi notanda sunt ea verba; *vel expresso judicio, vel lege latâ:* utroque enim modo repugnare sanctitati Ecclesiæ, & veritati Fidei, affirmat *Canus*, & mox: *Ita si errat illa, Christus nobis erroris author est. Quod qui videat, non indoctè modo, sed etiam impiè faciat, si Ecclesiam in morum doctrina errare contendat.*

6. Et licet Canus videatur prius limitasse conclusionem, dicendo, Ecclesiam non posse errare in materia morum, qui necessarii sunt ad salutem, quasi sint alii mores non necessarii ad salutem, in quibus possit errare; cæterum in duabus periodis proximè relatis satis declaravit, honestatem cujuslicet moris ut prosecutione dignam, & turpitudinem cujuslibet moris ut fugiendam, esse mores necessarios ad salutem, in quorum approbatione errare Ecclesia non possit. Nam doctrina de honestate, vel turpitudine cujuslibet actionis moralis est necessaria ad salutem; pendet enim salus animarum ex eo, quod dignoscatur, quidquid turpe, & quidquid honestum occurrerit.

7. Idem tradit *Sylvester verb. Fides, num. 2.* Ubi sic ait: *Ad Fidem pertinet inhærere determinationi Pontificis Summi in his, quæ sunt Fidei, imò etiam in his, quæ spectant ad bonos mores, quia in hujusmodi etiam Ecclesia errare non potest, & consequenter nec Caput ejus, in quantum Caput, sive in quantum Pontifex.*

8. *P. Castro Palao tom. 1. tract. 4. disp. 1. punct. 5. num. 4* docet esse de Fide, non posse Romanum Pontificem errare statuendo aliquid à tota Ecclesia observandum, quod legi divinæ, vel naturali contrarium sit. Et tenet etiam, id esse de Fide, loquendo de lege, seu constitutione lata pro una Provincia, cum *Mag. Bannez 2. 2. quæst. 1. art. 10. dub. 6. conclus. 1.* in breviori Commentario.

9. Cujus Magistri verba hæc sunt. *Summus Pontifex, aut Ecclesia in ferendis legibus ad totius Ec-*

tius Ecclesiæ necessarios mores spectantibus non potest errare. Probatur conclusio. Nam Christus D. Mathæi 16. & 18. & Ioannis 20. promisit, & tradidit claves Regni cælorum Petro, & successoribus, ut fidelibus aperirent cælestem januam: sed regnum cælorum clauditur non solum ignorantia Fidei, sed etiam rerum agendarum: ergo in Ecclesia clavis potestatis est ad firmiter statuendum de moribus observandis à Fidelibus. Vide infra num. 16.

10. P. Granado 2. 2. contrav. 1. tract. 7. disp. 2. sect. 2. num. 11. sic ait: Quod attinet ad morum doctrinam, non minus certum est, non posse definiri à Pontifice esse bonum id, quod peccatum est, quam est certum, non posse errare in doctrina Fidei.

11. P. Valencia 2. 2. disp. 1. quæst. 1. punct. 7. quæst. 6. §. 40. id ipsum late probat; & id intelligere, non solum errare non posse Pontificem in rebus Fidei, sed neque quoad mores, constat ex §. 41. vers. Respondeo si Pontificis. illis verbis. Ita absque ulla restrictione dicendum est, quidquid Pontifex in rebus controversis ad pietatem spectantibus determinat, infallibiliter illum determinare, quando, ut expositum est, universam Ecclesiam obligat. Et versu. Ad aliud eamdem infallibilitatem attribuit Pontifici, quando approbat aliquod vitæ Religiosæ institutum; id enim spectat ad mores.

12. P. Petrus Hurt.: 2. 2. tom. 2. disp. 163. §. 139. sic ait. Recognosce præsertim Cardin. Bellarminum tom. 1. lib. 4. de Romano Pontif. cap. 5. asserentem, Pontificem errare non posse approbando malum pro bono. Contra quam doctrinam solum scripsere heretici nonnulli: quos refert, & refellit P. Gretserus tom. 1. in defensione ejus capitis. Et quidem si Pontifex posset ea in parte errare, etiam posset in doctrina: existimaret enim licere, quod non licet, & ejus occasione Fideles etiam errarent.

12. Lugo Card. disp. 20. de Fide sect. 3. num. 109. sic ait; Hinc enim colligunt Theologi, Summum Pontificem non posse errare in decretis morum, quæ pro Ecclesia universali proponit: quia, ut notavit Bellarminus lib. 4. de Rom. Pontif. cap. 5. si Pontifex loco virtutis præciperet vitium, Fideles, qui obedire tenentur Pontifici, deberent credere, vitium esse bonum, ut illud honestè amplecterentur, in quo judicio deciperentur, & errarent omnes.

13. Petrus de Aragon. 2. 2. quæst. 1. art. 10. tract. de Summo Pontifice dub. 2. §. Ais tamen. sic ait: Papa cum definit doctrinam Fidei, & morum, eamque proponit toti Ecclesiæ credendam, nullo modo potest errare. Et pro ea citat S. Thomam in eadem quæst. 1. art. 10. & in tract. contra errores Græcorum cap. 67. Cajetanum tract. de primatu Ecclesiæ Romanæ cap. 13. & de authoritate Papæ & Concilij cap. 9, Turrecrematam lib. 2. Summa Ecclesiæ cap. 109. Albertum Piggium lib. 4. de Ecclesiastica Hierarchia cap. 3. Driedonem lib. 4. de Ecclesiasticis dogmatibus cap. 2. Victoriam in relect. de potestat. Ecclesiast & Roffensem art. 28. contra Lutherum,

15. Idem late docet Diana part. 11. tract. 2. de infallibilitate decretorum Pontificis, in appendice resol. 13. & apud ipsum Malderus 2. 2. quæst. 1. dub. 6. Turrianus disp. 16. dub. 2 Sylvius lib. 4. de controv. quæst. 2. art. 13. & alij. Tenet etiam P. Conink de Fide disput. 12. dub. 5. conclus. 5. & P. Gretserus ubi suprà: idem docet P. Arriaga tom. 5. disp. 9. num. 26. & P. Franciscus Amicus tom 4. disp. 7. de Fide sect. 2. n. 56.

16. Ob hanc rationem certum omnino esse, quod Romanus Pontifex errare non possit in approbatione Religionum, quantum ad constitutiones & leges earum, quo ad honestatem, & bonitatem moralem earum, affirmat S. Thomas opusc. 19. art. 4. & Bannez. 2. 2. quæst. 1. art. 10. dub. 8 conclus 4.

17. Ubi notabis primo, dum Authores dicunt, Pontificem errare non posse in materia Fidei, & morum, condistinguere materiam morum à materia Fidei, & ideo non solum

errare non posse in materia morum, quando hanc materiam tradit, definiendo esse de Fide; sed etiam quando materiam morum docet, absque definitione articuli Fidei.

18. Notabis secundo, prædictos Authores non solum pro certo affirmare, non posse errare Pontificem Romanum in ijs, quæ præcipit, nempè præcipiendo turpia, vel prohibendo honesta, sed etiam neque errare posse, dum expresso judicio approbat, vel reprobat mores, ita ut approbet vitia, vel actus virtutum condemnet. Quod postea amplius confirmabitur. Hæc fere omnia scripsi in eo *cap. 6.*

ARTICVLVS II.

Sanctos Patres in eadem stare sententia.

SVMMARIVM.

Pontificem errare non posse in materia Fidei, commune est Sanctis Patribus. n. 19.

Referuntur præcipuè Sancti Patres docentes, non posse errare in materia morum. n. 20. & seqq.

Innocentius I. n. 20. 21. & 22.

S. Gregorius magnus. n. 23.

Innocentius III. n 24.

S. Bernardus n. 25.

NOn posse errare Romanum Pontificem in materia Fidei loquentem ex Cathedra, omnes Sancti Patres uno ore clamant, quos prolixum esset recensere. *Vide Bellarminum l. b. 4. de Rom. Pontif. cap. 2. & 3. & P. Valentiam 2. 2. Disp. 1. quæst. 1. punct. 7. §. 37. & seqq.* Ex quibus Sanctis Patribus aliqui satis significant, judicium Romani Pontificis non solum esse infallibile in materia Fidei, sed etiam quoad mores.

20. *Innocentius I in epist. ad Concilium Carthagin. & habetur tom. 1. Concil. ex collectione Severini Binii*, laudat Patres, qui ei Concilio aderant, quod consuluerint sedem Apostolicam, & ita scribit: *Antiquæ traditionis exempla servantes, & Ecclesiasticæ memores disciplinæ, nostræ Religionis vigorem, non minus nunc in consulendo, quam antea cum pronunciaretis, veneratione firmatis, qui ad nostrum referendum approbatis esse judicium: Scientes quid Apostolicæ Sedi (cum omnes hoc loco positi, ipsum sequi desideremus Apostolum) debeatur: à quo ipse Episcopatus, & tota Authoritas nominis hujus emersit: quem sequentes tam MALA IAM DAMNARE NOVIMVS, quam PROBARE LAVDANDA.*

21. In quibus verbis multa veniunt notanda. Primum, non loqui dumtaxat Pontificem de articulis Fidei, sed etiam de bonis, & malis moribus, ut satis clare denotant ultima verba. Secundum, quanta sit securitas certitudinis in hoc judicio Sedis Apostolicæ, denotat id verbum *Novimus*, cum dicit, *Tam mala damnare novimus, quam probare laudanda.* Item illud verbum, *veneratione firmatis*: quod omnimodam securitatem, & firmitatem significat. Tertium, quod ipsi Patres dum aderant Concilio, in iis, quæ constituerãt, consuluerunt Romanã Cathedram, quod est valde notandum. Quartum, quod hoc genus consulendi Romanum Pontificem in his, sit juxtà *antiqua traditionis exempla*, & juxta *Ecclesiasticam disciplinam*. Quintum, quod hoc genus consulendi Pontificem *firmat nostra Religionis vigorem*: quæ verba magnam important securitatem certitudinis. Sextum, id genus consulendi Pontificem esse debitum Sedi Apostolicæ: quod non aliter potest esse debitum, nisi propter assistentiam Spiritus Sancti à Christo Domino promissam. Et tandem nota in hac epistola Innocentii I. multa alia contineri, quæ hoc ipsum maximè confirmant.

22. Idem *Innocentius I. ad Patres Concilii Milevitani epist. 93 inter epistol. S. Augustini*, ait: *Per omnes provincias de Apostolico fonte petentibus responsa semper emanant, præsertim quoties ratio Fidei ventilatur.* Ubi ea dictio *Præsertim* clarè significat, non solum quo ad arti-

articulos Fidei, sed etiam quo ad alia spiritualia negotia, judicio Romanæ Cathedræ standum esse. Et quæ alia sunt spiritualia negotia ultrà Fidem, nisi quæ ad mores pertinent.

23. *S. Gregorius Magnus lib. 4. epist. 52.* sic loquitur. *Si quam vero contentionem (quod longe faciat Divina potentia) de Fidei causa evenire contigerit, aut negotium emerserit, cujus vehemens sit fortasse dubietas, & pro sui magnitudine, judicio Sedis Apostolicæ indigeat; examinata diligentius veritate, relatione sua ad nostrã studeat perducere notionem, quatenus à nobis valeat congrua SINE DVBIO sententia terminari.* Ubi notandum est, loqui Gregorium, & de rebus Fidei, & de aliis negotiis magnis, scilicet spiritualibus: quæ autem alia sunt negotia distincta ab articulis Fidei, nisi quæ pertinent ad normam rectè vivendi? Et nota id verbum *sine dubio*, quod certitudinē importat.

24. *Innocentius III. in cap. Majores.* De Baptismo sic ait: *Majores Ecclesiæ causas, præsertim articulos Fidei contingentes, ad Petri Sedem referendas intelligit, qui eum, quærenti Domino, quem discipuli dicerent ipsum esse, respondisse notabit: Tu es Christus filius Dei vivi, &c.* Ubi idem notandum est, quod in Innocentio I. circa eam dictionem *Præsertim*.

25. *S. Bernardus epist. 190. ad Innocentium* sic ait; *Oportet ad vestrum referri Apostolatum pericula quæque, & scandala Regni Dei, ea præsertim quæ de Fide contingunt.* Ubi ea dictio *Præsertim*, ut suprà notavi, satis clare significat, non solum determinanda esse à Pontifice *ea, quæ de Fide contingunt*, sed reliqua scandala, scilicet ad mores spectantia.

ARTICULUS III.

Hanc fuisse perpetuam Ecclesiæ consuetudinem, & traditionem.

SUMMARIUM.

Perpetua consuetudo Fidelium Consulendi Romanum Pontificem circa Fidem, & mores, exemplis Sanctorum Patrum confirmatur. n. 26.

Ex Patribus Concilii Carthaginensis, Nicæni, & Chalcedonensis id confirmatur. n. 27.

S. Hieronymus consulit Damasum, an debeat concedere in Trinitate unam, vel potius tres hypostases. n. 28.

Alia consultatio S. Hieronymi. n. 29.

S. Augustinus laudat hanc consuetudinem. n. 30.

S. Polycarpus & S. Irenæus consulunt Romanum Pontificem. n. 31.

Ex S. Leone Papa confirmatur eadem consuetudo. n. 32.

Item ex Anastasio Papa. n. 33.

Consultatio Episcoporum Bætica & Toletanæ Provinciæ missa ad S. Anterum. n. 34.

Item Tarraconensium, & Patrum Concilii Ephesini. ibid.

Epistolæ decretales Pontificum, & quinque libri decretalium ostendunt eamdem consuetudinem. n. 35.

Et ibi testimonium S. Cyrilli.

Judicium Melchioris Cani de hac Ecclesiæ consuetudine. n. 36.

Consultatio octoginta quinque Episcoporum Galliæ super Iansenismo. n. 37.

Non est credibile, Episcopos recentiores ab hac doctrina recessisse. n. 38.

Firma Fidelium persuasio, quod dum sequuntur Romanam Cathedram, procedunt sine periculo errandi. n. 39.

26. Hæc omnia efficacissimè confirmantur ex vetusta, & assidua consvetudine, ab initio nascentis Ecclesiæ consulendi Romanum Pontificem in quibuscumque dubiis, & controversiis, quæ oriebantur circa Fidem, & mores, & exempla Sanctorum Patrum in ejusmodi dubiis consulentium Romanum Pontificem, manifestè declarant, quam alte in mentibus omnium Fidelium erat repositum, se per securam viam gradi, dū ex Consilio Romani Pontificis incederent:

quod nequaquam facerent, nisi esset firma omnium Fidelium persuasio, in his Romanum Pontificem errare non posse propter promissam à Christo specialem assistentiam Spiritus Sancti.

27. Ideo Patres Concilij Carthaginensis, ut supra retuli, in ijs, quæ constituerant, aut in quibus consulendis conveniebant, consulebant Innocentium I. Ita *Patres Nicænæ Synodi* scribunt ad Sylvestrum Papam: *Quid quid constituimus, precamur, ut vestri oris consortio confirmetur. & Patres Concilij Chalcedonensis ad Leonem Papam: Omnem vobis gestorum vim insinuavimus ad eorum, quæ à nobis gesta sunt, firmitatem, & consonantiam.*

28. Ideo etiam *Sanctus Hieronymus in epist. ad Damasum*, dum in Ecclesia significatum hujus nominis *Hypostasis*, non erat satis notum, quin potius super illo magnæ erant excitatæ controversiæ, imo & ipse Hieronymus existimabat idem esse *Hypostasis*, atque *usia*, sive substantia. Sic enim ait: *Tota sæcularium litterarum schola nihil aliud hypostasim, nisi usiam novit.* Et mox: *Sufficiat nobis dicere unam substantiam, tres personas subsistentes, perfectas, æquales, coæternas, Taceantur tres hypostases si placet; & una teneatur.* Et cum huic opinioni tenaciter adhæreret Doctor maximus, sic scribit Romano Pontifici: *Decernite, si placet obsecro: non timebo tres hypostases dicere, si jubetis.* Et in fine Epistolæ ait: *Quam ob rem obtestor Beatitudinem tuam per Crucifixum mundi salutem, per homousion Trinitatem, ut mihi epistolis tuis sive tacendarum, sive dicendarum hypostaseon detur authoritas.* Sed quare non timebat Hieronymus, cum res esset dubia pro tunc; Utique non timebat, quia sciebat, quod Pontifex decernendo, sua authoritate dat illi omnimodam securitatem, qualem dat assidua Spiritus Sancti assistentis protectio. Ideo *in Epist. 2. ad Damasum*, quæ incipit, *importuna*, & in qua postulat à Pontifice decisionem de ea materia, scilicet de significatione hujus vocis *Hypostasis*, ait: *Ego interim clamito: si quis Cathedræ Petri jungitur, meus est.*

29. Similiter dubitans *Hieronymus*, quibus Episcopis communicare deberet, timens, ne hæreticis adhæreret pro Catholicis in præfata *Epist. ad Damasum*, eum consulit de hac re, & ait: *Obtestor Beatitudinem tuam per Crucem Domini, ut qui Apostolos honore sequeris, sequaris & merito. Ut mihi litteris tuis, apud quem in Syria debeam communicare significes.* Quare eam viam assumit Hieronymus in dubiis, nisi quia hac via Romani Præsulis errari non potest?

30. S. Augustinus lib. 1. contra Julianum cap. 4. laudat hanc consuetudinem veterum Patrum etiam in Conciliis Congregatorum, illis verbis: *Quid enim potuit vir ille Sanctus (Innocentius* I.*) Africanis respondere Concilijs, nisi quod antiquitus Apostolica Sedes, & Romana cum cæteris tenet perseveranter Ecclesia:*

31. *S. Polycarpus (ut refert S. Hieronymus lib. de Script. Eccles.)* Romam petit ad Anicetum Pontificem *propter quasdam super die Paschæ quæstiones.* S. Irenæus *(ut refert S. Hieronymus ibid.)* Presbyter Ecclesiæ Lugdunensis legatus missus est ad Eleutherium Pontificem maximum *ob quasdam Ecclesiæ quæstiones.*

32. *S. Leo Papa epist.* 89. ad Episcopos Viennensis Provinciæ declarans Christi institutionem de Suprema potestate Petri, & successorum ejus, illam probat ex consuetudine consulendi eam Romanam Sedem.

33. *Anastasius Papa* scribens Episcopis Germaniæ, & Burgundiæ, satis clare significat hanc universalem consuetudinem consulendi in omnibus quæstionibus, & dubiis Romanam Cathedram. Ait enim: *Exigit dilectio vestra, ex authoritate Sedis Apostolicæ vestris respondere consultis.*

34. *S. Anterum Papam* consuluerunt Episcopi Bæticæ, & Toletanæ Provinciæ, an ex justa

justa causa posset transferri Episcopus de una Sede in aliam, existimantes, se errare non posse in hac translatione si fieret judicio Romanæ Sedis; ut constat ex epistola ejusdem Anteri. Et ita Episcopi Tarraconensis Provinciæ consulentes Hilarum papam *(ante epistolam 2. Hilari)* sic loquuntur: *Ad Fidem recurrimus Apostolico ore laudatam, inde responsa quærentes, unde nihil errore, nihil præsumptione, sed Pontificali totum deliberatione præcipitur.* Quorum Episcoporum consultatio erat in materia morum, nempe circa electionem Episcopi factam contra constitutionem concilii Nicæni, quomodo in eo casu, & in posterum se gerere deberent. Et prope finem epistolæ sic inquiunt: *Quæsumus Sedem vestram, ut quod super hac parte observare velitis, Apostolicis affatibus instruamur, quatenus, fraternitate collecta, prolatis in medium venerandæ Synodi constitutis, contra rebellionis Spiritum, vestra authoritate subnixi, quid oporteat & de Ordinatore & de Ordinato fieri, intelligere (Deo juvante) possimus.* Quod eodem modo fere omnes Episcopi consulentes Romanam Sedem, profitentur, se in agendis, & credendis à Romano Pontifice doceri debere.

Imo & ipsi P*atres Concilij Ephesini* in epistola ad Cælestinum I. inquiunt: *Quia verò necessitas exigebat, ut omnia, quæ in hac sacra Synodo acciderunt, Sanctitati tuæ declararentur, non potuimus hisce nostris litteris ad Sanctitatem tuam non perscribere* Ubi notanda sunt ea verba *Necessitas exigebat, & Non potuimus non perscribere*, quæ denotant etiam Patribus in concilio congregatis necessariam esse consultationem Romanæ Cathedræ.

35. Sed quid moror Lectorem meum, aut quare onerabo cum exemplis Sanctorum Episcoporum veterum; ex quibus si omnia referre vellem, quam plurimæ paginæ implendæ essent. Legantur epistolæ decretales, quæ inveniuntur tribus tomis collectæ opera Antonii Caraffæ S.R.E. Cardinalis: ex quibus manifestè cognoscitur perpetua (continuata sæculorum serie usque ad proxima tempora) Ecclesiæ praxis & consuetudo consulendi in omnibus dubiis & controversiis Romanum Pontificem, tam in materia Fidei, quam in materia morum. Imo etiam maxima pars juris Canonici, quod continetur in quinque libris decretalium, componitur ex responsis ad consultationes Prælatorum, aut Ecclesiarũ. Nam in exordio *Rex pacificus* asserit Pontifex in eos quinque libros redigere se *diversas constitutiones, & decretales epistolas Prædecessorum.* Ubi glossa verb. *Constitutiones.* sic ait: *Constitutio est, quam facit Princeps motu proprio: decretalis epistola est, quando respondet ad consultationem.* Et de hac consuetudine Ecclesiæ consulendi Romanum Pontificem testatur *S. Cyrillus Alexandrinus in epistola ad Cælestinum I.* quæ habetur *tom. 1. epist. decretal.* his verbis. *Quoniam vero Deus hisce in rebus prudentiam à nobis exigit, longaque Ecclesiarum CONSVETVDO suadet, ut istiusce modi Sanctitati tuæ communicentur, &c.*

36. Audiendus est in hoc articulo *Mag. Melchior Canus lib. 6. de locis cap. 7.* agens de hoc recursu ad Romanam Sedem in Ecclesia Dei semper observato. *Ad Romanam porro Sedem Episcopos Ecclesiarum in causis quibusque gravissimis provocasse, ab illius ore fideles Fidei semper oracula petiisse, illius judicium Catholicos omnes in religionis controversiis expectasse, illius denique, & vim, & authoritatem sacra omnia efflagitasse concilia, adeo certum & manifestum est, ut sim ego ineptus si velim ostendere. Quibus ex rebus, quoniam negari non possunt, conflatur & efficitur, quod quærimus argumentum, quo ex multis magnisque haud facile quis dixerit aliud, aut evidentius aut certius. Si enim legum Christi interpres nullus sanior est, quam perpetuus Ecclesiæ usus, Ecclesia verò in Fidei, religionisque quæstione, ac cæteris gravissimis controversiis non*

ad Antiochenum, Alexandrinum, Constantinopolitanum, Mediolanensem, Parisiensem, Coloniensem, Toletanum, aut Bracharense Episcopos, sed ad Romanum omni semper atate recurrit: quis dubitet, hunc esse, quem ut successorem Petri, ita quoque doctrina Apostolica Magistrum, quastionumque de Fide judicem habemus?

37. Quæ, quidem consuetudo consulendi, Romanam Cathedram in dubiis circa Fidem & mores semper extitit in Ecclesia, & persistit usque ad nostra tempora. Refert *Caramuel in Theol. fundam. fundamento* 4. *num* 250. statim atque exorta est hæresis Janseniana (quæ est circa Fidem & mores) octoginta quinque Episcopos Galliæ confugisse, consultationis gratia, ad Innocentium X. Refertque *Caramuel* duas periodos epistolæ, quam præfati Episcopi miserunt Innocentio, quæ repetitur *apud P. Stephanum de Champs* in initio operis de Hæresi Janseniana editi Parisiis an. 1654. Prima periodus hæc est: *Precamur, sanctitas tua, quid in hac re sentiendum sit, clare distincteq; definiat. Obtestamur ergo, ut has præsertim propositiones, de quibus disceptatio periculosior, ac contentio ardentior est, Sanctitas tua expendat, ac perspicuam, & certam de unaquaque sententiam ferat.* Ubi notanda sunt ea verba *Perspicuam, & certam.* Ideo enim consulitur Romanus Pontifex, quia ejus est *perspicuam & certam* sententiam ferre circa Fidem, & mores. Altera periodus ejusdem epistolæ est. *Experta est nuper Beatitudo tua, quantum Apostolicæ Sedis in Gemini Ecclesiæ capitis errore profligando valuerit authoritas. Continuo sedata est tempestas, atque ad Christi vocem & imperium venti & mare obedierunt. Quamobrem flagitamus, Beatissime Pater, ut clara firmaque de propositionum istarum prolata sententia, cui Reverendissimus ipse Iansenius morti proximus opus suum subjecit, caliginem omnem discutias, animos fluctuantes componas, dissidia prohibeas, Ecclesiæ tranquilitatem, splendoremque restituas.* Ubi attenta notatione digna sunt ea verba: *Ad Christi vocem & imperium*: quia in his consultationibus vox Romani Pontificis est vox Christi, *cui venti & mare obediunt*. Quibus verbis quid aliud significatur, nisi infallibilitas definitionis Pontificiæ, ex assistentia Spiritus Sancti, quæ omnino tollit ab Ecclesia periculum errandi.

38. Quare fidem non habeo quorumdam relationibus de quadam Asamblea, sivè Congregatione, in qua dicuntur decreta esse à quibusdam Episcopis Galliæ quædam dogmata præfatæ doctrinæ contraria, infirmantia potestatem Romani Pontificis. Neque enim credibile est, Episcopos Recentiores à certissima & securissima Doctrina illorum octoginta quinque Episcoporum degenerasse.

39. Cum ergo ex his omnibus constet, semper in Ecclesia Dei fuisse consuetudinem consulendi Romanum Pontificem in omnibus dubiis, & quæstionibus, quæ circa Fidem, & mores movebantur, dicendum absque dubio est, hanc consultandi consuetudinem ortam esse ex firma persuasione Fidelium, quod hæ consultationes Romanæ Cathedræ eo fine assumantur, ut quæ agenda sunt, sine periculo errandi agantur: atque adeo certum sit apud omnes, in his Romanam Cathedram errare non posse, propter specialem Spiritus Sancti assistentiam.

ARTICVLVS IV.

Pluribus argumentis demonstratur, Pontificem Romanum errare non posse in materia morum.

SVMMARIVM.

Sanctitati Ecclesiæ repugnat approbare turpia & reprobare honesta. n. 40.

Si

Si Ecclesia approbaret turpia, vel reprobaret honesta, non esset Sancta. n. 41.

Si Pontifex approbaret turpia, & reprobaret honesta, Ecclesia eodem modo approbaret; & reprobaret. n. 42.

Securitas Ecclesiæ non errandi in materia morum nititur in securitate sui capitis. n. 43.

Ex dictis colligitur syllogismus demonstrativus n. 44.

Sanctitas doctrinæ est argumentum evidens veritatis Fidei. Et quid inde pro conclusione? n. 45.

Si Pontifex approbaret turpia, vel damnaret honesta, doceret propositionem erroneam. n. 46.

Doceret enim propositionem oppositam conclusioni Theologicæ. Et quo modo? n. 47.

Quomodo Pontifex non possit docere propositionem erroneam? n. 48.

Idem demonstratur ex eo, quod Pontifex errare non possit in pascendis ovibus. n. 49.

Altera demonstratio ex eo, quod verteretur vitio institutori Reipublicæ, si non ministraret omnia media necessaria ad ejus conservationem. n. 51.

Ultima demonstratio ex varijs textibus Sacræ Scripturæ. n. 52. & seqq.

Præfata conclusio certa est etiam extra definitionem articuli Fidei. n. 57.

Pontifex non solum non potest errare præcipiendo turpia aut prohibendo honesta, sed neque approbando aut reprobando. n. 59.

Neque solum in materia juris naturalis, aut divini, sed etiam in materia juris humani. n. 60.

40. IN *ea Disp. 9 cap. 6. art. 2.* sic discurrebam. (Demonstratur primo, instaurando rationem factam supra, quam in fine verborum P. Suarij ibi produximus. Oportet autem primam minorem, quæ erat Suarij, à ratione ostendere. Itaque repugnat Sanctitati Ecclesiæ approbare honesta: ut enim loquitur *Card. Bellarminus* verbis relatis supra. *Sancta dicitur potissimum ob Sanctam professionem; quia nimirum professionem, & legem Sanctam profitetur, quæ nihil docet falsum, nihil præcipit malum.*

41. Quare sic instauratur demonstratio. Si Ecclesia approbaret turpia, vel reprobaret honesta, lex & professio morum Ecclesiæ non esset Sancta. Patet. Illa enim professio morum non est Sancta, quæ profitetur mores turpes, & damnat honestos; cum Sanctitas ejus professionis consistat in eo, quod ita mores Sanctos profiteatur, ut nullum turpem admittat, nullum honestum damnet.

42. Deinde si Romanus Pontifex approbaret turpia, & reprobaret honesta, Ecclesia eodem modo admitteret, & respueret. Tum quia Ecclesia audit, & recipit doctrinam morum à Magistro suo, qui eo firmissimo securitatis fundamento subnititur, quod *portæ inferi non prævalebunt adversus eam.*

43. Tum quia non est major securitas non errandi in materia morum in reliquo Ecclesiæ corpore, quam in suo capite, sed potius è converso: etenim ne erraret Ecclesia, promissio facta est Magistro, & capiti. Unde hæc securitas non errandi prius residet in Magistro, & ex illius securitate resultat securitas in Ecclesiam. Ideoque *Matth. 16.* dicitur: *Super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam*: id est, firmitas Ecclesiæ in ipsa firmitate Petro innitetur. Et ideo optime dixit *Canus lib. 6. de locis, cap. 3 §. Præterea. In Petro, & successoribus primum firmam, certamque doctrinam asseremus; mox vero in Ecclesia Romana, cujus Petrus cum successoribus & caput, & fundamentum est.* Quod satis dilucide expressit Origenes in hunc locum *Math. 16.* in hæc verba: *Manifestum est, & si non exprimatur, quod nec adversus Petrum, nec adversus Ecclesiam portæ prævalere poterunt inferorum, nam si prævalerent adversus Petram, in qua Ecclesia fundata erat, contra Ecclesiam etiam prævalerent.* Si ergo Pontifex approbaret turpia, vel reprobaret honesta, fieret quod vacillante capite, vacil-

vacillaret Ecclesia, cujus firmitas à firmitate capitis omnino pendet; consequenterque exponeret Ecclesiam periculo errandi in eadem materia, atque adeo exponeret periculo non habendi professionem, & doctrinam sanctam. Non ergo esset certissime, & securissimè Sancta.

44. Ex his resultat hic syllogismus. (Si Pontifex docens Ecclesiam, erraret in materia morum, Ecclesia non esset Sancta; sed repugnat Ecclesiam non esse sanctam : ergo repugnat Pontificem, dum docet Ecclesiam, errare in materia morum.) Qui syllogismus demonstrativus est. Major enim patet evidenter ex dictis. Minor est de Fide, utpote expressa in symbolo Fidei. Et consequentia obligat, quia in propositione conditionali, à negatione partis, illatæ ad negationem prioris partis, est evidens Dialecticorum consequentia, quia valet à negatione consequentis ad negationem antecedentis.

45. Confirmatur. Sanctitas Doctrinæ est argumentum evidens veritatis Fidei Ecclesiæ Romanæ; quo argumento ad hunc scopum utuntur Sancti Patres, & Doctores scholastici. Doctrina autem ejus Sancta non esset, si doceret Ecclesia turpia, vel damnaret honesta; non enim esset Doctrina Sancta, quæ aliquid non Sanctum admitteret: ergo si doceret turpia, vel damnaret honesta, cessaret prædictum argumentum veritatis Fidei Ecclesiæ Romanæ. Quæ confirmatio ex dictis robur accipit.)

46 Deinde in eodem *art. à num. 68.* sic arguebam. (Demonstratur secundo eadem assertio ex verbis supra citatis *Bellarmini*, *&* *Cani.* Pontifex dum docet Ecclesiam, ex secura Spiritus Sancti assistentia habet, quod non possit docere propositionem erroneam : sed si approbaret turpia, vel damnaret honesta, doceret propositionem erroneam : ergo Pontifex dum docet Ecclesiam, non potest approbare turpia, vel damnare honesta.

47. Consequentia est inevitabilis ex legitima arguendi forma à dialecticis inducta in propositione conditionali. Minor etiam patet: illa enim est propositio erronea, quæ opponitur conclusioni Theologicæ : sed si approbaret turpia, vel damnaret honesta, opponeretur conclusioni Theologicæ : ergo doceret propositionem erroneam. Minor hujus syllogismi etiam patet; hæc enim est conclusio Theologica, (Nullus actus honestus est damnabilis: hic actus est honestus: ergo hic actus non est damnabilis.) Cujus syllogismi major est de Fide, & minor ut certa supponitur.

48. Major vero prioris, & præcipui syllogismi etiam est certissima, nempe quod Pontifex, dum docet Ecclesiam, non possit docere propositionem erroneam. Etenim Pontifex, dum docet Ecclesiam, non potest deficere in Fide, juxta promissionem Christi Petro, & ejus successoribus factam. *Luc. 22. Ego rogavi pro te, Petre, ut non deficiat Fides tua.* Atqui admittens propositionem erroneam, peccat contra Fidem, & in illa nutat : cum teneatur negare vel præmissam de Fide, vel præmissam evidentem, quibus nititur conclusio Theologica. Et cum intellectus cogatur evidentia, utique determinatur ad negandam præmissam de Fide.

49. Demonstratur tertio ex verbis *Castro Palao* citati suprà (à quo formalia verba transcripsit Diana relatus) *De Fide est, Pontificem errare non posse in pascendis ovibus* (nempe quo ad pascua præcipua, & substantialia) *sed oves non solum doctrina Fidei, sed morum institutis pascuntur* (tamquam præcipuis, & substantialibus pascuis) *ergo de Fide est, in his institutis errare non posse.*

50. Ma-

50. Major enim est evidens ex verbis Christi ad Petrum, *Pasce oves meas*: id est, potestatem tibi trado pascendi oves meas, & media securissima, & certissima ad illas pascendas; circa quæ media ob Divini Spiritus assistentiam errare non possis. Quæ verba, attentis etiam aliis, quæ Christus Petro dixit in Evangelio, ex communi Ecclesiæ sensu, & traditione sensum præfatum continent pro Petro, & successoribus ejus, ut notavit *P. Suarez cit. ea disp. 5. de Fide sect. 8.* Minor vero ex eodem sensu Ecclesiæ certissima est. Conclusio autem vel tanquam de Fide, ut in ipsa exprimitur, vel saltem, ablata ea voce *de Fide*, tamquam conclusio Theologica legitimè infertur.

51. Demonstratur quarto ex verbis *Melchioris Cani relati* supra. Etenim institutori Reipublicæ verteretur vitio, si non ministraret omnia media necessaria ad ejus conservationem, præcipue cum nullum medium lateret Sapientiam ejus. Sed ad conservationem Reipublicæ Christianæ, attento fine Sanctitatis, ad quem ordinatur, est medium necessarium infallibilitas Magistri communis in materia morum: ergo Christo verteretur vitio, si non dedisset hanc infallibilitatem Magistro communi in materia morum. Hæc proxima minor probatur. Nam ad conservationem Reipublicæ Christianæ, attento fine Sanctitatis, ad quem ordinatur, est medium necessarium illud, quod requiritur ad hoc, quod Respublica Christiana non sit exposita periculo errandi in materia sanctitatis, & morum: adhoc autem requiritur infallibilitas Magistri communis in prædicta Doctrina sanctitatis, & morum, ut patet ex dictis.) Hucusque scripsi *loc. cit. usque ad numerum 73.*

52. Demonstratur quinto ex Sacra Scriptura. Nam ex Sacra Scriptura constat, Christum D. reliquisse nobis in Ecclesia Regulam infallibilem discernendi bonos mores à pravis. Sed hæc Regula infallibilis est Romanus Pontifex, & non alius: ergo Romanus Pontifex infallibili authoritate discernit bonos mores à pravis, atque adeo in illis discernendis errare non potest.

53. Hæretici negant minorem: sed evidenter convincuntur à Bellarmino supra citato. Aliqui veteres Catholici dixerunt, eam Regulam esse Concilium generale, non Papam. Sed *Bellarminus lib. 4. de Roman. Pontif. cap. 2. ait.* eam opinionem *videri omnino erroneam, & hæresi proximam.* Major probatur primo ex Evangelio *Ioannis cap. 14. Ego rogabo Patrem, & alium paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum Spiritum veritatis.* In quibus verbis promittit Christus Ecclesiæ donum perpetuo mansurum, *ut maneat vobiscum in æternum*; & hoc donum esse *Spiritum veritatis*, ex quo Ecclesia possit dignoscere omnem veritatem, quæ ad credendum mysteria Fidei, & ad rectè vivendum pertinet: ergo posuit in Ecclesia hanc regulam infallibilem.

54. Probatur secundo *ex cap. 16. Cum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.* Quæ verba evidenter significant, providisse Christum D. modum, quo infallibiliter possent cognoscere fideles omnem veritatem, quæ pertinet ad finem à Christo intentum, scilicet ad consequendam æternam salutem.

55. Probatur tertio *ex epist. 1. ad Timotheum cap. 3.* ubi ait Apostolus: *Ecclesia Dei vivi columna, & firmamentum veritatis.* Quæ verba quomodo verificari possent, nisi in Ecclesia esset firma, & certissima Regula veritatum, non solum quæ sunt articuli Fidei, sed etiam quæ spectant ad recte vivendum? Probatur quarto illis verbis Christi D. *Pasce oves meas*, ut proposita sunt supra in argumento tertio.

56. In eodem loco *à num. 74.* hæc superaddidi.(Ad hoc,& ad cætera argumenta respondebit fortasse aliquis, hanc infallibilem assistentiam Spiritus Sancti, solum esse promissam, dum Pontifex intendit definire articulos Fidei, & non aliter.

57. Contra tamen est, quia id,quod assumitur, est manifestè falsum. Nam etiam si Pontifex non intendat definire articulos Fidei,sed solum docere Ecclesiam cum prævia matura deliberatione, certissimum est, quod non potest docere hæresim, vel errorem,ut & ipsi relati Doctores testantur. Alioqui frustraretur promissio Christi, *Luc. 22. Ego rogavi pro te, Petre, ut non deficiat fides tua.* Tum quia non esset minus periculum errandi in Ecclesia, si quando Pontifex illam docet in materia morum, erraret,quam esset, si erraret intendens definire articulum Fidei. Tum etiam,quia est contra Sanctitatem Ecclesiæ doceri doctrinam oppositam veræ Sanctitati,ut patet ex demonstratione prima. Tum præterea, quia, ut constat ex demonstratione secunda, Pontifex in eo casu loquens è Cathedra, admittens quæ Doctrinã erroneam,exponeret Ecclesiam periculo errandi in Fide: nam doctrina erronea, quæ militat contra conclusionem Theologicam, cogit ad negandam præmissam de Fide; cum una præmissarum neganda sit (ab eo qui negat conclusionem) & præmissa evidens extorqueat assensum ab intellectu.

58. Tum denique, quia Ecclesia non solum audit Magistrum suum definientem articulos Fidei, sed etiam tradentem præcepta morum:quem cum sic præcipientem áudit, utique audit tamquam Pontificem,& Caput Ecclesiæ. Si ergo tradens præcepta morum, erraret,approbando(judicio tacito, vel expresso)turpia,vel reprobando ea,quæ in sensu composito essent honesta, Ecclesia audiens Præceptorem suum exponeretur periculo errandi, quia firmitas Ecclesiæ stat in sui capitis firmitate,juxta dicta supra.

59 Hinc inferes primo, cum prædictæ demonstrationes,& sensus communis Theologorum convincat, certum infallibiliter esse,non posse errare Pontificem in materia morum,præcipiendo turpia, aut prohibendo actus virtutum,quia ea esset quædam tacita approbatio vitij,& reprobatio virtutis; eas multo fortius probare,non posse errare Pontificem expresso judicio reprobando honesta,& approbando turpia. Etenim magis errat,qui expressè dicit errorem, quam qui dicit illud,unde per discursum infertur error,

60. Inferes secundo, non solum errare non posse Pontificem Summum in materia juris naturalis,aut divini positivi, approbando aliquid juri divino, aut naturali contrarium;sed etiam eâdem certitudine tenendum est,illum errare non posse in materia morum approbando aliquid,quod jure canonico aut civili est moraliter malum,aut è converso. Ita cum declarat, talem actionem esse in se sacrilegam,vel simoniacam ex præsuppositis præceptis canonicis,vel violationem jejunii esse culpam lethalem, aut similia, errare non potest: Sed adhæc omnia habet infallibilem Sancti Spiritus assistentiam,ne erret.

61. Patet hæc illatio ex dictis,Tum quia Ecclesia non haberet professionem sanctam, si approbaret sacrilegium, quamvis jure humano inductum: tum propter argumenta in hoc articulo instructa. Posset quidem relaxare jus illud canonicum,vi cujus actio violatrix illius juris redditur sacrilega; & sic relaxato jure,jam non esset sacrilega. At retento eo jure non potest approbare tamquam bonam,& honestam violationem illius: sic enim approbaret formalem inobedientiam respectu præcepti graviter obstringentis cõscientiam;& saltem mediatè opponeretur quarto Decalogi præcepto.) Hæc ibi scripta sunt usq; *ad num. 79.*

CAP-

CAPUT II.

An Romanus Pontifex loquens ex Cathedra possit errare in materia probabili circa mores?

ARTICULUS I.

Quid censeant aliqui in hac quæstione; & quomodo in æquivoco laborent?

SUMMARIUM.

Opinio Caramuelis. n. 62.
Ejus fundamentum. n. 63.
Alii Authores ejusdem opinionis. n. 64.
Titulus ipse, quem ponit Caramuel, quam sophisticam æquivocationem patiatur? n. 66.
Solvitur Sophisma tituli distinctione sensus compositi, & divisi. n. 67. & seqq.
Quomodo formandus sit titulus ad vitandam æquivocationem? n. 70.
Propositio probabilis potest amittere suam probabilitatem. n. 71.
Etiam intrinsecam. n. 72.
Solvitur fundamentum Caramuelis. n. 73.
Et ejus confirmatio. n. 74.

62. SUfficiebant dicta *cap. præced.* ut intelligeretur, ita esse universaliter verum; Romanam Cathedram esse Regulam infallibilem in materia morum, ut extenderetur etiam ad opiniones, quæ aliquo tempore fuerunt, aut reputatæ sunt probabiles; nisi *Caramuel* illud paradoxum pronunciasset, scilicet: *Non dari in mundo visibili authoritatem damnandi opiniones probabiles*. Et hinc colligit, opiniones probabiles damnatas sive ab Inquisitione, sive à Romano Pontifice, licet damnatæ maneant, quo ad forum externum; quo ad internum tamen manere indemnes, & probabiles.

63. Cujus præcipuum fundamentum est. Quia nulla authoritas facere potest, quod bonum sit malum, & quod innocens sit reus, & quod lux sint tenebræ: propositio autem probabilis bona est, innocens est, & instar lucis inter tenebras humanæ mentis: ergo nulla authoritas facere potest, quod opinio probabilis sit improbabilis aut damnabilis.

Confirmatur. Si innocens damnetur ut reus, licet in foro externo maneat noxius, in foro tamen interno innocens permanet: ergo similiter si opinio probabilis damnetur ut improbabilis; in foro externo reputabitur improbabilis, in interno tamen suam probabilitatem retinebit.

64. *Caramueli* consentit ex parte *Ioannes Martinez de Prado tom. 2. cap 33. in Appendic. contra Caram. quæst. 2. §. 3. num. 32.* asserens, nulla humana authoritate fieri posse, quod opinio intrinsecè probabilis fiat improbabilis; bene tamen si sit ab extrinseco dumtaxat probabilis. Eamdem *Caramuelis* sententiam ut probabilem admittit *Leander à Murcia lib. 2. disquisit. moral. disp. 4. resol. 25. num. 17.*

65. Falsitatem hujus opinationis multis demonstrationibus ostendi *in 1. part Crist. Theol. disp. 9. per totam. In cujus cap. 2.* proposui sententiam *Caramuelis* cum omnibus suis consequentiis, collatis inter se variis locis operum ejus; & ibi etiam retuli sententiam aliorum duorum, afferens eorum verba formalia. *Et cap. 3.* eorum fundamenta retuli.

66. *Et cap. 1.* evidenter ostendi ipsum titulum scilicet (An detur in mundo visibili authoritas damnandi opiniones probabiles?) sophistica æquivocatione scatere. Nihil enim tam evidenter convincitur, quam sophisma, cum manifestantur termini, in quibus latet dolus sophisticus. Ibi ergo circa ejusmodi titulum quæstionis sic discurrebam *cap. 1.*

67. (Ut statim ab exordio quæstionis videas, quantam patiatur æquivocationem sophisticam hic titulus, adverte, eam quæstionem esse similem huic: *An omnipotentia facere possit: quod cæcus videat*? Quæ quidem quæstio duplicem sensum habere potest; & sensum compositum, & sensum divisum. Sensus compositus inquirit, an Omnipotentia facere possit, quod cæcitas, sive privatio visionis componatur cum visione. Sensus divisus inquirit, an omnipotentia facere possit, quod cæcus amittat cæcitatem, & ita videat? Et siquidem à primo sensu arguis ad secundum, & quia non possunt componi cęcitas, & visus, arguis ad improbandum Christi miracula, quibus factum est, ut cæci viderent, sophisticè arguis, & sophistica æquivocatione vis certissimā veritatē confundere.

68. Eumdem duplicem sensum habet titulus hujus quæstionis, compositum, & divisum. Compositus inquirit, an propositio probabilis, manens probabilis, sit condemnabilis? sive an hæc duo possint componi, quod propositio simul sit & probabilis, & condemnabilis? Sensus autem divisus inquirit, an propositio prius probabilis possit, amissa probabilitate, fieri condemnabilis? Sive an propositio probabilis possit amittere probabilitatem, ita ut reddatur condemnabilis?

69. Et quidem implicat contradictionem, quod propositio probabilis in sensu composito sit condemnabilis; quia implicat contradictionem componi probabilitatem cum damnabilitate. Si autem inde progrederis, & ex hoc, quod propositio probabilis in sensu composito nequit esse condemnabilis, arguis, & infers, non posse Romanum Pontificem damnare illam propositionem, & auferre probabilitatem ab illa; & reddere illam improbabilem, dolosè arguis, & sophisticè; si quidem à sensu composito arguis ad divisum. Maximè cum probabilitas propositionis sit perfectio extrinseca, & amissibilis, ut constabit *ex cap. 4.* Eritque id argumentum simile huic: *Implicat cæcum videre: ergo nulla potestas facere potest, quod cæcus videat.* Sophisticè enim procedit, dum assumit antecedens in sensu composito, & consequens in sensu diviso.

70. Titulus ergo ut prudenter, utiliter, & absque æquivocatione proponeretur, sic proponi debuit: *An detur authoritas condemnandi, ut improbabiles eas propositiones, quæ prius erant, vel quæ prius videbantur probabiles?* Vel sic: *An opinio probabilis amittere possit probabilitatem, & reddi improbabilis vi condemnationis Pontificiæ.* Sic enim vitaretur confusio orta ex æquivocatione sophistica, proposita quæstione (qualis illa est, & esse debet) in sensu diviso.) Huc usque scripsi in eo *cap. 1.*

71. Deindè *cap. 4.* manifestè ostendi propositionem probabilem posse amittere suam probabilitatem: quod concedit **Caramuel** eo proposito exemplo, quod tempore *S. Augustini* erat probabile, nullos in orbe terrarum esse antipodes, cum tamen id jam non sit probabile, quia eorum existentia evidenter constat. Id ergo ostendi ex ipsa definitione opinionis probabilis, de cujus conceptu est niti fundamento gravi, quamvis non certo: sed quæ modo nititur fundamento non certo, procedente tempore potest pro illa, aut contra illam apparere fundamentum evidens; nam argumenta evidentia, quæ modo sunt pro aliqua veritate, non apparuerunt nobis ab initio mundi, sed decursu temporis inventa sunt: potest ergo opinio, quæ modo probabilis est, fieri certo vera, aut certo falsa amittens probabilitatem. Deinde quia incertitudo cognitionis tamdiu durat, quamdiu non apparet argumentum omnino certum: ergo incertitudo opinionis probabilis tamdiu durabit, donec contra illam appareat fundamentum certum: si ergo hoc nobis appareat, opinio amittet probabilitatem suam.

72. Nec prodest si dicas, loqui nos de pro-

probabilitate intrinseca, quæ quia intrinseca est opinioni, erit inamissibilis, & inseparabilis ab opinione. Dicitur enim intrinseca, non quia motivum ipsum sit intrinsecum opinioni, aut conclusioni, sed quia desumitur ex natura intrinseca objecti. Quod autem ipsum motivum non sit intrinsecum conclusioni objectivæ, patet in hoc syllogismo: *Omnis homo est animal, Petrus est homo, ergo Petrus est animal.* Petro enim extrinsecum est, quod omnis homo sit animal; alioqui universa hominum multitudo esset intrinseca Petro. Hæc omnia latè tradidi & explicui ea *disp. 9. cap. 4.*

73. Hinc facilè evertitur fundamentum *Caramuelis*, & aliorum, initio articuli propositum. Distinguo enim antecedens. Nulla authoritas humana facere potest, quod innocens sit reus, (in sensu composito) concedo; (in sensu diviso) nego. Nam qui modo innocens est, quia talis existimatur; facto debito examine potest inveniri reus. Opinio ergo, quæ admittebatur tamquam probabilis ab intrinseco, quia contra illam non apparebat fundamentum certum; postea apparente fundamento certo, transit ab innocentia ad reatū, sive à probabilitate ad improbabilitatē.

74. Ad confirmationem respondeo, si innocens injustè damnatur propter probationes falsas, in foro externo manere reum, & in foro interno manere innoxium. Si vero qui reputabatur innocens facto examine justo comperiatur delicti reus, pro foro interno, & externo manet reus. Idem contingit in opinione probabili: quæ si condemnaretur injustè, pro foro interno maneret probabilis, & innoxia. Si autem inveniatur principium certum contra illam, jam fiet noxia, & improbabilis. Quod autem damnatio Cathedræ Romanæ sit principium certum contra assertionem, quæ reputabatur probabilis; ex dictis satis constat, & amplius ex dicendis constabit.

ARTICULUS II.

Capita probationum, quibus alibi demonstravi, posse Romanum Pontificem damnare opiniones olim probabiles in materia morum.

SUMMARIUM.

Si Pontifex declarans, propositionem in materia morum esse temerariam, aut scandalosam, non auferret probabilitatem, erraret in materia morum. n. 75.

Romana Cathedra est Regula infallibilis ad decidendas controversias de bonitate & malitia morali, & consequenter de probabilitate. n. 76

Quæstiones de probabilitate in materia morum versantur circa bonitatem, & malitiam moralem. n. 77.

Opiniones probabiles possunt reddi improbabiles, si contra illas appareat principium certum. n. 78. *Aliquæ propositiones olim probabiles postea damnatæ sunt ab Ecclesia.* n. 79.

Affertur in exemplum opinio olim docens, simplicem Sacerdotem posse validè absolvere. n. 80.

Item opinio docens sufficere contritionem ad communionem Eucharistiæ. n. 81.

Item opinio, quod objectum festi Conceptionis Deiparæ sit sanctificatio ejus in secundo instanti. n. 82.

Item opinio de absolutione Sacramentali in absentia. n. 83.

75. In ea relata *disp. 9. art. 3.* proposui hanc primam demonstrationem. Si Romanus Pontifex docens Ecclesiam, asserensque, propositionem in materia morum esse temerariam, scandalosam, aut improbabilem, non auferret illi probabilitatem, Pontifex Romanus docens Ecclesiam errare in materia morum: sed Pontifex docens Ecclesiam non potest errare in materia morum: ergo in tali casu aufert illi probabilitatem; cujus syllo-

gisini major, & consequentia sunt evidentes, & minor manifestè constat *ex cap. antecedenti*. Quam demonstrationem in eo *art. 3.* relato multis explicui & confirmavi.

76. Secunda demonstratio continetur ibidem *art. 4.* In Ecclesia datur Regula infallibilis ad decidendas controversias, quæ de bonitate, aut malitia morali humanarum actionum oriuntur in Ecclesia; quæ Regula non est alia, quam Romana Cathedra, ut constat *ex cap. praced.* ergo si in Ecclesia oritur controversia de probabilitate opinionis circa bonitatem moralem alicujus actionis humanæ, ad Romanam Cathedram spectat illam pro alterutra parte decidere. Idque intelligitur, ut mox dicam, ita ut possit eas quæstiones decidere extra definitionem articuli Fidei. Sic enim *Leo X. in Concilio Lateranensi sess.* 10. definivit, montes pietatis esse licitos illis verbis: *Declaramus, & definimus, montes pietatis nec mali specimen praferre, nec ullo pacto improbari.* Et tamen non affirmat Pontifex, se id definire tamquam articulum Fidei. Sic etiam dum Romanus Pontifex approbat Religiones, & affirmat, earum instituta esse conformia Evangelicæ perfectioni, id declarat tamquam omnino certum, & indubitabile; non tamen affirmat expresse, eum esse articulum Fidei.

77. Confirmatur. Nam Romana Cathedra est Regula infallibilis in quæstionibus de Doctrina morum: sed quæstiones de probabilitate circa bonitatem moralem, aut malitiam morum, sunt quæstiones de Doctrina morum: ergo est Regula infallibilis in ejusmodi quæstionibus de probabilitate.

78. Tertia demonstratio est. Nam opiniones ab intrinseco probabiles possunt reddi improbabiles, si contra illas appareat principium certum, quod antea latebat; sed potest Romanus Pontifex invenire ejusmodi principium certum, ex speciali assistentia Spiritus Sancti Ecclesiæ promissa: ergo potest Pontifex eas opiniones reddere improbabiles.

79. Quarta demonstratio est. Aliquæ propositiones fuerunt olim probabiles ante definitiones Pontificum Romanorum, aut Conciliorum Generalium, quæ, accedente examine veritatis, repertæ sunt hæreticæ, & à Romanis Pontificibus, aut Conciliis damnatæ: ergo non obstat, quod opiniones fuerint probabiles, quominus, facto examine veritatis, reddantur damnabiles.

80. Confirmatur primo, quia olim existimabatur probabilis sententia, quæ ait, simplicem Sacerdotem vi suæ ordinationis accepisse integram potestatem absolvendi, quin requiratur aliqua alia jurisdictio ad valide absolvendum à peccatis. Eam enim opinionem propugnarunt *Armachanus*, *Almainus*, *Durandus*, & *Crousers*, quos retuli ea *disp. 9. num.* 105. & tamen illa opinio damnata est in Concilio Tridentino, & opposita assertio definita *sess. 14. cap. 7. de Sacram. Panitentia*, & *canone* 11. & ideo sententiam ei opinioni oppositam, esse de Fide, asserunt *P. Valentia*, *P. Vasquez*, *P. Tannerus*, *Lug. Card. Petrus de Ochagavia*, & *Pesantius*; & opinionem *Armachani* esse erroneam, affirmant. *P. Suarez.* & *P. Fagundez*, & illam esse evidenter adversam Tridentino, asserunt *P. Conink*, & *Petrus de Ledesma*, quos omnes ibidem retuli: ergo potestas est in Ecclesia; & in Romana Cathedra damnandi opiniones olim probabiles.

81. Confirmatur secundo. Fuit enim plurium olim opinio, habenti conscientiam peccati mortalis sufficere contritionem, nec necessariam esse confessionem actualem ad communionem Eucharistiæ, etiam habita copia confessarii: Sic enim tenuerunt olim *Panormitanus*, *Ricardus*, *Adrianus*, *Ioannes de Medina*, & *Cajetanus apud Sayrum lib. 1. cap. 4. n. 6.* quos citavi ibidem *n. 106.* Et tamen ea opinio amisit probabilitatem ex declaratio-

ratione *Tridentini seß.* 13.*c.* 7.*& canone* 21. Id quidem non solum præcepto novo, sed declaratione antiqui, in ipsa consuetudine, & traditione Ecclesiæ contenti; ut patet illis verbis, *Ecclesiastica autem consuetudo declarat, &c.* Potest ergo Ecclesia, atque adeo Romana Cathedra auferre probabilitatem ab opinionibus, quæ olim fuerunt probabiles.

82. Confirmatur tertio. Nam olim fuit probabile (saltem ab extrinseco) objectum festi Ecclesiastici Conceptionis Deiparæ esse Sanctificationem ejus in secundo instanti; atqui per Bullam *Alexandri VII.* jam ea propositio est improbabilis, & certo falsa, cum opposita ex definitione *Alexandri VII.* sit certissima; cum declaraverit Pontifex, Ecclesiam celebrare hoc festum de præservatione B. Virginis ab originali in primo instanti reali: potest ergo Romana Cathedra auferre probabilitatem ab opinione olim probabili.

83. Hæ duæ demonstrationes tertia & quarta cum suis confirmationibus, & multis aliis, continentur, & fusius proponuntur in ea *disp.* 9.*cap.* 7. Et deinde *cap.* 8. eadem assertio roboratur ex eo, quod cùm olim existimata fuerit probabilis opinio de absolutione Sacramentali in absentia; nam eam propugnabant viginti Authores apud *P. Suarez. tom.* 4.*in* 3.*part. disp* 19.*sect.* 3.*n.* 2. *Clemens VIII.* abstulit ab illa probabilitatem, declarans illam esse falsam, temerariam, & scandalosam. Circa quam damnationem multa ibidem adnotavi, & *in cap. seq.* Præterea in quinque capitibus sequentibus à 10 *usque ad* 15. multa alia argumenta proposui pro evidentia ejusdem assertionis. Et in aliis quinque sequentibus *à* 15. *usque ad* 19. argumenta partis oppositæ non solum dissolvuntur, sed etiam impugnantur, & convincuntur: quæ omnia huc afferre, prolixum esset.

CAPUT III.

An hoc decretum prodierit immediate ab Innocentio XI?

SUMMARIUM.

Proponuntur tres quæstiones tractandæ. n. 84.

Quantum decepti sint, qui putarunt, decretum de celebratione Missarum non prodijsse immediate ab Urbano VIII. sed à Sacra Congregatione? n. 85.

Convincitur ea deceptio. n. 86.

Hoc decretum damnatorium earum propositionum prodijt immediatè ab Innocentio XI. n. 87.

Prohibitio sub pœna excommunicationis convincit, prodijsse decretum à Romano Pontifice. n. 88.

84. UT omnimoda certitudine constet, hoc decretum damnans eas sexaginta quinque propositiones esse regulam infallibilem in materia morum, necesse est, inquirere primo, an illud decretum prodierit immediatè ab *Innocentio XI.* an solum à Sacra Congregatione Cardinalium Inquisitorum generalium? Secundo, an in eo loquatur Pontifex ex Cathedra, & tanquam Caput, & Magister Ecclesiæ. Tertio, an processerit in hoc decreto cum matura deliberatione? Nam hæ tres conditiones requiruntur, ut decretum Pontificium sit Regula infallibilis morum. Quarum singulæ singulis capitibus decidentur, eodem fere tenore, ac decisæ sunt in ea *disp.* 9. *cit. cap* 20. Et circa primam dixi *art.* 2. ea quæ sequuntur, paucis mutatis.

85. (Qui decepti sunt, putantes, decretum de celebratione Missarum, & stipendiis duplicatis non accipiendis, & aliis ad hunc scopum spectantibus, non fuisse immediate editum ab *Urbano VIII.* sed solum fuisse declarationem Cardinalium, & ideo solum habuisse vim opinionis probabilis, eidem deceptioni

tioni expositi sunt quo ad hoc decretum. Eam æquivocationem circa decretum Urbani passi sunt, quia illud in Congregatione Cardinalium fuit expositum consultationi: sed quia cum prædicti Cardinales eam consultationem retulissent *Urbano* VIII. ipse Romanus Pontifex approbavit, & præcepit, ut suo nomine tamquam lex universalis Pontificia proponeretur toti Ecclesiæ, & more solito promulgaretur: & ita propositum & promulgatum fuit; certissime constat, eam legem immediate prodiisse ab *Urbano* VIII.

86. Ea deceptione circa decretum *Urbani* VIII. laboravit *Acacius, March. de Velasco apud Amadæum tract. de Sacrificio Missæ prop. 2. n. 3. & Petrus de Tapia lib. 4. de legib. quæst.* 8. *num. 5. ut notavi in illa disp. 9. cap.* 17. ubi ostendi, id esse certissime falsum: quia in decreto *Alexandri* VII. dato die 14. *Septembris an. 1665.* damnatur octava propositio, quod scilicet, *Post decretum Urbani VIII. licet adhuc duplicatum stipendium accipere pro celebratione unius Missæ.* Quæ propositio damnari non posset, si decretum *Urbani* solum habuisset vim opinionis probabilis, aut probabilioris. Remaneret enim probabilis propositio opposita, neque capax condemnationis. Implicat enim contradictionem, quod ex duabus contradictoriis si una est probabilis, altera sit damnabilis, aut certo falsa. Si ergo scandalosũ, & improbabile est dicere, quod post decretum *Urbani* liceat Sacerdoti accipere duplicatum stipendium, non potest esse dumtaxat probabiliùs, sed potius omnino certum, & indubitabile, id non licere Sacerdoti. Unde fit, decretum illud de celebratione Missarum non esse decretum solius Congregationis, sed ipsius Pontificis Urbani, atque adeo certissimè conscientias obstringere.

87. Dicendum ergo est, tamquam certissimum, quamvis consultatio de damnabilitate earum sexaginta quinq; propositionum facta fuerit in Congregatione Inquisitionis generalis Romanæ; decretum tamen immediatè prodiisse ab *Innocentio* XI. Patet ex tenore decreti. Nam in primis ex proæmio constat, ipsum *Innocentium* XI. per se immediatè commisisse Theologis, & Cardinalibus examen prædictarum propositionum, quorum sententiam ipse *Innocentius* ab eisdem singillatim audivit. Ita enim habetur in proæmio decreti. *Plurimas propositiones partim ex diversis, vel libris, vel thesibus, seu scriptis excerptas, & partim noviter adinventas, Theologorum plurium examini, & deinde Eminentissimis, & Reverendissimis Dominis Cardinalibus contra hæreticam pravitatem generalibus Inquisitoribus subjecit. Quibus propositionibus sedulo, & accurate sæpius discussis, eorumdem Eminentissimorum Cardinalium, & Theologorum votis per Sanctitatem suam auditis; idem Sanctissimus D. N. re postea maturè considerata statuit, & decrevit, pro nunc sequentes propositiones, & unamquamque ipsarum, sicut jacent, ut minimum tamquam scandalosas, & in praxi perniciosas, esse damnandas, & prohibẽdas, sicuti eas damnat, & prohibet.*

88. Et post enumeratas sexaginta quinque propositiones, prohibet ipse Pontifex sub pœna excommunicationis latæ sententiæ ne quis illas defendat, vel edat, vel disputativè tractet, nisi impugnando, & in virtute sanctæ obedientiæ prohibet omnibus Christi Fidelibus, ne prædictas opiniones ad praxim deducant. Ubi vides, in hoc negotio Cardinales solum egisse consultationem, & ipsum Romanum Pontificem edidisse decretum. Ex cujus tenore authentico patet etiam, hoc decretum promulgatum esse nomine *Innocentij* XI. sicut cæteræ leges Romani Pontificis promulgari solent. Quare ne minimum quidem vestigium remanet, unde oriri possit dubitatio, quominus hoc decretum immediate à Romano Pontifice prodierit.) Huc usque in eo *art. 2.* paucis mutatis.

CA-

CAPUT IV.

An hoc decretum sit Romani Pontificis loquentis ex Cathedra

SUMMARIUM.

Voces, quæ significant loqui Pontificem ut caput Ecclesiæ. n. 89.

Quid sit loqui Pontificem ut caput Ecclesiæ ex mente Doctorum? n. 90. & seqq.

Ostenditur hoc decretum esse Innocentij XI. loquentis ex Cathedra. n. 94.

Pontifex edit illud pro universa Ecclesia, & vult ab omnibus Fidelibus admitti. n. 95. & seqq.

Quando Pontifex obiter aliquid decernit, tunc non loquitur ex Cathedra. n. 98.

Discursus quorumdam, quod quando Pontifex decernit aliquid per Sacram Congregationem, non loquitur ex Cathedra n. 99.

Hunc discursum carere omni probabilitate, ostenditur. n. 100.

Quam leve sit fundamentū ejus discursus? n. 101.

Sacræ Congregationes institutæ sunt pro maturiori deliberatione habenda. n. 102.

Damnationem opinionis de absolutione in absentia decretam in Sacra Congregatione omnes Doctores admittunt tamquam à capite Ecclesiæ profectam. n. 103.

Idem constat ex hoc decreto. ibid.

89. EX *art 3. ejusdem capitis* 20. desumpta hæc etiam sunt, paucis superadditis. (Romanum Pontificem loqui ex Cathedra, docere Ecclesiam, loqui ex Cathedra, docere Ecclesiam, loqui Ecclesiæ, & loqui ut caput Ecclesiæ, quatuor sunt omnino synonima, & ejusdem prorsus significationis, ut patet ex communi modo loquendi doctorum omnium, à quibus in significatione vocum recedere, errare est

90. Sed quid est Pontificem loqui ex Cathedra, & ut caput Ecclesiæ? Optime explicuit P. *Valencia* 2. 2. *quæst.* 1. *punct.* 7. §. 39. inquiens: *Tunc vero definire* (Summum Pontificem) *ut Ecclesiæ caput, quando decretum ederet pro universa Ecclesia, quodque vellet à fidelibus indubitanter admitti.*

91. Idem tradit P. *Suarez* contra Regem Angliæ, *lib.* 1. *cap.* 3. *n.* 16. illis verbis: *Breviter dicimus, aliud esse loqui de decretis Pontificum, quatenus per ea aliquid definiunt, vel approbant tamquam credendum, vel observandum ab universa Ecclesia; aliud de privatis sententijs, opinionibus, aut rationibus Pontificum. In præsenti enim de prioribus decretis tractamus, &c.* Ubi manifestè significat, Pontificem definire tamquam caput Ecclesiæ id, quod *definit, vel approbat tamquam credendum, vel observandum ab universa Ecclesia.*

92. Eodem modo loquitur *Melchior Canus lib. 6. de locis Theologicis cap. 8.* in responsione ad ultimum argumentum, ubi tractans eam quæstionem, (An Papa possit incidere in hæresim?) inter alia ita asserit. *Aliud est in Petro, quod spectat ad hominis privatam excellentiam; aliud, quod pertinet ad communem Ecclesiæ utilitatem.* Quam sententiam multis explicat, & confirmat in eum finem, ut declaret, tunc definire Pontificem tamquam caput Ecclesiæ, cum tradit illud, *quod pertinet ad communem Ecclesiæ utilitatem.*

93. Eodem modo id explicat P. *Granado* 2. 2. *controv.* 1. *tract.* 7. *disp.* 2. *sect.* 1. *num.* 1. ipsis verbis ac P. *Valencia* citatus, & eodem modo id explicant communiter Doctores.

94. Hinc manifestè patet, hoc decretum esse *Innocentij XI.* loquentis ex Cathedra, docentis Ecclesiam, & ut capitis Ecclesiæ. Primo. Quia præcepit, hoc decretum publicari suo nomine, sicut cæteræ leges universales promulgantur.

95. Secundo. Tunc enim decernit Romanus Pontifex ut caput Ecclesiæ, quando decretum edit pro universa Ecclesia, illudque vult ab omnibus Fidelibus indubitanter ad-

admitti;atqui sic edidit decretum hoc : ergo in eo loquitur è Cathedra, & ut caput Ecclesiæ. Major patet. Nam in ultima periodo dicitur: *Quicumque autem cujusvis conditionis, status, & dignitatis illas vel illarum aliquam conjunctim, vel divisim defenderit, vel ediderit, vel de eis disputativè, publicè, aut privatim tractaverit, nisi forsan impugnando, ipso facto incidat in excommunicationem latæ sententiæ, à qua non possit (præterquam in articulo mortis) ab aliquo quacumque etiam dignitate fulgente, nisi pro tempore existente Romano Pontifice, absolvi.*

96. *Insuper districtè in virtute sanctæ obedientiæ, & sub interminatione Divini judicii, prohibet omnibus cujuscumque conditionis, dignitatis, & status, etiam speciali, & specialissima nota dignis, ne prædictas opiniones, aut aliquam ipsarum ad praxim deducant.*

97. Item constat ex proœmio, ubi dicitur requiri etiam remedium universale pro omnibus ovibus sibi commissis, illis verbis: *Ovium sibi à Deo creditarum saluti sedulo incumbens, & salutare opus in segregandis noxiis doctrinarum pascuis ab innoxiis à felic. record. Alexandro VII. prædecessore suo inchoatum prosequi volens.*

98. Quando autem obiter, & per transennam Pontifex aliquid decernit, etiam in materia Fidei, & morum, tunc non loquitur è Cathedra, neque decernit ut caput Ecclesiæ. Patet. Quia id quod ita loquitur Pontifex, non intendit à Fidelibus indubitanter admitti. Ideo cum Nicolaus 1. *cap. A quodam Iudæo.* De consecratione *dist.* 4 dixit, Baptismum in nomine Christi collatum valere; id quidem non dixit ut caput Ecclesiæ, quia dixit obiter & per transennam; cum solum assumpsisset definiendum, an Baptismus à Iudæo collatus sit validus.) Hæc fere omnia transcripta sunt ex eo *art.* 3.

99. *P. Mathæus de Moya tom. 1. selectar disp. 1. q. 6. n. 23. & Raymundus Lumbier* in adnotatione prævia ad hoc decretum *n.* 1673. referunt quosdam Theologos (suppressis nominibus) asserentes, quando Pontifex per Sacram Congregationem Cardinalium prohibet, aut condemnat librum, aut doctrinam aliquam, jubens expresse, quod ejusmodi decretum prohibitorium suo nomine promulgetur, tunc non loqui ut caput Ecclesiæ, sed solum ut caput, & ut Præsidem ejus Congregationis. Et ego audivi quemdam Theologum, qui id assertum explicabat hoc exemplo. Nam si Rex Hispaniæ in Congregatione Ordinis S. Jacobi præcipit aliquid, id non præcipit tamquam Rex, sed tamquam Magister generalis Ordinum Militarium, vel potius, ut Administrator ejus Magisterii Generalis. Id quod videtur applicari posse ad cætera decreta Sacræ Congregationis, quæ jubet Pontifex suo nomine promulgari.

100. Is tamen discursus caret omni probabilitate, & est manifestè falsus. Tunc enim Romanus Pontifex loquitur ut caput Ecclesiæ, quando edit decretum pro tota Ecclesia, quodque vult ab omnibus Fidelibus observari, ut ex supradictis constat: sed Romanus Pontifex jubens observari decretum aliquod Sacræ Congregationis, illud edit pro tota Ecclesia, & vult ab omnibus Fidelibus observari. ergo loquitur tamquam caput Ecclesiæ.

101. Exemplum autem non est ad rem. Nam vel Rex edit decretum pro toto suo Regno, aut solum illud edit pro Ordine S. Jacobi, aut personis illius Ordinis? Primum dici non potest in ea hypothesi, quæ supponit decretum esse de materia pertinente ad Ordinem Militarem. Si vero secundum dicas, manifestum est, quod sic non decernit ut Rex, sed ut Præses Ordinis Militaris; tum quia jurisdictio qua id præcipit, est alterius Hierarchiæ; oritur enim ex commissione Papæ;

pæ;tum quia non decernit circa gubernationem Regni. In quo manifestum est discrimen inter Pontificem,& Regem in præfatis casibus. Pontifex enim decernit in Congregatione Cardinalium pro tota Ecclesia ; Rex autem non decernit tunc pro toto Regno, sed pro eo Ordine Militari. Et quidem si Rex Congregationi Ordinis Sancti Jacobi committeret universalem Regni gubernationem, si in eo casu Præsidens ei Congregationi decerneret aliquid pro toto Regno, quomodo potest intelligi, quod non decerneret ut Rex,& ut caput sui Regni? Ergo idem de Pontifice dicendum est, dum decernit intra Congregationem Cardinalium pro tota Ecclesia , nempè quod tunc decernit tamquam caput Ecclesiæ.

102. Et quidem cum Romani Pontifices,ut procedant sine periculo errandi, nihil determinant sine matura deliberatione, & Theologorum,& Cardinalium consultatione; erexerunt varias Congregationes Cardinalium, ut distributis in varias classes variis generibus controversiarum , facilius possent Pontifices habere eam maturam deliberationem , quam si uni Congregationi omne genus consultationū committeretur. Quod ergo statuerant Pontifices ad maturiorem deliberationem habendam, isti Theologi (qui omnia, etiam ex levissimo fundamento excogitata , contendunt esse probabilia) transferre volunt ad hoc , quod jam Pontifex non definiat controversias tamquam caput Ecclesiæ; cum multo majora signa capitis Ecclesiæ reperiantur in eo , quod velint Pontifices faciliorem modum habendi maturiorem deliberationem.

103. Quod optimè confirmat *P. Moya cit.* ex eo quod omnes Theologi admiserint, tamquam datam à Pontifice ; ut est caput, Ecclesiæ damnationem , qua *Clemens* VIII. damnavit opinionem de absolutione Sacramentali in absentia; cum tamen ea damnatio prodierit in eadem forma, scilicet à Sacra Congregatione Cardinalium; jubente Pontifice, ut suo nomine promulgaretur.

Præterea nam, ut observavit *Lumbier supra citatus*, ex ipso decreto clare constat, illud immediate procedere ab *Innocentio* XI. tamquam à capite Ecclesiæ Nam cum Lovanienses subjecerunt Pontifici centum & quinquaginta propositiones censurandas, hoc decreto solum sexaginta quinque damnatæ fuit; & in decreto post damnationem subjungitur: *Idem Sanctissimus in virtute Sanctæ obedientia eis præcipit, ut tam in libris imprimendis ac manu scriptis, quam in thesibus , disputationibus, ac prædicationibus caveant ab omni censura & nota , nec non à quibuscumque convictis contra eas propositiones, quæ adhuc inter Catholicos hinc inde controvertuntur, donec à SANCTA SEDE recognitæ super eisdem propositionibus IVDICIVM proferatur.* Hæc enim verba aperte significāt, has sexaginta quinque propositiones à *SANCTA SEDE* recognitas esse , & super eisdem judicium esse prolatum, reliquas autem non esse censurandas, donec à *SANCTA SEDE recognitæ &c.* Constat ergo judicium condemnatorium sexaginta quinque propositionum à *SANCTA SEDE* immediatè prodiisse. Cum autem dicitur à *SANCTA SEDE*, non intelligitur de Romano Pontifice ut privato doctore, sed de illo ut capite Ecclesiæ, & docente ex Cathedra.

Denique demonstratur hæc assertio. Nam decretum de celebratione Missarum factum in Sacra Congregatione Cardinalium , vel prodiit ab *Vrbano* VIII. tamquam à capite Ecclesiæ, vel non? Si primum affirmes, infero ergo quod fiat decretum in Sacra Congregatione non obstat, quo minus procedat à Romano Pontifice tamquam à capite Ecclesiæ, & non tāquā à mero præside Cōgregationis. Si vero dicas illud decretū nō prodiisse ab Urbano tāquā à capite Ecclesiæ utpote factum in S. Cōgregatione, infero: ergo nō est scāda-

losum dicere, quod post illud decretum liceat accipere duplicatum stipendium pro celebratione unius Missæ; cum ea decreta, quæ non procedunt à Romano Pontifice tamquam à capite Ecclesiæ, non obligent conscientiam omnium Fidelium: ergo contradicis *Alexandro VII.* qui declarat scandalosam hanc propositionem: *Post decretum Urbani VIII licet adhuc duplicatum stipendium accipere pro celebratione unius Missæ.* Quas autem propositiones damnavit *Alexander VII.* omnes Theologi tamquam scandalosas rejiciunt.

CAPUT V.

An hoc decretum statutum sit ex matura deliberatione.

SUMMARIUM.

Prima opinio quod Pontifex errare potest, si decernat absque matura deliberatione. n.104.

Secunda opinio opposita. d.105.

Authores, qui negant casus possibilitatem. n.106.

Certitudo hujus tertiæ sententiæ promovetur. n.107.

Rejicitur opinio asserentium, posse errare Pontificem, si non audiat consilia Cardinalium & Theologorum. n.108.

Ostenditur hoc decretum processisse ex matura deliberatione. n.109.

104. EX *art.* 4. desumpta sunt hæc, quæ sequuntur. (pro decisione quæstionis sciendum est, esse sententiam aliquorum Doctorum, si Romanus Pontifex absque matura deliberatione decerneret in materia Fidei, & morum, exponi periculo errandi, aut saltem non esse certum, quod hoc modo haberet infallibilem Divini Spiritus assistentiam, eo quod hæc promissa est à Christo Romanis Pontificibus, dum ad decreta Fidei, & morum prudenti modo procederent Ita *Gravina in controvers. tom. 2. par. 2. art. 9. & Araux. 2. 2. quæst. 1. art. 10. dub. 5 num. 14. & Bordonus in Trib. c. 5. quæst. 25. n. 119.* apud Dianam *part. 11. tract. 2. de Roma. Pontif. resol. 5.*

105. Oppositam sententiam sustinent *P. Valencia 2. 2. quæst. 1. punct. 7. §. 40. P. Castro Palao tom. 1. tract. 4. disp. 1. punct. 5. §. 2. n. 12. Bannez 2. 2. quæst. 1 art. 10. §. Ad quartum*, & plures alii.

106. Sed melius negant casus possibilitatem P. *Suarez disp. 5. de Fide, sect. 8. num. 11. P. Granado tract. 7. de Fide, disp. 2. sect. 2. num. 13. P. Amicus tom. 5. disp. 7. sect. 1. num. 30. & tradidit Canus lib. 5. de locis, cap 5. ad 2. Et P. Tannerus tom. 3. disp. 4. quæst. 4. dub. 6. n. 158.* ubi maxime notanda sunt verba P. *Suarii citati: Solet autem quæri, quid sit futurum, si Pontifex sine præmissa diligentia definat? Aliqui dicunt, posse tunc Pontificem errare, & Ecclesiam posse tunc non assentiri. Sed hoc periculosum est, quia Ecclesia non poterit constare, an Pontifex adhibuerit sufficientem diligentiam, nec ne; vel relinquetur singulorum arbitrio, ut judicent, an diligentia sufficiens fuerit. Et ideo melius, ut existimo, respondetur, non admittendo casum, Nam Spiritus Sanctus, qui regit Ecclesiam, non permittet, Pontificem tam imprudenter definire; & ideo quoties absolute definit, credendum est, sufficientem diligentiam præmisisse.*

107. Et hanc sententiam certissimam censeo. Etenim articulus A, definitus est à Romano Pontifice; & tamen neque ex tenore articuli, neque ex alio capite (præterquam ex infallibili assistentia Divini Spiritus) constat processisse Pontificem ex matura deliberatione ad eum definiendum: ergo non constat, astitisse Divinum Spiritum; si hic non assistit, ubi non est matura deliberatio in Pontifice. Ergo non constat Ecclesiæ, certitudo articuli definiti. Consequens est certissime falsum: ergo & antecedens. Quare, ut optime notavit *P. Tannerus tom. 3. disp. 1. quæst. 4. dub. 6. num. 158.* certissima adest Divini

Divini Spiritus assistentia ad unum è duobus, vel ne Pontifex in materia Fidei, & morum aliquid decernat absque matura deliberatione; vel ne erret, si absque matura deliberatione decreverit.

108. Et multo magis rejicienda procul est sententia eorum, qui dicunt, posse errare Pontificem in decretis Fidei, & morum, si non audiat consilia Cardinalium, & Theologorum. Nam si Pontifex legat in libris Doctorum, quidquid Cardinales, & Theologi consulere possunt, ex quo capite maturior erit deliberatio per hoc, quod doctrinam Cardinalium & Theologorum audiat?

109. Sed ad præsentis decisionem quæstionis damus (non concedimus) quod vera sit prima sententia, ita ut possit errare Pontifex, si absque matura deliberatione decernat: & dicimus, manifeste constare in hoc decreto, maturissima deliberatione usum. Cum ex illo constet, serio commisisse id examen illarum propositionũ pluribus in sancta Theologia Magistris & Cardinalibus Inquisitoribus generalibus; ipsosque Theologos, & Cardinales id negotium strenuè aggressos esse, eique sedulo incubuisse, & maturè eas propositiones discussisse; & super unaquaque ipsarum suffragia sua Sanctitati suæ singillatim exposuisse; ut constat ex tenore proœmii. *Plurimas propositiones partim ex diversis, vel libris, vel thesibus, seu scriptis excerptas, & partim noviter adinventas, Theologorum plurium examini, & deinde Eminentissimis Dominis Cardinalibus contra hæreticam pravitatem Generalibus Inquisitoribus subjecit. Quibus propositionibus sedulo & accuratè sepius discussis, eorumdem Eminentissimorũ Cardinaliũ, & Theologorum votis per Sanctitatem suam auditis; idem Sanctissimus D.N. re postea mature considerata statuit, & decrevit*, &c. Super qua quæstione nullum dubitationi vestigium relinquitur.) Huc usque content. in eo *art.* 4 paucis mutatis.

CAPUT VI.

An hoc decretum sit declaratorium simul, & prohibitorium?

SUMMARIUM.

Quid prohibeatur in hoc decreto? n. 110.

Hæc prohibitio obstringit conscientiam. n. 111. *Et quidem sub culpa gravi in materia gravi.* n. 112.

Quomodo decretum sit declaratorium? n. 113. & seqq.

110. EX *art.* 5. deprompta sunt ea, quæ sequuntur. (Hoc decretum esse prohibitorium, ex ipsis terminis patet. Utitur enim verbo prohibendi. Prohibetq; primo, ne quis prædictas propositiones doceat, defendat, edat, aut de iis disputativè publicè, aut privatim, nisi impugnationis causa tractet: idque prohibet sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, Romano Pontifici reservatæ. Prohibet secundo omnibus Christi Fidelibus, ne prædictas opiniones, aut aliquam ipsarum ad praxim deducant.

111. Hanc prohibitionem obstringere conscientias, manifestum est. Nam prohibitio, quæ proponitur sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, qualis est prima pars prohibitionis relatæ, ad conscientiam dirigitur. Item prohibitio, quæ fit *in virtute sanctæ obedientiæ, & sub interminatione divini judicii;* evidenter indicit obligationem conscientiæ, ut omnes doctores, nemine discrepante fatentur. Deinde id decretum respicere conscientiam, patet ex illis verbis proœmii: *In segregandis noxiis doctrinarum pascuis ab innoxiis*, & postea, *in praxi perniciosas.*

112. Eam autem prohibitionem obstringere conscientias graviter, dum versatur in materia gravi, certum est. Et quidem hoc decretum *Innocentii* XI. aliquas damnat propositiones, quæ negant esse peccatum, quod est

losum dicere, quod post illud decretum liceat accipere duplicatum stipendium pro celebratione unius Missæ; cum ea decreta, quæ non procedunt à Romano Pontifice tamquam à capite Ecclesiæ, non obligent conscientiam omnium Fidelium: ergo contradicis *Alexandro VII.* qui declarat scandalosam hanc propositionem: *Post decretum Urbani VIII licet adhuc duplicatum stipendium accipere pro celebratione unius Missæ.* Quas autem propositiones damnavit *Alexander VII.* omnes Theologi tamquam scandalosas rejiciunt.

CAPUT V.

An hoc decretum statutum sit ex matura deliberatione.

SUMMARIUM.

Prima opinio quod Pontifex errare potest, si decernat absque matura deliberatione. n. 104.

Secunda opinio opposita. d. 105.

Authores, qui negant casus possibilitatem n. 106.

Certitudo hujus tertiæ sententiæ promovetur. n. 107.

Rejicitur opinio asserentium, posse errare Pontificem, si non audiat consilia Cardinalium & Theologorum. n. 108.

Ostenditur hoc decretum processisse ex matura deliberatione. n. 109.

104. EX *art.* 4. desumpta sunt hæc, quæ sequuntur. (pro decisione quæstionis sciendum est, esse sententiam aliquorum Doctorum, si Romanus Pontifex absque matura deliberatione decerneret in materia Fidei, & morum, exponi periculo errandi, aut saltem non esse certum, quod hoc modo haberet infallibilem Divini Spiritus assistentiam, eo quod hæc promissa est à Christo Romanis Pontificibus, dum ad decreta Fidei, & morum prudenti modo procederent Ita *Gravina in controvers. tom. 2. par. 2. art. 9. & Araux. 2. 2. quæst. 1. art. 10. dub. 5. num. 14. & Bordonus in Trib. c. 5. quæst. 25. n. 119.* apud Dianam *part. 11. tract. 2. de Roma. Pontif. resol. 5.*

105. Oppositam sententiam sustinent *P. Valencia 2. 2. quæst. 1. punct. 7. §. 40. P. Castro Palao tom. 1. tract. 4. disp. 1. punct. 5. §. 2. n. 12. Bannez 2. 2. quæst. 1. art. 10. §. Ad quartum*, & plures alii.

106. Sed melius negant casus possibilitatem P. *Suarez disp. 5. de Fide, sect. 8. num. 11. P. Granado tract. 7. de Fide, disp. 2. sect. 2. num. 13. P. Amicus tom. 5. disp. 7. sect. 1. num. 30. & tradidit Canus lib. 5. de locis, cap. 5. ad 2. Et P. Tannerus tom. 3. disp. 4. quæst. 4. dub. 6. n. 158.* ubi maxime notanda sunt verba P. *Suarii citati: Solet autem quæri, quid sit futurum, si Pontifex sine præmissa diligentia definiat? Aliqui dicunt, posse tunc Pontificem errare, & Ecclesiam posse tunc non assentiri. Sed hoc periculosum est, quia Ecclesia non poterit constare, an Pontifex adhibuerit sufficientem diligentiam, nec ne; vel relinquetur singulorum arbitrio, ut judicent, an diligentia sufficiens fuerit. Et ideo melius, ut existimo, respondetur, non admittendo casum. Nam Spiritus Sanctus, qui regit Ecclesiam, non permittet, Pontificem tam imprudenter definire; & ideo quoties absolute definit, credendum est, sufficientem diligentiam præmisisse.*

107. Et hanc sententiam certissimam censeo. Etenim articulus A, definitus est à Romano Pontifice; & tamen neque ex tenore articuli, neque ex alio capite (præterquam ex infallibili assistentia Divini Spiritus) constat processisse Pontificem ex matura deliberatione ad eum definiendum: ergo non constat, astitisse Divinum Spiritum; si hic non assistit, ubi non est matura deliberatio in Pontifice. Ergo non constat Ecclesiæ, certitudo articuli definiti. Consequens est certissime falsum: ergo & antecedens. Quare, ut optime notavit *P. Tannerus tom. 3. disp. 1. quæst. 4. dub. 6. num.* 158. certissima adest

Divini

Divini Spiritus assistentia ad unum è duobus, vel ne Pontifex in materia Fidei, & morum aliquid decernat absque matura deliberatione; vel ne erret, si absque matura deliberatione decreverit.

108. Et multo magis rejicienda procul est sententia eorum, qui dicunt, posse errare Pontificem in decretis Fidei, & morum, si non audiat consilia Cardinalium, & Theologorum. Nam si Pontifex legat in libris Doctorum, quidquid Cardinales, & Theologi consulere possunt, ex quo capite maturior erit deliberatio per hoc, quod doctrinam Cardinalium & Theologorum audiat?

109. Sed ad præsentis decisionem quæstionis damus (non concedimus) quod vera sit prima sententia, ita ut possit errare Pontifex, si absque matura deliberatione decernat: & dicimus, manifeste constare in hoc decreto, maturissima deliberatione usum. Cum ex illo constet, serio commisisse id examen illarum propositionũ pluribus in sancta Theologia Magistris & Cardinalibus Inquisitoribus generalibus; ipsosque Theologos, & Cardinales id negotium strenuè aggressos esse, eique sedulo incubuisse, & maturè eas propositiones discussisse; & super unaquaque ipsarum suffragia sua Sanctitati suæ singillatim exposuisse; ut constat ex tenore proœmii. *Plurimas propositiones partim ex diversis, vel libris, vel thesibus, seu scriptis excerptas, & partim noviter adinventas, Theologorum plurium examini, & deinde Eminentissimis Dominis Cardinalibus contra hæreticam pravitatem Generalibus Inquisitoribus subjecit. Quibus propositionibus sedulo & accuratè sæpius discussis, eorumdem Eminentissimorũ Cardinaliũ, & Theologorum votis per Sanctitatem suam auditis; idem Sanctissimus D.N. re postea mature considerata statuit, & decrevit*, &c. Super qua quæstione nullum dubitationi vestigium relinquitur.) Huc usque contenta in eo *art.* 4 paucis mutatis.

CAPUT VI.

An hoc decretum sit declaratorium simul, & prohibitorium?

SUMMARIUM.

Quid prohibeatur in hoc decreto? n. 110.

Hæc prohibitio obstringit conscientiam. n. 111. *Et quidem sub culpa gravi in materia gravi.* n. 112.

Quomodo decretum sit declaratorium? n. 113. & seqq.

110. EX *art.* 5. deprompta sunt ea, quæ sequuntur. (Hoc decretum esse prohibitorium, ex ipsis terminis patet. Utitur enim verbo prohibendi. Prohibetq; primo, ne quis prædictas propositiones doceat, defendat, edat, aut de iis disputativè publicè, aut privatim, nisi impugnationis causa tractet: idque prohibet sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, Romano Pontifici reservatæ. Prohibet secundo omnibus Christi Fidelibus, ne prædictas opiniones, aut aliquam ipsarum ad praxim deducant.

111. Hanc prohibitionem obstringere conscientias, manifestum est. Nam prohibitio, quæ proponitur sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, qualis est prima pars prohibitionis relatæ, ad conscientiam dirigitur. Item prohibitio, quæ fit *in virtute sanctæ obedientiæ, & sub interminatione divini judicii;* evidenter indicit obligationem conscientiæ, ut omnes doctores, nemine discrepante fatentur. Deinde id decretum respicere conscientiam, patet ex illis verbis proœmii: *In segregandis noxiis doctrinarum pascuis ab innoxiis*, & postea, *in praxi perniciosas.*

112. Eam autem prohibitionem obstringere conscientias graviter, dum versatur in materia gravi, certum est. Et quidem hoc decretum *Innocentii* XI. aliquas damnat propositiones, quæ negant esse peccatum, quod est

 pec-

peccatum veniale. In quo qui oppositum operatur, peccat venialiter, qui autem docuerit, nullum esse peccatum, neque veniale, peccabit mortaliter, quia sustinere eam doctrinam est materia gravis, & scandalosa.

113. Constat etiam, hoc decretum esse declaratorium. Declaratio enim nihil aliud est, quam manifestatio alicujus veritatis, quæ ab aliquibus ignorari, aut in dubium verti posset: hoc autem decretum manifestat, eas sexaginta quinque opiniones esse scandalosas, de quo quis dubitare posset propter aliquos Theologos aliter censentes. Et quidem decretum expresso judicio damnat eas opiniones ut scandalosas; non potest autem id fieri, nisi asserendo, & manifestando eas esse scandalosas: sicut sententia, quæ damnat aliquem ut furem, est vera sententia declaratoria criminis.

114. Sed & in alio sensu hoc decretum declaratorium est, id est, declaratio aliarum legum Canonicarum. Damnat enim hoc decretum multas propositiones, quæ versantur in materia juris canonici: quæ propositiones ab aliquibus putabantur probabiles; quia aliter intelligei aut leges illas canonicas, aut putabant, illas non obligare. Pontifex ergo, dum damnat propositiones, manifestè declarat, quo sensu ejusmodi leges accipiendæ, & intelligendæ sunt.) Huc usque in eo *art.* 5.

116. Ab aliquibus putabatur probabile id, quod dixit Tridentinum, eligendos esse digniores ad præfecturam Ecclesiarum, non esse intelligendum cum toto rigore illud verbum *digniores*. Dum ergo Pontifex damnat eam propositionem 47. expresse declarat, illud decretum intelligendum esse de dignioribus in toto rigore, & excludendas esse eas tres interpretationes, quæ relaxant vim decreti Tridentini.

116. Eodem modo dum damnat propositionem 52. quod præceptum servandi festa non obligat sub mortali, declarat intentionem Ecclesiæ esse obligare sub mortali. Idem cernitur in propositione 53. de eo, qui audit simul duas medietates Missæ, aut quatuor ejus partes: & in propositione 54. de ea, qui non potest recitare Matutinum, quod non teneatur ad reliquas horas recitandas: in his enim declarat Pontifex, quomodo ea Ecclesiæ præcepta intelligenda sint.

CAPUT VII.

An hoc decretum sit definitio Pontificia?

SUMMARIUM.

Hoc decretum non continet definitionem articuli Fidei. n. 117.

Definitio quandoque sumitur pro declaratione doctrinæ. n. 118.

Damnatio opinionis de absolutione inter absentes vocatur ab authoribus definitio n. 119.

Id, quod docet Pontifex tamquam certum, dicitur definiri. n. 120.

Hoc decretum est definitio Pontificia secundo modo. n. 121. & seqq.

117. EX *art.* 6. deprompta sunt quæ sequuntur. (Hæc vox *Definitio*, quod attinet ad præsens institutum, dupliciter usurpatur. Primo pro decisione, seu declaratione articuli Fidei. Et in hoc sensu id decretum non esse definitionem, patet. Nam Pontifex in iis decretis non declarat, aliquid eorum esse articulum Fidei. Et quidem si id declararet tamquam articulum Fidei, verificaretur, credendum esse tamquam articulum Fidei; eas propositiones esse falsas; unde hæreticus esset, qui eas propositiones veras assereret; atque adeo eæ propositiones essent hæreticæ. Quis autem audebit asserere, eas propositiones esse hæreticas vi ejus decreti, in quo Pontifex dumtaxat, illas damnat ut scandalosas? quamvis non dicat, esse scandalosas dum-

dumtaxat, sed ut minimum.

118. Secundo usurpatur ea vox *Definitio*, pro qualibet declaratione Pontificis, quam circa doctrinam tradit ut omninò certam, & indubitabilem. Itaque cum Pontifex Summus aliquid in materia doctrinæ decidit ut certum, & absque periculo errandi, dicitur id definire, *Nam definire, & pro certo decidere*, idem sunt. Et revera esse alias definitiones Romanorum Pontificum, præter eas, quæ sunt declarationes articulorum Fidei, patet ex communi Doctorum sensu, penes quos est, à quibus desumenda est usurpatio, & significatio nominum, ut late ostendi *in 1. part. Cris Theol. disp. 12. n 65.*

119. Sic loquitur *P. Suarez tom. 4. in 3. part. disp. 19. sect. 3. n. 16.* ubi agens de damnatione *Clementis VIII.* opinionis de absolutione inter absentes, ait: (Est igitur jam dicta sententia certa in gradu à Pontifice definito.) Et *P. Vasquez tom. 4. in 3. part. quæst. 91. art. 4. dub. 2. n. 1.* de eodem argumento tractans, ait:) Antequam *Clemens VIII. definiisset.* ac determinasset opinandi licentiam circa præsentem controversiam, &c.) *Et P. Arriaga tom. 8. disp. 50. num. 20. agens de eodem decreto Clementis VIII* ait: (Post *decisionem Clementis VIII.*) &c. Decidere autem, & definire sunt termini æquipollentes. *Et P. Conink de Pænitentia disp. 4. num. 61.* ait: (Jam vero cautius hac de re agendum est post *definitionem Clementis VIII.*) Qui author *lib. 1. de actib. supernatur. disp. 6 num. 7.* agens de decreto Concilii Viennensis, affirmante, probabiliorē esse sententiam, quod parvulis in Baptismo infundantur habitus supernaturales, ait: (Et si Concilium non definiat, esse omninò certum, parvulis in Baptismo virtutes infundi; tamen *definit*, id esse probabilius. Eodem modo loquitur *P. Ripalda lib. 6. de Ente supernaturali disp. 120 sect. 1. n. 3. & P. Castro Palao tom. 4. tract. 23. punct. 5. num. 7.* Deinde definitum esse à Romano Pontifice, sententiam piam de Immaculata Conceptione esse magis probabilem, & magis piam, asserit *P. Ferdinandus de Salazar tom. de Conceptione cap. 43. §. 1. & 4.*

120. Itaque dum Romanus Pontifex docet Ecclesiam aliquid, in quo errare non potest, id quidem docet tamquam omnino certum, ut ex terminis notum est. Quod autem docet ut omnino certum, id expresse definit, & si non definiat tamquam articulum Fidei: definire enim, vel decidere, est rem, tamquam omnino certam declarare. Sunt enim multa omninò certa, in quibus Pontifex errare non possit, quamvis non perveniant ad certitudinem articuli Fidei.

121. His positis dicendum est, hoc decretum esse definitionem Pontificiam secundo modo. Constat, illud enim Pontifex definit secundo modo, quando aliquid declarat, vel affirmat pro certo in materia, in qua errare non potest: sed *Innocentius XI.* affirmat propositiones esse scandalosas, in materia, in qua errare non potest: ergo in illo decreto Pontifex verè definit.

122. Consequentia est legitima. Major constat ex dictis supra. Minor etiam patet, quia affirmat eas propositiones esse scandalosas, cum tamen illæ versentur in materia morum; in qua Romanum Pontificem Ecclesiæ loquentē, errare non posse, cōstat ex c. 1

123. Confirmatur. Nam, ut constat ex *nu. 119.* Decretum *Clementis VIII.* quo affirmavit, opinionem de absolutione inter absentes esse falsam, temerariam, & scandalosam, fuit definitio Romanæ Cathedræ, quia illud pro certo decidit: ergo cum *Innocentius XI.* pro certo decidit, eas propositiones à se damnatas, esse scandalosas, dicendum est, eam esse definitionem.

124. Nec valet, si dicas, ad definitionem formalem requiri, quod Pontifex dicat: *Definimus, decidimus, Declaramus*, vel quid simile

ſimile. Nam verbum *Damnamus*, in materia doctrinæ, in qua Pontifex errare non poteſt, eſt verbum ſimile, & æquivalens. Nam hoc quod eſt damnare doctrinam tamquam certo ſcandaloſam, idem eſt, quod decidere, & declarare eam ſcandaloſam eſſe.) Huc uſque contenta in *eo art. 6.* paucis mutatis.

CAPUT VIII.

Quanta certitudine tenendum ſit, Pontificem errare non potuiſſe in hoc decreto; & qua cenſura notandi ſunt, qui propugnaverint propoſitiones damnatas?

ARTICULUS I.

Præmittuntur aliqua, & referuntur ſententiæ:

SUMMARIUM.

De Fide eſt, non poſſe errare Pontificem in definitione articuli Fidei, etiam extra Concilium. n. 126.

Implicatio contradictionis in aſſertione oppoſita. n. 127.

Etiam in ijs, quæ docet extra definitionem articuli Fidei, eſt de Fide, quod non poteſt docere hæreſim, neque errorem in Fide. n. 129.

Non eſt de Fide illud, quod Pontifex definit non tamquam dogmata Fidei. n. 130.

Pontificem errare non poſſe in cenſuris, quas attribuit propoſitionibus, alij dicunt eſſe de Fide, alij proximum Fidei, alij oppoſitum eſſe erroneum, vel errori proximum. n. 131. & ſeqq.

Colligitur, quid tenendum ſit juxta mentem Doctorum circa id, quod Innocentius XI. declarat, nempe ſcandaloſas eſſe eas propoſitiones. n. 134. & ſeqq.

Quid ſit propoſitio erronea? n. 136.

Quid ſit propoſitio errori proxima? n. 137.

125. Dixi in præcedentibus certiſſimum eſſe, errare non poſſe Pontificem in materia morum, etiam damnando opiniones olim probabiles, atque adeò errare non potuiſſe in hoc decreto, & in damnatione earum ſexaginta quinque propoſitionum. Reſtat modo, inquirere, quanta certitudine id tenendum ſit?

126. Præmitto primo, eſſe de Fide, non poſſe errare Pontificem Romanum in definitione articuli Fidei, etiam extra Concilium generale. Pro cujus veritatis evidentia ſufficit aſſidua, & nunquam interrupta conſuetudo Eccleſiæ Catholicæ conſulendi Romanam Cathedram in materiis Fidei. Nam (ut cum *Melchiore Cano* ſupra citato loquar) *Ad Romanam Sedem Epiſcopos Eccleſiarum in cauſis quibuſque graviſsimis provocaſſe, ab illius ore Fideles Fidei oracula petiſſe, illius judicium Catholicos omnes in Religionis controverſiis expectaſſe; illius denique & vim, & authoritatem ſacra omnia efflagitaſſe Concilia, adeo certum eſt, & manifeſtum, ut ſim ego ineptus, ſi velim oſtendere.*

127. Et quidem implicat contradictionem, quod Eccleſia accipiat à ſuo capite aliquam veritatem, tamquam dogma Fidei Catholicæ, & quod non ſit de Fide, illum errare non poſſe: ſed Eccleſia Catholica accepit à Romano Pontifice multas veritates tamquam dogmata Fidei; quod *adeo certum eſt, & manifeſtum, ut ſim ego ineptus, ſi velim oſtendere*: ergo implicat, quod non ſit de Fide, illum errare non poſſe.

128. Probatur Major. (nam cætera patent) Etenim in eo ipſo quod Eccleſia accipit à Romano Pontifice tamquam articulum Fidei v. g. quod in Deo dantur tres hypoſtaſes, in eo ipſo continetur, quod Pontifex non errat: atque adeo qui credit tamquam de Fide oraculum Pontificis, quod ſunt in Deo tres hypoſtaſes, eodem actu, quo id accipit tamquam de Fide, credit, Pontificem in eo non errare. Huc ſpectant Sancti Patres, & Concilia generalia, quorum verba partim ſupra

supra retulimus, partim referuntur à citatis supra Authoribus, *Bellarmino*, *Suario*, *Valencia*, *Granado*, *Cano*, & reliquis. In quo operæ pretium est audire *Suarium 2.2. disp. 5. sect. 8. n. 4. Veritas Catholica est, Pontificem definientem ex Cathedra esse regulam Fidei, quæ errare non potest, quando aliquid authentice proponit universæ Ecclesiæ tamquam de Fide Divina credendum. Ita docent hoc tempore omnes Catholici Doctores. Et censeo esse rem de Fide certam.*

129. Præmitto secundò, etiam in illis, in quibus loquitur Pontifex ex Cathedra extra definitionem articuli Fidei, sed definiendo tamquam doctrinam certo tenendam, non posse Romanum Pontificem docere hæresim, neque errorem in Fide. Hanc assertionem multis argumentis demonstrant præfati Authores *Bellarminus*, *Suarius*, *Valencia*, *Melchior Canus*, *Granado*, & alii ex Scriptura, & Sanctis Patribus, & Conciliis. Et pro re præsenti satis est illud *Christi D. ad S. Petrum, Luc. 22. Ego autem rogavi pro te, ut non deficiat Fides tua.* Quod privilegium ad Successores Petri extendi, sensus est Ecclesiæ, quem accepit ab Apostolis.

130. Præmitto tertio, de Fide esse id, quod Pontifex loquens ex Cathedra definit tamquam articulum Fidei; sed non esse de Fide, quæ Pontifex definit non tamquam dogma Fidei, sed tamquam dogma certo tenendum. Hoc autem secundum, quamvis sit omnino certum, tale quidem est inferiori gradu certitudinis, respectivè ad certitudinem Fidei. Prima pars evidens est juxta dicta prænotatione 1. Secunda item pars etiam est manifesta ex terminis; quia propositio non potest accipere majorem certitudinem à Cathedra, quam est certitudo illa, quam dat ipsa Cathedra. Si ergo ipsa Cathedra non dat dogmati certitudinem Fidei, quomodo poterit illam accipere à Cathedra?

131. Quæritur ergo in præsenti, quâ certitudine tenendum sit, Romanum Pontificem loquentem ex Cathedra cum matura deliberatione, non posse errare in censuris datis alicui propositioni, v. g. quod sit erronea, temeraria, aut scandalosa, &c. maxime in materia morum? P. *Suarez disp. 5. de Fide sect. 8. cum num. 4.* dixisset, esse de Fide, Pontificem in dogmatibus Fidei errare non posse, etiam extra Concilium, quod demonstrat in sequentibus usque ad *numer. 6.* postea *num. 7.* addit: *Et ex hac generali assertione sequitur primo, Pontificem non posse errare in præceptis seu rebus moralibus, quas tradit, vel approbat pro universa Ecclesia. Approbare autem turpia pro honestis, velè converso damnare honesta tamquam iniqua, repugnat Sanctitati Ecclesiæ: & ideo in his etiam non potest errare Pontifex. Quod dixit esse de Fide Antoninus 3. part. tit. 12. cap. 8. §. 2. Cano vero lib. 5. de locis cap. 5. dixit parum distare. Alij vero Recentiores paulo minus rem hanc exaggerant, Molina de just. disp. 325. Bellarminus lib. 5. de Rom. Pontif. cap. 5.*

132. *Malderus 2. 2. quæst. 11. art. 2. membro 5.* dicit, esse hæreticum asserere, quod Ecclesia possit errare, definiendo, propositionem aliquam esse erroneam, temerariam, aut simili alia censura notandam. Erraret autem Ecclesia, si Pontifex in ejusmodi definitione erraret. Quæ sententia placet. *P. Ægidio de Coninck 2. 2. disp. 18. dub. 8. num. 134.* ubi ait: *Mihi cum Maldero valde probabile est, esse de Fide, eam non posse errare: quia 1. ad Timoth 3. Ecclesia dicitur (columna & firmamentum veritatis.) Et Ioannis 14. & 16. promittitur ei spiritus veritatis, sive perpetua assistentia Spiritus Sancti, qui doceat eam omnem veritatem. Quod videtur non solum intelligendum de rebus, quæ proprie sunt de Fide, sed etiam de ijs, quæ ad Fidem aliquomodo pertinent, quales sunt illarum sententiarum qualificationes, quarum assertio Fidem aliquomodo labefactare posset.*

133. Bannez 2.2.quaest. 11. art. 2. docet esse erroneum, aut errori proximum, dicere, quod Ecclesia in his censuris tribuendis possit errare P. *Luisius Turrianus* 2. 2. *disp.* 55. *dub.* 5. dicit esse errorem, asserere, quod Romanus Pontifex in his possit errare. Et *Lugo Cardin. disp.* 20. *de Fide sect.* 3. *num.* 109. sic ait: *Ego etiam id puto, vel esse erroneum, vel errori proximum: quia infallibilis spiritus Sancti assistentia Ecclesiae promissa non videtur limitanda ad ea sola dogmata, quae tamquam de Fide proponuntur, & creduntur ab Ecclesia, sed debet extendi ad ea omnia, quae Fideles ex praecepto Ecclesiae credere tenentur.* A qua sententia parum distat P. *Moya tom.* 1. *Select. tract.* 3. *disp.* 1. *quaest.* 6. *num* 22.

134. Ex dictis colligitur, qua certitudine tenendum sit, *Innocentium XI.* errare non potuisse in hoc decreto, dum definit, eas sexaginta quinque propositiones esse, ut minimum, scandalosas. Nam juxta sententiam *S. Antonini* supra relatam (in quam videtur inclinare *P. Suarez*) & *Malderi*, & *P. Ægidii de Conink*, de Fide, quod *Innocentius XI.* non errat, dum eas propositiones censet scandalosas, & dicere oppositum est haereticum. Sed cum *P. Ægidius* dicat esse probabile, quod est de Fide, non videtur asserere id tamquam omninò certum: ideo annumerari potest Authoribus secundae opinionis asserentis, id esse erroneum, aut proximum errori.

135. At vero juxta sententiam *Dominici Bannez, Ioannis de Lugo*, & *Mathaei de Maya* supra relatam, ille, qui affirmat *Innocentium XI.* errasse, aut potuisse errare in illo decreto, dicit propositionẽ erroneam, aut errori proximam. Et juxta sententiam Turriani dicit propositionem determinate erroneam.

136. Et quidem propositio erronea (juxta communiorem explicationem Theologorum) est illa, quae contradicit conclusioni Theologicae deductae ex una praemissa de Fide, & altera evidenti, scilicet in syllogismo, cujus etiam bonitas consequentiae est evidens. Nam qui sic contradicit tali conclusioni Theologicae, cum cogatur admittere praemissam evidentem, & evidentiam bonitatis consequentiae, cogitur negare praemissam de Fide.

137. Propositio autem errori proxima est, quae contradicit conclusioni Theologicae deductae ex una praemissa de Fide, & altera evidenti, & bonitate consequentiae etiã evidenti, cum hac tamen limitatione, vel quod unam praemissam plerique censeant esse de Fide, quamvis non omnes; vel ita ut una praemissa sit de Fide apud omnes, altera vero praemissa sit evidens apud plerosque, licet non apud omnes; vel ita ut cum apud omnes altera praemissa sit de Fide, & altera evidens; bonitas consequentiae sit evidens apud plerosque, non autem apud omnes. De quo videndus est *Lugo Card. disp.* 20. *de Fide sect.* 3. *n.* 84. qui late id propugnat, & explicat.

ARTICVLVS II.

Resolvitur quaestio.

SUMMARIUM.

Qui dixerit Pontificem errasse in hoc decreto, dicet propositionem errori proximam? n. 138.
Quomodo ea propositio opponatur conclusioni Theologicae. n. 139.
Praefata propositio est absolute erronea. n. 140.
Quare Authores praefatam propositionem dicant sub disjuncto esse erroneam, aut errori proximam? n. 140.

138. His positis assero, eum, qui dixerit, Innocentium in hoc decreto errasse, aut errare potuisse, reum esse propositionis (ut minimum) errori proximae. Pro hac assertione stant *Dominicus Bannez, Ioannes de Lugo, Mathaeus de Moya*, & vide-

videtur pro ea stare *Ægidius de Conink* citati.

139. Ex dictis manifesta est conclusio. Pro cujus claritate hunc propono syllogismum: *Papa non potest errare in Doctrina Fidei, & morum, concurrentibus omnibus requisitis ad recte definiendum, sed Innocentius Papa in praesenti decreto tradidit doctrinam morum concurrentibus omnibus requisitis ad recte definiendum: ergo Innocentius Papa non potuit errare in hoc decreto.* Hæc apud plerosque Theologos est conclusio Theologica, sed cum limitatione proximè dicta. Nam major apud omnes est de Fide; Minor autem est evidens apud ferè omnes; non tamen apud omnes, aliqui enim, quamvis decepti, non agnoscunt evidentiam in concurrentia omnium requisitorum. Ex quo patet, eum qui dixerit, potuisse errare Pontificem in hoc decreto, dicere propositionem errori proximam, juxta explicationem propositionis errori proximæ supra traditam.

140. Dixi, *ut minimum*, esse propositionem errori proximam. Ego enim censeo, eam propositionem esse absolutè erroneam: & conclusionem syllogismi proxime propositi esse in rigore conclusionem Theologicam; quia quamvis aliquibus non proponatur ut evidens ea minor; existimo, eos evidenter decipi; & quando evidenter decipiuntur, non sunt reputandi in ordine ad contradicendum evidentiæ propositionis. Neque enim requiritur evidentia physica, aut metaphysica, sed sufficit evidentia moralis. Est ergo evidens, quod in definitione hujus decreti concurrunt omnia requisita ad definiendum, quamvis sit extra definitionem articuli Fidei. Concurrit enim id requisitum, quod loquitur ex Cathedra, ut ostendi *cap.* 4. & quod decreto præcessit matura deliberatio, ut ostẽdi *cap.* 5. & quod non requiritur ad certitudinem definitionis, etiam articuli Fidei, quod fiat intra Concilium generale; ut satis constat ex supradictis.

141. Ubi notandum est, quod doctissimi viri *Bannez, & Lugo* eam propositionem, (quod Papa errare possit in decretis morũ,) afficiant, utraque censura, licet sub disjunctione, asserentes, eam propositionem esse erroneam, aut errori proximam, quod idem præstare solent multi alii doctores circa alias propositiones, quas censent ita censurabiles. Quare enim non apponunt unam determinatam censuram? Ego existimo eos doctores ideo apponere ambas censuras sub disjuncto; quia quando vident, conclusionem Theologicam deduci ex una præmissa, quam censent esse de Fide, cum tamen pauci aliqui id non censeant, propositionem adversam tali conclusioni Theologicæ dicunt proximam errori; cum autem rem altius considerant, censent eos paucos Authores evidenter decipi, jam magis inclinant ad vocandam absolute erroneam eam propositionem.

ARTICULUS III.

An qui propugnat aliquam ex propositionibus damnatis, dicat aliquid erroneum, vel errori proximum.

SUMMARIUM.

Ratio dubitandi. n. 142.

Qui docet propositionem damnatam, non dicit aliquid erroneum, sed scandalosum. n. 143.

Qui docet propositionem damnatam, non dicit Pontificem errare. n. 144.

Solvitur objectio. n. 145. & seq.

142. Ex dictis *artic. praced.* videtur colligi, eum, qui docet propositionem damnatam in hoc decreto, dicere aliquid erroneum, aut errori proximum. Quod sic probatur. Qui dicit, Pontificem errare in damnatione harum propositionum, aliquid erroneum dicit, ut patet ex *art. praced.* Sed qui docet, *licitum esse v.g. furari non solum in*

 extrema

extrema, sed etiam in gravi necessitate, virtualiter dicit, errare Pontificem in damnatione ejus propositionis, quæ est 36. ex damnatis: ergò qui docet, id esse licitum, dicit aliquid erroneum,

143. Dicendum tamen est, eum, qui præscisse docet propositionem damnatam in hoc decreto, dicere quidem aliquid scandalosum, non tamen aliquid erroneum. Ratio est: quia non debemus nos assignare propositioni damnatæ rigidiorem censuram, quam est ea, quam assignat Pontifex: sed Pontifex cuilibet propositioni in hoc decreto damnatæ solum assignat censuram scandalosæ: ergo nō debemus nos assignare illi censuram erroneæ, aut proximæ errori. Quomodo hæc assertio procedat contra assertionem *Lumbierii*, inferius ostendam.

144. Ad fundamentum partis oppositæ, concessa majori, neganda est minor. Nam qui dicit, licitum esse furari in necessitate gravi non propterea dicit Pontificem errare, neque cogitur agnoscere errorem in Pontifice. Potest enim respondere in ea censura Pontificem procedere probabiliter, & prudenter; & ita non concedere, quod Pontifex errat. Quod si id dicat, dicet quidem aliquid scandalosum, non tamen aliquid erroneum.

145. Dices. Pontifex in decreto id affirmat tamquam certum: cum ergo esse certum, & merè probabile sint prædicata incompossibilia inter se; si quis dicit Pontificem procedere probabiliter, idem erit ac dicere, Pōtificem errare in eo, quod dicat esse certum: ergo qui docet propositionem damnatam non solum docet propositionem scandalosam, sed etiam erroneam.

146. Respondeo, adhuc neque hoc modo, qui docet propositionem damnatam; non dicit errare Pontificem. Nam sicut in quæstionibus, in quibus inter Theologos lis est, an hoc, vel illud sit de Fide, aliqui formant judicium merè probabile de eo, quod hoc sit de Fide; ita qui docet propositionem dā natam, potest credere, Papam prudenter procedere, dum definit aliquid tamquam certum scilicet extra definitionem articuli Fidei. In quo casu, ut dixi, ille propugnator eius propositionis damnatæ, reus est propositionis scandalosæ, non verò propositionis erroneæ; cum non admittat, errare Pontificem.

CAPUT IX.

Quid sit propositionem esse scandalosam?

SUMMARIUM.

Communis Definitio propositionis scandalosa. n. 147.

Rigidior ejus explicatio ex P. Arriaga. n. 148.

In propositione scandalosa non affertur scandalum paßivum, sed activum. n. 149.

Qualiter sint scandalosa sexaginta quinque propositiones damnata ab Innocentio? n. 150.

Opinio certo falsa, aut carens fundamento, si laxa sit, & scandalosa. n. 152.

Opinio tenuiter probabilis favens libertati; & scandalosa. n. 153.

147. Circa hanc quæstionem in *disp. 9. citat. cap. 20. à num.* 358. scripsit sequentia: (Propositio scandalosa in materia doctrinæ illa est, *qua docet aliquid, quod prabet aliis occasionem ruina*. Ita ex voce scandali ea expositio nota est, & tradunt expreßè *Mag. Canus l. 12. de Locis c.* 11. §. *Propositionem P. Suarez. disp.* 19 *de Fide*, *sect.* 2. *n.* 19. *P. Granado tract.* 15. *de Fide*, *disp.* 4. *num.* 8. *P. Petrus Hurtado disp.* 81. *de Fide* §. 50. & 51. *P. Castro Palao tom.* 1. *tract.* 4. *disp.* 3. *punct.* 1. *num.* 1.

148. Severior est explicatio propositionis scandalosæ apud *P. Arriaga disp.* 20. *de Fide num.* 13. asserentis: (Est scandalosa, quæ dat occasionem in materia Fidei errandi, vel malè suspicandi de Fide dicentis.) Juxta quem dicendi modum, dum Pontifex eas sexa-

sexaginta quinque propositiones declarat esse scandalosas, declarat, vel eas dare occasionem errandi in Fide, vel malè suspicandi de Fide Authorum, qui eas docuerunt.

149. Sed stando mitiori, & communiori expositioni propositionis scandalosæ suprà traditæ, notandum est, ibi *scandalum* non sumi pro scandalo passivo, sed pro activo. Quamvis enim ex Bibliis Sacris vulgari lingua scriptis oriatur scandalum ignaris: non tamen propterea eorum propositiones sunt scandalosæ: quia scandalū illud est passivū ortū ex malignitate, vel ignorantia legentium. Quod etiā notavit *Canus l. 12. de Locis c. 5. §. Propositionem.* Ait enim: *Non enim hic scandalum more vulgi usurpamus pro eo, quod aures offendit, quodve fidelis populus horret; sed pro eo, quod infirmis causam ruinæ præstat, & quod ante Fidelium pedes positum, eos facit in illud incurrere, irruere, offendere.*) Huc usquè dixi *in loco cit.*

150 Hinc patet, in quo sensu sint scandalosæ illæ sexaginta quinque opiniones, quas ut tales damnat, quas tales esse affirmat *Sanctissimus D. Innocentius XI.* Sunt enim scandalosæ, quatenus per se afferunt causam ruinæ Fidelibus. Quod magis patet ex proœmio decreti illis verbis: *Ovium sibi à Deo creditarum saluti sedulo incumbens, & salubre opus in segregandis noxiis doctrinarum pascuis ab innoxiis.* Neque enim aliter noxiæ sunt, nisi quatenus afferunt occasionem ruinæ ovibus Christi. Item illis verbis: *Ut minimum tanquam scandalosas, & in praxi perniciosas.* Id est, quæ afferunt perniciem in ordine ad praxim sive quæ tradunt doctrinam illicitam in praxi.

151. Id etiam constat ex decretis *Alexandri VII.* cujus salubre opus in damnandis ejusmodi propositionibs ab illo inchoatum, profitetur *Innocentius* se prosequi velle, & quidem in proœmio primi decreti *Alexandri* VII. idem patet ex illis verbis: *Complures opiniones Christianæ disciplinæ relaxativas, & animarum perniciem inferentes* Constat enim eā doctrinā esse per se scandalosam, quæ Christianam disciplinam relaxat, & infert animarum perniciem. Item ex illis verbis: *Quem si pro recta regula Fideles in praxi sequerentur, ingens eruptura esset Christianæ vitæ corruptela.* Illa enim doctrina includit scandalum activum, quæ talis est, ut ex ea ad praxim deducta erumpat Christianæ vitæ corruptela. Idem significant subsequentia verba: *Ne unquam temporis viam salutis, quam suprema veritas Deus, cujus verba in æternum permanent, arctam esse definivit, in animarum perniciem, dilatari, seu verius perverti contingeret.* Item & subsequentia alia: *Ab ejusmodi spatiosa, lataque, per quam itur ad perditionem, via.* Quæ desumpta sunt ex *Evangelio Math. cap. 7. 13. Lata porta, & spatiosa via est, quæ ducit ad perditionem.* Quæ omnia apertè declarant, doctrinam earum propositionum talem esse, ut ducant ad perditionem. Quo nullum scandalum activum majus.

152. Deinde *loco citato num. 362.* hæc scripsi fere eodem tenore: (Pro cujus explicatione majori, sciendum est, omnem opinionem improbabilem positivè, id est, certo falsam; & omnem opinionem non probabilem, id est, gravi fundamento carentem, si laxa sit, id est affirmans partem minus tutam, & faventem libertati, esse scandalosam, dum modo procedat in materia gravi pertinente ad mores. Patet. Peccat enim graviter, quisquis in materia gravi dirigit conscientiam suam ex opinione certo falsa, aut absque prudenti, & gravi fundamento: sed doctrina improbabilis positivè aut negativè, suadet hominibus dirigere conscientiam ex se ipsa, quæ aut certò falsa est, aut gravi fundamento destituta: ergo doctrina improbabilis positivè, aut negativè, in materia gravi pertinente ad

mores suadet hominibus ad id, quod est peccatum grave. Hoc est, doctrinam esse scandalosam: ergo ejusmodi doctrina scandalosa est. Et ne æquivocationem patiaris; nota, in qualibet quæstione illam dici opinionem laxam, quæ favet libertati; illam vero strictam, seu severam, quæ favet obligationi, & præcepto.) Huc usque *in loco citato*.

153. Addendum insuper est, omnem opinionem in materia morum tenuiter probabilem laxam, sive faventem libertati esse scandalosam. Patet ex hoc decreto *Innocentij* in damnatione tertiæ propositionis, ex qua constat; esse scandalosam propositionem, quæ asserit, nos prudenter operari ex dictamine opinionis tenuiter probabilis. Quæ autem sit opinio tenuiter probabilis, late tradam *in dissertatione* 4.

CAPUT X.

An propositio scandalosa in materia morum necessario sit falsa, & improbabilis.

ARTICULUS I.

Præmittuntur aliqua, & statuitur duplex conclusio.

SUMMARIUM.

Propositiones veræ possunt esse scandalosæ, præcipuè in quæstione facti. n. 154.

Propositio potest esse scandalosa, eo quod sit æquivoca. n. 155.

Quæ propositiones in materia morum sint scandalosæ? n. 156.

Explicatur quæstio præsens. n. 157.

Omnis propositio scandalosa in materia morum est non probabilis. n. 158.

Repugnat, doctrinam prudentem morum generare scandalum. n. 159.

Doctrina morum laxa, quæ est non probabilis, ex dictamine reflexo est certo falsa n. 160.

Propositio speculativa non probabilis non propterea manet certo falsa; secus in materia practica. n. 161.

Idem contingit in dubio practico. n. 162.

Quomodo in quæstione morali demonstretur conclusio, quamvis ea non probetur evidenter à principijs intrinsecis directis? n. 163.

Quomodo demonstretur falsitas opinionis, quod certus de peccato mortali, & dubius de confessione ejus non teneatur ad illud confitendum? Ibid.

Quomodo demonstretur, materiam parvam, non esse eam, quæ est minor octava parte? n. 164.

Præfata conclusio intelligitur etiam de opinione tenuiter probabili n. 165.

154. De hac materia egi ex professo *in ea disp. 9. cap. 20. art.* 8. unde extraxi sequentia: (Præmitto primò, posse esse propositiones veras, quæ sint scandalosæ, præcipuè in quæstione facti. Quod notavit *Canus lib. 12. de locis, cap. 11. §. Propositionem*. ubi ait: *Non solum error, sed ipsa etiam istbæc veritas, qualiscumque illa sit, quæ forte in bis dictis inveniri potest, scandalum affert idiotis, & infirmis. Non enim solum falsa, scandalum faciunt. sed aliquando etiam vera.* Et paulò ante exempla attulerat, dicens: *Tales illæ sunt, sive commentitiæ fabulæ, sive narrationes etiam veræ, quibus monachorum occulta vitia, vel finguntur vel deteguntur. Id quod sine dubio sine imbecillium offendiculo fieri non potest.* Et paulo inferius: *Sic Ecclesiæ Romanæ abusus plebi rudi objicere, atque in vulgus edere, scandalum est.* Quod idem latè tradit, & probat *Saura in voto Platonis, tract. de Examine doctrinarum, cap 6. §. Propositio scandalosa.*

155. Præmitto secundò, propositionem esse posse scandalosam, eo quod æquivoca sit: si enim duplicem habeat sensum, primum quidem sanum, & verum, & à suo Authore intentum; alterum verò vel hæreticum, vel erroneum, vel alio modo damnabilem, quamvis à suo Authore non intentum, sic poterit scan-

scandalum generare. Tales sunt propositiones aliquæ, quæ in exemplum afferuntur à *Cano loco citato*.

156. Præmitto tertiò, ut constat *ex cap. praced.* omnes propositiones positivè vel negativè improbabiles, & tenuiter probabiles laxas in materia morum esse scandalosas.

157. Quæritur ergo in præsenti, an omnes propositiones scandalosæ versantes in doctrina morum, sint improbabiles positivè, id est certo falsæ, aut non probabiles, id est gravi destitutæ fundamento? Et an quo ad improbabilitatem aliquid habeant, præcipuum, dum à Romano Pontifice docente Ecclesiam damnantur tamquam scandalosæ?

158. Dico primò. Omnis propositio scandalosa versans in doctrina morum, est non probabilis, atque adeo gravi fundamento destituta, & consequenter peccat mortaliter, qui ea utitur in directione conscientiæ suæ. Et loquor de propositione, quæ non sit æquivoca, sed quæ clarè, & cum distinctione doctrinam tradit, juxta ea, quæ dixi supra.

159. Probatur clarissimè conclusio. Implicat contradictionem, doctrinam esse probabilem, prudentique fundamento nitentem, & eam simul in ratione doctrinæ moralis scandalum, & animæ perniciem generare. Etenim eo ipso, quod in ratione doctrinæ moralis sit scandalizans, non est doctrina prudens. Nam doctrina prudens in materia morum est illa, quæ mores servat incorruptos quæ autem scandalizat, & animæ perniciem infert, non aliter infert, nisi quatenus mores corrumpit, & ad peccatum inclinat. Ergo eo ipso, quod scandalosa sit, necessario est non probabilis.) Huc usque *in loco citato*.

160. Dico secundò. Qualibet propositio laxa in materia morum, quæ est non probabilis, id est, carens fundamento gravi, quæ quidem propterea scandalosa est, ex dictamine reflexo est certò falsa & improbabilis. Id est, improbabile & certo falsum est, quod possimus deducere ad praxim talem opinionem. Quæ conclusio patet ex terminis. Quam assertionem late exposui *in 1. part. Crit. Theol. disp. 10. cap. 3. à num. 31.* in hæc verba.

161. (Itaque in materia speculativa, quamvis ex duabus partibus contradictoriis una maneat non probabilis, non propterea opposita manet certa, aut evidens. Patet. Ista enim propositio, *Crines Adami fuerunt rubri*; non est probabilis, quia non habet grave fundamentum: & tamen opposita, *Crines Adami non fuerunt rubri*, non est evidens, nec certa. In materia autem practica ad conscientiam spectante, si non sit probabile, quod actio est licita, fit certum, quod actio est illicita: non quidem directe: nam sic eodem modo se habet, sicut materia speculativa: sed ex dictamine reflexo certo, nēpe: *illicitū est dirigere cōscientiam absque dictamine certo, aut probabili*, vel, *illicitum est exercere hanc actionem absque dictamine saltē probabili, præscribēte actionē esse licitā*.

162. Et nota, hoc idem contingere in dubio practico, v. g. an hic, & nunc sit licitum emere hoc pallium à Petro. Ideo enim tutior pars est eligenda, quia in eo dubio practico non occurrit mihi dictamen practicum, saltē probabile, præscribēs esse licitā emptionē.

163. Hinc infertur pro multis quæstionibus moralibus, quomodo indirectè, seu reflexè demonstretur conclusio, quamvis ea non probetur evidenter à principiis intrinsecis directis. *In 2. part. Crit. Theol. Disp. 45.* ostendo apertè, falsam esse sententiam, quæ docet, certum de peccato mortali, & dubium de confessione ejus, non teneri obligatione gravi ad illud confitendum. Ostendo item, fundamenta partis oppositæ sophistica esse, & levissima. Et ex hoc secundo capite demonstratur reflexè falsitas partis oppositæ. Quia si nullum grave fundamentum suffragatur parti asserenti, esse licitam omissionem ejus confessionis

fessionis, illa non est probabilis. Et ex supradictis patet, si non est probabile, licitam esse omissionem ejus confessionis, manere certum, & demonstratum, quod sit graviter illicita in praxi omissio ejus confessionis.

164. Sic etiam *disp.* 31. ostendo, nullo fundamento niti sententiam *Caramuelis*, quæ docet, materiam parvam esse eam, quæ est minor octava parte. Hinc demonstratur pars negativa, quod (Materia parva non est ea, quæ est minor octava parte;) quia si nullo fundamento ducitur pars affirmativa, illa non est probabilis: & si non est probabile, quod sit licitum uti ea sententia, deficiente dictamine probabili ad eam exercendam, manet certissimũ, quod peccat, qui eâ utitur. Et sic in multis aliis quæstionibus, quas in decursu hujus voluminis reperies.) Huc usque in ea *disp.* 10.

165. Hæc secunda conclusio non solum intelligitur de opinione, quæ omnino caret fundamento gravi, sed etiam de opinione tenuiter probabili: quia ex decreto *Innocentij XI.* in damnatione tertiæ propositionis constat, non esse licitum dirigere conscientiam ex dictamine opinionis tenuiter probabilis, ut uberius constabit ex *disert.* 4. quæ cum sit scandalosa, ex dictamine reflexo, in ordine ad praxim est certò falsa; quia certo falsum est, posse dirigi conscientiam ex illa.

ARTICVLVS II.

An propositio in materia morum, quam Pontifex declarat esse scandalosam, eo ipso sit certo falsa?

SUMMARIUM.

Ratio dubitandi, quare propositio scandalosa videatur non esse certo falsa? n. 166. & seqq.

Cum Pontifex ex Cathedra affirmat, doctrinam in materia morum esse scandalosam, consequenter affirmat esse falsam? n. 168.

Hoc judicium Pontificis habet certitudinem. Ibidem. Item perpetuitatem. Ubi quo ad hoc notatur discrimen inter Pontificem, & reliquos doctores n. 169.

Ubi quis absque periculo errandi, tradit propositionem esse falsam, illa est certo falsa. n. 170.

Opinio vera potest esse scandalosa ob ignorantiam hominum. n. 171.

Ratio, ob quam opinio damnata à Pontifice tamquam scandalosa, evadit certo falsa. n. 172. & seqq.

Quare non evadat certo falsa, quam privatus doctor censet scandalosam. n. 174.

Confirmatur discrimen inter Pontificem, & privatum doctorem. n. 175. & seqq.

Cum privatus author dicit, propositionem esse improbabilem, si verum dicit, id provenit ex aliquo principio certo. n. 178.

Solvitur ratio dubitandi, & confirmatio initio articuli proposita. n. 179. & seqq.

166. IN præcitata *disp.* 9. *cap.* 20. *à num.* 370 hanc difficultatem discussi; & quæ ibi continentur, reproduco. (Major difficultas est, an propositio, quæ scandalosa est, quatenus versatur in materia morum, debeat esse improbabilis positive, id est certò falsa. Videtur enim ex præcisa ratione *scandalosæ*, non debere esse improbabilem positivè. Etenim eo ipso quod propositio laxa versans in materia morum careat fundamento gravi, atque adeo sit non probabilis, ad peccatum ducit; cum sit peccatum mortale dirigere conscientiam in materia gravi ex opinione non probabili, sive absque prudenti fundamento. Ergo salvatur quod sit scandalosa in hoc, quod sit non probabilis: ergo ut sit scandalosa, non requiritur, quod sit certò falsa, sive positivè improbabilis.

167. Et confirmatur. Quia propositio non probabilis potest esse vera. Nam propositio vera, dum latet nos fundamentum grave ad illius veritatem promovendam, est

non

non probabilis: ergo propositio vera, dum latet nos fundamentum ejus probabile, potest esse scandalosa, cum conetur dirigere conscientiam absque fundamento probabili. Sed propositio vera numquam potest esse certo falsa: ergo potest dari propositio scandalosa, quæ non sit certò falsa; atque adeo non est necesse, quod propositio scandalosa sit improbabilis positivè. Nihilominus.

168. Dico secundò. Cum Romanus Pontifex docens Ecclesiam in materia morum, affirmat, doctrinam esse scandalosam, consequenter affirmat esse falsam, & improbabilem positivè. Pro cujus conclusionis intelligentia, nota primò, magnum discrimen intercedere inter eam propositionem, quæ in materia morum expresso judicio Romani Pontificis loquentis ex Cathedra asseritur scandalosa; & inter eam, quæ in simili materia censetur scandalosa judicio privati Doctoris. Etenim id expressum judicium Romani Pontificis habet duo, quibus caret privati doctoris judicium: nempe certitudinem, & perpetuitatem. Certitudinem, quia Romanum Pontificem loquentem Ecclesiæ, errare non posse in doctrina morum, certum est, ut constat ex supra dictis, quæ certitudo deficit in judicio privati Doctoris.

169. Item perpetuitatem: nam reliqui doctores privati per hanc propositionem: *Hæc assertio non est probabilis*, significant, non adesse de præsenti fundamentum grave pro ea assertione: & ideo apud illos æquivalet illi; *Hæc assertio non habet fundamentum grave, dum non apparet aliud fundamentum præter ea, quæ de præsenti afferuntur pro ea*. Et ideo sic relinquitur locus, ut si posteà apparuerit fundamentum grave, transeat assertio de non probabili in probabilem. Quod ita de facto contigisse certum est: cum multæ propositiones, quæ olim non erant probabiles, jam apparente denuo fundamento gravi sint probabiles. Pontifex vero cum è Cathedra loquitur, & negat probabilitatem opinionis, aut affirmat, eam esse scandalosam, id docet, & declarat Ecclesiæ in perpetuum, tamquam doctrinam, omni tempore sustinendam. Et ideò non dicit solum, quod de præsenti nullum apparet pro ea fundamentum grave, sed quod nec umquam apparebit, & quod semper scandalosa reputanda est. Quare relinquit omnimodam desperationem de probabilitate ejus, aut de ablatione scandali, quod secum importat propositio.

170. Nota secundò, ubi aliquis absque periculo errandi tradit, propositionem esse falsam, illa est certò falsa. Patet. Nam immunitas à periculo errandi involvit certitudinem: ubi enim est certitudo, non est contingentia errandi, & ubi est contingentia errandi, non est certitudo. Item ubi excluditur contingentia errandi, adest certitudo; & ubi excluditur certitudo, adstruitur contingentia errandi.

171. Nota tertiò, dupliciter considerari posse propositionem scandalosam, vel qua scandalosam à parte rei, & ante quamlibet existimationem hominum, vel qua scandalosam præsupposita existimatione hominum. Contingit aliquando, opinionem à parte rei esse veram; sed quia homines ignorant fundamentum veritatis, fit, quod ea propositio non sit probabilis, cum absque fundamento gravi nequeat esse probabilis. In quo casu à parte rei non est scandalosa, cum contineat doctrinam à parte rei veram, & licitam, & innoxiam: tamen supposita hominum existimatione, quæ ad fundamentum veritatis non pertingit, est scandalosa, cum suadeat dirigere conscientiam absque fundamento gravi.

172. Hinc aperte probatur secunda conclusio duplici ex capite. Primò. Cum Romanus Pontifex loquens ex Cathedra damnat in materia morum expresso judicio

propositionem aliquam ut scandalosam, dãnat illam ut falsam; sed id judicium Romani Pontificis in materia morum est certum: ergo talis propositio evadit certo falsa. Consequentia est evidens, quia quoties judicium de falsitate propositionis est certum, propositio evadit certo falsa. Quod amplius constat ex dictis, Minor patet.

173. Major autem clarè ostenditur. Nã propositio, quam Romana Cathedra in materia morum damnat, ut scandalosam à parte rei, non potest esse vera. Quia si à parte rei esset vera, à parte rei esset licitum ejus objectum, & solum ob ignorantiam esset illicitũ: ergo Romana Cathedra erraret in materia morum, si objectum à parte rei licitum damnaret ut illicitum. Sed Romana Cathedra errare non potest in materia morum: ergo objectum à parte rei licitum non potest dãnare ut illicitum. Ergo Romana Cathedra eo ipso, quod damnet propositionem in materia morum ut scandalosam, illa non potest esse vera à parte rei: ergo eo ipso quod damnet illam ut scandalosam, damnat ut falsam.

174. Aliud est, quando privatus doctor censet propositionem esse scandalosam: nam ad hoc privatum judicium sufficit, quod pro illa propositione sic notata non appareat ullum grave fundamentum: nam privatus doctor capax est ignorantiæ (usurpo latè nomen ignorantiæ pro quolibet defectu scientiæ) de eo, quod est à parte rei; cum autem Romana Cathedra non sit capax ignorantiæ in judicio expresso, quod format in materia morum, ob infallibilem assistentiam Divini spiritus in re tam gravi, inde est, quod dum propositionem in materia morũ affirmat scandalosam, illa à parte rei non possit esse vera.

175. Confirmatur. Cum Romana Cathedra damnat propositionem ut scandalosam in materia morum, non damnat illam tãquam scandalosam ex præsupposita ignorantia hominum, sed tamquam vere & à parte rei scandalosam; alias erraret in materia morum, si objectum à parte rei licitum, & honestum reprobaret ut scandalosum: sed doctrina, quæ à parte rei est scandalosa, non potest à parte rei esse vera: ergo à parte rei ea doctrina damnata non potest esse vera. Et cũ id judicium Romanæ Cathedræ sit certum, ea propositio manet certo falsa.

176. Secundo dum Romanus Pontifex docens Ecclesiam in materia morum, definit, propositionem esse scandalosam, vi ejus oraculi manet certo & in perpetuum non probabilis, manet certo & in perpetuum destituta fundamento gravi, & cum certa, & omnimoda desperatione de probabilitate ejus: sed propositio, quæ manet certo, & in perpetuũ non probabilis, & cum certa & omnimoda desperatione de probabilitate ejus, manet certo falsa, atq; adeò improbabilis positivè: ergo propositio, quam Romanus Pont. docens Ecclesiã in materia morum, definit esse scandalosam, manet certo falsa, & improbabilis positivè. Consequentia patet. Major constat

177. Minor probatur. Nam quando propositio à parte rei est vera, nullum principiũ certum obstat, quominus aliquando aliquod fundamentum grave appareat ad prædictam veritatem promovendam: nam contra veritatem, aut contra fundamentum ejus nullum principium certum existere potest, quod revera certum sit: ergo quando est principium certum contra fundamentum alicujus propositionis, talis propositio non potest esse vera: ergo est certo falsa. Sed cum Romanus Pontifex in materia morum judicio expresso affirmat in perpetuum, propositionem nõ esse probabilem, id principium certum excludit in perpetuum quodlibet fundamentum grave ejus propositionis: ergo in eo casu propositio sic damnata non potest esse vera: ergo

ergo necessario & certissimè est falsa.

478. Ubi etiã notandum est, cum Author privatus dicit, propositionem esse positivè improbabilem, si verum dicit, omninò tollit spem, aut formidinem futuræ probabilitatis, atque de improbabili non posse propositionem transire in probabilem. Etenim id asserere non potest nisi ex principio certo, cum improbabile positivè idem sit, quod certo falsum: principium autem certum, quod cogit ad asserendam falsitatem propositionis, nullam relinquit formidinem de opposito.

179. Rationi autem dubitandi, ante secundam conclusionem propositæ, respondeo ex dictis, quod propositio in materia morum sit scandalosa, salvari in hoc præscisse quod non sit probabilis, sive in eo, quod careat fundamento gravi in existimatione hominum, cum dirigat conscientiam ad operandum in materia morum absque fundamento gravi, idque licet ea sit vera à parte rei. Sed cum id proveniat ex ignorantia, vel potius ex defectu scientiæ in materia morum, & ea ignorantia non possit cadere in Romanam Cathedram in tali materia, inde est, quod nõ possit Romana Cathedra docere, eam opinionem esse scandalosam, quæ à parte rei est vera. Et præterea quoties Romana Cathedra in materia morum affirmat, propositionem non esse probabilem, virtualiter, sive æquivalenter affirmat, esse positivè improbabilem; ut constat ex dictis. Et ita quamvis dicens scandalosã, simul dicat, eã non esse probabilẽ, eo ipso affirmat, esse positive improbabilem.

180. Ad confirmationem distinguo antecedens: propositio non probabilis, (quæ talis est judicio Romanæ Cathedræ in materia morum,) potest esse vera, nego; (quæ talis est judicio privato,) concedo. Quod patet ex dictis supra. Distinguo etiam consequens: ergo propositio vera, dum latet nos fundamentum ejus probabile, potest esse scandalosa (à parte rei,) nego; potest esse scandalosa, (præsupposita existimatione falsa hominum,) concedo. Quando autem Romana Cathedra propositionem de doctrina merũ damnat ut scandalosam, non nititur in falsa hominum existimatione, sed in ipsa veritate rei, ex securitate assistentiæ Spiritus Sancti.

ARTICULUS I.

Objectio cujusdam Recentioris contra doctrinam articuli præcedentis dissolvitur.

SUMMARIUM.

Proponitur argumentum Lumbierii. n. 181.
An imponat mihi aliquid falsum? n 182.
Mea conclusio agit expresse de doctrina practicabili. n. 183.
Speculatio, quæ attingit objectum practicabile, considerando omnes circumstantias, quæ sunt in praxi, eamdem veritatem, aut falsitatem habet, atque cognitio practica. n. 184.
Omnes propositiones damnatæ docent, suum objectum esse licitum. n. 185.
In propositione modali dictum non habet veritatem, aut falsitatem. n. 186.
An qui assentitur propositioni damnatæ, dicat propositionem erroneam? n. 187.
Solutio objectionis. n. 188.
Proponitur instantia. n. 189.
An doctrina morum vera docens, quid licitum sit, aut quid illicitũ, possit esse scandalosa? n. 190
Et an id possit fieri per ignorantiam? Et an hæc cadat in Romanam Cathedram circa mores? n. 191.
Solvitur instantia. n. 192.

181. Raymundus Lumbier in expositione harum propositionum *num.* 1671. *& seq.* impugnat doctrinam *art. praeced.*

ced. traditam; in hæc verba, quæ ex Hispano idiomate sic fideliter in latinum Sermonem transfero. (Hinc deciditur quæstio, an omnes propositiones sic damnatæ, eo ipso falsæ esse videantur. *P. Cardenas in sua Crisi f.* 110. (*corrige* 113.) affirmat; asseritque, eo ipso quod Papa eas condemnat tamquam perniciosas, & scandalosas, compertum esse, damnare eas tamquam falsas. Unde si aliquis interiorem præberet assensum propositionis damnatæ, judicans, hanc esse veram, *admitteret errorem in Fidem*; quandoquidem censeret verum, assensum damnatum à Papa ut falsum; quod idem erat ac dicere, Papam perperam definivisse, & *errasse* in ea condemnatione. Sed contra hoc arguitur. Nos enim variis in locis eas appellavimus *practicè falsas*, insinuantes, fortasse non omnes esse speculativè falsas. Respondeo ergo, in his propositionibus excerptis ex libris Authorum esse duo. Alterum materiale propositionum; alterum, quod talis propositio sit probabilis, & licita; & in aliquibus expresse dicitur, quod sit licita, ut cernitur in ipsis; & in aliis quamvis non exprimitur, supponitur ex suo Authore. Sic in propositione modali, dicunt dialectici, dari dictum & dari modum, v.g. *Hunc parietem esse album, est necesse*. Et potest dictum esse verum, & modus falsus, & ex modo tota propositio evadit falsa. Parietem esse album, erit verum, sed id esse necesse, est falsum. Cum ergo istæ opiniones, non aliter sint opiniones, nisi quatenus affirmant id esse licitum, & Papa definiat, eas non esse licitas, nec practicabiles, eo ipso definit falsum esse, quod illæ sint licitæ) Hoc est argumentum, quo existimat *Lumbier*, se adversari meæ doctrinæ,

182. Et primo quidem ego non invenio locum, ubi dixerim, eas propositiones esse falsas secundum illud materiale speculativè sumptum, quod considerat *Lumbierius*. Quin potius in prima & secunda parte ejus Crisis sæpius repeto, me dumtaxat agere de practica probabilitate, aut improbabilitate propositionum, in ordine ad cognoscendum, quid possumus licitè operari.

183. Secundo. Quia quando dicitur propositio in materia morum esse scandalosa expresse significatur, quod ea propositio tradit doctrinam perniciosam ad praxim: sed mea conclusio, quam citat *Lumbier*, agit de propositione scandalosa in materia morum, illis verbis: *Cum Romanus Pontifex docens Ecclesiam in materia morum, affirmat, doctrinam esse scandalosam, &c.* Ergo mea conclusio loquitur de Doctrina perniciosa ad praxim, & nullo modo, de materiali aliquo speculativè sumpto.

184. Tertio. Nam cognitio, quæ speculativè attingit objectum practicabile, considerando omnes circumstantias, quæ sunt in praxi peccaminosa, tam prava est, & tam falsa, ac ipsa cognitio practica de eodem objecto, & ambæ cognitiones sunt convertibiles, ita ut valeat consequentia ab una ad alteram & è converso; ut ostendi *in* 1. *part. Cris. Theolog. disp.* 14. *cap.* 4. Ergo damnata propositione practica, damnatur etiam propositio speculativa, quæ considerat omnes circumstantias, quæ sunt in praxi; ergo si ex damnatione istâ, propositio practica ut talis condemnatur ut falsa, ut concedit *Lumbier*, quia falsum est, quod liceat illam ad praxim deducere; similiter propositio speculativa de eodem objecto sub eisdem circumstantiis considerato damnatur ut falsa, unde fit, quod si propositio practica est falsa, quia docet esse licitum, quod est illicitum; similiter speculativa, quæ affirmat esse licitum, eodem modo erit falsa. Et hoc modo asserui, propositiones damnatas à Romano Pontifice tamquã scandalosas esse falsas.

185. Quarto. Nam omnes propositiones damnatæ ab Alexandro VII. sicut etiam dam-

damnatæ ab *Innocentio XI.* docent, suum objectum esse licitum; aliæ enim id explicant per verbum *potest*, quod intelligitur *moraliter*, & *Potest moraliter*, idem est, ac *Licet*, aut per verbum *non tenetur*, quod significat, nullam dari obligationem, atque adeò non esse peccatum in praxi eius objecti; aut per aliud verbum similis significationis. Et quidem ego desideraveram, quod quando *Lumbierius* dicit, *fortasse non omnes damnatas esse speculativè falsas*, designaret unam, vel alteram ex damnatis, quæ speculativè non esset falsa. Quam quidem non inveniet, omnes enim damnatæ ab Alexandro dicunt, esse licitum id objectum, quod Pontifex censet damnabile. Imò & aliquæ propositiones damnatæ ab Innocentio, quæ non respiciunt praxim, quales sunt 19.20.48.49.& 56. damnantur etiam ut speculativæ sunt.

186. Quod autem dicit *Lumbier*, in propositione modali posse dictum esse verum, & modum falsum, minus formaliter loquitur. Quia non dicitur esse verum, nisi quod affirmatur, vel negatur; in propositione autem modali dictum neque affirmatur, neque negatur: cum enim dico, *Petrum currere, est possibile*, neque affirmo, neque nego Petrum currere. Omnes autem propositiones damnatę sunt æquivalenter modales de modo *licitum*. Sic enim hæc propositio, *Populus non peccat, etiamsi absque ulla causa non recipiat legem à Principe promulgatam* æquivalet huic modali, *Populum absque causa non recipere legem à Principe promulgatam, licitum est*: Neque inveniet ullam propositionem practicam ex damnatis, quæ non sit ita æquivalenter modalis, de modo *licitum*. Cùm ergo in modali non affirmetur per se dictum, sed modus, sola affirmatio modi est, in quam cadit veritas, vel falsitas. Cum ergo dixi, propositionē damnatam à Pontifice ut scandalosam eo ipso damnari ut falsam; id necessario debet intelligi de modo *licitum*; cum nihil aliud seorsim à modo *licitum*, affirmetur, aut negetur in dictis propositionibus.

187. Id autem, quod superaddit *Lumbier*; eum, qui assentitur propositioni damnatæ, censens ejus objectum esse licitum, accusari debere de errore in Fide, non admitto. Nam ut ostendi *cap. 8 art. 3.* solum accusandus esset de propositione scandalosa, non autem de erronea: quia per id non cogitur asserere, errare Pontificem. Quod si simul diceret errare Pontificem, de propositione erronea convincendus esset.

188. Hinc constat, parum urgere argumentum *Lumbierii* initio hujus articuli propositum. Etenim cum dixi, propositiones damnatas ut scandalosas eo ipso esse falsas, semper locutus sum de illis in ordine ad praxim, & in ordine ad licitè operandum, quo pacto ipse *Lumbier* fatetur esse falsas. Ad reliqua quæ subjungit de propositione modali constat ex dictis.

189. Sed instabis illis verbis, quæ initio proœmii ad explicationem harum propositionum scribit *Lumbier*, quæ in latinum sermonem fideliter transfero. (Notandum est, sicut dantur actiones scandalosæ, quæ quamvis per se sumptæ non sunt peccata, ex pravo tamen exemplo afferunt scandalum & culpam mortalem, propter speciem mali, quam præ se ferunt, ita esse doctrinas, quæ & si nō sint falsæ, sunt tamen scandalosæ; & ideo prohibitæ. In primis id ostenditur, ex eo quod peccatum scandali sic definivit *S. Thomas*: *Dictum, vel factum minus rectum prabens alteri occasionem ruinæ.* Ubi notandum, non dixisse *factum pravum*, sed *minus rectum*, quod affert scandalum. Tale est, quod homo non conjugatus, aut Ecclesiasticus retineat domi fœminam speciosam, quam ejus viciniæ incolæ suspicantur esse ejus pellicem; & quamvis inter eos duos nullum sit peccatū, ille homo est in statu peccati lethalis, si non expellit

illam; nam judicium vicinorum ex eo scandalizatur. Idem accidit in duobus canonicis, qui ob jurgium commissum, quamvis sibi obviam fiant in Ecclesia, sibi invicem negant loquelam, & debitæ urbanitatis signa. Idem in fœmina, quæ obmurmurante vicinia, frequenter admittit in domum suam, virum aliquem, cum illum possit vitare. Ex his probatur quod quamvis aliqua ex his propositio in se non sit falsa, cum sit scandalosa, prohiberi debet tam quo ad doctrinam, quam quo ad praxim.) Huc usque *Lumbier*. Itaque ex eo quod dictum, vel factum ex se indifferens, possit fieri malum, & prohibitum ratione scandali, vult à paritate rationis idem contingere in doctrina morum, ita ut doctrina possit esse vera, & adhuc scandalosa, & ob hanc rationem prohibita in hoc decreto.

190. Id tamen esse planè falsum, sic ostendo. Repugnat quod doctrina morum vera, quæ docet, quid licitum sit, quid illicitum (seclusa ignorantia) sit scandalosa: ergo si scandalosa est, non potest esse vera nisi per ignorantiam. Antecedens patet. Nam, ut constat *ex cap.* 1. ad Sanctitatem Ecclesiæ spectat, quod profiteatur doctrinam morum veram, & quæ cum veritate doceat, quid licitum sit, & quid illicitum: numquid ergo poterit esse scandalosa ea doctrina, quæ ducit homines ad vitam, docens quid fugiendum, quid amplectendum sit? Absit. Ergo si doctrina morum scandalosa est, illa quidem est falsa. Sed doctrinam morum, quam condemnat *Innocentius*, condemnat eam, docens, quid illicitum sit, & quid fugiendum: ergo doctrina quam condemnat, est falsa: ergo ex eo quod condemnatur ut scandalosa, infertur esse falsam.

191. Dixi, *Nisi per ignorantiam.* Poterit enim fieri, quod propositio vera in materia morum sit scandalosa, quia homines ignorant fundamentū veritatis ejus. Et ita poterit contingere in aliquibus opinionibus probabilibus, in quibus intervenit ignorantia, sive incertitudo invincibilis, ita ut opposita opinio inter privatos doctores reputetur probabilior, aut certa, quia ignorant fundamentum veritatis prioris opinionis. Sed hæc ignorantia, aut periculum erroris non cadit in Romanam Cathedram in iis, quæ tradit in materia morum, in hac enim materia errare non potest, ut supra dictum est, propter specialem assistentiam Spiritus Sancti, ut dicitur *Ioan.* 16. *Cum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.*

192. Et hinc patet, qualiter non sint ad rem exempla proposita in instantia. Nam scandalum in illis contentum partim provenit ex fundamento suspicionis, quod in illis præbetur; at in doctrina morum vera, quæ docet, quid licitum, quid illicitum sit, nullum est fundamentum suspicionis; & tam longe abest, quod afferat occasionem peccati, ut potius ea doctrina sit, quæ ducit ad vitam.

CAPUT XI.

An hoc decretum obliget in provincijs, in quibus non est promulgatum?

SUMMARIUM.

Proponitur ratio dubitandi. n. 193.

Hoc decretum partim est declaratorium, partim præceptivum. n. 194.

Quatenus damnat eas propositiones, non indiget promulgatione in singulis provincijs. n. 195.

Ubi habemus certitudinem de doctrina morum, tenemur sequi eam in praxi. n. 196.

Ex declaratione Romani Pontificis doctrina morum est omnino certa. n. 197.

Etiam qua præceptivum est, non indiget promulgatione in provincijs. n. 198.

Antiquata manet opinio, quod requiratur promulgatio in singulis provincijs, quia incompoßibilis cum decreto Alexandri VII. n. 199.

Opinio

Opinio, quæ repugnat principio certo, est certo falsa. n. 200.

Decretum Alexandri VII est principium certum, cui repugnat illa opinio. n. 201.

Qui requirunt promulgationem legis in Provincijs, videntur solum requirere notitiam moraliter certam. n. 203.

Responsio cujusdam Theologi impugnatur. n. 204. & seqq.

Cum Pontifex præcipit ea, quæ sunt juris naturalis, aut divini, non requiritur ea promulgatio facta in provincijs. n. 207. & 209.

Fere omnia contenta in hoc decreto sunt juris naturalis, aut divini. n. 208.

Neque ea quæ sunt juris humani in hoc decreto, etiam quæ præceptivum est requirunt promulgationem in provincijs n. 210.

193. HAnc quæstionem ex professo tractavi *in 3. part. Crisi. Theol. disp. 77. cap. 4.* Cujus totum tenorem placuit hic reproducere. (Contra obligationem, quam affert hoc decretum, non desunt, qui sic objiciant. Leges Pontificiæ non obligant, donec promulgentur juridicè in diœcesibus, aut saltem in provinciis: sed hoc decretum duntaxat Romæ promulgatum est, non autem in diœcesibus, neque in provinciis: ergo nondum obligat eos, qui sunt extra provinciam Romanam. Majorem tradunt Doctores, quos allegavi *in 1. part. Crisi. Theolog. disp. 9. cap. 20. art. 11.*

194. Ad cujus rei explicationem suppono, in hoc decreto esse duplicem rationem, alteram declarationis, alteram præcepti: hoc enim decretum partim est declaratorium, partim præceptivum, sive prohibitorium. Quod sit declaratorium, patet eo modo, ac ostendi, duo decreta *Alexandri VII.* talia esse. Nam *disp. 9. cap. 20. art. 5. n. 344.* illud ostendi his verbis: (Declaratio enim nihil aliud est, quam manifestatio alicujus veritatis, quæ ab aliquibus ignorari, aut in dubium verti posset: hæc autem decreta manifestant, eas quadraginta quinque opiniones esse scandalosas; de quo quis dubitare posset propter aliquos Theologos aliter sentientes. Et quidem decreta expresso judicio damnant eas opiniones ut scandalosas: non potest autem id fieri, nisi asserendo, & manifestando, eas esse scandalosas: sicut sententia, quæ damnat aliquem ut furem, est vera sententia declaratoria criminis.) Hæc dixi in loco citato, quæ eodem modo conveniunt in hoc decretum *Innocentij XI.* Quod autem id decretum sit prohibitorium, ex ejusdem tenore evidens est. *Unde in art. 5 cit. ubi n. 340.* comperies, quomodo obstringat conscientias. *Et num. 342.* quomodo eas graviter obstringat.

195. His positis dicendum est primo (& si probabile sit adhuc, leges Pontificias non obligare, donec juridicè promulgentur in diœcesibus, vel provinciis) hoc decretum, quatenus damnat eas sexaginta quinque opiniones, non indigere promulgatione juridica facta in singulis diœcesibus, & provinciis; sed sufficere certitudinem moralem de publicatione facta Romæ.

196. Probatur. Statim atque habeo certitudinem moralem de veritate alicujus doctrinæ, maximè in materia morum, teneor in praxi sequi eam doctrinam: sed ubi habeo certitudinem moralem, quod Pontifex promulgavit Romæ illud decretum, in quo damnantur eæ opiniones, habeo certitudinem moralem de veritate doctrinæ illis opinionibus oppositæ, quæ doctrina procedit in materia morum: ergo ubi habeo certitudinem moralem, quod Pontifex promulgavit Romæ illud decretum damnatorium, teneor sequi eam Doctrinam. Ergo licet id decretum non promulgetur in diœcesibus, & provinciis; dum certo scio, esse prõmulgatum Romæ à Pontifice, sufficit hæc notitia certa moraliter, ut obstringat cõscientias ad conformã-

dos

dos mores cum ea doctrina. Propositione majori nihil evidentius. Certum enim est, graviter peccare eum, qui in materia gravi discedit in praxi à doctrina certa.

197 Minor etiam est manifesta. Pontifex enim Romanus ex speciali assistentia Spiritus Sancti errare non potest in materia morum, dum tamquam communis Magister docet Ecclesiam: atqui Romanus Pontifex tanquam communis Magister docet Ecclesiam, asserens, eas opiniones esse scandalosas: ergo in hoc non errat. Ergo tradit doctrinam veram pro formandis moribus. Ergò ubi certo scio, eam doctrinam traditam esse à Romano Pontifice; certus maneo de veritate ejus doctrinæ.

198. Dicendum est secundo, id decretum etiam qua prohibitorium obligare, licet non promulgetur juridicè in diœcesibus, neque in Provinciis, dum certitudine morali constat, illud fuisse Romæ promulgatum. Et quidem quod requiratur hæc notitia certa de promulgatione facta Romæ indubitabile est: nam ignoranti legem, aut dubitanti invincibiliter de illa, aut de illius promulgatione à Superiore facta, nō intimatur sufficienter lex

199. Probatur hæc secunda conclusio. Nam, ut docui ea *disp. 9. cap. 20. art. 11. ex decreto Alexandri VII.* antiquata manet ea opinio asserentium, requiri promulgationem legis Pontificiæ factam in singulis diœcesibus, vel provinciis. Eo quod ea opinio incompossibilis est cum declaratione facta ab *Alexandro VII.* Nam in priori decreto declarat scandalosam istam propositionem: *Post decretum Urbani VIII. potest Sacerdos, cui Missæ celebrandæ traduntur per alium satisfacere, collato illi minori stipendio, alia parte stipendij sibi retenta.* Quo etiam modo procedunt aliæ duæ declarationes de opinione octava, & duodecima. Inde autem infertur evidenter, illam opinionem de promulgatione facienda in diœcesibus, vel provinciis non posse subsistere.

200. Etenim illa opinio non potest subsistere, quæ repugnat principio certo: sic se habet hæc opinio de promulgatione facienda in singulis diœcesibus, vel provinciis: ergo hæc jam non potest subsistere. Major est metaphysicè evidens, ut sæpius ostendimus.

201. Probatur minor. Nam ea opinio est incompossibilis cum eo decreto Alexandri, & cum damnatione earum trium propositionum, quod decretum, quatenus declarat, eas esse scandalosas, est omninò certum: Authores autem, qui dicebant, post decretum *Urbani VIII.* licere adhuc dare dimidiatum stipendium, aut posse accipere duplicatum, nitebantur eo fundamento, quod id decretum *Urbani* non erat promulgatum in provinciis; ut ostendi in relata *disp. 9. num. 419.*

202. Et quidem ea opinio ponit, illud decretum Urbani non obligare omnes Fideles, quia non promulgatum in provinciis: & damnatio facta ab *Alexandro* ponit, illud decretum *Urbani* obligare omnes fideles, declarando scandalosam esse propositionem, quæ affirmat, id decretum non obligare omnes fideles: ergo ea opinio incompossibilis est cum decreto *Alexandri.* Vide quæ dixi in ea *disp. 9. cap. 20. art. 11. à num. 416.*

203. Huc spectat, quod præcipui Authores qui docēt requiri promulgationem legis Pontificiæ in provinciis, non tam requirere promulgationem juridicam, quam publicationem, seu notitiam moraliter certam. Et ideo P. *Molina de just tract. 2. disp. 395.* ait: *Sane dicendum est, mentem Pij V. fuisse, bullam à se latam, non prius contractus, alioquin ex natura rei licitos, irritos comparatione ignoranter eos celebrantium reddere, quam in unaquaque diœcesi esset sufficienter promulgata; aut aliâ viâ ad omnium cognitionem potuerit pervenire.* Juxtà cujus sententiam non requiritur determinatè

pro-

promulgatio juridica legis; sed certa notitia de promulgatione legis Pontificiæ Romæ facta.

204. Ad argumentum supra factum de incompossibilitate ejus opinionis cum decreto *Alexandri* respondebat quidam Theologus valde doctus, ea verba, *Post decretum Urbani VIII*, in damnatione facta ab *Alexandro*, non esse apposita ut motivum, sed ut circumstantiam; potuisse autem damnari probabilitatem propositionis; quin dānaretur circumstantia.

205. Sed hæc responsio non minuit vim argumenti. Nam in hoc non arguitur ex eo, quod hoc sit motivum, & non circumstantia; sed ex eo quod affirmatio unius non sit compossibilis cum affirmatione alterius. Et quando una propositio est incompossibilis cum aliqua veritate certa, talis propositio necessario debet esse certò falsa. Est enim metaphysice evidens, duas propositiones incompossibiles non posse esse simul veras; sive incompossibilitas oriatur ex motivo, sive ex circumstantia.

206. Itaque illa opinio, quæ contendebat, non obligare in aliis provinciis id decretum *Urbani*, quia non promulgatum in illis; dicebat: *Post decretum Urbani licet Sacerdoti accipienti integrum stipendium, dare alteri Sacerdoti dimiatum.* Damnatio autem facta ab *Alexandro* dicit: *Post decretum Urbani scandalosum est dicere, quod licet ei Sacerdoti, dare alteri stipendium dimidiatum.* Quæ propositiones incompossibiles sunt, atque adeo nequeunt esse simul veræ. Si ergo hæc secunda vera est, necessario prior est certo falsa, non ob aliam rationem, nisi quia docet, decretum *Urbani* non obligare in provinciis, quia non promulgatum in provinciis.) Huc usque in loco relato.

207. Dato & non concesso; quod requiratur promulgatio legum in provinciis, & loquendo de hoc decreto, non qua declaratorium est, sed qua prohibitorium; dicendum est tertio, hoc decretum ob specialem rationem non requirere promulgationem in provinciis. Quod sic ostendo. Quia cum Pontifex præcipit ea, quæ sunt juris naturalis, vel Divini positivi, non requiritur alia promulgatio, quam quæ sufficit, ut habeatur notitia certa de ejusmodi obligatione: sed fere omnia quæ prohibentur in hoc decreto, sunt juris naturalis, vel divini positivi; solum enim damnantur quinque propositiones circa jus humanum: ergo ad hoc decretum, qua prohibitorium est, non requiritur alia promulgatio; quam quæ sufficit, ut habeatur notitia certa de ejus obligatione: sed ut habeatur ea notitia certa, non requiritur promulgatio in provinciis, cum Hispali habuerimus hanc notitiam certam, ante quam Tribunal Inquisitionis illud promulgaret: ergo talis promulgatio in provinciis non requiritur.

208. Quod ferè omnia contenta in decreto sint juris naturalis, vel positivi divini, manifestum erit ei, qui singulas propositiones attentè consideraverit, & habita notitia certa declarationis Pontificiæ constat, illa esse prohibita jure naturali, & divino positivo.

209. Major vero, quod dum Pontifex prohibet ea, quæ prohibita sunt jure naturali, vel Divino, tale decretum Pontificis non eget alia promulgatione, quam quæ sufficit, ut habeatur notitia certa eorum, patet. Nam post primam promulgationem Legis Evangelicæ factam ab Apostolis in Ecclesia; ut obliget jus divinum positivum, sufficit notitia certa illius. Et juris naturalis ubi est notitia certa, habetur sufficiens intimatio illius.

210. Præterea in illis, quæ sunt juris humani in hoc decreto, non requiritur alia promulgatio: nam per declarationem Pontificis præsupponitur notitia sufficiens ejus obligationis. Et eorum, quæ jam certo sciuntur, non

non requiritur nova promulgatio; cum hæc promulgatio requiratur ad eum finem, ut obligatio perveniat ad notitiam certam omnium Fidelium; quæ si præsupponatur, inutilis est nova promulgatio.

CAPUT XII.

An per Regis, aut Regni supplicationem, aut per populi non acceptationem, possit hoc decretum suspendi, aut derogari?

ARTICULUS I.

De supplicatione.

SUMMARIUM.

Quæ sit in Hispania consuetudo supplicandi pro suspensione legis Pontificiæ? n. 211.

An dum fit supplicatio, teneatur populus ad observationem legis? n. 212.

An ab hoc decreto supplicari possit? n. 213.

Hoc dubium triplicem quæstionem continet. n. 215.

Supplicatio à Decreto, quatenus declaratorium est, est irrationabilis. Ideoque fieri non potest. n. 216.

Quare Pontifex non possit revocare hoc decretum? n. 217. *Neque suspendere.* n. 218.

An possit suspendere promulgationem in Hispania? n. 219.

An eadem sit ratio in condemnatione librorum? n. 220. & seq.

Quare non possit supplicari ab hoc decreto, quatenus prohibitorium est? n. 222. & seq.

An possit fieri supplicatio ab hoc decreto, quatenus pœnale est? n. 225.

211. Frequens est, ut cum aliqua lex Pontificia promulgatur, quæ judicio Consiliariorum Regis Hispaniæ potest afferre aliquod præjudicium huic Regno, fiat nomine Regis supplicatio ad Sanctissimum, ut propter hæc & hæc inconvenientia dignetur sua Sanctitas indulgere huic Regno, ut eximatur ab ea lege.

212. Interim dum fit supplicatio, teneri populum ad observandam eam legem, docet *P. Suarez lib. 4. de Legib. cap. 6. num. 5. & P. Castro Palao tom. 1. tract. 3. disp. 1. punct. 13. num. 14.* addentes, quod si lex non potest deduci ad praxim sine scandalo, aut gravi aliquo incommodo, tunc lex non obligat, ex benigna interpretatione mentis legislatoris. Sed generaliter suspendi obligationem legis per ejusmodi supplicationem, asserunt *Bonacina disp. 1. de Legib. q. 1. punct. 4. n. 41. Salon de Contract. tract. 2. de Censib. art. 3. disp. 4. conclus. ult. Salas disp. 18. sect. 4. num 21. Castro lib. 1. de Lege pœnal. cap. 1. Emmanuel Rodrig. tom. 3. qq. Regul. q. 6. art. 7. apud Castro Palao citatum.*

213. Et quidem audivi quemdam dixisse, Regem Hispaniæ supplicasse Romanum Pontificem, ut revocaret, aut suspenderet decretum hoc de sexaginta quinque propositionibus condemnatis, ideoque hujus decreti obligationem esse suspensam. Et licet ille erraverit in re facti; quia Inquisitor generalis de facto promulgavit hoc decretum; tamen opus fuit instituere hanc quæstionem, (An ab hoc decreto suplicari possit cum spe obtinendi?)

214. Sed quia decretum triplicem partem habet, triplex quæstio instituenda est. Prima pars decreti est, qua condemnat ut scandalosas eas sexaginta quinque propositiones. Secunda est, qua prohibet defendere, & ad praxim deducere doctrinam earum propositionum. Tertia est, qua imponit pœnam excommunicationis latæ sententiæ omnibus, qui defenderint, aut docuerint talem doctrinam. Est ergo hoc decretum declaratorium, prohibitorium, & pœnale.

215. Triplex ergo quæstio instituitur. Prima, an possit supplicari rationabiliter pro revocatione aut suspensione hujus decreti, ut declaratorium est? Secunda, An possit

possit supplicari, qua prohibitorium est? Tertia, An possit supplicari qua pœnale est?

216. Quod attinet ad primam quæstionem, assero, supplicationem præfatam circa decretum prout declaratorium esse irrationabilem, nec posse fieri supplicationem cum spe obtinendi. Probatur. Supplicatio hujusmodi est irrationabilis, quoties est de re, quæ non potest obtineri: sed quod revocetur, aut suspendatur doctrina de moribus omnino certa & indubitabilis, res est, quæ non potest obtineri, ut pote omnino repugnans: ergo supplicatio, quæ hac de re facta fuerit Pontifici, erit irrationabilis, atque adeo absque ulla spe obtinendi. Major & consequentia patent.

217. Minor vero supponit, doctrinam declaratam in hoc decreto esse certam, & indubitabilem: quod autem hujusmodi doctrina morum revocari non possit à Pontifice, patet. Nam si revocaretur, id fieret per propositionem contradictoriam, dicendo eas propositiones non esse scandalosas: ergo utraque contradictoria esset vera. Ex quo multæ aliæ consequentiæ absurdæ inferuntur. Prima, (Ergo erravit Pontifex in eo, quod declaravit, eas propositiones esse scandalosas.) Quia dum revocat declarationem, manifestat, dignam esse revocatione, atque adeo esse falsam. Secunda, (Ergo dum revocat, procedit à Romana Cathedra declaratio certo falsa in materia morum.) Nam contradictoria propositionis certæ est certo falsa: sed revocat per declarationem contradictoriam: ergo per declarationem certo falsam. Tertia, (Ergo doctrina morum, quæ est in Ecclesia, esset chymerica, & implicatoria.) Quibus similes multæ aliæ consequentiæ colligi possunt tamquam ex immanium absurdorum scaturigine.

218. Quod autem neque suspendere possit Pontifex hoc decretum, etiam patet. Etenim non minus repugnat Sanctitati Ecclesiæ suspendere doctrinam certam de moribus, sive suspendere notitiam certam de vitiis; quam approbare vitia: sed supposita declaratione facta in hoc decreto, quod objecta earum propositionum sunt vitiosa; suspendere illud, esset suspendere notitiam certam de vitiis: ergo id repugnat Sanctitati Ecclesiæ. Major patet. Nam suspendere doctrinam certam de vitiis fugiendis est relinquere libertatem Fidelibus amplectendi vitia.

219. Dices primo. Licet non possit Pontifex suspendere doctrinam certam de moribus, jam declaratam ut talem, quare non poterit suspendere promulgationem, ne hæc fiat in Hispania? Contra est, Nam ubi facta est promulgatio Romæ, & ejus notitia certa ad nos pervenit, sive promulgetur in Hispania, sive non promulgetur, jam scimus, quænam sit doctrina vera circa objecta propositionum: ergo nihil proderit, & omnino frustranea erit suspensio ejus promulgationis faciendæ in Hispania.

220. Dices secundo. Aliquando Pontifex prohibet librum propter doctrinam damnabilem, & postea ex majori deliberatione jubet suspendi decretum condemnatorium: ergo similiter poterit damnare doctrinam de moribus, & postea suspendere decretum.

221. Sed contra est. Nam si talis determinata propositio & doctrina de moribus expresse damnata est in libro; numquam suspendit Pontifex talem damnationem. Quando ergo suspendit decretum prohibitorium libri, ideo fit, quia cum ipse Romanus Pontifex non cognoverit immediatè de ipsa bonitate, aut damnabilitate doctrinæ, sed ex aliorum informatione (facta in genere, & non circa talem propositionem in individuo) jusserit prohibitionem; & postea dubitatum fuerit, vel de re facti, vel de damnabilitate doctrinæ, jubet suspen-

di prohibitionem, ut de novo fiat maturior deliberatio circa propositiones in individuo.

222. Secunda quæstio est, An possit supplicari pro suspensione hujus decreti, qua prohibitorium est? Et admittenda videtur pars affirmans: quia frequens est, supplicari pro suspensione aliquarum Legum prohibentium actiones aliquas: ergo eodem modo poterit suspendi hoc decretum, quatenus prohibet defendere, & ad praxim deducere doctrinam harum propositionum damnatarum.

223. Dicendum tamen est, repugnare talem supplicationem, neque aliquid prodesse, quamvis fiat. Probatur. Nam supposita certitudine declarationis factæ in hoc decreto, quod ea doctrina scandalosa est; eo ipso prohibitum manet, quod non licet docere neque ad praxim deducere doctrinam, quæ scandalum generat: ergo nihil prodesset ea suspensio, & consequenter neque supplicatio, siquidem talis doctrina non posset non manere prohibita.

224. Ad rationem dubitandi respondeo, cæteras leges prohibitorias non præsupponere, doctrinam oppositam esse scandalosam; & consequenter ablata prohibitione, earum legum objecta non habere, unde maneant adhuc prohibita. Quod non contingit in prohibitione, quæ in hoc decreto continetur; cum ea doctrina scandalosa ex ipsa damnatione maneat prohibita, etiamsi non exprimeretur prohibitio in decreto.

225. Tertia quæstio est, An possit supplicari pro suspensione hujus decreti, qua pœnale est; id est quatenus imponit pœnam excommunicationis latæ sententiæ, reservatæ Romano Pontifici, contra docentes, aut defendentes quamlibet ex sexaginta quinque propositionibus. In quo sicut certum est, quod Pontifex post fulminatam excommunicationem, potest revocare fulminationem; ita etiam certum est, quod potest fieri supplicatio Romano Pontifici, ut illam fulminationem censuræ revocet.

ARTICULUS II.

De populi non acceptatione.

SUMMARIUM.

Supponuntur aliqua de obligatione legis & acceptatione populi. n. 226. remissivè.

Triplex quæstio circa acceptationem hujus decreti. n. 227.

Quare hoc decretum, qua declaratorium est, sit independens ab acceptatione populi? n. 228. & seq.

Veritas est independens ab eo, quod acceptetur aut non acceptetur ab hominibus. n. 229.

Doctrina certa in materia morum independens est ab acceptatione hominum. n. 230.

Quam illicitum sit operari ex dictamine certissime falso? n. 231.

Obligatio fidelium ad acceptandam doctrinam à Romana Cathedra. n. 232. & seq.

Hoc decretum, qua prohibitorium est, non pendet ab acceptatione populorum. n. 235.

Objecta, quæ à Pontifice declarantur illicita, eo ipso manent necessario prohibita. n. 236.

Lex humana interdicens ea, quæ sunt jure naturali prohibita, non potest non acceptari. n. 237.

Hoc decretum, qua pœnale est, potest populus ex urgenti causa non acceptare. n. 238.

Discrimen inter hoc decretum qua prohibitorium, & illud idem qua pœnale. n. 239.

Populus absolute non potest non acceptare hoc decretum qua pœnale, defectu causæ rationabilis. n. 240.

Synopsis totius disertationis. n. 241. & seq.

226. IN 2. *part. Crisi. Theol. disp.* 29. multa tradidi circa acceptationem legum, præcipuè Ecclesiasticarum. Et primo quidem *cap.* 2. *art.* 2 docui cum *Bellarmino, & Suario*, & aliis, esse de Fide, esse pote-

statem

ſtatem in Romano Pontifice, aliiſque Eccleſiæ Prælatis ad obſtringendum legibus populos invitos, quibus obligent eorum cõſcientias. Deinde *cap* 3. docui cum communi ſententia, leges etiam canonicas non obligare ante acceptationem populi: non quia jure canonico ita ſit ſtatutum, ſed ex quadam interpretatione mentis Romani Pontificis, & Prælatorum Eccleſiæ. Et *cap.* 4. oſtendi, id intelligendum eſſe, quando adeſt cauſa iuſta ad renitendum, v.g. exterminium pacis, ſcandalum, aut ſumma difficultas in executione. Mox *cap.* 5. oſtendi, quod ſi populus non acceptet legem abſque juſta cauſa, adhuc legem obligare in conſcientia. Tradidi etiam *ibid.* multa alia ad hanc materiam ſpectantia.

227. Et quod attinet ad præſens decretum, audivi (& non credo) quoſdam populos nolle acceptare illud adeo, ut prohibeantur typographi illud typis edere, aut illud in publicũ producere. Et illud quidẽ ſic rejicere, eſſe nefas, mihi evidens eſt. Et diſtinguendo, ſicut in *art. præced.* triplicem qualitatem decreti, quà declaratorium, quà prohibitorium, & quà pœnale eſt; per tres concluſiones hanc quæſtionem decido.

228. Dico primo. Peccat graviter populus, qui non acceptat hoc decretum, quà declaratoriũ eſt. Hanc concluſionem expreſſit *P. Molina tom. 2. de juſt. diſp.* 325. *P. Leſſius de juſt. cap. 20. dubit.* 23. *num.* 192. *Idem docet P. Caſtro Palao tom. 7. tract. 32. diſp. 4. punct. 24. n. 5. P. Rebellus lib. 8. de Inſt. quæſt. 13. §. Multo minus.* & multi alii.

229. Probatur primo: Omnis veritas eſt independens ab eo, quod acceptetur, aut non acceptetur ab hominibus: ſed definitio contenta in hoc decreto eſt veritas, & illa quidem indubitabilis ut conſtat *ex cap.* 1. & 2. ergo definitio contenta in hoc decreto eſt independens ab eo, quod acceptetur, aut non acceptetur, ſive à libertate acceptandi. Ideo *P. Leſſius cit.* dixit, *Vt definitio alicujus veritatis rata ſit, non eget receptione populorum; ſed hoc tantum modo locum habet in legum obligatione. Non enim veritas, quæ definitur, pendet à receptione, aut cenſura ſubditorum.* Confirmatur. Non eſt liberum reſiſtere veritati cognitæ: ſed hæc Pontificis declaratio, eſt veritas, quæ cum habeat certitudinem, cognoſcitur ab intellectu ut talis: ergo non eſt liberum intellectui, atque adeo rationalibus ſubditis, reſiſtere, aut non acceptare hanc Pontificis declarationem.

230. Probatur ſecundo. Qui non admittit doctrinam omnino certam pro formandis moribus, peccat graviter: ſed hoc decretum, quà declaratorium eſt, tradit doctrinã omnino certam pro formandis moribus: ergo qui illam non admittit, peccat graviter. Cõſequentia patet. Minor conſtat *ex cap.* 1. & 2. Major etiam patet. Nam cum doctrina eſt omnino certa pro formandis moribus, certũ eſt, quod tenetur conformare mores illi doctrinæ, & peccare graviter eum, qui ſic non conformat in materia gravi; alioqui doctrina quæ id præſcribit, non eſſet certa: ſed qui eã doctrinam non admittit, non conformat mores illi doctrinæ: ergo qui eam doctrinam non admittit, peccat graviter.

231. Probatur tertio. Qui non vult acceptare doctrinam certam pro formandis moribus, vult liber manere ad operandum in praxi ex contradictorio dictamine: ſed dictamen contradictorium doctrinę certæ eſt certo falſum: ergo vult liber manere ad operandum in praxi ex dictamine certiſſime falſo. Quantum autem nefas ſit formare mores ex dictamine certiſſimè falſo, quis non videt?

232. Probatur quarto. Nam ut oſtendi *cap. 1. art. 3.* Perpetua, & numquam interrupta conſuetudo fuit in Eccleſia, ut omnes Fideles accipiant à communi Eccleſiæ Magiſtro doctrinam tenendam in formandis

G 5 mori-

moribus sed hæc Ecclesiastica consuetudo declarat obligationem Fidelium acceptandi doctrinam de formandis moribus ab ipso communi Magistro: ergo omnes Fideles ad id tenentur.

233. Confirmatur primò. Omnia enim, quibus *cap.* 1. & 2. probavimus, Romanum Pontificem errare non posse in materia morum, probant, omnes Fideles teneri acceptare ejusmodi doctrinam. Ideo enim assistit Spiritus Sanctus, ne erret Romanus Pontifex in materia morum, ut scilicet Ecclesia non erret: ergo Ecclesia, ne erret, debet acceptare eam doctrinam morum, quam illi tradit Romanus Pontifex.

234. Confirmatur secundò, ex ipsa Fidelium praxi. Nam licet in aliquibus provinciis non sint acceptatæ constitutiones Concilii Tridentini; numquam tamen restiterunt ejus declarationibus doctrinalibus, etiam in materia morum. Et primò quidem *sess.* 13. *cap.* 7. sic legimus. *Ecclesiastica autem consuetudo declarat, eam probationem necessariam esse, ut nullus sibi conscius mortalis peccati, quantumvis sibi contritus videatur, absque præmissa Sacramentali Confessione ad Sacram Eucharistiam accedere debet.* Idem repetit *can.* 11. Cui declarationi omnes Fideles obsequuntur, & in praxi retinent, etiam in illis provinciis, in quibus Concilii constitutiones non sunt receptæ. Similes declarationes habentur *cap.* 5. & 6. de more circumferendi in processionibus per vicos & plateas Sacram Eucharistiam, & de more asservandi illam in Sacrario, & deferendi ad infirmos. Quas declarationes admittunt, etiam provinciæ, in quibus ejus Concilii constitutiones non sunt receptæ.

235. Dico secundò. Obligatio hujus decreti, qua prohibitorium est, non pendet ab acceptatione populorum; consequenterque peccat graviter populus, qui illud non acceptat, qua prohibitorium est. Pro hac conclusione stant Authores relati supra pro prima conclusione. Nam cum *Leo X.* definierit, montes pietatis esse licitos, & simul prohibuerit defendi oppositam assertionem; Id decretum quo ad utramque partem non pendere ab acceptatione populorum affirmant Authores relati.

236. Probatur conclusio. Nam supposita declaratione Romanæ Cathedræ, docentis ea objecta esse illicita, eo ipso manent prohibita: ergo cum necessario acceptari debeat declaratio, ut constat ex *conclus.* 1. eo ipso debet necessario acceptari prohibitio. Et quod attinet ad prohibitionem docendi, & propugnandi propositiones damnatas, idem dicendum est. Est enim jure naturæ prohibitum docere tamquam licita ea, quæ sunt certò illicita.

237. Confirmatur. Non potest non acceptari lex Romani Pontificis, quæ interdicit ea, quæ jure naturali, aut jure divino positivo sunt certo interdicta: sed fere omnia, quæ condemnantur in hoc decreto, sunt certo interdicta jure naturali, aut Divino positivo: ergo non potest non acceptari hoc decretū, qua prohibitorium. Minor probatur. Nam fere omnia pertinere ad jus naturale, aut Divinum positivum, ex inspectione singularum propositionum damnatarum, unusquisque comperiet. Quod autem certo interdicta sint jure naturali, aut divino, cōstat ex declaratione Romanæ Cathedræ, ex qua manēt ea objecta certissimè illicita, ut cōstat ex supradictis.

238. Dico tertiò. Probabile est, non peccare populum, si ex justa & urgenti causa non acceptaret hoc decretum, qua pœnale est, id est, qua imponit excommunicationem latæ sententiæ reservatam contra docentes, aut propugnantes propositiones damnatas. Est enim communis & probabilis sententia, quæ docet, leges etiam canonicas non obligare, donec accedat acceptatio populi rationabiliter

ter renuentis: quia legislator non vult obligare, nisi dependenter ab ejusmodi acceptatione. Hanc sententiam ut probabilem retuli *in 2. part. Cris. Theol disp. 29. cap. 3. art. 1. n. 53. ubi pro* ea allegavi *P. P. Valenciam, Tannerum, Lessium, Becanum, Reginaldum, Sa, Filliucium, & Azorium*; item *Navarrum, Dianam, Coquetium, Santarellum, Homobonum, Mirandam, & Bonacinam; aliis gravissimis Doctoribus in contrarium opinantibus, quos retuli ibidem num.* 54.

239. Est ergo quo ad hoc magnum discrimen inter hoc decretum, qua prohibitorium, & illud idem, qua pœnale. Nam prohibitio sequitur necessario declarationem de illicito objecto, ut constat ex *conclus.* 2. impositio autem excommunicationis non sequitur necessario prohibitionem, neque declarationem: nam stat benè, quod objectum declaretur illicitum, & prohibeatur & quod prohibitioni non adjiciatur pœna excommunicationis.

240. Quando autem populus non haberet rationabilem causam ad renuendum, non esse licitum populo, resistere, & non acceptare legem canonicam tamquam certum docui *eadem disp.* 29. *cap.* 4 *art.* 2. Et hinc infero, quod quamvis dixerim, posse populum non acceptare hoc decretum qua pœnale, nempè sub ea conditione, si ad renuendum haberet causam justam, & rationabilem; absolute tamen assero, non posse populum non acceptare hoc decretum, etiam qua pœnale; quia nulla est causa rationabilis, ad excludendam eam pœnam excommunicationis, cum tam immane delicium, quale est docere doctrinam reprobatam à Romana Cathedra, dignum sit ea pœna.

SYNOPSIS.

Doctrina hucusque tradita in hac disertatione.

241. CUM constet *ex cap.* 3. hoc decretum, non à Sacra Congregatione Inquisitionis Romanæ dumtaxat, sed à Romano Pontifice immediatè prodijsse; & *ex cap.* 4. Pontificem id decrevisse ex matura deliberatione; cum etiam constet ex *cap.* 1. & 2. Romanum Pontificem errare non posse in materia morum, etiam damnando eas propositiones, quæ olim erant probabiles, sive ab extrinseco, sive ab intrinseco: ex his infertur evidenter, *Innocentium XI.* neque erravisse, neque errare potuisse in damnatione harum sexaginta quinque propositionum; atque adeo hoc decretum esse Regulam infallibilem morum.

242. Deinde cum constet *ex cap.* 7. esse definitionem Pontificiam, extra articulum Fidei, & *ex cap.* 11. definitionem, sive declarationem Pontificiam, præcipuè in materia morum, non egere promulgatione in provinciis, sed sufficere notitiam moraliter certam, ut obstringat conscientias; inde constat, hoc decretum obligare omnes Fideles, qui ejusmodi notitiam certam habuerint, undecumque proveniat ea notitia: quamvis in Hispania Sacrum Inquisitionis Tribunal pro uberiori & certiori notitia insinuanda, illud promulgaverit.

243. Præterea cum constet *ex cap.* 11. & 12. in definitionibus, & declarationibus Romanæ Cathedræ circa doctrinam tenendam, & practicandam in materia morum, non posse habere locum supplicationem Regis, aut Regni, neque ullam non acceptationem populi; inde est, quod hoc decretum suspendi non possit propter aliquam tergiversationem ex prædictis capitibus ortam.

244 Item *ex cap.* 8. tam certum est, *Innocentium XI.* in hac propositionum damnatione non errare, ut erroneum sit dicere, ipsum erravisse, aut errare potuisse. Præterea eum, qui defenderit aliquam ex propositionibus damnatis, non dicere aliquid erroneum, sed solum dicere propositionem scandalosam; nisi simul dicat, Pontificem errare.

245. De-

245. Denique cum constet ex *cap.* 10. doctrinam in materia morum, quam damnat Romanus Pontifex ut scandalosam, esse certò falsam, & improbabilem quo ad praxim; indè constat, has sexaginta quinque propositiones amisisse probabilitatem practicam, quam habebant, & remansisse improbabiles, & certò falsas.

CAPUT XIII.

An minuatur authoritas doctorum, qui ante hoc decretum docuerunt opiniones in eo damnatas?

SUMMARIUM.

Scandala exorta ex facilitate attribuendi quibusdam Authoribus propositiones dãnatas, n. 246.
Duplex genus propositionum damnatarum. n. 247.
Pro opinionibus damnatis nulla authoritas remanet in doctoribus earum. n. 248.
Nihil detrahitur authoritati eorum, qui ante decretum docebant opiniones receptas. n. 249.
Quomodo prudenter operabantur, qui ante decretum docebant eas opiniones receptas? n. 250.
Quomodo non imminuta sit authoritas antiquorum, qui docuerunt opinionem postea damnatam à Tridentino? n. 251.
Idem cernitur in Sanctis Patribus. n. 252.
Objectio solvitur. n. 253.
Quomodo minuatur authoritas eorum, qui ante decretum docuerunt plures opiniones ex jam dãnatis, quæ malè audiebant? n. 255. & seqq:
Quomodo qui unam vel alteram opinionem improbabilem ante decretum docuit, non censeatur minoris authoritatis ad reliquas. n. 261.

246. INcredibilia sunt scandala, & jurgia, quæ referuntur exorta esse in aliquibus Academiis, & Universitatibus aliorum Regnorum ex occasione damnationis harum sexaginta quinq; propositionum: dum aliqui conabantur attribuere propositiones damnatas his Authoribus, alii aliis, eo æmulationis genere, ut crederetur, etiam Authores, qui tales propositiones docuerunt, exauthorandos esse, aut de tenui authoritate insimulandos. Et quidem in Hispania nulla similia scandala exorta sunt. Verum quidem est, *Emmanuelem Filguera, & Bernardum de Hozes*, qui expositionem harum propositionum aggressi sunt, attribuere aliquibus Authoribus aliquas propositiones, quæ in talibus Authoribus non reperiuntur; ut in suis locis ostendemus; sed non eo æmulationis animo, sed quia decepti sic existimarunt. Nec possumus negare, aliquos Authores ex ijs, quos isti citant, docuisse eas opiniones sic dãnatas. Quare operæ pretium est inquirere, An authoritas eorum, qui eas opiniones docuerunt ante hoc decretum, lædatur, aut minuatur?

247. Pro cujus quæstionis Crisi, prænotandum est primo, inter damnatas propositiones esse alias, quæ ante decretum male audiebant inter Theologos, vel quia tenuiter probabiles, vel quia commune erat dubitare de carũ probabilitate; alias vero esse, quæ ante decretũ communiter reputabantur probabiles, & ut tales receptę erãt apud Theologos.

248. Prænotandum est secundo, nullam omninò remansisse authoritatem pro opinionibus damnatis, in illis doctoribus, qui eas ante decretum docuerunt. Patet. Nam quæ docet Romana Cathedra, in materia Fidei & morum, sunt omninò certa, contra certitudinem autem nulla prævalere potest authoritas privata doctorum, *ut sæpe docui in 3. part. Crif Theol præcipuè disp. 55. num. 2. & disp. 59. num. 33. & n. 657. & n. 1214. & in 1. part. Crif. disp. 4. cap. 1. num. 6. & disp. 11. cap. 4. num.* 106. & passim alibi.

249. Dico primò. Nihil detrahitur authoritati doctorum, qui ante decretum propugna-

Pugnabant opiniones ſecundi generis, quæ videlicet erant receptæ tamquam practicè probabiles. Probatur primò. Nihil detrahitur authoritati Doctoris, dum in materia morum docet ea, quæ quis prudenter poteſt operari juxta opiniones communiter receptas tamquam practicè probabiles: ergo dum ante decreta docebat Theologus in materia morum opiniones communiter receptas tamquam practicè probabiles, nihil ejus authoritati detrahitur, licet poſtea ejuſmodi opiniones damnentur, aut aliter antiquentur.

250. Probatur ſecundò. Nam qui ad praxim conſulit plures doctores, & inveniens eos concordes, operatur juxta dictamen eorum, prudenter operatur: ergo qui docebat opinionem, cujus probabilitatem plures doctores communiter affirmabant, etiam prudenter docebat; atque adeo non detrahitur ejus authoritati, ſi ante decretum docebat ejuſmodi opiniones.

251. Probatur tertiò. Nam ante Concilium Tridentinum *Cajetanus, & Abbas Panormitanus docuerunt (referente Lugo Card. de Euchar. diſp.* 14. *ſect.* 4. *n.* 55.) nullum eſſe præceptum præmittendi communioni Eucharistiæ Confeſſionem Sacramentalem; Concilium autem Tridentinum definivit, eſſe præceptum illam præmittendi. Sed numquid propterea amiſſa eſt, aut imminuta *Cajetani & Panormitani* authoritas? Minimè. Sed quare? ſcilicet quia licet poſt Tridentini decretum *ſeſſ.* 13. *cap.* 7. reprobata maneat ea opinio, quia tamen ante Tridentinum non cenſebatur improbabilis, ideo authoritas illam docentium non eſt imminuta.

252. Probatur quartò. Quia multi ex Sanctis Patribus docuerunt in materia Fidei aliquas opiniones, quæ procedente tempore, & majori habita deliberatione, cognitæ ſunt eſſe erroneæ, aut certò falſæ. Sic *S. Hieronymus*, qui docebat, in Trinitate unam eſſentiam, & tres perſonas; aſſerebat, unam dumtaxat hypoſtaſim concedendam eſſe; eo modo, quo diximus ſupra *n.* 21. quæ propoſitio jam non eſt toleranda. Et tamen *S. Hieronymus*, & alii Sancti Doctores neque hilum amiſerunt ſuæ authoritatis, non alia ratione, niſi quia eo tempore, quo illarum propoſitionum falſitas non erat adeo explorata, illæ quidem cenſebantur non improbabiles.

253. Objicies. Authores, qui ante decretum docuerunt eas opiniones, quæ damnatæ poſteà ſunt in eo decreto, nullam habent authoritatem pro illis opinionibus damnatis, ut dictum manet in prænotatione 2. ergo jam amiſerunt illam authoritatem: falſa ergo eſt prima concluſio, dum aſſerit, nihil eſſe imminutum authoritatis eorum.

254. Reſpondeo conceſſo antecedenti, diſtinguendo conſequens; amiſerunt authoritatem (pro opinionibus damnatis,) concedo: (pro reliquis opinionibus,) nego. Et item nego ſecundam conſequentiam. Nam præfata concluſio eo reſpicit, quod non fœdetur, neque deturpetur authoritas doctorum, qui docuerunt eas opiniones, quando communiter cenſebantur practicè probabiles. Quæ duo benè componuntur, & quod jam non habeant authoritatem pro illis opinionibus jam damnatis; & quod nullam inde maculam aut fœditatem incurrerint propterea eorum authoritas, ut conſtat ex argumentis inſtructis pro prima concluſione.

255. Dico ſecundò circa opiniones primi generis, quæ videlicet malè audiebant apud Theologos, vel cenſebantur parum probabiles, aut de quarum probabilitate dubitabatur; eorum authoritatem minui, qui plures ex eis opiniones docuerant. Et idem eſt, qui tradidit aliquod principium generale, ex quo multæ opiniones improbabiles, aut tenuiter probabiles evidenter inferuntur. Et quidem in

1. part. Crif. Theolog. disp. 11. docui, ad hoc ut Author det absolutè probabilitatem opinioni, eum esse debere omni exceptione majorem. Quatuor autem exceptiones designavi (eas colligens ex communi Theologorum sententia) quæ minuunt authoritatem Doctoris in ordine ad conferendam probabilitatem opinioni. Ex quibus tertia exceptio contra authoritatem Doctoris est, *si tradiderit varia improbabilia*, & idem est, si tradiderit varias opiniones tenuiter probabiles, de cujus probabilitate valdè dubitatur inter sapientes.

256. Et pro hac conclusione citavi *cap. 8. art. 4. num. 171. P. Granadum 1. 2. controv. 2. tract. 12. disp. 4.* & colligitur ex multis aliis doctoribus, quorum verba retuli in ea *disp. 11.* maximè illi, qui dicunt, non conferre probabilitatem opinionibus Authorem, qui ostenditur esse ingenii præcipitis; quo pacto locutus est *Villalobos tom. 1. tract. 1. diffic. 4. num. 17. & P. Granado* citatus eodem termino usus est. Nam Author, qui fuerit ingenio præcipiti, non paucas promovebit opiniones, quæ malè audiant inter Theologos.

257. Ratio autem hujus conclusionis est prima, quam tradit *P. Granado* citatus, illis verbis *ex num. 11. si scirem, illum esse singularem* (id est singularitatis ambitiosum, pro ostentatione ingenii) *aut præcipitem in opinando, aut amplecti sententias improbabiles, non possem tuta conscientia illius opinionem reputare probabilem sine majore examine, aut consilio, maxime in re gravi: merito enim timere, possem, num illa opinio, quam lego, sit una ex improbabilibus.*

258. Unde sic efformatur ratiocinatio. Multũ minuitur doctoris authoritas, quãdò meritò timetur, an opinio ab ipso tradita sit una ex improbabilibus, aut ex tenuiter probabilibus: sed de eo qui non paucas opiniones tradidit improbabiles, aut tenuiter probabiles, meritò timebitur, an hæc aut illa sit ex improbabilibus, aut tenuiter probabilibus: ergo eius authoritas inde minuitur.

259 Confirmatur. Nam Author, qui ante decretum tradidit non paucas opiniones, quæ tunc malè audiebant apud Theologos, & quæ modo damnatæ sunt; timeri potest, quod tradat etiam alias (quæ nondum damnatæ sunt) ejusdem furfuris: ergo ex hoc capite minuitur ejus authoritas.

260. Secunda ratio est. Authoritas enim doctoris explicatur per hanc propositionem universalem: *Quidquid Titius docet, est absolutè probabile*: sed si non paucas opiniones tradit improbabiles, aut tenuiter probabiles, quæ tales erant ante decretum, non verificatur ea propositio universalis: ergo deficit aliquanto Authoritas eius doctoris.

261. Dico tertio. Qui tradidit unam, vel alteram propositionem improbabilem, aut tenuiter probabilem, quæ talis erat ante decretum, & per decretum damnatur, non censetur minui eius authoritas ad cæteras opiniones, quas docet. Hanc conclusionem docui in citata *disp. 11. cap. 4. num. 122.* Quia quamvis authoritas doctoris explicetur per eam propositionem universalem: *Quidquid Titius docet, est absolute probabile*; quæ videtur falsificari in eo, qui unam, vel alteram opinionem improbabilem, aut tenuiter probabilem docuit; tamen ea propositio universalis non est metaphysice accipienda, sed moraliter: quo pacto, qui in una, vel altera opinione defecit à regula, non dicitur absolute defecisse. Quis enim est Author tam perfecte, & adamussim doctus, ut nullum omninò nævum patiatur?

CAPUT XIV.

An opiniones, ex quibus inferuntur propositiones damnatæ, aut quæ ex his damnatis inferuntur, maneant damnatæ, aut antiquatæ?

SVM-

SUMMARIUM.

Propositio in materia morum affirmans, aliquid esse licitum, & damnata à Pontifice ut scandalosa, est certo falsa. n. 263.

Discrimen inter propositionem damnatam, & antiquatam. n. 264.

Propositio, ex qua evidenter infertur opinio damnata, est antiquata. n. 265.

Quia ex vero non nisi verum. Ibidem.

Et quia bene valet ab opposito contradictorio consequentis ad oppositum contradictorium antecedentis. n. 266.

Eadem est incomposibilis cum hoc decreto, & ideo antiquata. n. 267.

Propositio, ex qua mere probabiliter infertur opinio damnata, non ideo antiquatur. n. 269.

Propositio, qua infertur ex propositione damnata, non propterea manet reprobata. n 270. *Quia ex falso potest inferri verum.* ibidem.

Propositio qua infertur ex contradictorio propositionis damnata, non potest nō esse vera. n. 271.

QUamvis in discursu hujus voluminis tractetur hæc quæstio in aliquibus casibus singularibus; placuit hic proponere doctrinam universalem, ex qua quæstiones in materiis singularibus decidendæ sunt. In qua non sunt diversæ sententiæ, quæ referantur: quia res hæc ex evidentibus Dialecticæ regulis decidenda est.

263. Præmitto primo, propositionem in materia morum (agentem de licito, vel illicito) damnatam à Romana Cathedra ut scandalosam, esse improbabilem, & certo falsam; ut constat ex *cap.* 10. præcipue *art.* 3. & ejus contradictoriam esse omnino certam, neque esse posse merè probabilem: quæ propositio evidentia metaphisica potest demonstrari, *ut constat ex* 1. *part. Crist. Theolog. disp.* 4. *num.* 6. ubi id demonstrativè ostendi.

264. Præmitto secundo discrimen, quod intercedit, inter propositionem damnatam, & antiquatam, ut sæpè alias notavi. Nam propositio damnata est illa, quam expresse damnat Pontifex Romanus, vel per verbum *Damnamus*, vel per æquivalens. Propositio antiquata est, quæ licet non inveniatur damnata expresse, & formaliter, est tamen incompossibilis cum aliquo decreto Pontificio, aut alio principio certo denuò invento. Quæ quidem quia opponitur decreto aut principio certo, est certò falsa, juxta proximè dicta. Dicitur autem antiquata, nam antiquitus admittebatur tamquam probabilis, quia nondum cognitum erat principium certum, quod jam nobis apparuit.

265. Dico primo. Propositio quæ est antecedens evidenter inferens propositionem damnatam, est certo falsa, & antiquata, licet ea non damnetur expresse. Probatur primo, quod sit certo falsa. Est enim evidens regula Dialecticorum, in legitima consequentia non posse ex vero inferri falsum: ergo si consequens est falsum, antecedens non potest esse verum; ergo necessario dicendum est, quod antecedens est falsum. Tum sic: quælibet propositio ex damnatis ab *Innocentio* est certo falsa, ut constat ex dictis: ergo antecedens ex quo, illa evidenter infertur, est etiam certo falsa.

266. Probatur secundo. Bene valet de opposito contradictorio consequentis ad oppositum contradictorium antecedentis: ergo si oppositū contradictoriū consequentis est verū, etiam oppositū contradictoriū antecedentis debet esse verū: ergo ipsū antecedens debet esse falsum, cum ambo contradictoria non possint esse simul vera. Id quod clarè cernitur in hac argumentatione: *Nullum praeceptum Ecclesia obligat sub mortali: ergo Praeceptum servandi festa non obligat sub mortali*: quod consequens est propositio 52. ex damnatis. Fiat ergo argumen-

tatio

tatio sic: *Praeceptum servandi festa obligat sub mortali: ergo aliquod praeceptum Ecclesiæ obligat sub mortali.* Ubi clarè cernitur, quod ex contradictorio propositionis damnatæ infertur evidenter contradictorium sui antecedentis; atque adeò ex falsitate consequentis infertur evidenter falsitas antecedentis. Cum ergo ex damnatione illa propositio 52. maneat certo falsa; inde etiam patet, quod antecedens unde infertur, maneat etiam certo falsum.

267. Deinde quod etiam illa propositio maneat antiquata, ex dictis patet. Illa enim dicitur antiquata, quæ cum antea videretur probabilis, jam est incompossibilis cum novo decreto Romanæ Cathedræ: sed propositio, quæ est antecedens evidenter inferens propositionem damnatam in hoc decreto, ante illud videbatur aliquibus probabilis, & jam est incompossibilis cum hoc decreto: ergo manet antiquata.

268. Quod sit incompossibilis cum hoc decreto, patet: Nam undè constat consequens esse falsum, indè constat antecedens esse falsum; cum ex falsitate consequentis inferatur evidenter falsitas antecedentis: sed ex decreto constat, propositionem damnatam esse falsam; ut constat ex dictis: ergo ex eodem constat antecedens, undè illa evidenter infertur, etiam esse falsum. Sed quod ex decreto constat esse falsum, est incompossibile cum decreto: ergo id antecedens, unde evidenter infertur propositio damnata, est incompossibile cum decreto.

269. Hinc colliges, propositionem, quæ est antecedens, unde merè probabiliter infertur propositio damnata, non propterea debere reprobari; neque censeri antiquatam, aut incompossibilem cum decreto. Nam ut reprobetur propositio ex hoc decreto, debet certo constare, quod repugnat decreto: si enim probabile est, quod non repugnat decreto, prudenter creditur, non repugnare. Quare perperam procedunt quidam Recentiores, qui volunt esse contentam in damnatione doctrinam, cujus continentiam ex sua opinione, etiam merè phylosophica solum probabiliter imo & minus probabiliter inferunt. De quo vide ad *proposit. 21. cap. 8.*

270. Dico secundo. Propositio quæ infertur ex propositione damnata, non propterea manet damnata, aut antiquata, aut aliter digna reprobatione. Patet conclusio. Nam in legitima argumentatione ex falso potest inferri verum, ut constat in hoc syllogismo. *Omnis lapis est homo, Petrus est lapis: ergo Petrus est homo.* Ubi ex præmissis falsis infertur legitimè consequens verum. Et in præsenti materia etiam constat ex hac argumentatione. *Praeceptum servandi festa non obligat sub mortali: ergo qui facit opus servile in die festo per spatium dimidii quadrantis horæ, non peccat mortaliter.* Quod consequens verum est propter parvitatem materiæ; cum tamen inferatur ex illo antecedenti falso, & damnato.

271. Dico tertio. Propositio, quę infertur ex contradictoria propositionis damnatæ non potest non esse vera. Patet assertio. Nam in legitima argumentatione *ex vero non nisi verum.* Cum ergo quælibet propositio damnata ex dictis falsa sit, atque adeo ejus contradictoria vera; quidquid in legitima argumentatione infertur ex tali contradictoria necesse est necessitate consequentiæ, quod sit verum.

CAPUT XV.

Qualiter peccent violantes hoc decretum?

SUMMARIUM.

Quatuor quæstiones proponuntur circa diversos modos violandi hoc decretum. n. 272.

Qui in re gravi non conformatur decreto, peccat lethaliter. n. 273.

Quomodo peccet qui in re levi non conformatur decreto. n. 274.

Qua-

Quale peccatum sit defendere propositionem damnatam; & sub qua pœna? n. 276.
Quale peccatum sit suadere aliis, ne admittant hoc decretum. n. 277.
In Hispania est gravis obligatio denunciandi defendentes propositionem damnatam. n. 278.

272. De variis modis resistendi huic decreto potest esse quæstio. Primo, cum quis non conformatur decreto in sua operatione, v.g. cum Iudex iudicat secundum opinionem, quam censet minus probabilem, ad normam secundæ propositionis damnatæ. Secundo, cum quis defendit, aut asserit opinionem damnatam. Tertio, cum quis suadet aliis, ne admittant hoc decretum, aut impedit populi acceptationem. Quarto, cum quis certo scit, aliquem defendere propositiones damnatas, & non denuntiat legitimo judici. Quæ quidem quæstiones ex dictis facile expediuntur.

273. Ad primam quæstionem dico primo, eum qui in sua operatione non conformatur decreto in materia gravi, peccare mortaliter. Patet ex illis verbis decreti: *In virtute sanctæ obedientiæ, & sub interminatione Divini judicii prohibet omnibus Christi fidelibus: ne prædictas opiniones, aut aliquam ipsarum ad praxim deducat.* Quæ verba obligationem gravem evidenter significant.

274. Dico secundo, si materia operationis sit levis, ille qui operatur objectum propositionis damnatæ, peccat venialiter, dum modo mente non dissentiat à doctrina decreti, si vero operetur in materia levi credens, esse veram opinionem damnatam, aut errare Pontificem, peccat lethaliter. Prima pars constat: nam qui violat præceptum in materia levi, peccat venialiter. Sic qui exercet opus conjugii ob solam voluptatem peccat venialiter, juxta damnationem propositionis 9. Ita etiam famulus qui pro compensatione suæ operæ furatur à Domino unum assem, peccat venialiter, licet violet damnationem propositionis 37. quia violat in re levissima.

275. Secunda pars etiam constat: quia quamvis quod famulus furetur à domino unum assem pro compensatione suæ operæ, sit materia levis, ast dissentire à doctrina Romanæ Cathedræ, etiam in minimis, est res gravis, talis enim dissensus mentis est scandalosus, & si fit censendo Romanam Cathedram errare, est erroneus.

276. Ad secundam quæstionem constat, illum peccare lethaliter & incurrere excommunicationem latæ sententiæ reservatam Pontifici, ut patet ex verbis decreti: *Quicumque autem cujusvis conditionis, status, & dignitatis illas, vel illarum aliquam conjunctim vel divisim defenderit, vel ediderit, vel de eis disputative publice, aut privatim tractaverit, vel prædicaverit, nisi forsan impugnando, ipso facto incidat in excommunicationem latæ sententiæ, à qua non possit (præterquam in articulo mortis) ab alio quacumque etiam dignitate fulgente, nisi pro tempore existente Romano Pontifice, absolvi.* In quo non potest reperiri parvitas materiæ: semper enim, est materia gravis resistere doctrinæ Romanæ Cathedræ. Quando autem hæc defensio propositionis damnatæ sit scandalosa, & quando erronea, constat ex dictis *cap. 8.*

277. Ad tertiam respondeo, peccare graviter eos, qui aliis verbo suadent, ne admittant hoc decretum, sicut peccant, qui suadent alteri quodlibet aliud peccatum. Et deinde incurrunt eam excommunicationem latæ sententiæ reservatam, ut constat ex illis verbis proximè relatis: *Publicè aut privatim tractaverit.* Ideo peccant gravissimè, & incurrunt hanc excommunicationem Magistratus, qui jubent, ne populus admittat hoc decretum: ea enim jussio est manifesta assertio,

& defensio propositionum damnatarum.

278. Ad quartam dico, in Regnis Hispaniarum peccare mortaliter, qui certo scientes, aliquem docere, defendere, aut prædicare propositionem aliquam ex damnatis, non denunciant Inquisitoribus Fidei. Hæc conclusio patet ex edicto Inquisitionis generalis, quod promulgavit die 24. Julij anni 1679. ubi postquam proposuit de verbo ad verbum decretum hoc *Sanctissimi D. Innocentij XI.* & præcepit observari exactè omnia, quæ in eo continentur, subjunguntur hæc verba, quæ fideliter in latinum sermonem transfero. *Et vobis injungimus, & præcipimus, ut qualiter cumque intelligatis, violari quoquo modo præfatum decretum, denuncietis, & declaratis coram nobis, aut coram quocumque Inquisitore horum Regnorum, ad quos privative spectat, & pertinet cognitio hujus causæ; vel ante quemcumque Commissarium Sancti Officij Inquisitionis, intra decem dies, qui numerari incipient à die publicationis hujus edicti. Quæ ita facite, & observate sub pœna excommunicationis majoris latæ sententiæ trina canonica monitione præmissa: & sub mulcta, &c.*

279. In alienis autem Regnis, ubi neque Episcopi, neque Inquisitores promulgarunt edictum denunciandi; an denunciare teneantur, qui certo sciverint, aliquem contravenire huic decreto; ex regulis generalibus, quas tradunt doctores de obligatione denunciandi ea, quæ spectant ad sanam Ecclesiæ doctrinam, hæc quæstio decidenda est.

DISERTATIO II.

An semper teneamur sequi in praxi opinionem tutiorem circa valorem cujuslibet Sacramenti?

CAPUT I.

Refertur opinio damnata, & præmittuntur aliqua.

SUMMARIUM.

In Baptismo, & Ordine semper eligenda est opinio tutior circa valorem. n. 2.

Non potest eligi ad praxim opinio minus tuta circa valorem, quando id vetat lex, conventio, aut periculum gravis damni. n. 3.

Non subiacet damnationi opinio minus tuta, quæ non versatur circa valorem. n. 4.

In urgente necessitate eligitur opinio minus tuta circa valorem, quando tutior non potest ad praxim deduci. n. 5. *Et hoc colligitur ex ipsa damnatione.* n. 6. *ubi supra quem terminum cadat particula* tantum.

1. Prima opinio damnata in Decreto *Innocentij XI.* hæc est: *Non est illicitum in Sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiore, nisi id vetet lex, conventio, aut periculum gravis damni incurrendi. Hinc sententia probabili tantum utendum non est in collatione Baptismi, Ordinis Sacerdotalis, aut Episcopalis*

2. Circa cujus propositionis materiam tria supponenda sunt tamquam certa. Primum est, id quod ipsa propositio supponit, scilicet in Baptismo, & Ordine, semper eligendam esse opinionem tutiorem circa valorem Sacramenti: quia si in Baptismo, vel Ordine eligatur opinio minus tuta, magna incommoda sequentur in perniciem salutis animarum. In Baptismo quidem periculum damnationis æternæ in Baptizato In Ordine autem Sacerdotali sequitur periculum nullitatis consecrationis, & absolutionis Sacramentalis si eam exerceat sic ordinatus. In Ordine autem Episcopali sequitur periculum nullitatis Ordinum, quos confert, & indè innumera alia absurda, quæ ex ea nullitate sequi, quilibet conjicere potest.

3, Se-

3. Secundum est, esse certum id alterum, quod supponitur in ipsa propositione damnata, nempe non posse ad praxim eligi opinionem minus tutam circa valorem Sacramenti, *quando id vetat lex, conventio, aut periculum gravis damni incurrendi.* Et quidem in Principe Ecclesiastico est potestas ferendi legem, quæ prohibeat usum talis opinionis minus tutæ. Item si inter confessarium, & pœnitentem detur conventio, qua se obliget confessarius ad non utendum opinione minus tuta circa absolutionem ejus pœnitentiis conventio ista erit novus titulus pro obligatione eligendi opinionem tutiorem. Deinde si ex electione minus tutæ opinionis impendeat periculum gravis damni, certum etiam est, eam eligi non posse: semper enim gravi obligatione tenemur vitandi periculum gravis damni, sive proprium, sive proximi.

4. Tertium est etiam certum, non contineri sub ea damnatione electionem opinionis minus tutæ, quæ non versatur circa valorem Sacramenti, sed solum circa modum administrandi illud. v. g. Si quis laicus conferret Baptismum in necessitate, & opinio, quæ asserit, illum licitè posse baptizare, quamvis sit in statu peccati mortalis, esset minus probabilis, & minus tuta; adhuc non esset contra præfatam damnationem deducere ad praxim eam opinionem.

5. Deindè certum est in casu urgentis necessitatis eligi posse ad praxim opinionem minus tutam, quando opinio tutior non possit ad praxim deduci: v.g. si infans est moribundus, & non inveniatur aqua naturalis, & præsto sit lixivium, debet baptizari infans in lixivio sub conditione, ut si fortè sit materia Sacramenti, possit consequi vitam æternam, non obstante periculo frustrationis Sacramenti. Rationem reddunt aliqui, quia salus æterna proximi præferenda est reverentiæ Sacramenti, quod ad salutem animarum institutum est. Sed melius dicemus, in eo casu necessitatis nullam fieri irreverentiam Sacramento, quia ipsa necessitas omninò aufert irreverentiam. Sic loqui Sacerdotem in Ecclesia intra Divina Officia irreverentia est; si tamen necessitas urgeat, ut postulet aliquid necessarium ad Sacrificium, omninò cessat irreverentia.

6. Et hæc assertio de opinione minus tuta eligenda in casu urgentis necessitatis colligitur etiam ex ipsa damnatione propositionis, illis verbis: *relicta tutiore*, quia in eo casu urgentis necessitatis, cum impossibile sit eligi tutiorem, quæ est de Baptismo cum aqua naturali, non relinquitur tutior; non enim dicimur relinquere, nisi quæ poteramus adhibere.

Rogabis, an in illis verbis: *Hinc sententia probabili tantum utendum non est, &c.* illa particula exclusiva *tantum* cadat supra eum terminum *probabili*, an supra eam orationem *utendum non est, &c.* Et respondeo magis propriè cadere supra illam orationem, *utendum non est in collatione Baptismi.* &c. Nam cum ea propositio damnata admittat tamquam licitum in reliquis Sacramentis usum opinionis probabilis circa valorem relicta tutiori; hæc duo Sacramenta Baptismi, & Ordinis, excludit, propter periculum gravis damni, quod ex his ita administratis resistere potest.

Sed si quis intelligat, ita ut particula *tantum* cadat supra terminum *probabili*, non multum contendam, nam attento contextu eumdem sensum habet, quamvis non ita perspicuum.

CAPUT II.

Quomodo intelligatur opinio tutior circa valorem, cum tutior sit opinio practica; & quæ est circa valorem, sit speculativa.

SUMMARIUM.

7. Opinio minus tuta dicitur illa, quæ exponit Sacramentum frustrationi, probabiliter asserens, illud Sacramentum esse validum. Opinio vero tutior est illa, quæ non exponit Sacramentum frustrationi, dum probabiliter asserit, Sacramentum non esse validum, v.g. in ea quæstione, (An valeat Baptismus collatus in lixivio?) ea opinio, quæ asserit probabiliter, illum valere, dicitur opinio minus tuta, quia cum non sit certum, illum valere, exponit Baptismum frustrationi. Opinio vero, quæ dicit, cum Baptismum non valere, dicitur opinio tutior, quia indè sequitur, quod non debeat ita fieri Baptismus extra casum necessitatis. Qua ratione non frustrabitur Sacramentum, atque adeo tutius erit, quod non ita ministretur Baptismus.

8. Sed contra hunc dicendi modum occurrit difficultas, quam dissolvere, & explicare operæ pretium est. Et sic formatur argumentum. Opinio tutior non versatur circa valorem Sacramenti: quomodo ergo dicitur in decreto quod administratione Sacramentorum debeamus sequi opinionem tutiorem circa valorem Sacramenti? Antecedens probatur. Nam opinio tutior, quæ removet à periculo frustrationis Sacramentum, est opinio practica, quia nullum potest esse periculum, nisi in praxi. Atqui opinio, quæ versatur circa valorem Sacramenti est opinio purè speculativa, quia non dicit quid faciendum sit, solum qualis sit ille Baptismus, scilicet validus, aut invalidus ergo.

9. Respondeo, proprie loquendo, & cum omnimoda formalitate verum esse, quod contendit objectio. Sed in communi modo loquendi non utimur eo rigore formalitatis. Pro cujus explicatione notandum est, hanc propositionem practicam: *Non licet baptizare in lixivio*, pendere ab altera propositione speculativa, quæ dicit: *Non est validus Baptismus in lixivio.* Et propter hanc dependentiam illius ab ista, ideo propositio speculativa, dicitur tutior, quia licet non respiciat formaliter praxim, tamen à veritate illius dependet praxis. Simile exemplum reperies in ea quæstione, (An liceat usus artis pictoriæ in die festo;) quæ cum sit quæstio practica, cjus resolutio dependet à resolutione hujus quæstionis speculativæ, (An usus artis pictoriæ sit opus servile, an liberale?) Si enim servile est, non licet illam exercere in die festo: si vero liberale est, licet: quia solum prohibentur in die festo opera servilia, non autem liberalia (non enim loquimur in præsenti de forensibus actionibus; nec de emptionibus, aut nundinis) Et in hoc sensu opinio, quæ dicit, esse opus servile, dicitur tutior, quamvis non sit opinio practica, quatenus ab illius veritate dependet opinio practica. Et in hoc sensu intelligitur id, quod dicitur in Decreto, quod semper, deducenda sit ad praxim opinio tutior circa valorem Sacramenti.

10. Ideo non contradicunt decreto ea, *quæ dixi in 3. part. Crif. Theolog. disp. 56. cap. 17. art. 3. n. 918. & seqq.* ut etiam ibidem notavi, scilicet formalissime loquendo posse uti nos qualibet opinione practicè probabili in admi-

administratione Sacramentorum, in eo sensu, quod nulla est opinio practicè probabilis, si exponit Sacramentum frustrationi. Quia improbabile est, quod extra casum necessitatis, licitum sit exponere Sacramentum frustrationi.

11. Quod si objicias, hanc opinionem (validus est Baptismus in lixivio) esse probabilem, & tamen exponere Sacramentum frustrationi; malè ergo diximus, esse improbabilem omnem opinionem, quæ exponat Sacramentum frustrationi?

12. Respondeo, eam propositionem, licet probabilis sit, tamen formaliter non esse practicè probabilem: nam ut diximus, ea non est practica, sed speculativa. Nos autem solum diximus, nullam esse opinionem practicè probabilem, quæ exponat Sacramentum frustrationi.

13. Denique observandum est, non esse idem, quod opinio tutior, & quod si probabilior: sæpe enim opinio probabilior præscribit valorem Sacramenti; cum tutior sit illa opinio probabilis, quæ negat valorem Sacramenti. Quarè ex tenore decreti tenemur omittere opinionem probabiliorem circa valorem Sacramenti, quando minus probabilis est tutior.

CAPUT III.

An sub ea damnatione contineatur opinio asserens, non esse peccatum mortale contra reverentiam Sacramenti, uti opinione minus tuta circa valorem ejus?

SUMMARIUM.

Scopus hujus damnationis est contra eam opinionem, quæ exponit Sacramentum frustrationi. n. 14.

Ex duplici titulo charitatis, & Religionis potest intelligi, quod excludatur opinio minus tuta. n. 15.

Prima sententia, quæ asserit peccare mortaliter contra Religionem, qui utitur opinione minus tuta circa valorem. n. 16.

Secunda sententia affirmans, id non esse peccatum contra Religionem. n. 17.

Peccant graviter conferentes, & recipientes Sacramenta, ita ut frustretur fructus eorum. n. 18.

Opinio asserens, non peccari contra Religionem, si admittat, quod licet frustrari Sacramentum, subjicitur damnationi. n. 20.

Opinio affirmans, numquam esse licitum frustrare Sacramentum suo fructu, licet admittat non peccari contra Religionem, non subjicitur damnationi. n. 21.

Decretum non determinat, an ex titulo charitatis, an Religionis illicitum sit uti opinione minus tuta. n. 22.

Mea sententia ex utroque titulo esse illicitum uti opinione minus tuta. n. 23.

Objectio proponitur. n. 24.

Sacerdos absolvens cum cognitione probabili de dispositione pœnitentis, utitur opinione probabili circa valorem, sed non relicta tutiori. n. 25.

14. Tamquam certum supponendum est, sub hac damnatione contineri eam opinionem, quæ exponit frustrationi Sacramentum, quodcumque illud sit, extra casum necessitatis. Iste enim est præcipuus scopus hujus damnationis. Nam cum decernitur, non posse nos uti opinione minus tuta circa valorem Sacramenti, ideo decernitur: quia dum utimur opinione minus tuta circa valorem, exponimus Sacramentum frustrationi. Nam si ea opinio minus tuta coram Deo non est vera, non erit validum Sacramentum.

15. Difficultas ergo est, an qui dicunt, non fieri

fieri irreverentiam Sacramento per hoc, quod quis utatur opinione minus tuta circa valorem, dummodo vere sit probabilis, subjaceant huic damnationi. Pro cujus claritate supponendum est, prohibitionem exponendi Sacramentum frustrationi, posse considerari, quod oriatur ex duplici titulo, vel quia præceptum charitatis obliget ad non defraudandum fideles fructu Sacramenti, vel quia præceptum Religionis obligat ad non frustrandum, neque exponendum Sacramentum frustrationi; nempe propter reverentiam debitam Sacramento.

16. Non pauci sunt Doctores, qui asserunt peccare mortaliter ministrum contra reverentiam debitam Sacramento, quoties utitur opinione minus tuta circa valorem Sacramenti. Ita *P. Suarez tom. 3. in 3. part. disput. 16. sect. 2. & disput. 21. sect. 4. & aliis in locis. P. Valencia 3. part. disputat. 6. quæst. 2. punct. 1. P. Henriquez lib. 1. de Sacrament. cap. 9. num. 15. Petrus Soto lib. de Institut. Sacerdotis lect. 2. de Eucharist.* & plures alii.

17. Secunda sententia affirmat, nullam fieri irreverentiam Sacramento per hoc, quod minister Sacramenti utatur opinione minus tuta circa valorem; quia censet non esse obligationem exhibendi Sacramentis reverentiam plusquam probabilem; & sufficere quod minister sibi persuadeat probabiliter, nullam fieri irreverentiam Sacramento. Ita *Salon 2. 2. quæst. 63. art. 4. controvers. 2. ad 3. Sayrus in clavi Regia lib. 1. cap. 7. num. 4. Basilius Ponze lib. 4 de Matrim. cap. 25. num. 9. Antonius perez in Laurea. Salmantina certam 10. cap. 12. P. Thomas Sanchez lib. 1. in Decalogum capit. 9 num. 33. P. Vasquez 1. 2. disp. 2. punct. 5. n. 5.* & quam plures alii, & ego ipse qui *in Crisi Theolog. part. 1. tract. 1. disp. 15. cap. 4. artic. 11. num. 341.* docueram esse peccatum letale exponere Sacramentum frustrationi, sequendo opinionem probabilem minus tutam circa valorem propter præceptum charitatis obligans ad non defraudandum fideles fructu Sacramenti; postea ibid. *num. 343.* docui, utentem opinione minus tuta circa valorem non peccare mortaliter contra reverentiam Sacramenti, sed solum contra charitatem.

18. Et quidem non licere exponere Sacramentum frustrationi, ne fideles defraudentur fructu Sacramenti ex eo etiam constat, quod Sacramenta instituta sunt ad hoc, ut fideles fructum eorum percipiant: & ita de jure divino est, ut conficiantur Sacramenta eo modo, quod non amittatur fructus, ad quem instituta sunt Sacramenta.

19. In hac ergo difficultate, circa quam inquiritur, an subjiciatur huic damnationi opinio asserens, non esse contra reverentiam Sacramenti usum opinionis minus tutæ circa valorem, *Raymundus Lumbier tom. 3. Sum in explicatione bujus 1. propositionis, §. 1. n. 1681.* affirmat eam opinionem incurrere eam damnationem. Et videtur eodem modo intelligi damnationem 1. propositionis ab *Emmanuele de Filguera* in Lucerna decretali in expositione hujus 1. propositionis.

20. Prima conclusio. Opinio asserens, non peccari contra reverentiam Sacramenti, si quis utatur opinione minus tuta circa valorem extra casum necessitatis, si simul admittat, quod re ipsa possit frustrari Sacramentum; talis opinio subjacet huic damnationi. Id constat clarè ex ipso tenore propositionis damnatæ. Nam expresse damnatur propositio, quæ exponit Sacramentum frustrationi: atqui opinio relata exponit Sacramentū frustrationi, quia cū ea opinio minus tuta possit esse falsa coram Deo, eadem contingentia poterit frustrari Sacramentum: ergo subjacet huic damnationi.

21. Se-

21. Secunda conclusio. Opinio, quæ affirmat, nunquam esse licitum exponere Sacramentum frustrationi, ne fideles defraudentur fructu Sacramenti, simul admittens non peccare contra reverentiam Sacramenti eum, qui utitur opinione minus tuta circa valorem, non incurret hanc damnationem. Probatur. Propositio, quæ incurrit hanc damnationem est illa, quæ exponit Sacramentum frustrationi: sed hæc propositio proximè relata non exponit Sacramentum frustrationi: ergo non incurrit hanc damnationem. Minor patet; quia expresse propugnat, esse peccatum mortale exponere Sacramentum frustrationi.

22. Confirmatur. Nam quamvis hoc decretum condemnet opinionem quæ asserit, esse licitum sequi opinionem minus tutam circa valorem; nullum tamen verbum est in decreto, aut in ipsa propositione damnata, quo exprimatur esse illicitum contra reverentiam Sacramenti potius, quam propter tuendum fructum Sacramenti: ergo solum decernitur id, quod attinet ad non exponendum Sacramentum frustrationi: ergo dum Sacramentũ servatur indemne à frustratione, non damnatur propositio. Sed opinio proximè relata servat Sacramentum indemne à frustratione: ergo non subjacet damnationi.

23. Quod si inquiras, quænam tandem sit mea sententia circa eam quæstionem, (An fiat irreverentia Sacramento per usum opinionis minus tutæ circa valorem?) respondeo, quamvis loco citato docuerim non peccare contra reverentiam Sacramenti, sed solum contra charitatem, & contra institutionem Christi de non impediendo fructu Sacramenti; quatenus defraudantur Fideles fructu Sacramẽti re melius perpensa, modo assero, esse peccatũ mortale, non solũ ex hoc titulo, sed etiam ex eo, quod sit contra reverentiam Sacramenti. Ratio, quæ me movet, est: nam conficere Sacramentum irritum, est peccatum mortale contra reverentiam Sacramento debitam: ergo exponere se periculo conficiendi Sacramentum irritum, est etiam peccatum mortale contra eamdem reverentiam. Patet consequentia: *Quia in moralibus perinde est aliquid facere, & exponere se periculo faciendi.* Ut loquitur *P. Suarez in ea disp. 16. sect. 2.* Confirmatur. Nam cum dicis solum peccare Ministrum in eo casu, quia exponit actionem, ut Fideles maneant defraudati fructu Sacramenti; in hoc ipso involvitur irreverentia contra Religionem Sacramenti. Ideo enim peccat exponendo defraudationi fructus, quia Sacramentum institutum est ad hoc, ut Fideles percipiant fructum ejus: ergo peccat contra ipsam institutionem Sacramenti, & non solum contra utilitatem Fidelium: ergo dum defraudat Fideles fructu Sacramenti, non solum peccat contra charitatem, sed etiam contra Religionem Sacramento debitam. Et cum hoc stat, quod illa opinio in terminis secundæ conclusionis non incurrat hanc damnationem.

24. Objicies Aliquando contingit, quod quis absque peccato utatur opinione probabili circa valorem, perquam exponatur Sacramentum frustrationi, etiam extra casum necessitatis: ergo non peccat qui exponit Sacramentũ frustrationi. Probatur antecedens. Nam Sacerdos absolvit pœnitentem, habens cognitionem dumtaxat probabilem de recta pœnitentis dispositione, sive de vera contritione, aut attritione illius, quæ quidem cognitio probabilis versatur circa valorem Sacramenti, cum sit de materia essentiali Sacramenti, nempè contritione; & cum ea cognitio sit merè probabilis, exponitur Sacramentum frustrationi; si enim ea

cognitio falsa fit, quia re vera pœnitens non habet dolorem requisitum ad valorem, Sacramentum frustrabitur. Ecce ergo quomodo absque peccato, utimur opinione probabili circa valorem, per quam Sacramentum exponitur frustrationi. Et hæc objectio militat etiam contra hoc decretum.

25. Sed respondetur, eam nihil obstare huic Decreto. Nam juxta illud non possumus eligere in praxi opinionem probabilem circa valorem Sacramenti, relicta tutiori; non potest autem dici, quod relinquitur tutior, quando impossibile est ponere tutiorem. Quod in casu hujus objectionis evenit. Est enim impossibile, ut in plurimum quod Confessarius habeat cognitionem plusquam probabilem de legitima dispositione pœnitentis, cum ea cognitio nitatur dicto pœnitentis, aut aliis signis exterius fallibilibus; & ideo operatur juxta cognitionem facti probabilem, sed non relinquit tutiorem, quia sæpe impossibile est ponere tutiorem: quia si deberet ponere tutiorem taliter, quod Sacramentum non maneret expositum frustrationi, ferè nunquam posset absolvere pœnitentem, nisi in mortis articulo, cum ferè numquam possit esse certo securus de legitima pœnitentis dispositione.

26. In forma ergo respondeo, distinguendo antecedens: absque peccato utitur cognitione probabili, perquam exponitur Sacramentum frustrationi, (relicta tutiori,) nego, (non relicta tutiori,) concedo. Et ad probationem patet ex dictis, quomodo Confessarius utitur cognitione probabili circa valorem, non relicta tutiori.

CAPUT IV.

An subjaceat huic damnationi, qui utitur opinione probabili, relicta tutiori, non solum in administratione, sed etiam in receptione Sacramenti?

SUMMARIUM.

27. QUæstio in titulo proposita inquirit, an hæc damnatio comprehendat non solum opionem, quæ loquitur de ministro Sacramenti, sed etiam eam, quæ loquitur de recipiente Sacramentum. *Mag. Hozes* in explicatione hujus primæ propositionis *num. 9. & n. 23.* affirmat, hac damnatione non comprehendi usum opinionis probabilis, relicta tutiori, in receptione Sacramenti, sed solum in administratione: quia propositio damnata solum loquitur expresse de administratione, & non

de

de receptione. Imo affirmat, aliquando esse licitum recipienti, uti ejusmodi opinione probabili, quamvis exponat Sacramentum frustrationi. Et apponit exemplum in eo, qui accedit ad Sacramentum Pœnitentiæ cum sola attritione cognita; item in eo qui contentus est se fecisse confessionem informem.

28. Dico primo. Peccat læthaliter, qui in receptione Sacramenti utitur opinione probabili, relicta tutiori. Ita *P. Suarez tom. 4 in 3 p. disp. 27. sect. 6.* ubi pariter loquitur de ministro, & de recipiente, quem multi alii sequuntur, & ratio est. Nam Sacramenta instituta sunt ad hoc, ut fideles fructum eorum percipiant: ergò contra institutionem Sacramenti est, quod fideles impediant fructũ Sacramenti, sive administrantes, sive recipientes.

29. Confirmatur. Nam quod Sacramentum, & fructus ejus exponatur frustrationi; est omninò illicitum; nam ob eam rationem id non licet Ministro: ergò quicumque exponit Sacramentum frustrationi, sive administrando, sive recipiendo, peccat graviter.

30. Exempla quæ objiciuntur, nihil probant. Non primum. Nam ut ostendam *cap. 6. art. 2 quæst. 1.* attritionem sufficere ad valorem Sacramenti pœnitentiæ, non est dumtaxat probabile, sed omninò certum. Opinio autem de attritione cognita non versatur circa valorem Sacramenti.

31. Non secundum. Nam ut ostendam *cap. 6. art. 1.* opinio de confessione valida informi non versatur circa valorem Sacramenti.

32 Sed instat *Mag. Hozes num.* 20. Nam minus stricta est obligatio recipientis, quam Ministri, in ordine ad consulendum valori Sacramenti; ergo quamvis Minister peccet, non propterea peccabit recipiens. Antecedens probatur. Quia Sacramenta instituta sunt in favorem Fidelium: ergo Fideles possunt renunciare favorem suum.

33. Confirmatur. Nam P. *Thom. Sanchez lib. 1. Sum. cap. 9. n. 14.* ait: *Nullatenus in charitatem aget* (Minister) *nec peccabit, si pœnitentem cum sola attritione per ipsummet cognita absolvat, sequendo opinionem probabilem... quia dolor est requisitus non ex parte Ministri, sed ex parte pœnitentis: quare si ipse vult accedere cum sola attritione cognita, etiamsi attritus accedere valeat, non fit contra charitatem ei debitam, si ei hoc pacto disposito conferatur absolutio.* Ergò recipiens potest renunciare favorem suum, & Sacerdos non peccabit absolvendo illum sic renunciantem.

34. Respondeo, omisso antecedenti, negando consequentiam: quia etiam obligatio hominis sæcularis est minor, quam Religiosi, ad observationem Castitatis, & non propterea infertur, quod sæcularis non peccat violando castitatem, sed quod minus peccat.

35. Circa probationem antecedentis dico, Fideles non posse renunciare favorem, qui eis provenit ex Sacramentis: hic enim favor non est, sicut favores temporales humani, qui fiunt volentibus acceptare. Qui enim recipit Eucharistiam, non potest renunciare augmento gratiæ, quod confert Sacramentum ex opere operato. Quin potius cum instituerit Christus Sacramenta ad communicandum Fidelibus fructum suæ passionis; eo ipso quod Fideles velint suscipere Sacramentum, peccant graviter contra institutionem Sacramenti, si non adhibeant omnia requisita ad participandum fructum Sacramenti.

36. Ad confirmationem respondeo, veram esse doctrinam *P. Thomæ Sanchez*, observatis duobus. Primo, opinionem de attritione cognita non versari circa valorem Sacra-

cramenti, ut supra dixi Secundò non peccare contra charitatem Ministrum, qui absolvit pœnitentem, qui vult uti opinione probabili, minus tuta, aut minus probabili, quæ non versatur circa valorem: quia dum pœnitens est sufficienter dispositus ad percipiendum fructum Sacramenti, licet minus perfectè, non potest Confessarius negare absolutionem. Vide quæ dixi de hoc puncto *in 1. part. Cris. Theolog. disp. 11. cap. 13. & in 2. p in Additionibus num. 14 & 41. & 3. part. disp. 56. num. 1145.* Ex hoc autem non infertur, quod pœnitens possit renunciare favorem Sacramenti; nam modo dicto non amittit fructum Sacramenti.

37. Dico secundò. Propositio, quæ docet, non peccare eum, qui in receptione Sacramenti utitur opinione probabili, relicta tutiori, non damnatur expresè. Ratio est: nam propositio damnata non loquitur expresè de receptione, sed de administratione.

38. Dico tertiò. Præfata propositio damnatur virtualiter, ita quod ex vi damnationis fulminatæ contra primam propositionem, prætacta propositio loquens de receptione manet antiquata, & practicè improbabilis. Probatur. Ea propositio manet virtualiter damnata, quæ est incompossibilis cum damnatione, cujus falsitas quo ad praxim infertur ex illa damnatione: sic se habet ea propositio: ergo manet virtualiter damnata. De majori non potest esse dubium, si penetrentur termini; quia si damnatio infert, illam esse falsam, virtualiter, id est, per modum illationis, reprobat illam. Vide, quæ dixi *disert. 1. fine.*

39. Major probatur. Nam tota ratio damnationis stat in eo, quod dicatur licitum exponere frustrationi Sacramentum: sed hæc frustratio æque convenit recipienti invalidè, ac ministranti invalidè: ergo ex ea damnatione infertur falsitas quoad praxim propositionis id admittentis in recipiente.

40. Confirmatur. Nam antecedens inferens propositionem damnatam, si admittatur esse veram infert propositionem damnatam esse veram, & consequenter damnationem esse injustam: sed propositio, quæ admittit, eam frustrationem Sacramenti in recipiente, infert propositionem damnatam: ergo infert damnationem esse injustam. Probatur minor. Nam ex eo quod recipiens exponere possit Sacramentum frustrationi, infertur, quod possit etiam Minister. Nam si semel admittas, licitam esse frustrationem Sacramenti, non est, cur non liceat Ministro; & ideo non licet Ministro, quia per se est irreligiosa frustratio Sacramenti.

CAPUT V.

Enumerantur opiniones, quæ vi hujus decreti excludendæ sunt à praxi circa Baptismum, Confirmationem, & Eucharistiam.

SUMMARIUM.

Opinio de Baptismo collato in digito: in capillis, &c. non potest licitè deduci ad praxim. n. 42.

Opinio de collato in lixivio, jusculo, &c. nequit licitè ad praxim deduci. n. 43.

Neque aliæ opiniones probabiles circa verba formæ. n. 44.

Neque opinio asserens ad Confirmationem sufficere oleum olivarum, sine Balsamo n. 45.

Neque opiniones asserentes ad materiam Eucharistiæ, sufficere blatham, avenam, amylom, vinum congelatum. n. 46.

Neque opinio, quæ dicit in forma consecrationis calicis validè omitti reliqua præter prima quinque verba. n. 47.

41. NOn est levis difficultas in discernendo, quænam sint istæ opiniones minus tutæ circa valorem Sacramentorum, præcipuè Pœnitentiæ & Matrimonii. Ideò operæ pretium duxi discurrere singu-

singulatim per omnia Sacramenta circa opiniones probabiles hujus generis. Et quamvis non se extendat stylus ad omnes omninò quæstiones, eas saltem taugam, quæ reliquis lucem afferant.

42. Igitur circa Baptismum, & materiam ejus proximam, & remotam, quamvis sit opinio aliquorum, validum esse Baptismum factum in digito, aut in alia parte corporis minima; ex vi hujus decreti erit peccatum mortale ita baptizare extra necessitatem, quia hæc opinio est minus tuta circa valorem. Et ob eamdem rationem quamvis sit opinio multorum, validum esse Baptismum in solis capillis collatum, est graviter illicitum deducere ad praxim hanc opinionem extra casum necessitatis, quia opposita est tutior. Quod idem dicendum est de Baptismo infantis pelle secundina circumdati.

43. Similiter, quia non improbabiliter opinantur aliqui, liquores ex herbis expressos aquam ex sale resolutam, jusculum coctum, & lixivium, &c. non differre specie ab aqua naturali, non desunt, qui opinentur, validum esse Baptismum in his materiis collatum; sed quia opposita opinio est tutior, & versatur circa valorem Sacramenti; erit grave peccatum ministrare Baptismum in his materiis extra necessitatem.

44. Quod attinet ad formam Baptismi, opinio est aliquorum validum esse Baptismum si minister dicat: *Baptizetur Petrus à Deo in nomine Patris, &c.* Alij volunt, validum esse Baptismum, si minister dicat: *Ego te baptizo in nomine Christi.* Alij præter ea sentiunt, valere Baptismum, si Minister dicat: *Ego te baptizo in nomine genitoris, & geniti, & procedentis ab utroque* Dicendum tamen est, graviter peccare ministrum, qui aliquo ex modis relatis proferret formam Baptismi; quia opiniones oppositæ sunt tutiores, & versantur circa valorem.

45. Quod attinet ad Sacramentum Confirmationis, plures, & graves Doctores censent, ad materiam remotam hujus Sacramenti non esse simpliciter necessarium balsamum, sed sufficere oleum olivarum ab Episcopo benedictum. Ita opinantur *Caietanus 3. part. quæst. 72. art. 2. Sotus in 4. dist. 7. quæst. unic. art. 2. Navarrus in Sum. cap. 22. n. 8. P. Valencia tom. 4. disp. 5. quæst. 1. punct. 2.* & alii. Cœterum materiam remotam hujus Sacramenti esse Chrisma necessario compositum ex oleo olivarum, & balsamo ab Episcopo benedictum, docent *P. Suarez. tom. 3. in 3. part. disp. 33. sect. 1. P. Coninck. 3. part. quæst. 72 art. 1. dub. 2. P. Layman. lib. 5. Sum. tract. 3. cap. 2. dub. 1. P. Castro Palao tom. 4. tract. 20 disp. unic punct 2. n. 3.* & alii. Quare cum hæc secunda opinio si tutior, & versetur circa valorem Sacramenti, erit grave peccatum ministrare Sacramentum Confirmationis sine balsamo, nisi forte adsit casus necessitatis, & balsamum non inveniatur.

46. Circa materiam remotam Eucharistiæ aliqui opinantur blatham (Hispane *centeno*) non diferre specie à tritico, atque adeo esse materiam sufficientem ad Eucharistiam. Idem censent alii de Avena. Alii verò censent amylom (Hispane *Almidon*) esse materiam sufficientem. Alii etiam, ijque graves Doctores, vinum congelatum, etiam dum congelatum est, esse materiam sufficientem ad consecrationem calicis. Sed deducere ad praxim eas omnes opiniones, est grave peccatum: quia minus tutæ sunt, & exponunt frustrationi Sacramentum.

47. Præterea res est valde controversa inter Theologos, an forma consecrationis calicis consistat in solis illis verbis: *Hic est Calix Sanguinis mei*, an etiam sint essentialia reliqua omnia. Et sapientissimi Doctores censent, in solis illis prioribus verbis formam

con-

consistere. At *Sanctus Thomas*, & plures alii censent, reliqua omnia verba esse essentialia, sine quibus non erit valida consecratio calicis. Sed quia hæc secunda est tutior, peccabit lethaliter Sacerdos, qui sine reliquis omnibus verbis consecraret. Adverte tamen, doctores, qui asserunt, validam esse consecrationem calicis factam cum solis illis prioribus verbis; simul docere, peccare mortaliter Sacerdotem, qui reliqua verba omittit propter perpetuam consuetudinem, & traditionem Ecclesiæ de obligatione proferendi ea omnia verba in consecratione calicis. *Vidi qua dixi in 2. part. Cris. Theolog disputat. 23. cap. 5. art. 1. num. 62.*

CAPUT V.

Discutitur, quanam opiniones in vi hujus decreti à praxi excludendæ sunt circa Sacramentum Pœnitentiæ.

ARTICULUS I.

Quid de opinione admittente Sacramentum Pœnitentiæ validum, & informe?

SUMMARIUM.

Quid sit Sacramentum validum, & informe? n. 48.

Quinque dubitationes de Sacramento valido informi proponuntur. n. 49.

Sacramentum potest esse validum, & informe defectu attritionis extensivæ. n. 50.

Opinio docens posse deduci ad praxim, sententiam de Sacramento valido informi defectu attritionis extensivæ non subjacet huic damnationi. n. 53.

Opinio docens posse dari confessionem validam informem ex defectu doloris efficacis ob ignorantiam invincibilem, est mihi dubia probabilitatis; sed si probabilis est quoad praxim, non subjacet damnationi n. 54

Opinio de confessione valida informi ex defectu doloris efficacis cum ignorantia mortaliter culpabili est improbabilis. n. 55.

Quod si illa opinio intelligatur tamquam asserens, in illa confessione non peccari contra valorem Sacramenti, subjicitur huic damnationi. n. 56.

Idem dicendum est de confessione valida informi ex defectu integritatis cum ignorantia mortaliter culpabili. n. 57.

Opinio de confessione valida informi ex defectu examinis cum ignorantia invincibili, probabilis est, non subit hanc damnationem. n. 58.

48. QUid sit Sacramentum validum & informe, constat ex dictis *in 3. part. Cris. Theolog. disp. 70. cap. 1. art. 1. n. 1.* nihil aliud esse, nisi Sacramentum constitutum ex omnibus suis partibus essentialibus, & destitutum effectu gratiæ propter defectum dispositionis in recipiente,

49. Et quidem in hac quæstione de Sacramento Pœnitentiæ valido informi multiplex dubitatio continetur. Prima est de Sacramento valido informi defectu attritionis extensivæ, in quo invenitur attritio de uno peccato lethali, & deficit attritio de alio peccato lethali. De quo tamquam probabili dixi in ea *disp. 70. cap. 1. art. 2.* Secunda est de confessione valida informi ex omnimodo defectu doloris efficacis, qui defectus procedat ex ignorantia invincibili. De quo tractavi in ea *disp. 70. cap. 2.* Tertia est de Sacramento valido & informi ex defectu doloris efficacis ob ignorantiam mortaliter culpabilem. De quo egi in ea *disp 70. cap. 3.* Quarta est de confessione valida informi ex defectu integritatis, cum ignorantia mortaliter vincibili: De quo egi *disp. 72.* Quinta est de confessione valida informi ex defectu integritatis cum ignorantia invincibili. De quo tractavi *disp. 73.*

50. Circa primam dubitationem dixi loco citato,

citato, probabile esse dari confessionem validam informem defectu attritionis extensivæ, ita quod si Petrus commisit duo peccata lethalia adulterii, & furti, & vadens ad confessionem, confessus est adulterium, & invincibiliter oblitus est furti, & habet attritionem, non generalem omnium peccatorum, sed specialem de illo adulterio, quod confitetur propter ejus turpitudinem, & habet propositum universale non peccandi lethaliter in posterum; non obtinet fructum Sacramenti, quia illa attritio non extenditur ad peccatum furti, cujus obliviscitur; & ubi peccatum non retractatur, non dimittitur. Ex altera vero parte Sacramentum Pœnitentiæ est validum, quia habet omnes suas partes essentiales, nempe dolorem de peccato, quod confitetur, & propositum universale non peccandi lethaliter, & confessionem omnium, quorum recordatur.

§ 1. Inquiritur ergo, an incurrat damnationem contentam in hoc decreto propositio docens, licitum esse deducere ad praxim præfatam opinionem de Sacramento informi ob defectum attritionis extensivæ? Et ratio dubitandi est: quia opinio docens validum esse Sacramentum, est opinio minus tuta? & illa quidem procedit circa valorem: atqui hoc decreto damnatur opinio docens, esse licitum sequi opinionem minus tutam circa valorem Sacramenti; ergo damnatur opinio docens, quod possumus sequi in praxi eam opinionem.

§ 2. Pro cujus rei claritate suppono, illud Sacramentum Pœnitentiæ informe, de quo loquitur casus iste, numquam fieri advertenter; quia casus iste consistit in eo, quod pœnitens non advertit ad illud peccatum lethale, quin potius obliviscitur illius. Atque adeo opinio, quæ dicit, licitum esse usum ejus opinionis, non dicit illud numero Sacramentum informe posse licitè exerceri. Est enim peccatum mortale conferre, vel recipere advertenter Sacramentum informe. Nunc ergo docet ea opinio practica, quod pro Sacramento Pœnitentiæ subsequenti prodest ferre judicium, quod illud Sacramentum informe validum fuerit, ne cogatur pœnitens iterum confiteri illud peccatum, quod in illo Sacramento informi confessus est.

§ 3. Assero ergo hoc judicium factum de ea confessione informi tamquam valida, non subjacere huic damnationi propter duo. Primum, quia damnatio procedit de opinione adstruente valorem Sacramenti circa conferendum illud numero Sacramentum, de cujus valore datur opinio minus tuta: atqui opinio docens, posse nos in praxi sequi eam opinionem de valore Sacramenti informis, non loquitur de illo numerico Sacramento, quod dicit esse validum, sed de subsequente, in quo aufertur informitas. Secundum, quia illa secunda confessio, in quo homo jam recordatus illius furti obliti confitetur illud cum contritione, sive attritione de illo, nullo modo exponitur frustrationi, neque circa illam secundam confessionem datur opinio minus tuta circa valorem ejus. Nam omnino certum debet esse, illam secundam confessionem fieri valide: quia perinde est tacere peccatum ex oblivione invincibili, ac illud tacere, propter opinionem vere probabilem, quod nulla est obligatio illud confitendi: hæc enim utraque confessio fit bona fide. At quando quis invincibiliter obliviscitur peccati in confessione, si habeat contritionem, quæ extendatur ad illud, consequitur fructum Sacramenti: ergo illa secunda confessio modo explicato facta secundum opinionem practicè probabilem consequitur fructum Sacramenti, atque adeo circa illam non datur usus opinionis minus tutæ quo ad valorem illius. Et ex dictis patet ad rationem dubitandi.

54. Quod attinet ad secundam dubitationem de confessione valida informi ob defectum doloris efficacis ex ignorantia invincibili, dixi loco citato, eius opinionis probabilitatem mihi esse dubiam; atque adeo tamquam in dubio practico tutiorem partem eligendam esse. Sed esto, sit probabilis propter magnorum virorum authoritatem, quos loco citato retuli. De hac opinione idem judicium ferendum est, ac in proximè præcedente. Nam opinio docens, illam doctrinam licite posse reduci ad praxim, non dicit licitum esse facere advertenter confessionem informem cum eo defectu doloris efficacis, sed solum dicit, quod confessio subsequens associata jam dolore efficaci, ita potest fieri, ut nulla sit obligatio iterum confitendi peccata exposita in confessione informi. Ex quo ista secunda confessio non exponitur frustrationi propter proximè dicta.

55. Circa tertiam dubitationem de confessione valida, & informi ex defectu doloris efficacis ob ignorantiam mortaliter culpabilem, dixi loco citato, eam esse improbabilem juxta mentem gravissimorum Theologorum, & ut minimum esse dubiæ probabilitatis, atque adeo de illa esse dubium practicum, in quo tutior pars eligenda est.

56. Assero ergo, si illa esset probabilis: distinguendum esse. Nam quando dicit, posse deduci ad praxim, vel loquitur solum de confessione subsequenti habente jam dolorem efficacem, vel loquitur etiam de prima confessione, asserens in illa non peccari contra valorem Sacramenti. Primo modo non subjacet damnationi propter proximè dicta. Secundo autem modo subjacet damnationi, quia est opinio minus tuta circa valorem ejusdem numero Sacramenti, quod in prima confessione dicit esse validum, & in ea non peccari contra valorem Sacramenti.

57. Circa quartam dubitationem de confessione valida, & informi ex defectu integritatis ob ignorantiam mortaliter culpabilem dixi in ea *disp. 72. cap. 1. num. 5.* eam opinionem, ut minimum, esse dubiæ probabilitatis practicæ atque adeo circa eam esse dubium practicum, in quo tutior pars eligenda est. Assero ergo, si illa esset probabilis; decidendam esse hanc dubitationem sub eadem distinctione, ac proximè præcedentem propter easdem rationes.

58. Circa quintam dubitationem de confessione informi ex defectu examinis tum ignorantia invincibili dixi *disp. 73. cap. 2. num. 4.* esse dubiæ probabilitatis, atque adeo de numero illarum, in quibus omninò tutior pars eligenda est. Sed dato quod illa censeatur vere probabilis, inquiritur, an illa utpote minus tuta circa valorem Sacramenti, subjaceat huic damnationi? Dicendum est, illam non subjacere, quia non affirmat, licitum esse practicè, facere illam confessionem informem, sed solum prodest ad hoc, ut si in confessione subsequenti advertatur defectus, nulla sit obligatio repetendi illa peccata, quæ in priori confessione informi ritè declarata sunt. Et ratio est: quia ex una parte loquitur de licito usu prioris confessionis; ex altera vero non exponet periculo frustrationis illam subsequentem confessionem; propter supradicta.

ARTICULUS II.

Quæ opiniones in vi hujus Decreti excludendæ sunt à praxi circa dolorem requisitum in confessione?

SUMMARIUM.

Sententia affirmans, sufficere attritionem ad valorem, & fructum Sacramenti Pœnitentiæ, non subjacet huic damnationi. Et eam esse certam probatur ex Tridentino. n. 61.

Tri-

59. CUm dolor de peccatis sit pars essentialis Sacramenti Pœnitentiæ, opiniones, quæ circumferuntur circa dolorem requisitum ad hoc Sacramentum, versantur circa valorem Sacramenti; cum Sacramentum sine sua parte essentiali non possit esse validum. Ex quibus opinionibus probabilibus illa, quæ negat valorem Sacramenti, pro praxi tutior est; & quæ affirmat, minus tuta.

QUÆSTIO I.

De attritione sufficiente ad Sacramentum Pœnitentiæ.

60. Inquiritur ergo primo, an sententia docens, attritionem sufficere ad Sacramentum pœnitentiæ, neque requiri contritionem perfectam, subjaceat huic damnationi. Et ratio dubitandi est: quia opposita opinio asserens, ad valorem Sacramenti non sufficere attritionem, sed requiri contritionem perfectam, est opinio tutior circa valorem: sed damnatur hoc decreto opinio docens, non esse eligendum in praxi tutiorem circa valorem Sacramenti: ergo opinio quæ stat pro attritione in praxi admittenda, damnatur hoc decreto.

61. Dicendum tamen est, eam sententiam affirmativam de sufficientia attritionis non subjacere huic damnationi. Ratio est: quia decretum loquitur de opinionibus mere probabilibus; hæc autem doctrina non est mere probabilis, sed omnino certa, & indubitabilis, propter definitionem *Concilii Tridentini sess.* 14. *cap.* 4. in hæc verba: *Quamvis sine Sacramento Pœnitentiæ per se perducere peccatorem ad justificationem nequeat; tamen eum ad Dei gratiam in Sacramento impetrandam disponere* In quibus verbis expresse asserit, aliter disponere attritionem intra Sacramentum, & extra; dixit enim, extra Sacramentum non perducere peccatorem ad justificationem; intra Sacramentum vero disponere peccatorem ad illam.

62. Quod autem loquatur Concilium de dispositione proxima & immediata, patet: constat enim, attritionem extra Sacramentum disponere remotè ad justificationem. Videatur *P. Suarez tom.* 4. *in* 3. *part. disp.* 20. *sect.* 1 *concl.* 1. *num.* 10. ubi sic scribit: (Hanc conclusionem existimo hoc tempore adeo certam, ut non possit absque errore negari.) Et pro eadem conclusione citat. *S. Thomam in* 4. *dist.* 17. *quæst.* 3. *art.* 5 *quæstiunc.* 1. & pluribus aliis in locis. *Item Sotum, Paludanum, Capreolum, Adrianum S. Antoninum, Silvestrum, Ruardum, & Canum*; cum ergo hæc sententia sit omnino certa, non potest dici esse minus tuta circa valorem, atque adeo illa non comprehenditur sub ea damnatione.

63. Dices primo, plures Doctores Lovanienses censent, Concilium Tridentinum in eo loco agere de attritione, quæ includit aliquam dilectionem Dei super omnia: circa quam assertionem magna controversia exorta est tum Lovanii, tum etiam in aliis Galliæ Academiis: de quo videndus est *P. Honoratus Fabri in Apologetico tract. de attritione per totum*; adeo ut *Alexander VII.* decretum expedierit datum die 5. Maji ann. 1667. in quo præcipit, quod nullus audeat afficere censura Theologica, altera ve injuria aut contumelia opinionem affirmativam, aut negativam: ergo Pontifex relinquit in statu probabilitatis doctrinam, quę affirmat sufficere attritionem ad Sacramentum Pœnitentiæ, etiamsi attritio non includat dilectionem Dei super omnia. Quæ autem doctrina est mere probabilis, non est certa. Falso ergo diximus esse certam, & omnino tutam in praxi.

64. Respondeo non obstante ea opinatione Lovaniensium, nostram doctrinam esse certam, & omnino tutam propter supradicta *Quod* autem Pontifex jusserit, neutram quæstionis partem censurari, aut injuria affici, non probat, illam esse probabilem: quia solum contendit Pontifex compescere dissidia, quæ violant charitatem, & pacem, ut constat ex illis verbis Decreti: *Enixe cupiens, pacis vinculum inter fideles servari, omnem scissuræ fomitem extingui.* Idque præcipit, *donec ab hac Sancta Sede fuerit aliquid hac in re definitum.* Ex quo minimè infertur, nostram doctrinam esse incertam, sed solum voluisse Pontifi-

cem

cem consulere paci fidelium ; & relinquere hanc materiam sub judice. Cum hoc tamen stat, quod privati Doctores habeant principia certa ab intrinseco.

65. Dices secundo. In articulo mortis non sufficit attritio, sed requiritur etiam contritio perfecta: sed si attritio esset certò sufficiens ad Sacramentum Pœnitentiæ, etiã sufficeret in articulo mortis: ergo illa non est certò sufficiens. Majorem propugnant aliqui Doctores, *quos refert Diana part. 3. tract. 4. resolut.* 78. quamvis perperam citet pro ea *Suarium*, ut notavi *in 2. part. Crís. Theolog. disp. 49 num. 7.*

66. Respondeo, in articulo mortis pro valore, & efficacia Sacramenti non requiri contritionem perfectam sed sufficere attritionem. Ex alio autem capite requiri contritionem perfectam, & charitate formatam: quia cum homo in eo articulo non sit certus, eam attritionem supernaturalem, qualis requiritur ad Sacramentum, à se esse elicitam; actus vero dilectionis Dei super omnia reddat illum omnino securum pro salute æterna consequenda, ideo ad hanc securitatem requiritur contritio charitate formata; maxime cum non habeat omnimodam evidentiam, aut certitudinem de valore sui Baptismi, neque de valore Ordinis Sacerdotis illum absolventis. Quæ omnia latæ tradidi *in ea disp. 49. citata cap 4. à num* 30.

67. Dices tertio, probabilis est ea saltem opinio, quæ docet, quamvis ad valorem, & fructum Sacramenti sufficiat attritio, illam tamen requiri cognitam ut contritionem, id est, quod homo tenetur conari ad contritionem; quod si nitens habere contritionem solum eliciat attritionem, validum, & fructuosum esse Sacramentum: ergo hæc opinio de attritione cognita ut tali deducenda ad praxim, exponit Sacramentum periculo frustrationis: ergo subit hanc damnationem.

68. Respondeo, eam opinionem esse probabilem propter authoritatem magnorum virorum, qui eam defendunt; illam tamen non versari circa valorem Sacramenti, sed circa licitum. Concedit enim quod accedens bona fide cum attritione recipit Sacramentum validum, & fructuósum. Cum ergo hæc damnatio loquatur solum de opinione minus tuta circa valorem, & hæc non versetur circa illum, non subit talem damnationem.

QVÆSTIO II.

De attritione ex metu pœnarum temporalium.

69. INquiritur secundo. An opinio quæ docet, licitum esse, quod quis in confessione utatur attritione ex timore pœnarum temporalium, quæ à Deo tamquam à delictorum vindice infliguntur; an hæc, inquam, opinio subjaceat huic damnationi?

70. Et quidem plures, & gravissimi sunt Doctores, qui dicunt, eam attritionem modo explicato conceptam, esse sufficientem ad valorem, & effectum Sacramenti. *Ita P. Suarez tom. 4. in 3. part. disp. 7. sect. 2. num.* 15. *P. Lessius 3. part quæst. 1. dub. 5. num.* 18. qui asserit, hoc esse satis probabile. *Item P. Granado, P. Caspar Hurtado, P. Reginaldus, Lugo Card. Mag. Candidus, M. Prado*, & plures alii, quos refert, & sequitur doctissimus *P. Matheus de Moya* diligens indagator mentis Authorum, *tom. 1. selectar. tract. 3. disp. 9. quæst* 4. Quia tamen non desunt authores, qui eum modum attritionis negant esse sufficientem; & opinio affirmativa non nititur fundamento infallibiliter certo, sed solum satis probabili, ut supra notavi ex *P. Lessio*, & ego tamquam probabile obiter docui 3. *part.*

cognitio falsa sit, quia re vera pœnitens non habet dolorem requisitum ad valorem, Sacramentum frustrabitur. Ecce ergo quomodo absque peccato, utimur opinione probabili circa valorem, per quam Sacramentum exponitur frustrationi. Et hæc objectio militat etiam contra hoc decretum.

25. Sed respondetur, eam nihil obstare huic Decreto. Nam juxta illud non possumus eligere in praxi opinionem probabilem circa valorem Sacramenti, relicta tutiori; non potest autem dici, quod relinquitur tutior, quando impossibile est ponere tutiorem. Quod in casu hujus objectionis evenit. Est enim impossibile, ut in plurimum quod Confessarius habeat cognitionem plusquam probabilem de legitima dispositione pœnitentis, cum ea cognitio nitatur dicto pœnitentis, aut aliis signis externis fallibilibus; & ideo operatur juxta cognitionem facti probabilem, sed non relinquit tutiorem, quia sæpe impossibile est ponere tutiorem: quia si deberet ponere tutiorem taliter, quod Sacramentum non maneret expositum frustrationi, ferè nunquam posset absolvere pœnitentem, nisi in mortis articulo, cum ferè numquam possit esse certo securus de legitima pœnitentis dispositione.

26. In forma ergo respondeo, distinguendo antecedens: absque peccato utitur cognitione probabili, perquam exponitur Sacramentum frustrationi, (relicta tutiori,) nego, (non relicta tutiori,) concedo. Et ad probationem patet ex dictis, quomodo Confessarius utitur cognitione probabili circa valorem, non relicta tutiori.

CAPUT IV.

An subjaceat huic damnationi, qui utitur opinione probabili, relicta tutiori, non solum in administratione, sed etiam in receptione Sacramenti?

SUMMARIUM.

Opinio affirmans non subjacere damnationi, imò & aliquando licere. n. 27.

Quomodo peccet, qui in receptione Sacramenti utitur opinione probabili, relicta tutiori n. 28.

Quomodo sit illicitum, quod recipiens Sacramentum, illud exponat frustrationi. n. 29

Quam certum sit, attritionem sufficere ad valorem Sacramenti? remissive. n. 30.

Quomodo opinio de confessione valida informi non versetur circa valorem? remissive n. 31.

Quomodo nihil inferatur ex eo, quod obligatio recipientis minor sit, quam ministri. n. 32. & seq.

Quomodo fideles non possint renunciare favorem, sive fructum Sacramenti? n. 35.

Quomodo opinio de attritione cognita non versetur circa valorem. remissive. n. 36.

Non peccat contra charitatem, qui absolvit eum, qui vult uti opinione minus probabili. qua non versatur circa valorem. remissive. n. 36.

Propositio docens, non peccare eum, qui in receptione utitur probabili, relicta tutiori, non damnatur expresse. n. 37.

Præfata propositio damnatur virtualiter. n. 38.

Quomodo ex præfata propositione certo inferatur propositio damnata n. 39. & seq.

27. QUæstio in titulo proposita inquirit, an hæc damnatio comprehendat non solum opionem, quæ loquitur de ministro Sacramenti, sed etiam eam, quæ loquitur de recipiente Sacramentum. *Mag. Hozes* in explicatione hujus primæ propositionis *num. 9. & n. 23.* affirmat, hac damnatione non comprehendi usum opinionis probabilis, relicta tutiori, in receptione Sacramenti, sed solum in administratione: quia propositio damnata solum loquitur expresse de administratione, & non de

de receptione. Imo affirmat, aliquando esse licitum recipienti, uti ejusmodi opinione probabili, quamvis exponat Sacramentum frustrationi. Et apponit exemplum in eo, qui accedit ad Sacramentum Pœnitentiæ cum sola attritione cognita; item in eo qui contentus est se fecisse confessionem informem.

28. Dico primo. Peccat læthaliter, qui in receptione Sacramenti utitur opinione probabili, relicta tutiori. Ita *P. Suarez tom. 4. in 3 p. disp. 27. sect. 6.* ubi pariter loquitur de ministro, & de recipiente, quem multi alii sequuntur, & ratio est. Nam Sacramenta instituta sunt ad hoc, ut fideles fructum eorum percipiant: ergò contra institutionem Sacramenti est, quod fideles impediant fructū Sacramenti, sive administrantes, sive recipientes.

29. Confirmatur. Nam quod Sacramentum, & fructus ejus exponatur frustrationi; est omninò illicitum; nam ob eam rationem id non licet Ministro: ergò quicumque exponit Sacramentum frustrationi, sive administrando, sive recipiendo, peccat graviter.

30. Exempla quæ objiciuntur, nihil probant. Non primum. Nam ut ostendam *cap. 6. art. 2 quæst. 1.* attritionem sufficere ad valorem Sacramenti pœnitentiæ, non est dumtaxat probabile, sed omninò certum. Opinio autem de attritione cognita non versatur circa valorem Sacramenti.

31. Non secundum. Nam ut ostendam *cap. 6. art. 1.* opinio de confessione valida informi non versatur circa valorem Sacramenti.

32. Sed instat *Mag. Hozes num. 20.* Nam minus stricta est obligatio recipientis, quam Ministri, in ordine ad consulendum valori Sacramenti; ergo quamvis Minister peccet, non propterea peccabit recipiens. Antecedens probatur. Quia Sacramenta instituta sunt in favorem Fidelium: ergo Fideles possunt renunciare favorem suum.

33. Confirmatur. Nam *P. Thom. Sanchez lib. 1. Sum. cap. 9. n. 14.* ait: *Nullatenus in charitatem aget* (Minister) *nec peccabit, si pœnitentem cum sola attritione per ipsummet cognita absolvat, sequendo opinionem probabilem... quia dolor est requisitus non ex parte Ministri, sed ex parte pœnitentis: quare si ipse vult accedere cum sola attritione cognita, etiamsi attritus accedere valeat, non fit contra charitatem ei debitam, si ei hoc pacto disposito conferatur absolutio.* Ergò recipiens potest renunciare favorem suum, & Sacerdos non peccabit absolvendo illum sic renunciantem.

34. Respondeo, omisso antecedenti, negando consequentiam: quia etiam obligatio hominis sæcularis est minor, quam Religiosi, ad observationem Castitatis; & non propterea infertur, quod sæcularis non peccat violando castitatem, sed quod minus peccat.

35. Circa probationem antecedentis dico, Fideles non posse renunciare favorem, qui eis provenit ex Sacramentis: hic enim favor non est, sicut favores temporales humani, qui fiunt volentibus acceptare. Qui enim recipit Eucharistiam, non potest renunciare augmento gratiæ, quod confert Sacramentum ex opere operato. Quin potius cum instituerit Christus Sacramenta ad communicandum Fidelibus fructum suæ passionis; eo ipso quod Fideles velint suscipere Sacramentum, peccant graviter contra institutionem Sacramenti, si non adhibeant omnia requisita ad participandum fructum Sacramenti.

36. Ad confirmationem respondeo, veram esse doctrinam *P. Thomæ Sanchez*, observatis duobus. Primo, opinionem de attritione cognita non versari circa valorem Sa-

cramenti, ut supra dixi Secundò non peccare contra charitatem Ministrum, qui absolvit pœnitentem, qui vult uti opinione probabili, minus tuta, aut minus probabili, quæ non versatur circa valorem: quia dum pœnitens est sufficienter dispositus ad percipiendum fructum Sacramenti, licet minus perfectè, non potest Confessarius negare absolutionem. Vide quæ dixi de hoc puncto *in 1. part. Crif. Theolog. disp. 11. cap. 13. & in 2. p in Additionibus num. 14 & 41. & 3. part. disp. 56. num.* 1145. Ex hoc autem non infertur, quod pœnitens possit renunciare favorem Sacramenti; nam modo dicto non amittit fructum Sacramenti.

37. Dico secundò. Propositio, quæ docet, non peccare eum, qui in receptione Sacramenti utitur opinione probabili, relicta tutiori, non damnatur expresse. Ratio est: nam propositio damnata non loquitur expresse de receptione, sed de administratione.

38. Dico tertiò. Præfata propositio damnatur virtualiter, ita quod ex vi damnationis fulminatæ contra primam propositionem, prætacta propositio loquens de receptione manet antiquata, & practicè improbabilis. Probatur, Ea propositio manet virtualiter damnata, quæ est incompossibilis cum damnatione, cujus falsitas quo ad praxim infertur ex illa damnatione: sic se habet ea propositio: ergo manet virtualiter damnata. De majori non potest esse dubium, si penetrentur termini; quia si damnatio infert, illam esse falsam, virtualiter, id est, per modum illationis, reprobat illam. Vide, quæ dixi *disert. 1. fine.*

39. Major probatur. Nam tota ratio damnationis stat in eo, quod dicatur licitum exponere frustrationi Sacramentum: sed hæc frustratio æque convenit recipienti invalidè, ac ministranti invalidè: ergo ex ea damnatione infertur falsitas quoad praxim propositionis id admittentis in recipiente.

40. Confirmatur. Nam antecedens inferens propositionem damnatam, si admittatur esse veram infert propositionem damnatam esse veram, & consequenter damnationem esse injustam: sed propositio, quæ admittit, eam frustrationem Sacramenti in recipiente, infert propositionem damnatam: ergo infert damnationem esse injustam. Probatur minor. Nam ex eo quod recipiens exponere possit Sacramentum frustrationi, infertur, quod possit etiam Minister. Nam si semel admittas, licitam esse frustrationem Sacramenti, non est, cur non liceat Ministro; & ideo non licet Ministro, quia per se est irreligiosa frustratio Sacramenti.

CAPUT V.

Enumerantur opiniones, quæ vi hujus decreti excludendæ sunt à praxi circa Baptismum, Confirmationem, & Eucharistiam.

SUMMARIUM.

Opinio de Baptismo collato in digito: in capillis, &c. non potest licitè deduci ad praxim. n. 42.

Opinio de collato in lixivio, jusculo, &c. nequit licitè ad praxim deduci. n. 43.

Neque aliæ opiniones probabiles circa verba formæ. n. 44.

Neque opinio asserens ad Confirmationem sufficere oleum olivarum, sine Balsamo n. 45.

Neque opiniones asserentes ad materiam Eucharistiæ, sufficere blatham, avenam, amylom, vinum congelatum. n. 46.

Neque opinio, quæ dicit in forma consecrationis calicis validè omitti reliqua præter prima quinque verba. n. 47.

41. Non est levis difficultas in discernendo, quænam sint istæ opiniones minus tutæ circa valorem Sacramentorum, præcipuè Pœnitentiæ & Matrimonii. Ideò operæ pretium duxi discurrere singu-

singulatim per omnia Sacramenta circa opiniones probabiles hujus generis. Et quamvis non se extendat stylus ad omnes omninò quæstiones, eas saltem tangam, quæ reliquis lucem afferant.

42. Igitur circa Baptismum, & materiam ejus proximam, & remotam, quamvis sit opinio aliquorum, validum esse Baptismum factum in digito, aut in alia parte corporis minima; ex vi hujus decreti erit peccatum mortale ita baptizare extra necessitatem, quia hæc opinio est minus tuta circa valorem. Et ob eamdem rationem quamvis sit opinio multorum, validum esse Baptismum in solis capillis collatum, est graviter illicitum deducere ad praxim hanc opinionem extra casum necessitatis, quia opposita est tutior. Quod idem dicendum est de Baptismo infantis pelle secundina circumdati.

43. Similiter, quia non improbabiliter opinantur aliqui, liquores ex herbis expressos aquam ex sale resolutam, jusculum coctum, & lixivium, &c. non differre specie ab aqua naturali, non desunt, qui opinentur, validum esse Baptismum in his materiis collatum; sed quia opposita opinio est tutior, & versatur circa valorem Sacramenti; erit grave peccatum ministrare Baptismum in his materiis extra necessitatem.

44. Quod attinet ad formam Baptismi, opinio est aliquorum validum esse Baptismum si minister dicat: *Baptizetur Petrus à Deo in nomine Patris, &c.* Alij volunt, validum esse Baptismum, si minister dicat: *Ego te baptizo in nomine Christi.* Alij præter ea sentiunt, valere Baptismum, si Minister dicat: *Ego te baptizo in nomine genitoris, & geniti, & procedentis ab utroque.* Dicendum tamen est, graviter peccare ministrum, qui aliquo ex modis relatis proferret formam Baptismi, quia opiniones oppositæ sunt tutiores, & versantur circa valorem.

45. Quod attinet ad Sacramentum Confirmationis, plures, & graves Doctores censent, ad materiam remotam hujus Sacramenti non esse simpliciter necessarium balsamum, sed sufficere oleum olivarum ab Episcopo benedictum. Ita opinantur *Caietanus 3. part. quæst. 72. art. 2. Sotus in 4. dist. 7. quæst. unic. art. 2. Navarrus in Sum. cap. 22. n. 8. P. Valencia tom. 4. disp. 5. quæst. 1. punct. 2.* & alii. Cæterum materiam remotam hujus Sacramenti esse Chrisma necessario compositum ex oleo olivarum, & balsamo ab Episcopo benedictum, docent *P. Suarez. tom. 3. in 3. part. disp. 33. sect. 1. P. Coninck. 3. part. quæst. 72 art. 1. dub. 2. P. Layman. lib. 5. Sum. tract. 3. cap. 2. dub. 1. P. Castro Palao tom. 4. tract. 20. disp. unic punct 2. n. 3.* & alii. Quare cum hæc secunda opinio si tutior, & versetur circa valorem Sacramenti, erit grave peccatum ministrare Sacramentum Confirmationis sine balsamo, nisi forte adsit casus necessitatis, & balsamum non inveniatur.

46. Circa materiam remotam Eucharistiæ aliqui opinantur blatham (Hispane *centeno*) non differre specie à tritico, atque adeo esse materiam sufficientem ad Eucharistiam. Idem censent alii de Avena. Alii verò censent amylom (Hispane *Almidon*) esse materiam sufficientem. Alii etiam, ijque graves Doctores, vinum congelatum, etiam dum congelatum est, esse materiam sufficientem ad consecrationem calicis. Sed deducere ad praxim eas omnes opiniones, est grave peccatum: quia minus tutæ sunt, & exponunt frustrationi Sacramentum.

47. Præterea res est valde controversa inter Theologos, an forma consecrationis calicis consistat in solis illis verbis: *Hic est Calix Sanguinis mei*, an etiam sint essentialia reliqua omnia. Et sapientissimi Doctores censent, in solis illis prioribus verbis formam con-

consistere. At *Sanctus Thomas*, & plures alii censent, reliqua omnia verba esse essentialia, sine quibus non erit valida consecratio calicis. Sed quia hæc secunda est tutior; peccabit lethaliter Sacerdos, qui sine reliquis omnibus verbis consecraret. Adverte tamen, doctores, qui asserunt, validam esse consecrationem calicis factam cum solis illis prioribus verbis; simul docere, peccare mortaliter Sacerdotem, qui reliqua verba omittit propter perpetuam consuetudinem, & traditionem Ecclesiæ de obligatione proferendi ea omnia verba in consecratione calicis. *Vidi quæ* dixi *in 2. part. Crist. Theolog disputat.* 23. *cap.* 5. *art.* 1. *num.* 62.

CAPUT V.

Discutitur, quænam opiniones in vi hujus decreti à praxi excludendæ sunt circa Sacramentum Pœnitentiæ.

ARTICVLVS I.

Quid de opinione admittente Sacramentum Pœnitentiæ validum, & informe?

SVMMARIVM.

Quid sit Sacramentum validum, & informe? n. 48.

Quinque dubitationes de Sacramento valido informi proponuntur. n. 49.

Sacramentum potest esse validum, & informe defectu attritionis extensivæ. n. 50.

Opinio docens posse deduci ad praxim, sententiam de Sacramento valido informi defectu attritionis extensivæ non subjacet huic damnationi. n. 53.

Opinio docens posse dari confessionem validam informem ex defectu doloris efficacis ob ignorantiam invincibilem, est mihi dubiæ probabilitatis; sed si probabilis est quoad praxim, non subjacet damnationi n. 54

Opinio de confessione valida informi ex defectu doloris efficacis cum ignorantia mortaliter culpabili est improbabilis. n. 55.

Quod si illa opinio intelligatur tamquam asserens, in illa confessione non peccari contra valorem Sacramenti, subjicitur huic damnationi. n. 56.

Idem dicendum est de confessione valida informi ex defectu integritatis cum ignorantia mortaliter culpabili. n. 57.

Opinio de confessione valida informi ex defectu examinis cum ignorantia invincibili, probabilis est, non subit hanc damnationem. n. 58.

48. Quid sit Sacramentum validum & informe, constat ex dictis *in* 3. *part. Crist. Theolog. disp.* 70. *cap.* 1. *art.* 1. *n.* 1. nihil aliud esse, nisi Sacramentum constitutum ex omnibus suis partibus essentialibus, & destitutum effectu gratiæ propter defectum dispositionis in recipiente.

49. Et quidem in hac quæstione de Sacramento Pœnitentiæ valido informi multiplex dubitatio continetur. Prima est de Sacramento valido informi defectu attritionis extensivæ, in quo invenitur attritio de uno peccato lethali, & deficit attritio de alio peccato lethali. De quo tamquam probabili dixi in ea *disp.* 70. *cap.* 1. *art.* 2. Secunda est de confessione valida informi ex omnimodo defectu doloris efficacis, qui defectus procedat ex ignorantia invincibili. De quo tractavi in ea *disp.* 70. *cap.* 2. Tertia est de Sacramento valido & informi ex defectu doloris efficacis ob ignorantiam mortaliter culpabilem. De quo egi in ea *disp* 70. *cap.* 3. Quarta est de confessione valida informi ex defectu integritatis, cum ignorantia mortaliter vincibili: De quo egi *disp.* 72. Quinta est de confessione valida informi ex defectu integritatis cum ignorantia invincibili. De quo tractavi *disp.* 73.

50. Circa primam dubitationem dixi loco citato,

citato, probabile esse dari confessionem validam informem defectu attritionis extensivæ, ita quod si Petrus commisit duo peccata lethalia adulterii, & furti, & vadens ad confessionem, confessus est adulterium, & invincibiliter oblitus est furti, & habet attritionem, non generalem omnium peccatorum, sed specialem de illo adulterio, quod confitetur propter ejus turpitudinem, & habet propositum universale non peccandi lethaliter in posterum; non obtinet fructum Sacramenti, quia illa attritio non extenditur ad peccatum furti, cujus obliviscitur; & ubi peccatum non retractatur, non dimittitur. Ex altera vero parte Sacramentum Pœnitentiæ est validum, quia habet omnes suas partes essentiales, nempe dolorem de peccato, quod confitetur, & propositum universale non peccandi lethaliter, & confessionem omnium, quorum recordatur.

§ 1. Inquiritur ergo, an incurrat damnationem contentam in hoc decreto propositio docens, licitum esse deducere ad praxim præfatam opinionem de Sacramento informi ob defectum attritionis extensivæ? Et ratio dubitandi est: quia opinio docens validum esse Sacramentum, est opinio minus tuta? & illa quidem procedit circa valorem: atqui hoc decreto damnatur opinio docens, esse licitum sequi opinionem minus tutam circa valorem Sacramenti; ergo damnatur opinio docens, quod possumus sequi in praxi eam opinionem.

§ 2. Pro cujus rei claritate suppono, illud Sacramentum Pœnitentiæ informe, de quo loquitur casus iste, numquam fieri advertenter; quia casus iste consistit in eo, quod pœnitens non advertit ad illud peccatum lethale, quin potius obliviscitur illius. Atque adeo opinio, quæ dicit, licitum esse usum ejus opinionis, non dicit illud numero Sacramentum informe posse licitè exerceri. Est enim peccatum mortale conferre, vel recipere advertenter Sacramentum informe. Nunc ergo docet ea opinio practica, quod pro Sacramento Pœnitentiæ subsequenti prodest ferre judicium, quod illud Sacramentum informe validum fuerit, ne cogatur pœnitens iterum confiteri illud peccatum, quod in illo Sacramento informi confessus est.

§ 3. Assero ergo hoc judicium factum de ea confessione informi tamquam valida, non subjacere huic damnationi propter duo. Primum, quia damnatio procedit de opinione adstruente valorem Sacramenti circa conferendum illud numero Sacramentum, de cujus valore datur opinio minus tuta: atqui opinio docens, posse nos in praxi sequi eam opinionem de valore Sacramenti informis, non loquitur de illo numerico Sacramento, quod dicit esse validum, sed de subsequente, in quo aufertur informitas. Secundum, quia illa secunda confessio, in quo homo jam recordatus illius furti obliti confitetur illud cum contritione, sive attritione de illo, nullo modo exponitur frustrationi, neque circa illam secundam confessionem datur opinio minus tuta circa valorem ejus. Nam omnino certum debet esse, illam secundam confessionem fieri valide: quia perinde est tacere peccatum ex oblivione invincibili, ac illud tacere, propter opinionem vere probabilem, quod nulla est obligatio illud confitendi: hæc enim utraque confessio fit bona fide. At quando quis invincibiliter obliviscitur peccati in confessione, si habeat contritionem, quæ extendatur ad illud, consequitur fructum Sacramenti: ergo illa secunda confessio modo explicato facta secundum opinionem practicè probabilem consequitur fructum Sacramenti, atque adeo circa illam non datur usus opinionis minus tutæ quoad valorem illius. Et ex dictis patet ad rationem dubitandi.

54. Quod attinet ad secundam dubitationem de confessione valida informi ob defectum doloris efficacis ex ignorantia invincibili, dixi loco citato, eius opinionis probabilitatem mihi esse dubiam; atque adeo tamquam in dubio practico tutiorem partem eligendam esse. Sed esto, sit probabilis propter magnorum virorum authoritatem, quos loco citato retuli. De hac opinione idem judicium ferendum est, ac in proximè præcedente. Nam opinio docens, illam doctrinam licite posse reduci ad praxim, non dicit licitum esse facere advertenter confessionem informem cum eo defectu doloris efficacis, sed solum dicit, quod confessio subsequens associata jam dolore efficaci, ita potest fieri, ut nulla sit obligatio iterum confitendi peccata exposita in confessione informi. Ex quo ista secunda confessio non exponitur frustrationi propter proximè dicta.

55. Circa tertiam dubitationem de confessione valida, & informi ex defectu doloris efficacis ob ignorantiam mortaliter culpabilem, dixi loco citato, eam esse improbabilem juxta mentem gravissimorum Theologorum, & ut minimum esse dubiæ probabilitatis, atque adeo de illa esse dubium practicum, in quo tutior pars eligenda est.

56. Assero ergo, si illa esset probabilis, distinguendum esse. Nam quando dicit, posse deduci ad praxim, vel loquitur solum de confessione subsequenti habente jam dolorem efficacem, vel loquitur etiam de prima confessione, asserens in illa non peccari contra valorem Sacramenti. Primo modo non subjacet damnationi propter proximè dicta. Secundo autem modo subjacet damnationi, quia est opinio minus tuta circa valorem ejusdem numero Sacramenti, quod in prima confessione dicit esse validum, & in ea non peccari contra valorem Sacramenti.

57. Circa quartam dubitationem de confessione valida, & informi ex defectu integritatis ob ignorantiam mortaliter culpabilem dixi in ea *disp. 72. cap. 1. num. 5.* eam opinionem, ut minimum, esse dubiæ probabilitatis practicæ atque adeo circa eam esse dubium practicum, in quo tutior pars eligenda est. Assero ergo, si illa esset probabilis, decidendam esse hanc dubitationem sub eadem distinctione, ac proximè præcedentem propter easdem rationes.

58. Circa quintam dubitationem de confessione informi ex defectu examinis cum ignorantia invincibili dixi *disp. 73. cap. 2. num. 4.* esse dubiæ probabilitatis, atque adeo de numero illarum, in quibus omninò tutior pars eligenda est. Sed dato quod illa censeatur vere probabilis, inquiritur, an illa utpote minus tuta circa valorem Sacramenti, subjaceat huic damnationi? Dicendum est, illam non subjacere, quia non affirmat, licitum esse practicè, facere illam confessionem informem, sed solum prodest ad hoc, ut si in confessione subsequenti advertatur defectus, nulla sit obligatio repetendi illa peccata, quæ in priori confessione informi ritè declarata sunt. Et ratio est: quia ex una parte loquitur de licito usu prioris confessionis; ex altera vero non exponet periculo frustrationis illam subsequentem confessionem; propter supradicta.

ARTICULUS II.

Quæ opiniones in vi hujus Decreti excludendæ sunt à praxi circa dolorem requisitum in confessione?

SUMMARIUM.

Sententia affirmans, sufficere attritionem ad valorem, & fructum Sacramenti Pœnitentiæ, non subjacet huic damnationi. Et eam esse certam probatur ex Tridentino. n. 61.

Tri-

Tridentinum loquitur de attritione tanquam de dispositione proxima ad justificationem n.62.
Quod attritio debeat continere aliquam dilectionem Dei censent Lovanienses aliqui, & Alexander VII. præcepit, quod nullus afficiat censura eam opinionem, aut oppositam. n.63.
Sed id non obstat nostræ sententiæ. n.64.
An in articulo mortis requiratur contritio perfecta pro valore & efficacia Sacramenti. n.65. & seq.
Opinio quæ docet sufficere attritionem dummodo sit cognita ut contritio, non versatur circa valorem Sacramenti, & ideo opposita opinio non subjacet huic damnationi. n.67. & seq.
Refertur opinio docens, sufficere attritionem ex metu pœnarum temporalium. n.70.
Hæc opinio speculative, est probabilis, & ut talis non subjacet damnationi. n. 71
An si doceat posse deduci ad praxim, subjiciatur huic damnationi, & quomodo? n.72.
Si vero applicetur dolori requisito ad Baptismum, non ei subjicitur. n. 73.
Opinio docens non requiri novum dolorem, cum quis confitetur peccata olim confessa. n.74.
Opinio negans, requiri novum dolorem ad novam confessionem eorum, quæ jam confessa sunt, speculative sumpta non subjacet damnationi. n.75.
Si vero dicatur posse deduci ad praxim subjacet. n 76.
Opinio docens, ad confessionem venialium sufficere dolorem virtualem, qui includitur in voluntate confitendi. n.77.
Illa speculative sumpta non subjacet damnationi. n.78.
Si vero dicatur illam posse deduci ad praxim, subjacet. n.79.
Propositum virtuale quod continetur in contritione, vel attritione ex motivo universali sufficit ad Sacramentum. Et hæc sententia non subjacet damnationi. n. 80.
Opinio docens in confessione venialium sufficere attritionem, non de omnibus, sed de aliquibus. n.81.
Ea sententia, etiam in ordine ad praxim, non subest damnationi. n.83.
Opinio docens, validum & fructuosum esse Sacramentum Pœnitentiæ, etiamsi contritio multo tempore antecedat. n.85.
Si aliquanto brevi tempore præcedat contritio, certum est, esse validum, & fructuosum. n. 86.
Ut moraliter conjungatur cum confessione contritio tempore antecedens requiritur, quod ea contritio referatur ad confessionem futuram. n.87.
Si uno, vel duobus diebus ante confessionem præcedat contritio ordinata ad confitendum, valida, & fructuosa est confessio: & hæc sententia etiam in ordine ad praxim non subest huic damnationi. n.88.
Duplex modus explicandi permanentiam virtualem contritionis: alter quatenus elicitur, & non revocatur alter, quatenus continetur in aliquo effectu præsenti. n.89. & seq.
Certum est sufficere virtualem permanentiam contritionis. Ideo hæc sententia non subjicitur damnationi. n.91.
Dummodo dolor præcesserit brevi tempore ad confessionem. n.93.

59. CUm dolor de peccatis sit pars essentialis Sacramenti Pœnitentiæ, opiniones, quæ circumferuntur circa dolorem requisitum ad hoc Sacramentum, versantur circa valorem Sacramenti; cum Sacramentum sine sua parte essentiali non possit esse validum. Ex quibus opinionibus probabilibus illa, quæ negat valorem Sacramenti, pro praxi tutior est; & quæ affirmat, minus tuta.

cem consulere paci fidelium ; & relinquere hanc materiam sub judice. Cum hoc tamen stat, quod privati Doctores habeant principia certa ab intrinseco.

65. Dices secundo. In articulo mortis non sufficit attritio , sed requiritur etiam contritio perfecta : sed si attritio esset certò sufficiens ad Sacramentum Pœnitentiæ, etiā sufficeret in articulo mortis : ergo illa non est certo sufficiens. Majorem propugnant aliqui Doctores, *quos refert Diana part. 3. tract. 4. resolut.* 78. quamvis perperam citet pro ea *Suarium*, ut notavi *in 2. part. Crif. Theolog. disp. 49 num.* 7.

66. Respondeo, in articulo mortis pro valore, & efficacia Sacramenti non requiri contritionem perfectam sed sufficere attritionem. Ex alio autem capite requiri contritionem perfectam , & charitate formatam: quia cum homo in eo articulo non sit certus, eam attritionem supernaturalem, qualis requiritur ad Sacramentum, à se esse elicitam; actus vero dilectionis Dei super omnia reddat illum omnino securum pro salute æterna consequenda , ideo ad hanc securitatem requiritur contritio charitate formata; maxime cum non habeat omnimodam evidentiam, aut certitudinem de valore sui Baptismi, neque de valore Ordinis Sacerdotis illum absolventis. Quæ omnia latæ tradidi *in ea disp. 49. citata cap 4. à num* 30.

67. Dices tertio, probabilis est ea saltem opinio, quæ docet , quamvis ad valorem, & fructum Sacramenti sufficiat attritio , illam tamen requiri cognitam ut contritionem, id est, quod homo tenetur conari ad contritionem; quod si nitens habere contritionem solum eliciat attritionem, validum , & fructuosum esse Sacramentum : ergo hæc opinio de attritione cognita ut tali deducenda ad praxim, exponit Sacramentum periculo frustrationis; ergo subit hanc damnationem.

68. Respondeo, eam opinionem esse probabilem propter authoritatem magnorum virorum, qui eam defendunt ; illam tamen non versari circa valorem Sacramenti , sed circa licitum. Concedit enim quod accedens bona fide cum attritione recipit Sacramentum validum, & fructuosum. Cum ergo hæc damnatio loquatur solum de opinione minus tuta circa valorem , & hæc non versetur circa illum, non subit talem damnationem.

QVÆSTIO II.

De attritione ex metu pœnarum temporalium.

69. Inquiritur secundo. An opinio quæ docet, licitum esse, quod quis in confessione utatur attritione ex timore pœnarum temporalium , quæ à Deo tamquam à delictorum vindice infliguntur ; an hæc, inquam, opinio subjaceat huic damnationi?

70. Et quidem plures , & gravissimi sunt Doctores, qui dicunt, eam attritionem modo explicato conceptam , esse sufficientem ad valorem, & effectum Sacramenti. *Ita P. Suarez tom. 4. in 3. part. disp. 7. sect. 2. num.* 15. *P. Lessius 3. part quæst. 1. dub. 5. num.* 18. qui asserit, hoc esse satis probabile. *Item P. Granado, P. Caspar Hurtado, P.* Reginaldus , Lugo *Card. Mag. Candidus, M. Prado* , & plures alii, quos refert, & sequitur doctissimus *P. Mathaeus de Moya* diligens indagator mentis Authorum, *tom. 1. selectar. tract. 3. disp. 9. quæst.* 4. Quia tamen non desunt authores , qui eum modum attritionis negant esse sufficientem; & opinio affirmativa non nititur fundamento infallibiliter certo , sed solum satis probabili, ut supra notavi ex *P. Lessio*, & ego tamquam probabile obiter docui 3. *part.*

Crif. Theol. disp 71. *cap.* 1. *num.* 2. Ideo restat inquirere, an & quomodo hæc opinio subjaceat huic damnationi?

71. Dico primo. Hæc opinio de attritione ex timore pœnarum temporalium modo explicato speculativè sumpta, quatenus docet validum esse illud Sacramentum, non subjacet damnationi. Patet: quia hoc decretum nō damnat opiniones speculativas circa valorem Sacramenti, quin potius supponit illas esse probabiles, & gravibus fundamentis innixas.

72. Dico secundò. Si hæc sententia doceat, esse licitum deducere ad praxim id genus attritionis, ita ut dicatur esse licitum confiteri advertenter cum ea sola attritione (quod non asserunt Authores hujus opinionis) subjacet damnationi. Patet conclusio. Illa opinio subjacet huic damnationi, quæ versatur circa valorem Sacramenti, & est minus tuta, docetq; licitum esse eam deducere ad praxim: sed hæc opinio de tali attritione versatur circa valorem Sacramenti; cum illa attritio sit pars essentialis Sacramenti, & illa quidem est minus tuta, nam si coram Deo non est vera, Sacramentum Pœnitentiæ frustratur: ergo si docet licitum esse eam deducere ad praxim, subjacet huic damnationi.

Itaque huic opinioni non remanet probabilitas practica, ut quis advertenter confiteatur cum illa sola attritione; remanet tamen illi probabilitas practica ad hoc, quod si bona fide confessus est cum ea sola attritione, non teneatur postea repetere illam confessionem: quia quando probabile est, fecisse bonam confessionem, non tenetur illam repetere.

73. Advertendum tamen est, si hæc opinio applicetur dolori requisito ad Baptismum, non subjacere huic damnationi. Et ratio est clara: quia attritio non requiritur ad valorem Baptismi, sicut neque contritio: cum ergo damnatio solum loquatur de opinione minus tuta circa valorem Sacramenti, ea non extenditur ad attritionem, quæ requiritur ad effectum Sacramenti, non ad valorem.

QVÆSTIO III.

De novo dolore ad novam confessionem.

74. Inquiritur tertiò. An opinio quæ docet, non requiri novum dolorem, quando quis confitetur peccata jam olim confessa, subjaceat huic damnationi? Nam opinionem negativam docuit *Remigius in practica confessariorum tract.* 5. *cap* 5. §. 14. *num.* 9. *Item Petrus de Ledesma, Ioannes à Cruce, Leander à Sacramento, P. Dicastillo, Lugo Cardinalis, & plures alij*, quos refert & sequitur *P. Mathæus de Moya tom.* 1. *Selectar. tract.* 3. *disp.* 5. *quæst.* 8. Quam etiam tenet *Diana part.* 11. *tract.* 5. *resolut.* 21. Sed oppositam sententiam docent *Enriquez in Sum. lib.* 4. *cap.* 26. *num.* 7. *Filliucius tom.* 1. *tract.* 6. *part.* 63. *n.* 77. & tenuit olim *Diana part.* 3. *tract.* 4. *resolut.* 116. Est ergo præsens quæstio, an ea pars, quæ negat, requiri novum dolorem, subjaceat huic damnationi? Quam etiam duplici conclusione decido sicut in præcedenti.

75. Prima conclusio. Si hæc opinio speculativè procedit, asserens, validam, & fructuosam esse eam confessionem, sine novo dolore, non subjacet damnationi. Nam, ut dixi, hæc damnatio non comprehendit opiniones merè speculativas. Et hæc probabilitas speculativa, quamvis non deserviat, ut modo dicam, ad praxim hujus numero Sacramenti, potest tamen prodesse ad confessionem subsequentem, Nam si quis bona fide, & propter oblivionem non elicit in illa confessione novum dolorem de peccatis jam confessis, sed solum de peccatis, quæ nondum confessus fuerat, in confessione subsequenti

non

non tenebitur ad repetitionem, quia juxta eos Doctores probabile speculative est fuisse validam.

76. Secunda conclusio. Hæc opinio quatenus docet, licitum practicè esse confiteri peccata jam confessa sine novo dolore, subjacet huic damnationi. Patet, sicut in præcedenti quæstione. Quia secundum hanc damnationem non est licitum deducere ad praxim opinionem, quæ exponat Sacramentum frustrationi, casu quo non sit vera coram Deo: sic se habet hæc opinio, quatenus docet, id esse practicè licitum: hoc ergo modo subjecta manet damnationi. Probatur minor: est enim opinio minus tuta, & versatur circa valorem Sacramenti, cum loquatur de dolore, qui est pars essentialis Sacramenti Pœnitentiæ: ergo si illa non est vera coram Deo, Sacramentum manebit sine ea parte essentiali; atque adeo frustrabitur Sacramentum.

QVAESTIO IV.

De dolore implicito ad confessionem venialium.

77. Inquiritur quartò. An subjiciatur etiam huic damnationi opinio asserens ad confessionem venialium non requiri dolorem formalem, & expressum, sed sufficere dolorem implicitum, qui includitur in ipsa voluntate confitendi ea peccata? Sufficere eum dolorem virtualem, affirmant *Martinus de Ledesma, Petrus de Soto, Dominicus Soto, Montesinos, Bonacina, Trullench, Zanardus. Tancredi, & alij apud P. Mathæum de Moya tom. 1. Selectar. tract. 3. disp. 5. quæst. 5. §. 2.* Et quamvis pro eadem sententia citet P. Suarium, iste quidem oppositam sententiam tenet *tom. 4. in 3 part. disput. 20. sect. 6. num. 2.* ubi ait: (Dicendum est etiam, in hac confessione (venialium) esse necessariam attritionē formalem. Quia Concilium Tridentinum absolutè & simpliciter loquitur de hoc Sacramento, & de partibus ejus: ergo quotiescumque fit, requirit essentiales partes, quarum una est attritio, non virtualis tantum, sed formalis, ut apertè constat ex doctrina Concilii.) Eamdem docet *P. Granado tom. 2. in 3. part. controv. 7 tract. 4 disp. 1. n. 7. Lugo Cardin. de Pœnit. disp. 14 num. 106. P. Castro Palao tom. 4. tract. 23. disp. unic. punct. 7. n. 13. P. Moya tom. Selectar. tract. 3. disp. 5. n. 19.* Inquiritur ergo, an ea opinio affirmans cum dolorem virtualem esse sufficientem ad confessionem venialium, incurrat hanc damnationem?

78. Dicendnm est, sicut in quæstionibus antecedentibus, opinionem speculativam, quæ affirmat, confessionem venialium cum solo præfato dolore virtuali esse validam, & fructuosam, non manere damnatam: nam quatenus speculativa est, non dicit, esse licitum, eam deduci ad praxim; & prodesse poterit scrupulosis, qui posteaquam confessi sunt venialia, angore afficiuntur, eo quod suspicentur, se non habuisse dolorem formalem, & expressum.

79. Sed quatenus ea opinio practica est, traditque licitum esse ita confiteri venialia advertenter cum solo eo dolore virtuali, subest huic damnationi. Patet ex supradictis: cum opposita negans valorem ejus Sacramenti sit tutior; & hoc decreto condemnetur propositio asserens, non esse eligendam in praxi tutiorem viam circa valorem Sacramenti.

80. Sed notandum est, aliter dicendum esse de proposito virtuali, quod continetur in contritione, vel attritione habita ex motivo universali, quo quis detestatur omnia pec-

peccata lethalia propter offensam Dei summè dilecti, vel propter metum gehennæ omninò fugiendæ. Est enim supra omnem probabilitatem omninò certum, quod hoc propositum virtuale sufficiat. Videatur *Lugo Cardin de Pœnit. disp. 14. sect. 5. Patet. Nam Tridentinum sess 14. cap. 4.* affirmat illam attritionem, *quæ voluntatem peccandi excludat*, sufficere intra Sacramentum Pœnitentiæ ad gratiam Sacramenti consequendam: sed ea detestatio peccatorum mortalium ex eo motivo universali concepta, excludit voluntatem peccandi; non enim est compossibilis cum tali voluntate: ergo talis detestatio continet virtualiter id propositum, & facit illud esse sufficiens ad valorem & fructum Sacramenti. Quod si prodest ad confessionem mortalium, à fortiori prodierit ad confessionem venialium. Cum ergo certum sit, id genus propositi virtualis sufficere, non habet locum asserere, quod ea sit opinio minus tuta circa valorem Sacramenti; atque adeo non habet hic locum ea damnatio.

QUÆSTIO V.

De confessione venialium sine dolore eorum omnium.

81. INquiritur quintò. An subjiciatur huic damnationi opinio asserens, non peccare mortaliter illum qui confitens unum, vel alterum peccatum veniale cum dolore formali, confitetur alia peccata sine dolore? Quæ aliis terminis proponi solet, nempe an pœnitens teneatur sub mortali habere contritionem, vel attritionem de omnibus venialibus, quæ confitetur? In qua quæstione *P. Castro Palao tom. 4. tract. 23. disp. unic. punct. 7. num. 14.* & alii censent, esse peccatum mortale confiteri peccata venialia, de quibus pœnitens non habet saltem attritionem. Sed id non esse peccatum mortale, asserit communior sententia plurium Theologorum, quos refert, & sequitur *Lugo Cardinalis de Pœnit. disp. 14. num. 118.* Quæritur ergo, an hæc secunda opinio subjaceat præfatæ damnationi?

82. Et videtur, hanc secundam opinionem esse minus tutam, & versari circa valorem Sacramenti. Nam peccata, de quibus non habetur saltem attritio, non videntur esse materia hujus Sacramenti: sed deficiente materia Sacramenti, illud non est validum: ergo per ejusmodi confessionem venialium non redditur validum Sacramentum.

83. Dicendum tamen est, eam secundam opinionem non subjacere huic damnationi. Ratio est clara: quia si pœnitens confiteatur unum peccatum veniale cum attritione, & reliqua sine illa, præbet sufficientem materiam ad absolutionem; & si accedat bona fide propter hanc secundam opinionem, quæ probabilis est, etiam apud authores prioris sententiæ, Sacramentum est certo validum: non ergo versatur quæstio circa valorem Sacramenti, atque adeo ea secunda opinio non est minus tuta circa valorem.

84. Ad rationem dubitandi respondetur [omittendo, quod ea peccata, de quibus non habetur saltem attritio, non sunt materia Sacramenti; negando tamen, quod in illo Sacramento deficiat materia; cum in illo exponatur unum peccatum veniale cum attritione, quod est materia sufficiens ad Sacramentum. Ut si quis adhiberet consecrationi unam hostiam triticeam, & alteram hordeaceam, validum esset Sacramentum circa hostiam triticeam. Similiter validum esset Sacramentum illud Pœnitentiæ, dummodo haberet dolorem de aliquo ex venialibus, quæ confitetur, quamvis de aliis non

non haberet: sicut contingeret, quando quis confitetur mortale, de quo dolet, cum venialibus, de quibus dolorem non concipit; tunc enim validum est Sacramentum, cum constet materia certa absolutionis.

QUÆSTIO VI.

De contritione, quæ per multum tempus antecedit confessionem.

85. INquiritur sextò, an subjaceat damnationi opinio asserens validum, & fructuosum esse Sacramentum pœnitentiæ, etiam si contritio multo tempore antecedat? Quam docuit *P. Tamburinus opusc. 2. lib. 1. cap. 2. §. 4. num. 5.* asserens dolorem per quatuor, & quinque dies antea conceptum sufficere ad valorem, & fructum Confessionis. *Et Gaspar Hurtado disp. 1. de Sacramentis in genere difficult. 11. Diana part. 5. tract. 9. resolut. 51.* quamvis cum aliqua limitatione, & apud ipsum *Leander à Sacramento tom. 1. de Sacrament. tract. 5. disp. 7. quæst. 5.* Et aliqui eorum eo nituntur fundamento, quod dolor internus semel positus, & non revocatus, virtualiter perseverat. Ex quo fundamento colligitur, validam esse confessionem, etiamsi longissimo tempore is dolor antecedat.

86. Pro cujus rei claritate, præmitto primò certum esse, validum esse Sacramentum Pœnitentiæ, etiamsi aliquanto brevi tempore præcedat contritio. Circa quod audiendus est *P. Suarez tom. 4. in 3. part. disp. 20. sect. 4. num. 29. Est CERTVM posse quidem dolorem hunc tempore antecedere ipsam confessionem ... Constat, quia juxta communem usum confessionem antecedit cogitatio peccatorum, quæ optime fit, si cum vero animi dolore fiat; postea vero fit confessio in virtute talis recogitationis, & doloris. Contingere autem potest, ut in actuali confessione ita homo attendat ad peccatorum explicationem, ut nullum internum dolorem tunc actu exerceat. Item potest accidere, ut dum absolutio conceditur, nullus iteretur dolor, vel ob naturalem distractionem, vel ob aliam causam: & nihilominus Sacramentum illud SINE DVBIO validum est, & confessio sufficiens, quia moraliter illi conjungitur dolor, qui præcessit, & virtute sua illam confessionem informat.* Huc usque *P. Suarez.* Et quidem licet Sacramentum Pœnitentiæ sit unum Sacramentum; coalescit tamen ex partibus, quæ ut in plurimum successivè ponuntur; & quamvis ipsæ partes debeant conjungi immediatè, inter se, ea conjunctio debet esse immediata, non physicè, sed moraliter. Cum ergo hæc doctrina certa sit, non potest esse minus tuta; atque adeo non subjicitur huic damnationi.

87. Præmitto secundò, ad hanc immediatam conjunctionem partium Sacramenti Pœnitentiæ requiri, quod ille dolor antecedens referatur ad confessionem, & confessio fiat in virtute ejus doloris; quod fit communiter, quando quis recogitat peccata sua in ordine ad confitendum illa, & tunc dolet de peccatis suis in ordine ad confessionem. Potest ergo esse quæstio, an dolor antecedens confessionem, si non referatur ad illam modo dicto, sufficiat ad valorem Sacramenti? In quo, dato quod non sit certum, requiri eam relationem doloris ad confessionem, est tamen opinio tutior, quod id requiratur; atque adeo opinio, quæ negat eam relationem doloris ad confessionem, exponit Sacramentum frustrationi; atque adeo ea subjicitur huic damnationi.

88. Sed adhuc restat quæstio, an tuto procedat, qui uno, vel duobus diebus ante confessionem recogitat peccata sua, & de iis dolet in ordine ad confitendum, & postea non elicit novum actum doloris? Et dicendum est, cum tutò procedere, & confessionem esse certò validam, atque adeo hanc doctrinam non subjacere huic damnationi. Ostenditur primò.

Nam præterquam quod nullus author id negat, cum certum sit, moralem conjunctionem sufficere, est etiam certum in hoc casu dari eam moralem conjunctionem.

89. Pro quo supponendum est, permanentiam virtualem unius actus duplici modo explicari ab authoribus. Primò aliqui dicunt, actum virtualiter perseverare, qui elicitus est, & non revocatus, & ita explicat *P. Thomas Sanchez lib. 7. de Matrim. disp. 18. n. 21.* & passim alibi, quem multi alii sequuntur.

90. Alij verò explicant permanentiam virtualem actus dari, quando dantur aliqui effectus actualiter procedentes ab illo actu: v.g. cum quis intendit consequi dignitatem à Rege; illa intentio consequendi dignitatem, quamvis non habeatur actualiter, perseverat virtualiter, dum arripit iter ad Curiam Regiam, dum alloquitur ministros Regis, & dũ ordinat alia ad eum finem: quia hi omnes sunt effectus illius intentionis. Similiter qui intẽdit accipere ordinem Sacrum, si immemor ejus intentionis vadit ad examen, alloquitur Episcopum, præparat vestes Sacras, vadit ad locum, ubi initiandus est, illa intẽtio virtualiter perseverat, quia omnes illæ subsequentes actiones sunt effectus, qui procedũt ab illa intentione, cum ad eum finem ponantur. Et ita explicat intentionem virtualem *P. Vasq. to. 2. in 3. p. disp. 138. cap. 6. P. Castro Palao tom. 4. tract. 18.* & apud ipsum *Bonacina disp. 1. de Sacrament. quæst. 3. punct. 2. §. 3. n. 3. Layman lib. 5. tract. 1. cap. 5. quæst. 5. n. 11. Conink 3. part. quæst. 64. art. 1. dub. 2. num. 71.*

91. Jam verò quod certum sit in eo casu dari moralem conjunctionem partium essentialium confessionis, clare constat. Sicut enim, quamvis ad conficiendum Sacramentum requiratur essentialiter in ministro intentio conficiendi illud, est certum non requiri intentionem actualem, sed sufficere virtualem, quæ continetur in effectu, qui procedit à tali intentione, modo dicto in secunda explicatione; quia dum datur effectus procedens ab illa intentione, virtualiter existit talis intentio. Similiter contingit, quando quis habuit dolorem in ordine ad confessionem, illa confessio est effectus illius doloris; ergo perseverat virtualiter ille dolor in ipsa confessione. Quod optime explicuit *P. Suarez* proxime citatus in hæc verba: *Solum oportet advertere, semper esse necessarium, ut talis dolor internus ex intentione pœnitentis formali, vel virtuali ad confesionem referatur: quod fit, quoties quis peccata recogitat, & de eis dolet, ut ea confiteatur, vel præbet signum sui doloris in ordine ad confesionem faciendam, seu absolutionem obtinendam; ac denique quoties quis dolet de peccatis cum expresso proposito illa confitendi, ex cujus virtute postea confesionem facit; nam quilibet ex his modis sufficit ad veram accusationem: aliqua vero hujusmodi relatio necessaria est, quia intentio Sacramenti, & partium ejus in ordine ad constitutionem illius necessaria est ad Sacramentum conficiendum.* Hucusque *Suarez*.

92. Dices hinc inferri, quod si quis faciat eam recogitationem peccatorum, dolens de eis in ordine ad confessionem faciendam post mensem integrum, illam esse validam; hoc autem non potest esse certum, nec tutum: ergò neque antecedens, unde id infertur.

93. Respondeo, moraliter loquendo, eum dolorem tam longo tempore distantem à confessione non posse influere in illam confessionem, neque imperare illam; & ad summum id esse dubium propter diuturnam temporis distantiam, & quia intermedio tempore nulli sunt effectus, qui procedant ab ea intentione, sive ab eo dolore cum tali intentione habito. Cum autem uno vel altero die antecedit is dolor relatus ad confessionem, tunc optimè intelligitur, quod fiat confessio virtute illius doloris. Unde fit, opiniones, quæ longiorem temporis distantiam admittunt, vel non adstruunt

struunt hanc relationem doloris ad confessionem, omnes manere subjectas huic damnationi.

ARTICVLVS III.

An aliquæ opiniones circa integritatem confessionis maneant subjecta huic damnationi?

SUMMARIUM.

Alia est integritas formalis, & alia materialis. n. 94.
Opinio docens, nullam esse obligationem confitendi circumstantias aggravantes. n. 96.
Opinio opposita. n. 97.
Quid censeat Filguera circa valorem intrinsecum, & extrinsecum Sacramenti. n. 98.
Rejicitur ex pluribus argumentis. n. 99. & seqq.
Opinio docens, non esse obligationem confitendi circumstantias aggravantes, non subjacet huic damnationi, eo quod non versatur circa valorem Sacramenti. n. 107. & seqq.
Discrimen quod versatur inter hanc opinionem, & alias, quæ versantur circa valorem Sacramenti. n. 109.
Ea opinio non exponit Sacramentum frustrationi. n. 110.
Eadem doctrina confirmatur à paritate peccati obliti. n. 111. & seqq.
Eadem doctrina probatur ex eo, quod confessio evadat formaliter integra, n. 113. & seq.
Aliud argumentum desumitur ab ignorantia invincibili. n. 115.
An qui confitetur circumstantias aggravantes, accedat ad confessionem cum mala fide propter opinionem contrariam. n. 116. seq.
Non incurrit damnationem, eo quod non versatur circa valorem. n. 118.
Opiniones de diversitate specifica peccatorum favorabiles non versantur circa valorem Sacramenti. n. 119.
Opinionem de peccatis dubiis non confitendis esse dubiæ probabilitatis. n. 120. remissive.
Casu quo ea opinio esset probabilis, ea non subjaceret huic damnationi. n. 121.
Non esse probabilem opinionem, quod qui confessus est peccatum ut dubium, & mox recordatur certo illius non teneatur illud confiteri tamquam certum. Esse improbabilem alibi docui. n. 122.
Sed si ea opinio esset probabilis, non subjiceretur huic damnationi. n. 123.
Opinio, quod non est licitum pœnitenti, manifestare complicem, ex cujus manifestatione læditur fama ejus apud confessarium, non procedit circa valorem; ideo non subest damnationi. Ibidem.

94. PRo resolutione hujus difficultatis præmittendum est, duplicem integritatem confessionis, aliam formalem, & aliam materialem. Integritas formalis est, quando quis confitetur aliqua peccata, & alia omittit, vel propter impossibilitatem physicam, aut moralem, vel quia ex aliqua circumstantia cessat obligatio ea confitendi. v. g. quando instat mors pœnitenti; tunc enim si non confiteatur omnia peccata; & absolvatur propter instantiam mortis, illa confessio, & si non sit integra materialiter, est tamen integra formaliter propter impossibilitatem, quæ imminet, confitendi cætera. Similiter qui in confessione obliviscitur unius peccati mortalis, dicitur facere confessionem integram formaliter, quia quamvis non habeat integritatem materialem, impossibile est, dum obliviscitur peccati, quod illud confiteatur. Integritas materialis est, quando quis revera confitetur omnia peccata, & nullum omnino omittit. In præsenti ergo quæstione videtur, eas opiniones, quæ versantur circa integritatem confessionis, versari etiam circa valorem Sacramenti; cum ipsa actualis confessio integra sit pars essentialis ipsius Sacramenti; deficiente enim parte essentiali, invalidum

lidum redditur Sacramentum. Unde fieri videtur, opiniones, quæ circa hanc materiam affirmant valorem Sacramenti, esse minus tutas circa valorem, atque adeo subjectas huic damnationi.

QUÆSTIO I.

An maneat subjecta huic damnationi opinio, quæ docet, nullam esse obligationem confitendi circumstantias aggravantes.

95. AUdivi à fidedignis, neothericum quendam existimasse, hanc opinionem de non confitendis circumstantis aggravantibus, subjacere huic damnationi, atque adeo jam esse certam, & evidentem obligationem confitendi eas circunstantias. Ad quod asserendum niti videtur eo fundamento, quod propositum est initio hujus articuli: nempe confessionem esse partem essentialem, à qua essentialiter pendet valor Sacramenti. Unde fit, quod hæc opinio de illis circumstantiis non confitendis versetur circa valorem Sacramenti: cum ergo sit minus tuta, hanc damnationem incurrit.

96. Opinio de non confitendis circunstantiis aggravantibus habet multos, & doctissimos Patronos. Ita *S. Thomas in 4. dist. 16. quæst. 3. art. 2. quæstiunc. 5. S. Bonaventura in 4. dist. 17. quæst. ultim. Scotus ibid. quæst. 1. art. 3. S. Antoninus 3. part. tit. 14. cap. 9. §. 7. P. Vasquez 3. part. quæst. 91. art. 1. dub. 2.* & quam plures alii, ex quibus plusquam quadraginta refert *Diana part. 1. tract. 7. resol. 1.* Videantur etiam pro hac sententia *P. Castro Palao tom. 4. tract. 23. disp. unic. punct. 9. n. 4. & Lugo Card. de Pœnit. disp. 16. sect. 3. num. 107.*

97. Opposita etiam opinio habet non minus nobiles Patronos, *Alensem, Cajetanum, Sotum, Suarium, Thomam Sanchez, Enriquez, Fagundez, Coninck*, & plures alios, ex quibus refert viginti Diana proxime citatus. Quæritur ergo in præsenti, an illa prima opinio benignior hanc damnationem incurrat?

98. *P. Emmanuel de Filguera* ex ordine Clericorum minorum in sua Lucerna decretali in expositione hujus primæ propositionis. §. *Sed undequaque*, affirmat, opinionem de circumstantiis aggravantibus non confitendis non comprehendi sub hac damnatione. Ita enim discurrit: (Animadvertendum est, pertinere ad valorem quasi extrinsecum Sacramentorum quasdam quæstiones apud Authores controversas circa eorum materiam, non quidem proximam (hæc namque instituta fuit à Christo Domino, & pertinet ad valorem intrinsecum Sacramenti) sed remotam, non quomodocumque, nam si formaliter hæc accipiatur, debet poni in Sacramentis conferendis, quæ est tutior, ut suum effectum sortiantur; sed circa materiam remotam materialiter sumptam, consistentem non in aliquo certo, ac determinato, sed rationi subjicibili, ac consequenter sub probabilitate contento, ut contingit in confessionis integritate v. g. quæ ad valorem Sacramenti essentialiter pertinet. Circa quam est duplex sententia, altera negans, circumstantias intra eamdem speciem aggravantes non esse necessario in confessione exprimendas, & altera affirmans, quæ est tutior; & nihilominus opinionem negantem talem obligationem possumus adhuc post propositionis præsentis damnationem in praxi sequi. Quod provenit ex eo, quod opinio affirmans tutior non versatur circa materiam remotam formaliter sumptam, sed tantum materialiter, quatenus ad prædictam materiam remotam reductive pertinet: alioquin enim infinitæ opiniones, & quæ probabiliores sunt tutioribus, manerent prohibitæ ex prædicta damnatione, cui alienum est hoc asserere, ne omnium fidelium conscientiæ deinceps inturbarentur, ac mille frequenter anxiarentur scrupulis.) Huc usque *Filguera*.

99. Sed

99. Sed hic discurrendi modus valde displicet. Primò, quia majori indiget explicatione. Non enim percipitur, quomodo hæc quæstio pertineat ad valorem quasi extrinsecum Sacramenti; neque quid sit, quod materia remota sumatur formaliter, aut materialiter.

100. Secundò. Quia cum hæc damnatio solum eo respiciat, ut Sacramentum non exponatur frustrationi; solum debemus considerare, an hæc opinio de circumstantiis aggravantibus non confitendis exponat Sacramentum frustrationi, aut, quod idem est, versetur circa valorem Sacramentum invalidum. Et quidem vel iste valor quasi extrinsecus est vere & proprie valor, vel non est proprie valor? Si primum; implicat contradictionem, quod deficiente aliquo valore, qualiscumque ille sit, Sacramentum evadat validum. Si vero non sit propriè & strictè valor, quarè appellatur nomine valoris?

101. Tertiò. Nam vel ista opinio exponit Sacramentum frustrationi, vel non exponit. Primum non admittitur: ergo si non exponit frustrationi, perperam dicitur, quod pertinet ad valorem quantum vis extrinsecum: nam in omni materia opinio merè probabilis, quæ dicit valere actum, sua probabilitate exponit actum frustrationi; nam eo ipso quod sit merè probabilis, si non sit vera coram Deo, actum reddet invalidum. Nam si opinio, quæ dicit, actum esse validum, falsa est, evidens est, actum remanere invalidum.

102. Quartò. Quia deficiente valore actus, quantumvis extrinseco actus redditur invalidus; sed juxta doctrinam præfati authoris, opinio de circumstantiis aggravantibus non confitendis potest facere, quod deficiat extrinsecus valor actus; ergo ex illa opinione actus potest reddi invalidus: ergo ea opinio exponit actum Sacramentalem frustrationi. Major ex terminis patet. Minor probatur. Quia cum ea opinio pertineat ad valorem extrinsecum actus, ipsa opinio probabiliter adstruit talem valorem; quomodo enim potest una propositio pertinere ad valorem actus, nisi asserat formaliter, vel virtualiter talem valorem? Ergo si coram Deo falsa est, deficiet talis valor. Sed omnis propositio probabilis habet hoc, quod quo ad nos contingens est, quod deficiat talis valor. Id autem est exponere actum frustrationi: ergo exponit.

103. Respondebit fortasse primò, eum valorem extrinsecum suppleri ab Ecclesia, sicut paulo antè dixerat, valorem extrinsecum Sacramenti pœnitentiæ, qui oritur ex jurisdictione, quam tribuit Ecclesia Confessariis in omni opinione probabili, quæ habet pro objecto ipsam jurisdictionem, suppleri ab Ecclesia.

104. Sed contra est. Nam quamvis Ecclesia possit supplere jurisdictionem; quia ipsa Ecclesia est, quæ dat omnem jurisdictionem in spiritualibus, quam Sacerdotes habent; at non est intelligibile, quomodo suppleat valorem Sacramenti, qui non pertinet ad jurisdictionem: sed opinio de circumstantiis aggravantibus non confitendis non pertinet ad jurisdictionem: ergo non est intelligibile, quomodo cum defectum suppleat Ecclesia.

Probatur Minor. Quia sententia, quæ propugnat, circumstantias aggravantes confitendas esse, asserit, eam esse obligationem juris Divini, neque enim pertinet ad jus Ecclesiæ, designare, quæ peccata, aut quæ eorum circumstantiæ confitendæ sint ultra ea, quæ jure Divino designata sunt.

105. Respondebit secundò, suppleri per hoc, quod Ecclesia approbat eam opinionem, & omnes alias similes.

106. Sed contra est. Nam vel est certum, quod Ecclesia approbat omnes eas opiniones; vel est dumtaxat probabile? Si dicas esse certum; jam ea opinio non est dumtaxat probabilis,

bilis, sed certa, utpote habens certam Ecclesiæ approbationem. Si vero dicas, eam esse dumtaxat probabilem, relabimur in idem argumentum: cum enim fortasse sit falsa coram Deo, relinquet illum valorem extrinsecum Sacramenti in supradicto periculo frustrationis.

107. Sit conclusio. Ea opinio quæ docet, non esse obligationem confitendi circumstantias aggravantes non subjacet huic damnationi. Ita in terminis *P. Thirsus tom. 3. Selectar. disp. 49. sect. 3.* Ostendo primo? Ut subjaceret huic damnationi, necesse erat, quod versaretur circa valorem Sacramenti: sed non versatur circa illum: ergo non subjacet damnationi. Major patet ex ipsa damnatione, & propositione damnata.

108. Minor probatur. Nam si quis bona fide confiteatur peccata mortalia, & sequendo illam opinionem probabilem taceat circumstantias aggravantes, Sacramentum est certo validum; quia absolutio cadit in illa peccata, & bona fides, qua accedit pœnitens, exonerat illum ab alia quavis obligatione: si autem ea opinio versaretur circa valorem Sacramenti, non posset esse certo validum: ergo ea opinio non versatur circa valorem.

109. Confirmatur, ostendendo discrimen, quod intercedit inter hanc opinionem, & eam, quæ versatur circa valorem, v.g. opinionem illam *art præced.* propositam, quæ docet non requiri dolorem formalem, & expressum ad cōfessionem venialium. Etenim cum hæc opinio sit merè probabilis, contingens est, esse falsam coram Deo: si ergo coram Deo falsum est, non requiri dolorem expressum ad confessionem venialium, sed sine eo expresso dolore esse validam, fit, quod quamvis pœnitens accedat bona fide, ea confessio sit nullius valoris. Econtra accidit in confessione, in qua tacentur circumstantiæ aggravantes: nam eo ipso quod pœnitens accedat bona fide propter opinionem probabilem, & consilium doctorum hominum; si ea opinio de non confitendis circumstantiis aggravantibus, falsa sit coram Deo, Sacramentum remanet in suo valore, quia nullum caput est, unde id Sacramentum annulletur.

110. Ostendo secundo, nam ut ea opinio incurreret damnationem, opus erat, ut exponeret Sacramentum frustrationi: sed non exponit: ergo non incurrit. Major patet ex ipsa propositione damnata, quæ eo respicit, ne frustraretur Sacramentum. Minor probatur ex supradictis: quia non est unde id Sacramentum frustretur. Frustraretur quidem, si pœnitens accederet mala fide putans, se peccare mortaliter, non confitendo circumstantias aggravantes. Sed ea frustratio non oriretur ab ea opinione, sed quia pœnitens accederet peccans mortaliter.

111. Confirmatur primo. Nam qui confitetur peccata mortalia, & obliviscitur unius, vel alterius peccati mortalis, si habeat congruam contritionem, & propositum in futurum, non frustrat Sacramentum, quin potius consequitur fructum illius; nulla alia ratione, nisi quia quamvis taceat peccata mortalia, tacet illa cum bona fide propter naturalem oblivionem, sed eadem ratio militat in eo, qui tacet in confessione circumstantias aggravantes; cum accedat cum bona fide propter opinionem vere probabilem: ergo non frustrat Sacramentum.

112. Confirmatur secundo. Nam, ut ait *Lugo Cardin disp. 19. de Pœnit. num. 31. Idem est, non recordari alicujus peccati, vel ignorare obligationem cōfitendi illud.* Sed qui sequitur opinionem probabilem de his circumstantiis non confitendis, ignorat obligationem confitendi illas: ergo idem est, ac si oblivisceretur illam. Sed oblitus illarum non exponitur periculo frustrandi Sacramentum: ergo neque qui illas omittit ex opinione probabili.

113. Osten-

113. Ostendo tertio. Qui facit confessionem formaliter integram, quamvis non sit integra materialiter, facit validam confessionem, & Sacramentum retinet suum valorem: sed qui cum bona fide tacet circumstantias aggravantes, facit confessionem formaliter integram, quamvis à parte rei non sit integra materialiter si forte opposita opinio coram Deo est vera: ergo dum sic procedit, Sacramentum est validum. Non ergo periclitatur valor Sacramenti ex ea opinione. Major est omnino certa apud õnes Theologos

114. Minor ostenditur. Tunc datur integritas formalis, quando hic & nunc non datur obligatio confitendi alia peccata mortalia aut alias circumstantias illorum ultra ea, quæ quis confessus est: sed qui ex opinione probabili tacet circumstantias aggravantes, nullam obligationem habet illas confitendi, quia si haberet obligationem, illa opinio non esse vere probabilis: ergo in eo casu datur integritas formalis.

115 Ostendo quarto. Qui per ignorantiã invincibilem omittit circumstantias variantes speciem, non exponit Sacramentum frustrationi: ergo qui per ignorantiam invincibilem tacet circumstantias aggravantes; non exponit Sacramentum frustrationi. Hæc consequentia patet à majori ad minus. Tum sic. Qui ex opinione probabili à tot, tantisque doctoribus propugnata, & tam validis rationibus munita, tacet in confessione circumstantias aggravantes, illas omittit ex ignorantia invincibili; cum in omni opinione probabili reperiatur ignorantia invincibilis, ut late ostendi in *1. part. Cris. Theolog. disp. 15. cap. 9.* ergo qui ex ea opinione probabili tacet circumstantias aggravantes, non exponit Sacramentum frustrationi.

116. Dices. In eo casu nec esse est, quod pœnitens accedat cum mala fide orta ex opinione Doctorum hominum asserentium, esse gravem obligationem de illis circumstantiis confitendis. sed eo ipso quod accedat cum mala fide, Sacramentum est nullum: ergo in eo casu semper est nullum.

117. Sed contra est: quia est implicatio in terminis asserere, quod opinio de non confitendis illis circumstantiis sit vere probabilis practice, & adhuc esse obligationem illas cõfitendi. Nam qui sequitur opinionem practice probabilem, operatur prudenter, atque adeo sine obligatione sequendi partem oppositam. Quare negandum est, pœnitentem in eo casu casu accedere cum mala fide.

118. Dices iterum, illam opinionem jam non manere probabilem propter damnationem in hoc decreto contentam. Sed contra est nam ex dictis constat, præfatam opinionem non versari circa valorem Sacramenti; cum tamen damnatio solum comprehendat opiniones, quæ versantur circa valorẽ Sacramenti.

119. Ex dictis inferes, opiniones de diversitate specifica peccatorum, quæ dicuntur minus tutæ, quia exonerant ab obligatione confitendi illas, non versari circa valorem Sacramenti; atque adeo non exponere Sacramentum frustrationi. v. g. Est opinio probabilis, delectationem morosam veneream, quæ pro objecto habet fœminam conjugatam, non differre specie ab ea delectatione, quæ habet pro objecto solutam, eo quod tunc homo non delectatur de circumstantia conjugii, sed solum de objecto luxuriæ. Quæ opinio licet sit minus tuta saltem materialiter, non comprehenditur sub hac damnatione, quia non exponit Sacramentum frustrationi propter fundamenta supra proposita.

QUÆSTIO II.

An subjaceat damnationi opinio negans obligationem confitendi peccata dubia?

120. Probabilẽ esse hãc opinionẽ, quã defendũt pauci aliqui ex recẽtioribus.

Cara-

Caramuel, Ferrantinus, *Iosephus à Ianuario*, *Martmon, Marchantius*, *Verdelesualdus*, & *Martinus à Sancto Ioseph* quos citavi *in 2. p Cris. Theol. d. 36. c. 1. n. 7.* censui ibidē. *c. 9. n. 218.* dixi tamen & probavi oppositā esse probabiliorē. Postea tamen re melius perpensa *in 3. part. Chris. Theol. disp. 74. c. 2.* docui, eam opinionem mihi non esse sufficienter probabilem, quin potius illam esse dubiæ probabilitatis, atque adeo de ea esse dubium practicum, in quo tutiorem partem eligere, necesse est. Id quod solido fundamento roboravi, quod moralem mihi affert certitudinem.

121. Sed casu quod ea esset opinio probabilis, dicendum est, eam non subjacere huic damnationi propter eadem fundamenta, quæ in quæstione proxima præcedenti proposui. Nam qui accederet ad confessionem cum bona fide orta ex probabilitate talis opinionis (si revera talis esset) & confiteretur alia peccata mortalia certa, nullo modo frustraretur Sacramentum; atque adeo talis opinio non esset minus tuta circa valorem Sacramenti.

122. Hinc inferes, idem judicium esse ferendum de ea opinione, quæ docet, illum, qui confessus est peccatum ut dubium, & postea certo recordatur illius, non teneri illud confiteri tamquam certum. Et quidem *in 2. part. Cris. Theolog. disp. 51. cap. 1. num. 4.* citavi pro ea opinione *Caramuelem*, *Leandrum à SS. Sacramento*, *Merollam*, *Franciscum Verde*, *Verrizelium*, *Bresserum*, *Taneredum*, *Pellizarium*, & *Tamburinum*; quamvis hi duo solúm dicant, eam esse probabilem. Quamvis *Lugo Cardinalis* promoverit argumento difficili, tamen non est ausus recedere à communi sententia. Et ibidem *cap. 2.* docui, certam esse eam sententiam, quæ affirmat, peccatum in eo casu confitendum esse ut certum.

123. Sed si ea sententia esset probabilis, eodem modo, ac in præcedenti dicendum esset, eamdem opinionem non subjacere huic damnationi. Etenim qui ad confessionem accederet cum bona fide orta ex ejus opinionis probabilitate, certo recordatus ejus peccati, nullo modo exponeret frustrationi confessionem subsequentem propter supradicta in *quæst. 1.* atque adeo ea non est opinio minus tuta circa valorem Sacramenti. Quod idem in similibus quæstionibus asserendum est. Talis est opinio asserens non esse licitum pœnitenti manifestare complicem delicti, ex cujus manifestatione læditur fama complicis apud confessarium. Quam tuentur *Innocentius*, *Ostiensis Vigerius*, *Navarrus*, *Armilla*, & *Layman*, quos refert *Castro Palao t. 4. tract. 23. d. unic. punct. 11. n. 6.*

QUÆSTIO III.

De sententia asserente, quod is, qui confitetur peccata venialia, sufficit, si confiteatur speciem, non determinando quoad aliquem munerum.

SUMMARIUM.

Opinio docens confeßionem venialium esse nullam, si non determinetur nurus. n. 124.

Fundamentum ejus desumptum à paritate consecrationis. n. 125.

An incurrat damnationem doctrina, quæ ait non requiri explicationem numeri venialiū? n. 126.

Sententiam docentem, quod sufficit confiteri speciem venialis sine numero, esse certam. n. 127.

Discrimen inter consecrationem, & absolutionem. n. 128.

Absurdum enorme ex opposita opinatione. n. 129. & seqq.

Quid debeat facere confessarius rustici, qui nescit determinare numerum mortalium? n. 131.

Inconsequentia Authorum illius opinationis. n. 132.

Sensus verborum absolutionis non significat individuationem peccatorum. n. 133.

Quis sit sensus verborum absolutionis? n. 134.

Praxis communis fidelium declarat sufficere quod exponantur species venialium. Et hæc praxis facit certitudinem. n. 135.

Si illa opinatio contineret doctrinam veram, non fuisset ignorata in Ecclesia. n. 136. Qui-

124. QUidem Recentiores Missionarii tum in concionibus ad populos, tum etiam in quibusdam libellis editis docuerunt, invalidas esse, & sacrilegas confessiones eorum, qui dum sola peccata venialia confitentur, se accusant de venialibus in specie, non determinando individua peccatorum. v. g. (Accuso me de quibusdam mendaciis levibus, de aliquibus detractionibus circa materiam levem.) &c. Ideo, ne invalide confiteantur, debere dicere, (Accuso me de quatuor mēdaciis levibus ultimis, vel de quatuor primis; vel de talibus, quas mēte retineo)

125. Unicum fundamentum, quo nituntur, est. Nam qui dicit verba consecrationis super plures hostias, volens consecrare aliquas earum, & non determinando, quas consecraturus sit, nullam consecrat: ergo qui absolvit à peccatis, non determinando, quæ peccata sunt, à quibus absolvendus est, à nullo peccato absolvit; atque adeo talis absolutio invalida est, & si scienter fiat, sacrilega

126. Hinc oritur quæstio, an qui sic confitetur venialia, non determinando quæ; sed solum determinando speciem, faciat contra hanc damnationem; & sententia, quæ docet ita fieri posse in praxi, subjiciatur huic damnationi. Nec desunt, qui censeant, illam sic subjici.

127. Dicendum tamen est, hanc sententiam, quod (sufficit confiteri speciem peccati venialis, quamvis non determinentur individua peccatorum,) non esse solum probabilem sed omnino certam. Et ideo non subjici huic damnationi. Pro hac sententia non refero Authores, quia nemo, quem viderim, hanc quæstionem versat. Id tamen ita esse, ostendam ex doctrinis communibus, & certis Theologorum.

128. Ostendo primò, aperiendo discrimen inter consecrationem, & absolutionem. Nam consecratio essentialiter constituitur ex pronomine demonstrativo *Hoc*, vel *hic*; quod pronomen pro sua significatione postulat determinationem talis hostiæ numericæ, vel talium hostiarum. Absolutio autem non constituitur ex pronomine demonstrativo; nec Sacerdos in absolutione dicit, (Absolvo te ab his peccatis.) Ergo inter hæc duo datur discrimen meridiana luce clarius, ratione cujus consecratio petat determinationem individui hostiæ; quod non invenitur in absolutione. Corruit ergo totum fundamentum ejus opinionis.

129. Ostendo secundò ex enormi absurdo, quod ex ea Recentiorum opinatione resultat. Pro cujus intelligentia præmitto id, quod *Paulus V.* in suo Rituali Romano præcipit practicari circa confessionem moribundi. Sic enim præcipit. *Si inter confitendum, vel etiam antequam incipiat confiteri, vox, & loquela ægro deficiat, nutibus & signis conetur Sacerdos, quoad ejus fieri poterit, peccata pœnitentis cognoscere, quibus utcumque vel in genere, vel in specie cognitis, vel etiam si confitendi desiderium, sive per se, sive per alios ostenderit, absolvendum est* Et quamvis aliqui, quos suppresso nomine refert *Lugo Cardin. disp. 17. de Pœnit. sect. 4.* conati sint ex frivolo fundamento eludere vim hujus obligationis, quam Pontifex imponit Parochis, tamen ipse Cardinalis optimè convincit ibidem de falsitate eam responsionem.

130. Tum sic. Juxta eam opinationem, qui confitetur peccata non determinando individuum, à nullo peccato absolvitur; sicut qui conatur consecrare aliquas hostias non determinando individuum, nullam consecrat: sed moribundus, qui confitetur in genere peccata sua, vel per signa, & nutus, non determinat individuum: ergo is moribundus à nullo peccato absolvitur, quamvis confiteatur in genere, vel per signa. Ergo perperam præcipit Pontifex (absit) quod moribundus absolvatur, si confiteatur in genere, vel

vel per signa & nutus. Consequens est absurdissimū: ergo & antecedens, unde infertur.

131. Ostendo tertio. Solet enim contingere, quod homo, præcipue rusticus, confitetur solum, se commisisse multa perjuria, neq; ullo modo potest dicere, aut determinare numerum in isto casu, licet confessarius debeat examinare aliquo modo multitudinem, vel per singulos dies, hebdomades, aut menses; tamen non confitetur peccata individuando illa. Et tamen Theologi dicunt, sic absolvendum esse. Sed juxta relatam opinationem, dum non determinat individuationem peccatorum, non manet absolutus: ergo à nullo perjurio manebit absolutus. Quod est absurdum.

132. Confirmatur. Nā illi Missionarii Authores ejus opinationis, dicunt obsolvendum esse hominem, qui incapax fuerit explicandi non solum numerum, sed neque species peccatorum, sed solum capax est dicendi, se accusare de suis peccatis: quomodo ergo hic determinantur peccata? aut si non est necesse ad valorem absolutionis determinari in hoc casu peccata lethalia, quomodo asseritur determinanda esse venialia nec aliter posse ab ullo veniali absolvi?

133. Ostendo quarto. Nam sensus verborum absolutionis non postulat ex vi suæ significationis individuationem peccatorum; quod si in confessione peccatorum lethalium, hæc individuanda sunt, id ita est, quia constat ex Concilio Tridentino, Lateranensi, & Florentino, ita debere fieri, quia sunt materia necessaria: ergo dum neque ex Concilio Tridentino, Lateranensi, & Florentino, ita debere fieri, quia sunt materia necessaria: ergo dum neque ex Concilii, neque ex alio urgenti fundamento constat, determinandum esse individuum peccati venialis, frustra id exigitur.

134. Antecedens patet. Nam si sequamur sensum, quem videtur ponere S. *Thomas 3. p. q. 84. art. 3. ad 5.* nempe *Ego tibi Sacramentum absolutionis impendo*, aut si sequamur sensum, quem P. *Suarez* affirmat *tom. 4. in 3. disp. 88. sect. 3. Ego tibi gratiam sanctificantem confero, quantum est ex se, remissivam peccati*, sive quam adstruit *Lugo Cardin. Quantum est ex me, remitto tibi peccata*, sive quemlibet alium sensum similem; nihil est in tali sensu, quod petat individuationem peccati venialis, neque peccati jam confessi, quod pœnitens vult iterum confiteri.

135. Ostendo quinto. Nam praxis communis Fidelium est declarare species venialium, non currendo nimis de numero: praxis autem communis Fidelium cum firma persuasione de licito, aut de obligatorio in his rebus facit certitudinem moralem, juxta ea quæ dixi *in 2. p. Crist. Theol. disp. 23. cap. 5. art. 7*

136. Confirmatur. Incredibile enim est, quod in Ecclesia doctrina hæc per tot sæcula ignorata fuerit; quæ si vera esset, utique esset omninò necessaria pro conscientiis justorum, qui non labuntur in peccata lethalia. Quæ quidem si ita necessaria esset, quis dubitet ad futuram Christi D. providentiam spectare, ne in re tam gravi tanto tempore erratum fuisse?

ARTICULUS IV.

An opiniones probabiles circa jurisdictionem confessarii huic damnationi subjaceant?

SUMMARIUM.

Opinio, quæ docet posse absolvere confessarium cum sola jurisdictione probabili, est certo falsa, & huic damnationi subjecta. n. 137.

Si vero adjungatur alia circumstantia, quæ addat certitudinem jurisdictioni pro valore Sacramenti, non incurrit damnationem. n. 138.

Aliquorum limitatio rejicitur. n. 139. & seq.

An dum confessarius habet jurisdictionem ex opinione probabili minus tuta, addatur aliqua circumstantia, quæ reddat certam absolutionem. n. 142.

Prima circumstantia, ex eo quod Ecclesia dat jurisdi-

risdictionem ex errore communi.n. 143.

Secunda circumstantia, ex eo quod Ecclesia suppleat jurisdictionem independenter ab errore communi.n. 145.

Tertia circumstantia ex potestate omnium Sacerdotum in peccata venialia.n. 146.

137. QUamvis non pauci authores censere videantur, licite posse absolvi pœnitentem à confessario, cui solum inest jurisdictio probabilis; illud tamquã certum supponendum est, opinionem, quæ asserit, absolvi posse cum sola jurisdictione probabili, & esse certo falsam, & huic damnationi subjacere. Est enim certo falsum, quod liceat exponere frustrationi Sacramentum pœnitentiæ: atqui Sacerdos absolvens cum sola jurisdictione probabili exponit frustrationi Sacramentum pœnitentiæ: ergo est certo falsum, quod licet. Major est evidens, & constat etiam ex hac damnatione. Minor patet. Nam si coram Deo non est vera ea opinio probabilis de jurisdictione Sacerdotis, ille quidem absolvit sine jurisdictione; atque adeo absolutio est nulla.

138. Dixi *cum sola jurisdictione probabili*: Nam fieri potest, quod adjungatur aliqua alia circumstantia, quæ superaddat certitudinem illi jurisdictioni pro valore Sacramenti; quod in præsenti articulo, & proximè sequentibus, discutiendum est. Dixi quod *non pauci authores censere videntur, &c.* Nam per id verbum *videntur* significavi, magis diffidere à nobis voce, quam re: quia adhuc authores quærunt circumstantiam, ex qua certa fiat jurisdictio.

139. Dicunt aliqui, se audivisse à Theologis Romanis, qui adfuerunt tractatui de condemnatione harum propositionum, non fuisse intentionem Pontificis, nec Sacræ Congregationis, quod damnatio primæ propositionis intelligatur de iis, quæ pertinent ad jurisdictioné, cujus cõcessio extẽsio, vel limitatio spectat ad Ecclesiam; sed dumtaxat de iis, quæ sunt juris Divini, scilicet de partibus Sacramenti pœnitentiæ.

140. Id tamen, nisi rectè intelligatur, ansam præbet errandi. Inquiro enim, an certum sit, quod absolvens juxta opinionem probabilem de jurisdictione, validè absolvit; an potius sit dumtaxat probabile? Si hoc secundum dicas, Sacramentum exponitur frustrationi; nam quod est mere probabile, fortasse est falsum coram Deo: fortasse ergo falsum est, quod sic valide absolvitur pœnitens. Si autem dicas, certum esse, quod is valide absolvitur ab eo, qui absolvit ex opinione mere probabili; quærendum est principium, unde id fiat omninò certum.

141. Deinde, quia quamvis juris Ecclesiastici sit conferre, ampliare, aut restringere jurisdictionem Confessarii; ast quod nullus Sacerdos possit absolvere sine jurisdictione, est juris Divini, ut patet ex *Concil Trid. sess.* 14. *c.* 7. illis verbis: *Persuasum semper in Ecclesia Dei fuit, & verissimum esse Synodus hac confirmat, nullius momenti absolutionem eam esse debere, quam Sacerdos in eum profert, in quem ordinariam, aut subdelegatam non habet jurisdictionem* Ubi vides, non dicere Concilium, Ecclesiam sic statuisse; sed semper fuisse persuasum in Ecclesia Dei, nempe tamquam sic à Domino institutum. Præterea quia declarat, ita esse essentialem jurisdictionem, ut absque illa invalidum sit Sacramentum. Constat autem non pertinere ad Ecclesiam statuere aliquid circa essentialia Sacramentorum. Unde fit, quod si opinio probabilis de jurisdictione sit falsa coram Deo, & non aliunde proveniat jurisdictio; deficit aliquid essentiale, atque adeo frustratur absolutio.

142. Quæritur ergo in præsenti, an dum confessio fit coram Confessario habente jurisdictionem probabilem ex opinione probabili minus tuta, superaddatur aliqua cir-

cumstantia, quæ reddat absolutionem omnino certam, v.g. est opinio multorum, quod pœnitens Diœcesis Hispalensis possit absolvi, virtute Cruciatæ à Sacerdote approbato ab Episcopo alterius Diœcesis. Id enim affirmant *Enriquez, Valerus, Fay, Liamas, Portel, Ledesma, Fernandez, Nunnus, Coninck, Reginaldus, Ioannes à Cruze, Filliucius, & alii*, quos refert & sequitur *Diana part. 1. tract. 11. resolut.* 7 contra Doctores alios, quos ibidem refert. An sit verè probabilis post Bullam *Clementis X.* dicam inferius. Quæriturque, an qui utitur hac opinione, reddat certam & securam absolutionem ex aliqua circumstantia?

143. Tres circumstantias, tamquam reddentes certam, & securam absolutionem, afferunt Doctores, quas oportet examinare. Primam. Quod ubi adest vera probabilitas circa jurisdictionem confessarii, Ecclesia dat jurisdictionem propter utilitatem Fidelium, scilicet ex errore communi. Ita *P. Thomas Sanchez lib. 1. Sum. cap. 9. num. 35. P. Lessius lib. 2. de Iust. cap. 29. dub. 8. num. 68. Diana part. 2. tract. 13. resolut. 2. & apud ipsum Villalob. in Sum. tom. 1. tract. 1. difficult. 13. n. 5. Malderus 1. 2. quæst. 19 art. 5. disp. 86. Martinez 2. 2. tom. 1. quæst. 19. art. 6. dub. 6. concl. 7. Item Lugo Car. de Pœnit. disp. 19. sect. 2. n. 30. & apud ipsum Bonacina disp. 2. de peccatis quæst. 4. punct. 9. num. 19. Granad. 1. 2. controv. 2. tract. 92 disp. 4. sect. 4. Turrianus in Selectis part. 1. disp. 21. dub. 1. Ioannes Sancius in Select. disp. 44. n. 24. Item P. Castro Palao tom. 1. tract. 1. disp. 2. punct. 5. n. 9 & apud ipsum ultra relatos, Enriquez lib. 5. de Pœnit. cap. 14. n. 3. & 4. in Commentario lit G. Coninck de Sacramentis disp. 8. dub. 3. concl 6. n. 22. & dub. 6. n. 47.* Idem tenent in expositione hujus primæ propositionis damnatæ *Lumbier tom. 3. Sum. num. 1690. & Filguera §. Circa autem.*

144. De securitate hujus fundamenti dubitat *P. Salas 1. 2. quæst. 21. tract. 8. disp. unic. sect. 10. n. 101. & P. Suarez tom. 4. in 3. part. disp. 26. sect. 6. n. 8.* ait. (Et quidem hic dicendi modus probabilis, non tamen certus, & hoc ipso non omnino tollit dubium, nec dat rei certitudinem, quam quærimus) Et adversantur ei dicendi modo illi, qui censet, Regulam de errore communi conferente jurisdictionem, non procedere in pertinentibus ad forum conscientiæ, quales sunt illi, quos suppresso nomine refert *Paludanus in 4. dist. 17. quæst. 6. art. 2. num. 21.*

145. Secunda circumstantia similis præcedenti, ob quam plurimi Authores censent, valorem Sacramenti Pœnitentiæ confecti cum opinione probabili circa jurisdictionem fieri certum, est, quia independenter à sententia de valore jurisdictionis ex errore communi censent, Ecclesiam supplere defectum jurisdictionis ex ratihabitione de præsenti, eo quod Ecclesia videat sic practicari, & id toleret. Ita ferè omnes Authores citati pro prima circumstantia. Et post damnationem primæ propositionis ita sentiendum esse ad praxim, affirmant *Lumbier, & Filguera*, in explicatione primæ propositionis.

146. Tertia circumstantia, ex qua authores communiter asserunt, reddi certo validam absolutionem, quando datur ex opinione probabili circa jurisdictionem, est, quod tunc pœnitens confiteatur aliqua peccata venialia. Dicunt enim, omnes Sacerdotes habere jurisdictionem certam in venialia, & in mortalia jam rite confessa. Opinio autem probabilis circa jurisdictionem facit, quod pœnitens accedat bona fide: cum ergo accedens bona fide confitetur peccata mortalia simul & venialia, absolvitur directè à venialibus; & indirectè à mortalibus, si forte illa opinio est falsa coram Deo Et ita non periclitatur valor Sacramenti. Pro hoc dicendi modo stant *P. Suarez, P. Thomas Sanchez*, imo fere

fere omnes Theologi, quos inferius referam.

147. Sunt tamen pro opposita sententia tres alii authores, qui negant inesse hanc jurisdictionem in venialia, quos inferius referam. Quæ tres circumstantiæ discutientur in articulis sequentibus.

ARTICULUS V.

Examinatur primus dicendi modus circa certitudinem jurisdictionis, ex eo quod Ecclesia suppleat defectum ex errore communi.

SUMMARIUM.

Error communis circa jurisdictionem cum titulo putativo collato à legitimo Superiore, supplet defectum jurisdictionis. n. 149.

Certum est id esse verum etiam pro foro interno. n. 150.

Probabile dumtaxat est, quod si deficiat titulus, vel non sit à legitimo Superiore, Princeps supplet defectum. n. 151.

Et oppositam sententiam docent multi n. 152.

Opinio communiter recepta, si apud Deum est falsa, est error communis. n. 153.

Si de probabilitate opinionis multi sapientes dubitant, si coram Deo falsa est, error est, sed non communis. n. 154.

Opinio probabilis circa jurisdictionem, si coram Deo falsa est certum est quod Ecclesia supplet defectum, si confessarius habet titulum putativum à legitimo superiore. n. 155.

Si de probabilitate opinionis dubitent multi sapientes, Ecclesia non supplet defectum. n. 156.

Quando opinio circa jurisdictionem est communiter recepta, confessarius tamen non habet titulum, vel non à Superiore legitimo, Ecclesia non supplet defectum, & absolutio exponitur frustrationi. n. 157.

Bulla Cruciata non est sufficiens titulus sine approbatione Ordinarii. n. 158.

148. QUærimus in præsenti, an is dicendi modus, quo affirmatur, (quoties adest opinio vere probabilis circa jurisdictionem confessarii, propter errorem communem certam manere eam jurisdictionem) reddat Sacramentum pœnitentiæ certo validum, & nullo modo expositum frustrationi?

149. Pro cujus claritate sequentes positiones statuo. Primam. Certum est, quod ubi adest error communis circa jurisdictionem, cum titulo putativo collato à legitimo Superiore, Princeps supplet defectum jurisdictionis. Hanc admittunt omnes Theologi, & jurisperiti ex *L. Barbarius. ff de officio Prætoris, & ex cap. Infamis. 3 q. 7. & ex aliis juribus.* Ita *P. Thomas Sanch lib. 3. de Matrim. disp. 22. num. 5.* Et apud ipsum *Rosella, Angelus, Sylvester, Tabiena, Armilla, Navarrus, Gregorius, Lopez, Humada, Paludanus, Cajetanus, Metina Petrus de Soto, Palacios; Angles, Enriquez, Aragon, Ludovicus Lopez, Manuel Rodriguez, Vega,* & ex recentioribus ibidem tenent omnes, nemine dempto. Neque invenio authorem aliquem, qui contradicat. Hujus rei fundamentum pro materiis juris Ecclesiastici nititur in citato *cap. Infamis.* ubi sic dicitur: *Si servus, dum putaretur liber, ex delegatione sententiam daret, quamvis postea in servitutem depulsus sit, sententia ab eo dicta, rei judicatæ firmitatem tenet.* Ubi decernitur, quamvis servus sit incapax jurisdictionis, si tamen communiter ignoretur esse servus, & ex delegatione exercuerit jurisdictionem, gesta per ipsum valent, non quia habuerit verum titulum ad exercitium jurisdictionis, sed quia Princeps propter utilitatem publicam illa facit valida.

150. Secundam. Certum est, id verificari tam pro foro interno, quam pro externo. Ita tenent *P. Thomas Sanchez ubi sup.* Et omnes ibidem ab eo allegati, neque aliquis est qui contradicat, nisi quod Paludanus *in 4. dist. 17. quæst. 6. art. 2. n. 21.* refert aliquos suppresso nomine, sentire oppositum. Id tamen

probabilitate dubitent multi sapientes, Ecclesia non supplet defectum jurisdictionis, atque adeo ex hoc capite relinquitur absolutio exposita frustrationi, v. g. Est opinio aliquorum, quod virtute Cruciatæ possunt absolvi Regulares à reservatis. De probabilitate hujus opinionis dubitant multi viri docti. De quo videndi sunt *Lugo Card. disp. 20. de Pœnitent. sect. 9. & P. Moya tom. 1. selectar. tract. 3. disp. 8. quæst. 8. §. 3. & Raymundus Lumbier tom. 3. in primam propositionem damnatam §. 3. n. 1696.* de qua inferius late dicam. Cum ergo hæc opinio (si coram Deo falsa est) non sit error communis juxta positionem quintam, in tali casu non supplet jurisdictionem Ecclesia; cùm eam suppleat dumtaxat cum errore communi.

157. Sit tertia conclusio. Quando opinio circa jurisdictionem est communiter recepta, ut probabilis à Sapientibus, quamvis si coram Deo falsa est, sit error communis, non tamen detur titulus, vel si datur non sit collatus à superiore legitimo, probabile est quod Ecclesia (ex hoc capite erroris communis) non supplet jurisdictionem; atque adeo in tali casu absolutio exponitur frustrationi, & Sacramentum non redditur certo validum, v. g. Est opinio asserentium, Confessarium existentem in Diœcesi Hispalensi, & approbatum ab Ordinario Cordubensi, posse virtute Cruciatæ eligi ad confessionem Diœcesani Hispalensis. Cum ergo constet ex tertia positione, nihil prodesse errorem communem pro supplenda jurisdictione, nisi detur titulus saltem putativus, isque à legitimo Superiore collatus; & in tali casu is confessarius habeat titulum à Superiore Cordubensi, qui non est legitimus Superior ad approbationem talis confessarii; sequitur, quod non habet titulum putativum à legitimo Superiore collatum; atque adeo probabile est, quod non absolvit valide, & consequenter exponit Sacramentum frustrationi.

158. Nec satisfacies, si dicas, sufficientem titulum esse Bullam Cruciatæ. Contra enim est. Nam Bulla Cruciatæ per se solam non est titulus sufficiens, ut confessarius gaudeat jurisdictione, sed requiritur etiam pro titulo, quod ipse designatus sit ad audiendas confessiones designatione, aut approbatione facta à legitimo Superiore, alioqui Sacerdos quilibet haberet titulum sufficientem, ex eo quod Pœnitens haberet Bullam Cruciatæ. Quod satis est absurdum.

ARTICULUS VI.

Discutitur secundus dicendi modus circa certitudinem jurisdictionis, ex eo quod independenter ab errore communi Ecclesia suppleat jurisdictionem.

SUMMARIUM.

Sententia communis proponitur, quod Ecclesia supplet jurisdictionem independenter ab errore communi. n. 159. & seqq.

Defenditur ut certa prædicta sententia ex eo, quod constat ex jure, quod consuetudo dat jurisdictionem. 161.

Jurisdictio Prælatorum Regularium partim habetur ex consuetudine. n. 162.

Archiepiscopus aliquando habet extensionem jurisdictionis ex consuetudine. n. 194.

Consuetudo est in Ecclesia, quod confessarij absolvant ex opinione verè, & practicè probabili circa jurisdictionem. n. 165.

Doctores, qui affirmant, dari eam consuetudinem. n. 166. & seqq.

159. Cum ex articulo præcedenti compertum sit, nō semper errorē communem esse satis ad reddendū certum valorem jurisdictionis confessarii neque semper supplere Ecclesiam jurisdictionem ex præfato errore communi, quærimus in præsenti, an certum sit, & non solum probabile, quod

quod independenter à tali errore communi Ecclesia suppleat defectum jurisdictionis confessarii, quoties datur opinio verè probabilis circa præfatam jurisdictionem, quæ recepta sit ut verè probabilis inter Doctores, & de cujus probabilitate non dubitetur inter sapientes.

160. Communissima sententia est inter Doctores, quod Ecclesia supplet defectum jurisdictionis, si fortè ille defectus contingit, dum confessarius utitur opinione verè probabili. Ex quibus aliqui id docent accidere ex errore communi, de quibus dictum est *art. anteced.* Alii autem id affirmant sine recursu ad errorem communem. Ita *Lugo Cardin. P. Arriaga, & Bonacina infra citandi in hoc art. Henriquez lib. 2. de Pœnit. cap. 14. n. 3. Trullench. lib. 1 Bul. §. 7. c. 1, dub. 2. 9. P. Castro Palao tom. 1. tract. 1. disp. 2. punct. 5. n. 9. P. Lessius lib. 2. cap. 29. dub. 8. n. 68.* asserens: *Non solum error communis, sed etiam probabilis Doctorum opinio efficit, ut Ecclesia det jurisdictionem. P. Gaspar Hurtado disp. 10. de Pœnit. diffic. 6.* Sed operæ pretium est, inquirere principium certum, ex quo ea assertio non maneat intra metas probabilitatis, sed remaneat omnino certa.

161 Dicendum ergo est, certum esse, quod Ecclesia supplet jurisdictionem confessarii; quoties datur opinio probabilis de jurisdictione, quæ opinio habeat supradictas qualitates. Probatur. Nam certum est in jure, quod *consuetudo dat jurisdictionem. Ex cap. Cum contingat; de foro compet.* ubi sic statuitur: *Nisi forte hi, quibus delinquentes ipsi deserviunt, ex indulgentia, vel consuetudine speciali jurisdictionem hujusmodi valeant sibi vendicare.* Et Glossa ibi adjuncta *verb. Vel consuetudine*, ait: *Nota, quod consuetudo dat jurisdictionem, & ex cap. Romana de sent. Excommunicat. in 6.* prohibens jurisdictionem quibusdam absolvendi à censuris subjungit Pontifex: *Salva contraria super hoc consuetudine, si quam habent.* Ubi Glossa repetit. eadem verba supra relata, quod *consuetudo dat jurisdictionem.* Idem constat *ex cap Romana, de foro compet. in 6. & Glossa ibidem verb Consuetudine. & cap. Ut litigantes*, de officio Ordinarii, *& cap. Dudum. §. Scilicet. de Electione. & cap. Cum quidam de Except. in 6. illis verbis: De re per Ecclesiasticum Iudicem judicata, in casu, quod ad eum pertinet cognitio de consuetudine, vel de jure, &c.* Ubi Glossa repetit eadem verba, quæ supra. *Et cap. Duo simul. De officio Ordinarij* dicitur: *Cum sit in Canonibus definitum, primates, vel Patriarchas nihil juris præ cæteris habere, nisi quantum Sacri Canones concedunt, vel prisca illis consuetudo contulit ab antiquo.* Constat etiam ex *Concil. Trident. sess. 22. in decret. de Reform. cap. 3.* illis verbis. *Si alicui ex prædictis dignitatibus in Ecclesiis Cathedralibus vel Collegiatis de jure, seu Consuetudine jurisdictio, administratio, vel officium non competat, &c.* Ex quibus verbis patet, jurisdictionem competere ex consuetudine.

192. P *Suarez tom. 4. de Relig. tract. 8. lib. 2. cap. 9 num. 3.* docet, jurisdictionem Prælatorum Regularium exemptorum introductam esse partim privilegiis Pontificum, partim consuetudine. In quo sic differit: *Addit Navarrus Comment. 2. de Regular. num. 65. hanc jurisdictionem magna ex parte introductam, vel auctam esse (consuetudine, quæ vim habet dandi jurisdictionem.) cap. Duo simul, de offic. Ordin. Quod etiam repetit comment. 3. de Regular. in fine. Et ideo consuetudinum etiam est habenda ratio: nam ratione illarum fieri potest, ut tota jurisdictio sit à Prælato Religioso quo ad omnia delicta; vel quod aliqua sint Episcopo reservata, &c.*

163. Sequitur hanc doctrinam eisdem terminis *P. Pellizarius tom. 2. tract. 10. cap. 10. n. 42.*

164. *Barbosa de potest. Episcopi part. 1. tit. 4. num.*

4. num. 36. docet Archiepiscopum posse vi *consuetudinis* exercere jurisdictionem in Dioecesi suffraganea. Et probat *ex cap. de foro compet. in 6. & in cap. 1. de Poenis in 6.* & citat *Marcum Antonium Genuens. in praxi Eccl. Neapol. cap. 70. Quarantam in Summa Bularii verb. Archiepiscopi authoritas. versu. 25.* & alios.

165. Atqui praxis est, & consuetudo in tota Ecclesia, quod confessarii absolvant ex opinione verè & practicè probabili circa jurisdictionem: ergo certum est, quod ex tali consuetudine, habent confessarii veram jurisdictionem.

166. Quod autem detur talis consuetudo, negari non potest: quia eam affirmant communiter Doctores, quorum communis opinio in quaestione facti facit certitudinem moralem, ut probavi *in 1. part. Cris. Theol disp. 12. cap. 5. n. 73.* (ultra experientiam, qua omnes videmus, ita practicari apud Sapientes) *P. Suarez tom. 4. in 3. part. disp. 27. sect. 5. n. 7.* ait: *Confirmatur ex universali Ecclesiae consuetudine, quae est sufficiens signum jurisdictionis, ut supradictum est. Est autem universalis Ecclesiae usus, ut Sacerdotes securè utantur hujusmodi jurisdictione* (probabili) *in administratione hujus Sacramenti.* Et quamvis *P. Suarez. n. 8.* dixerit, hunc discurrendi modum esse probabilem; non tamen dixit, esse solum probabilem consuetudinem Ecclesiae, sed illam tradit ut indubitabilem.

167. *Lugo Cardin. disp. 19. de Poenit. sect. 2. num. 31.* agens de hac consuetudine absolvendi cum jurisdictione probabili, ita asserit. *Et haec est praxis omnium fidelium, & totius Ecclesiae.* Et idem repetit *num. 33. & 34.*

168. *P. Arriaga tom. 8. Cursus Theol. disp. 39. sect. 5. subsect. 2. n. 43.* agens de hoc modo jurisdictionis probabilis, sic ait: *Cum ergo universalis Ecclesiae Consuetudo sit, uti securè ea jurisdictione probabiliter praesumpta, censetur Ecclesia eam tacitè approbare.*

169. *Diana part. 3. tract. 2. resolut. 3. §. Unde.* sic ait: *Ad VSVM vero universalis Ecclesiae, quem Peregrinus adducit* (in contrarium) *nescio, quomodo possit illum probare; imo contrarium apparet ex communi Doctorum sententia, ut suprà visum est, & confessarij passim absolvunt cum opinione probabili, etiam in casu, in quo agitur de eorum jurisdictione.*

170. Eamdem consuetudinem supponunt communiter Theologi dum asserunt cum magna asseveratione, quod quoties adest opinio vere probabilis circa jurisdictionem, Ecclesia illam supplet. Quae firma assertio supponit ita practicari in Ecclesia.

171. Audiendus est *Bonacina tom. 2. disp. 5. de Sacrament. Poenitent. quaest. 7. punct. 5. §. 4. num. 5.* ubi sic ait: (Ex quo infertur, eum, qui sequitur opinionem probabilem Doctorum sentientium, ipsum habere jurisdictionem absolvendi à reservatis, seu privilegium absolvendi non esse revocatum, valide agere, quae agit, ac si re ipsa jurisdictionem haberet, & privilegium nondum esset revocatum, etiam si fortè opinio illa probabilis à parte rei non subsistat, sed falsis realiter nitatur fundamentis: nam Ecclesia supplet jurisdictionem; alioquin sequerentur eadem incommoda, quae sequerentur, Ecclesia non supplente jurisdictionem, quando adest error communis, & titulus coloratus. Et hoc eodem modo communiter loquuntur Theologi fere omnes. Quo pacto non loquerentur Authores, si non esset ita in praxi receptum. Quid autem est praxis communis, nisi consuetudo.

ARTICVLVS VII.

An Ecclesia suppleat jurisdictionem, quando opiniones sunt tenuis probabilitatis? & quae illae sint?

SUMMARIUM.

Duplex genus opinionum probabilium, aliud tenuiter

nuiter probabilium, & aliud verè probabilium. n. 172.

Opiniones tenuiter probabiles non sunt vere probabiles. n. 173.

Opiniones tenuiter probabiles sunt practicè improbabiles. n. 174.

Improbabile est, quod liceat dirigere conscientiam ex opinione tenuiter probabili. n. 175.

Opiniones tenuiter probabiles sunt dubia probabilitatis, ex quibus resultat dubium practicum. n. 176.

172 NOtanter dixi articulo præcedenti, hanc jurisdictionem suppleri ab Ecclesia, *quando opiniones sunt receptæ tamquam probabiles, ita ut de earum probabilitate non dubitetur inter sapientes.* Nam si hæc qualitas desit opinionibus, non supplet Ecclesia. Pro cujus claritate notandum est, ex hoc decreto *Innocentii XI.* constare, esse duplex genus opinionis. Aliæ enim sunt vere probabiles, quæ communiter recipiuntur ut tales; & aliæ sunt tenuiter probabiles, id est (ut suo loco probabo) dubiæ probabilitatis, de quarum probabilitate dubitant viri sapientes. De quibus late dicam *disert.* 3. in explicatione tertiæ propositionis. Et in hoc secundo genere opinionum assero, Ecclesiam non supplere jurisdictionem.

173. Probatur primo. Nam consuetudo, quæ datur absolvendi juxta opiniones probabiles, est juxta illas, quæ sunt verè probabiles; sed opiniones tenuiter probabiles non sunt vere probabiles: ergo in his non datur talis consuetudo: ergo non licet absolvere juxta has opiniones. Minor patet. Nam *Innocentius XI.* in damnatione tertiæ propositionis, opiniones tenuiter probabiles excludit à numero probabilium: cum expresse asserat, imprudenter operari eum, qui operatur juxta opinionem tenuiter probabilem.

174. Probatur secundo. Nam Ecclesia non supplet jurisdictionem juxta opiniones, quæ sunt practicè improbabiles; sed opiniones tenuiter probabiles sunt practicè improbabiles: ergo Ecclesia non supplet jurisdictionem juxta opiniones tenuiter probabiles. Major, & consequentia sunt manifestæ.

175. Minor probatur dupliciter. Primo. Nam ex damnatione tertiæ propositionis constat, improbabile esse, quod possimus dirigere conscientiam ex opinione tenuiter probabili, sed id est esse in praxi, sive practicè improbabilem: ergo opinio tenuiter probabilis est practicè improbabilis.

176. Secundo probatur eadem minor. Opinio tenuiter probabilis est opinio dubiæ probabilitatis, ut ostendam *disertatione* 3. Sed opinio dubiæ probabilitatis est practice improbabilis ex dictamine reflexo: ergo opinio tenuiter probabilis est practice improbabilis. Probatur minor: quia improbabile est, quod possit quis regere conscientiam ex opinione dubiæ probabilitatis; cum dubia probabilitas involvat dubium practicum, cum quo nemini licet operari, nisi in partem tutiorem, & strictiorem. De quo vide quæ dixi *in 3. part. Crist. Theol disp. 56. cap. 9. art. 3.* Sed id est esse practice improbabilem, saltem ex dictamine reflexo: ergo opinio dubiæ probabilitatis est practice improbabilis, saltem ex dictamine reflexo.

177. Recensere omnes opiniones quæ sunt tenuiter probabiles, & versantur circa jurisdictionem confessarii, non est facile, nec in præsenti vacat: est tamen operæ pretium de aliquibus, quæ frequentius occurrere possunt in praxi, judicium ferre.

QUÆSTIO I.

An sit tenuiter probabilis, atque adeo explodenda, opinio, quæ docet, posse absolvi Regulares à reservatis virtute Cruciatæ?

§. I.

Refertur sententia laxior cum suis fundamentis.

SUM-

SUMMARIUM.

*Quantum laborarunt Pontifices in reprobanda opinione de absolutione Regularium à reservatis virtute cruciatæ?*n. 178.

*Quàm absurdum sit asserere certum esse quod Pontifex supplet jurisdictionem circa absolutionem Regularium à reservatis virtute Cruciatæ?*n. 179.

*Authores qui post Bullam Urbani affirmant, posse regulares absolvi virtute Cruciatæ.*n. 180.

*Primum eorum fundamentum ex eo quod Cruciata concedit omnibus electionem confessarii pro absolutione à reservatis. Et quod Cruciata revocat decreta Pontificum.*n. 181.

*Secundum quod illi Pontifices declararunt suam, non vero successorum intentionem.*n. 182.

Tertium, quod Commissarius Cruciatæ revocat privilegia Superioribus Regularium concessa. n. 183.

Et quod attinet ad privilegia Regularium, quæ excipiuntur in Bulla intelligitur solum de indulgentiis. n. 184.

*Quartum, quod revocatio facta à Pontificibus debuerit renovari & intimari quolibet anno.*n. 185.

*Quintum, ex eo quod à Constitutione Urbani supplicatum fuerit.*n 186.

*Sextum ex multitudine Authorum, qui eam opinionem tuentur.*n. 187.

178. LAborarunt Sanctissimi Romani Pontifices *Clemens VIII. Et Urbanus VIII.* ut exulare facerent opinionem, quæ docet, posse Regulares absolvi à reservatis virtute Cruciatæ; pro cujus probabilitate excludenda emiserunt Bullas in quibus declaraverunt, non esse intentionis Sedis Apostolicæ, id concedere Regularibus in bulla Cruciatæ. Et tamen id non est visum statis aliquibus Recentioribus, ut talem opinionem velint à probabilitatis gradu excludere, non simul conscientiarum periculo.

179. Et mihi quidem videtur absurdissimum quod hi recentiores velint; certum esse, quod Pontifex Romanus supplet jurisdictionem circa absolutionem à reservatis datam regularibus virtute Cruciatæ; cum plures Pontifices Romani oppositum declaraverint. Et quamvis hac de re, plurima sint scripta ab Authoribus, dicam breviter sententiam meam. Et qui plura desiderat, legat *Cardinalem de Lugo de pænit. disp. 20. sect. 9. & P. Matthæum de Moya tom. 1. select. tract. 3. disp. 18. quæst. 8.*

180. Prima opinio docet, adhuc post Bullam *Clementis VIII. & post aliam Urbani VIII.* posse Regulares absolvi à reservatis virtute Cruciatæ, à quolibet Sacerdote approbato ab Ordinario, quamvis aliqui ejus opinionis fautores limitent ad confessarios ejusdem Religionis Apud *P. Matthæum de Moya loco citato* invenies plurimos Authores, qui ante *Bullam Urbani VIII.* docuerunt, id esse licitum. Et post Bullam *Urbani* ea diligentia, qua solet, refert *Ludovicum à Cruce, Petrum de Leon. Trullenkum, Thomam Hurtado, Candidum, Leandrum á SS. Sacram. Remigium, Drepanum, Acacium de Velasco, Arauxo, Ioannem Martinez de Prado, Barnabam Gallego, Antonium Baco, Christoph. à S. Ioseph, & Ludovicum à Conceptione,* & eam novissimè propugnat *Mag. Hozes in appendice ad expositionem propositionis 1. ex damnatis* Quorum præcipua fundamenta sunt hæc.

181. Primum. Nam Bulla Cruciatæ universaliter concedit omnibus Fidelibus, qui eã acceperint, ut possint eligere quemlibet Confessariũ approbatũ ab Ordinario, pro absolutione à reservatis. Deinde quamvis *Clemens VIII & Urbanus VIII.* declaverint, non esse suæ intentionis id concedere Regularibus; ast post mortem eorum Pontificum, cum conceditur nova Bulla Cruciatæ, per eam clausulam generalem revocantur ea decreta horum Pontificum; atque adeo post mor-

tem illorum manet hæc facultas, sicut ante illa decreta.

182. Secundum. Quia *Clemens VIII.* solum declaravit suam intentionem circa intelligentiam eius privilegii generalis de absolutione Regularium à reservatis, & similiter *Vrbanus VIII.* non vero intentionem suorum successorum; successores autem nihil declararunt de intentione sua: ergo clausula generalis Bullæ datæ à successoribus intelligi potest in sua universalitate, cum prædicti successores eam universalitatem non limitarint.

183. Tertium. Nam privilegia concessa Superioribus Religionum, ne subditi gaudeant facultate eligendi confessarium pro reservatis concessa ante *Clementem VIII.* & revalidata à *Clemente, & Vrbano*, revocat Commissarius generalis Cruciatæ authoritate Apostolica; conceditur enim Commissario, ut possit suspendere omnes alias facultates, illis verbis: ***Vt suspendere possit, illo anno durante, omnes similes, vel dissimiles indulgentias & facultates ab eisdem, & Sede Apostolica, vel eius authoritate, quibusvis Ecclesiis, Monasteriis,*** &c. *etiamsi clausulas aliquas contra suspensionem facientes continerent* Et ita defacto eas suspendit Commissarius. Ergo suspensa remanent ea privilegia concessa Superioribus atque adeo subditi expediti manent ad utendum privilegio eligendi Confessarium pro reservatis.

184. Quod si dicas, excipi in Bulla Cruciatæ privilegia concessa Superioribus Religionum, ne possint suspendi illis verbis: *Exceptis tamen concessis ordinum mendicantium Superioribus, quoad eorum fratres tantum.* Respondent hanc clausulam intelligi de indulgentiis dumtaxat.

185. Quartum Nam revocatio facta à *Clemente, & Vrbano*, qua revocant privilegium universale cruciatæ, ne Regulares potiantur eo privilegio eligendi Confessarium pro reservatis, non est renovata quolibet anno in nova promulgatione Cruciatæ; & si renovata est, non est intimata subditis; & si intimata, non est acceptata: ergo ea revocatio non præstat suum effectum, defectu eorum requisitorum.

186. Quintum. Nam à constitutione *Vrbani VIII.* supplicatum est à Commissario nomine Regis Catholici, ut refert *Leand. à SS. Sacram tom. 1. tract. 5. de Pœnit. disp. 2. q. 58.* se audivisse *à Mag. Arauxo, & hic in decis. select. tract. 1. quæst. 8. num. 28.* inquit: *Ex parte Regis Hispani rogatus fuit Urbanus VIII. ne in sua Bulla exprimeret dictam exceptionem Regularium.*

187. Sextum. Quia probabilitas extrinseca est, quæ nititur authoritate doctorum: cum ergo tot, tantique doctores stent pro hujus opinionis probabilitate, quomodo potest negari, eam esse probabilem ab extrinseco?

§. II.

Improbabilitas laxioris opinionis ostenditur.

SUMMARIUM.

Discrimen inter legem prohibitoriam, & declarationem Pontificis in materia morum. n. 188.

Repugnat Sanctitati Ecclesiæ, quod Ecclesia admittat ut licitam actionem illicitam. remissive n. 189.

Cum Pontifex ut caput Ecclesiæ declarat, aliquid esse illicitum, tenemur id admittere tamquam certum. remissive n. 190.

Opinio docens, Cruciatam prodesse Regularibus pro reservatis, est tenuis, & dubia probabilitatis. n. 191.

Cathedra Romana declarat fuisse, & esse illicitum. quod regulares utantur Cruciata pro reservatis. n. 192.

Id constat ex Bullis Urbani, & Clementis, n. 193.

Pontificem illud declarare, est declarare id esse illicitum & invalidum. n. 194.

Pontifices declarant, nec prodesse, nec profuisse, nec pro futuram Cruciatam Regularibus pro reservatis. n. 195.

In

In ipsa Cruciata est sufficienter expressum, ne prosit Regularibus pro reservatis. n. 196. & seq.

Restringere exceptionem ad solas indulgentias est contra ipsum contextum. n. 198.

Dum Pontifices declarant, non profuisse antea Cruciatam Regularibus pro reservatis, non declarant solum suam intentionem. n. 199. & seq.

Quomodo si opposita opinio esset vera, erraret Pontifex in materia morum; & qua inde absurda inferrentur? n. 201. & seq.

Convincitur ea responsio, quod Pontifices non locuti fuerint ex Cathedra. n. 204.

Infertur etiam, quod opposita opinio sit tenuis probabilitatis. n. 205.

188. LAborant in æquivoco Authores ejus opinionis laxioris, dum non distinguunt inter legem prohibitoriam, & declarationem Romanæ Cathedræ in materia morum: nam hæc duo differunt in multis, ut mox videbimus. Etenim quando Pontifex Romanus ex Cathedra declarat, aliquam actionem esse illicitam, repugnat illam esse licitam, aut practicè probabilem; & quando declarat, esse licitam, repugnat esse illicitam, aut practicè improbabilem, ut multis demonstravi in 1. *part. Crif. Theol. disp. 9. cap. 6. & seq.* præcipuè argumento desumpto à Sanctitate Ecclesiæ, & supra in disertatione proœmiali.

189. Est enim de fide (ut profitemur in symbolo Apostolorum) Ecclesiam esse sanctam. Convenit autem inter Sanctos Patres, & Theologos, sanctitatem Ecclesiæ partim consistere, in eo quod doctrina Ecclesiæ sancta est. Non posset autem doctrina esse Sancta, si Ecclesia admitteret tamquam licitam actionem illicitam, & peccaminosam; vel respueret tamquam peccaminosam, & turpem, actionem honestam. Deinde si Romanus Pontifex loquens ex Cathedra in hoc erraret, Ecclesia exponeretur eidem errori: securitas enim promissa Ecclesiæ à Christo Domino non errandi in materia morum fundatur, & solidatur in Petræ firmitate, id est, in securitate non errandi, quam habet caput, & Magister Ecclesiæ. Quæ omnia latissimè demonstravi in loco citato, & supra *in disert. proœmiali.*

190. Hinc fit, quod quando Pontifex Romanus ut caput Ecclesiæ declarat, aliquid esse illicitum, eo ipso quod certò sciamus, esse id declaratum à Pontifice, tenemur id admittere tamquam veram, & certam doctrinā, sine nova aliqua intimatione, aut publicatione in conventibus, communitatibus, aut provinciis facienda. Nam eo ipso quod certo sciamus, aliquam doctrinam esse certam, tenemur eam amplecti, & secundum illam operari, undecumque proveniat certitudo illius; ut latius tradidi *in disertat. proœmiali, & in 3. part. Crif. Theol. disp. 77. c. 4.*

191. His præmissis, fit conclusio. (quam ut omninò certam propugno) Opinio docens, Bullam Cruciatæ prodesse Regularibus pro eligendo confessario ad reservata, esse tenuis, & dubiæ probabilitatis, & consequenter necessario excludenda à praxi. Et quidem tenuis probabilitas damnatur ab *Innocentio XI.* in tertia propositione hujus decreti; quare quæ tenuiter probabilis est, necessario est excludenda á praxi. Deinde quando probabilitas est dubia, sive (quod idem est) quando dubitatur de probabilitate, adest dubium practicum, in quo necessariò tutior pars est eligenda, juxta ea, quæ tradidi *in 3. part. Crif. Theol. disp. 56. cap. 9. art. 3* Et cum assero, eam opinionem esse tenuis, & dubiæ probabilitatis, eam qualitatem illi attribuo ut minimum; nam reverà censeo, illam esse improbabilem, & certo falsam.

192. Ostenditur primò conclusio. Romanus Pontifex loquens ex Cathedra, declarat,

fuisse, & esse illicitum, quod Regulares utantur, aut usi fuerint Bulla Cruciata pro absolutione à reservatis: sed Pontifex loquens ex Cathedra errare non potest in eo, quod declarat illicitum: ergo certum est, id esse illicitum. Minor patet ex principio præacto.

193. Major constat ex Bulla *Urbani VIII.* in qua sic legitur: *Motu proprio, & ex certa scientia, & matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, concessionem Sanctæ Cruciatæ... quantum ad prædictum articulum eligendi Confessarium, & absolvendi à prædictis casibus reservatis, etiam in Bulla Cænæ Domini contentis, cum fratribus, & Monialibus prædictis fratrum Prædicatorum, ac aliorum quorumcumque Ordinum... locum minimè habuisse, neque habere, nec illis ullo modo suffragari potuisse, nec posse... earumdem tenore præsentium perpetuo declaramus.*

194. Sed quid est, declarare Pontificem, quod concessio Bullæ ad eligendum Confessarium pro reservatis, non habet locum cum Regularibus; nisi declarare, illicitum esse, & invalidum, uti Bulla ad eum effectum? Et quid est declarare, eam concessionem Bullæ nec potuisse, nec posse, suffragari Regularibus; nisi illam esse invalidam, atque adeo illicitum uti tali concessione? Qui ergo dicunt, Regulares, invitis Superioribus, posse uti Bulla Cruciata ad eum effectum, evidenter refragantur doctrinæ, quam tradit, & declarat Romana Cathedra.

195. Alio modo potest efformari hoc argumentum. Etenim quod declarat Pontifex, est omnino certum; sed Pontifex declarat, nec prodesse, nec profuisse, nec profuturam Bullam Regularibus ad electionem Confessarii pro reservatis: ergo certum est, nec prodesse nec profuisse, nec profuturam ad eum effectum. Minor patet ex ultimis verbis textus proximè relati; nempe: *Nec illis suffragari potuisse, nec posse... perpetuo declaramus*; quod idem est, ac *in perpetuum declaramus.*

196. Idem eodem modo declaraverat *Clemens VIII.* ut constat ex proœmio Bullæ Urbani VIII. ubi dicitur: *Idem Clemens prædecessor sua perpetuo valitura constitutione declaravit, facultatem, & concessionem Sanctæ Cruciatæ, & aliorum indultorum prædictorum, quantum ad prædictum articulum eligendi Confessarium, & absolvendi à casibus reservatis, non habere locum cum fratribus, & sororibus monialibus quorumcumque Ordinum &c. neque eis suffragari.*

197. Confirmatur. Nam in ipsa Bulla Cruciatæ, est sufficiens fundamentum, ut (concurrente assistentia Spiritus Sancti, ne erraret in materia morum) certo cognosceret *Urbanus VIII.* eam concessionem non potuisse suffragari Regularibus. Nam cum antecedenter ad Bullas *Clementis VIII. & Urbani VIII.* haberent Superiores Religionum id privilegium, quod eorum subditi non possent uti privilegio Bullæ ad absolutionem à reservatis, hoc privilegium expresse retinetur in ipsa Bulla: quæ dum concedit Commissariuo ut suspendere possit gratias, & facultates alias, excipit eas, quæ concessæ sunt Superioribus Regularium quoad eorum subditos. Sic enim habetur in ipso contextu: *Idem prædicto Commissario, & Receptiori generali datur facultas, ut suspendere possit, dicto anno durante, omnes similes, vel dissimiles Indulgentias, & facultates ab eisdem, vel Sede Apostolica, vel eius authoritate, quibusvis Ecclesiis, monasteriis, &c. Exceptis tamen concessis Ordinum mendicantium Superioribus quoad eorum fratres tantum.*

198. Quod autem dicunt Authores partis oppositæ, solum excipi indulgentias, non autem facultatem eligendi Confessarium pro reservatis, est expresse contra ipsum contextum Cruciatæ in verbis relatis, in quibus conceditur facultas suspendendi *Indulgentias, & facultates, exceptis, &c.* ergo non solum excipi-

cipiuntur indulgentiæ ab ea revocatione, aut suspensione, sed etiam facultates.

199. Confirmatur secundo. Nam etiam laborant in æquivoco Authores oppositæ sententiæ, dum dicunt, *Clementem VIII.* declarasse suam intentionem non concedendi in Bulla Cruciatæ eam facultatem Regularibus; non vero declarasse intentionem successorū, & ideo mortuo Clemente, revocari per Bullam Cruciatæ eam dispositionem Clementis. Est enim ingens æquivocatio in eo, quod non cognoscunt discrimen inter *hoc*, quod est declarare suam intentionem, & *hoc*, quod est, declarare, quod numquam profuit Cruciata Regularibus ad hunc effectum absolutionis à reservatis.

200. Declarant enim Pontifices, quod numquam profuit, illi autem Authores affirmant, quod profuit, scilicet mortuo Clemente: pugnat ergo aperto marte ea opinio cum declaratione Pontificis. Declarant Pontifices, in illa clausula generali Cruciatæ, nihil concedi Regularibus; affirmant illi Authores in illa clausula generali, concedi eam facultatem Regularibus. Quibus ergo major fides habenda est, Pontificibus, an illis Authoribus? Declarant Pontifices, illam absolutionem à reservatis datam Regularibus virtute Cruciatæ esse, & fuisse, & fore invalidam, & adhuc volunt isti authores, quod ipsi Romani Pontifices, qui tam acriter resistunt ei opinioni, suppleant jurisdictionem, ut maneant valide absoluti. Quod an sit absurdum, judicent viri docti. Videantur *Lug. Card. P. Andreas Mendo, & P. Math. Moy. §. seq. cit.* qui hoc argumentum variis modis evidenter urgent, desumptum à declarationibus Pontificum.

201. Confirmatur tertio. Si Pontifex docens ex Cathedra declararet, Confessionem Sacramentalem validam, & per se bonam, esse irritam, & inutilem, erraret Pontifex in materia morum; sed confessionem, quam oppositi Authores dicunt esse bonam & validā declarat Pontifex, esse invalidam; ergo si ea Confessio esset bona, & valida, qualem dicunt ij Authores, Pontifex erraret in materia morum. Quod si in hoc erraret Pontifex, Ecclesia etiam exponeretur errori; atque adeo Ecclesia non esset sancta, contra symbolum Fidei. Et hæc fulciuntur verbis *Bellarmini lib. 4. de Rom. Pontif. cap. 1.* quæ attuli ad simile propositum *in 1. part. Crisf. Theol. disp. 9. c. 6. art. 1. num. 51. & supra in disert. proemiali: Quod autem non possit Pontifex errare in moribus per se bonis, vel malis, probatur. Nam tunc Ecclesia non posset dici vere sancta, ut in symbolo Apostolorum vocatur. Nam sancta dicitur potissimū ob sanctam professionem, ut alibi ostendimus, quia nimirum legem, & professionem sanctam profitetur, quæ nihil docet falsum, nihil præcipit malum. Secundo, quia tunc necessario erraret contra Fidem. Nam Fides Catholica docet, omnem virtutem esse bonam, omne vitium esse malum. Si autem Papa erraret, præcipiendo vitia, vel prohibendo virtutes, teneretur Ecclesia credere, vitia esse bona & virtutes malas.* Huc usque *Bellarminus*.

202. Ex quibus verbis instauratur vis ejus confirmationis. Nam Pontifices declarant, & docent Ecclesiam, eas absolutiones datas Regularibus esse, & fuisse invalidas, & consequenter vitiosas. Si autem Pontifex erraret, teneretur Ecclesia credere, confessionem bonam, & validam, esse invalidam & vitiosam; unde inferretur Ecclesiam non esse sanctam, utpote quæ haberet doctrinam falsam in materia morum, docens esse vitiosam actionem, quæ esset moraliter bona.

203. Dices, id non declarasse *Vrbanum*, ut caput Ecclesiæ, vel ut loquentem ex Cathedra, sed ut privatum Doctorem; quod videtur insinuare *Hozes in ea quæst. appendice ad 1. propositionē dānatā, n. 12.* quāvis id non affirmet.

204. Sed quid est Romanum Pontificem loqui ut caput Ecclesiæ, & ex Cathedra? id ex pro-

professo tradidi in 1. part. Crist. Theol. disp. 9. cap. 20. art. 3. & in disert. proem. c. 9. à n. 90. ex communi sententia Theologorum, quam tradunt P. Suarez contra Regem Angliæ lib. 1. cap 6. num. 15. & 16. & P. Valencia 2. 2. quæst. 1. punct. 7. §. 39. & P. Granado 2. 2. controv. 1. tract. 7. disp. 2. num. 1. videlicet, tunc loqui ut caput Ecclesiæ, *quando decretum edit pro universa Ecclesia, & vult à Fidelibus indubitanter admitti*. Ex ipso autem contextu Bullæ *Urbani* apertè constat, eum decernere pro regularibus, & pro Confessariis totius Ecclesiæ, & velle, quod ab omnibus indubitanter admittatur.

205. Ex dictis constat, quod quamvis tot Authores dixerint, esse probabilem opinionem oppositam, qui propterea videntur facere probabilitatem; hæc probabilitas ad summum dicenda est tenuis, utpotè opposita manifestæ declarationi Cathedræ Romanæ: quæ tenuis probabilitas revera est improbabilitas practica.

§. III.

Secunda demonstratio traditæ doctrinæ.

SUMMARIUM.

Præfata opinio est tenuiter probabilis. n. 206.

Quot, & quanti Authores dubitent de ejus probabilitate, & improbabilem censeant? n. 207. & *seqq.*

Quid statuerit Congregatio sexta generalis Societatis IESU? n. 218.

Quomodo dubitatio de probabilitate eius non sit evitabilis? n. 219.

Non potest impendi absolutio juxta opinionem probabilem de jurisdictione, nisi sit certum, quod Romanus Pontifex supplet. n. 220.

206. Ostenditur secundò conclusio. Opinio, de cujus probabilitate dubitatur inter sapientes, est opinio tenuiter probabilis; illa quidem, quæ damnatur in 3. propositione condemnata in hoc decreto ut suo loco ostendam: sed opinio de absolutione Regularium à reservatis virtute Cruciatæ, est opinio, de cujus probabilitate dubitatur inter sapientes: ergo ea opinio est tenuiter probabilis; atque adeo subjacet damnationi tertiæ propositionis.

207. Probatur minor. Quia de probabilitate ejus opinionis non solum dubitant multi viri sapientes, imo vero tamquam certum affirmant, illam esse improbabilem, aut non securam, vel quid simile. P. Suar. tom. 4. de Relig. tract. 8. lib. 2. cap. 16. nu. 3. postquam retulit Authores opinionis laxioris, ait: *Respondeo nihilominus, contrariam sententiam esse veram, securam, & Religioni maximè consentaneam.* Quibus verbis indicat sententiam laxiorem esse parum securam, atque adeo dubiæ probabilitatis practicæ.

208. *Mag. Ioannes à S. Thoma in explicatione doctr. Christianæ 2. part. notat. 2.* pro casibus reservatis docet, eam opinionem de absolutione Regularium à casibus reservatis virtute Cruciatæ, *non esse securam*.

209. *Lugo Cardin. de Pœnit. disp. 20. sect. 9. num. 153.* agens de nostra sententia ait: *Communis est apud omnes fere Theologos propter expressam, & sæpissimè repetitam declaratione Summorum Pontificum, qui contrariam doctrinam ut omnino falsam reprobarunt.* Et num. 154. ait: *Fundamentum irrefragabile hujus sententia desumitur ex declaratione Pontificum.* Ubi ponit declarationes *Iulij II. Leonis X. Sixti IV. Alexandri VI. Innocentij VIII. Gregorij XIII. Clementis VIII. Pauli V. Gregorij XV. & Urbani VIII.* Dicere autem, fundamentum esse irrefragabile idem est, ac dicere sententiam irrefragabiliter certam. Et *nu.* 158. sic inquit: *Probatur nostra sententia argumentis adeo claris, ut in re morali faciant demonstrationem.* Et *num.* 159. ubi retulit decretum *Gregorij XV. in litteris, datis die 26. Febr. 1622.* subdit: *Videant nunc adversarij, cui in hac re magis credendum sit*

sit circa sensum verborum Bullæ; an cuilibet alteri, an ipsismet Pontificibus, qui declarant, sensum illorum verborum non esse, nec fuisse, nec fore talem, ut concedatur facultas prædictis Religiosis. Et *num.* 168. ait: *Qua declaratione posita, non video, quomodo jam opinio illa possit amplius sine gravioris censuræ nota sustineri.*

210 *Antoninus Diana 3. part. in Addit. resol.* 9. ait: *Hanc sententiam puto non esse probabilem, nec tutam in praxi, stante Bulla Urbani VIII. innovantis Bullam Clementis VIII.* Et quamvis *part.* 11. *tract.* 6. *resolut.* 37. dixerit: *Interrogatus per litteras ex Hispania à pluribus, an sententia affirmativa sit probabilis, non ausus sum nota improbabilitatis inurere.* Is tamen modus dicendi satis indicat, non esse securum, sed potius dubium de probabilitate. Dubium autem de probabilitate est dubium practicum, in quo tutior pars est eligēda, ut sæpe diximus.

211. *P. Bardi in Bullam Cruciatæ part.* 1. *tract.* 2. *cap.* 5. *sect.* 2. *n.* 50. affirmativam sententiam tamquam improbabilem, & falsam damnat, referente Antonino Diana proxime citato, & *non immerito à nonnullis temerariam adminus censeri,* ut refert, P. *Moya* mox allegandus.

212. P. *Arriaga tom.* 2. *in* 3. *part. disp.* 41. *n.* 18. *Non solum falsa, sed etiam improbabilis videtur prima sententia universaliter dans Religiosis facultatem eligendi quemcunque Confessarium, qui absolvat à reservatis.* Idē repetit *disp.* 44. *n.* 5

213. P. *Andreas Mendo in Bullam Cruc. disp.* 24. *cap.* 12. *n.* 122. ait: *Fundamentum hujus conclusionis à modernis Authoribus allatum, & est convincens, & adeo irrefragabile, ut contrariam sententiam penitus improbabilem relinquat, eaque in praxi minime exerceri queat: quare nullatenus poterit quis illi fidere, nec se conformare: ut ajunt plerique ex prædictis Authoribus, & innumeri viri docti plurium annorum spatio à me consulti censerunt. Imo, ut innuit Card. Lugo majori nota, quam improbabilitatis, esset opposita Sententia inurenda.*

214. P. *Mathæus de Moya tom.* I. *select. tract.* 3. *disp.* 8. *quæst.* 8. *num.* 28. ait, quod *Urbani* declaratio *omnem Recentiorum authoritatem penitus elevavit, ita ut eorum opinioni nulla, neque extrinseca probabilitas subesse possit.* Et *num.* 24. ait, omnes Theologos (exceptis iis, quos ibi refert) sententiam negativam defendere ut omnino certam: defendere autem hanc sententiam, ut omninò certam, est defendere oppositam esse certò falsam.

215. P. *Fragosus tom.* 2. *part.* 2. *lib.* 2. *disp.* 7. affirmat, eam opinionem de absolutione Regularium virtute Cruciatæ esse *omnino improbabilem*, ut refert P. *Moya* proximè citatus.

216. P. *Antonius Escobar de Mendoza lib.* 7. *problem.* 32. *num.* 359. asserit, eam opinionem esse *omnino improbabilem*, apud P. *Moyam* nuper relatum.

217. *Raymundus Lumbier tom.* 3. *Summa in explicat. prop.* 1. *n.* 1696. *pag* 1074. ait: *En estos tiempos es opinion temosa, y porfiada, y harto perniciosa, la que enseña, que vale la Cruzada à los Religiosos, y Religiosas, para los casos que reservan sus Prelados. Y aunque se, que ay muchos, que por sus fines particulares se arriman à esse sentir, para mi es del todo improbable practice.* Quæ ita fideliter transferuntur in latinum sermonem: *His temporibus est opinio proterva & pertinax, & nimis perniciosa, quæ docet, prodesse Cruciatam Regularibus viris, & fœminis in Ordine ad Casus, quos reservant eorum Prælati. Et quamvis sciam, esse plures, qui ob privatos fines adhærent huic sententiæ meo judicio ea est omnino improbabilis practice.* Et *num.* 1698. acrioribus terminis eamdem sententiam condemnat, appellans lupos carnivoros eos Confessarios, qui admittant ad absolutionem reservatorum Regulares, & moniales vi Cruciatæ.

218. Congregatio 6. *Generalis Soc. Iesu*, in quam convenerunt viri sapientissimi Societatis Iesu ex tota Europa decreto 5. eam opinionem censuit improbabilem. Et ita decrevit

O

crevit, & prohibuit: *Nemo ut nostrorum auderet, vel docere, vel in praxi contrariam sententiã tenere, vel Sacerdotes absolvere quemquam ad se cum reservatis casibus accedentem præsumerent vi Bullæ Cruciatæ, nec qui accedunt, tutos se ullo modo in cõscientia, quasi ritè absolutos, arbitrētur*

219. Cum ergo tot sint Theologi, & tam sapientes, qui tamquam omnino certum affirmant opinionem de absolutione Regularium à reservatis vi Cruciatæ esse omnino improbabilem, & certo falsam; quis vir prudens erit, qui (ut minimum) non dubitet de probabilitate eius opinionis? Dubitatio autem de probabilitate opinionis est dubium practicum, in quo necessirio tutior pars eligenda, vt sæpius diximus, & demonstravimus, sicut etiam, quod opinio dubiæ probabilitatis ex dictamine reflexo est practice improbabilis.

220. Ex quo novum argumentum demonstrativum resultat. Vt Sacerdos absolvat juxta opinionem probabilem de jurisdictione, necessarium est, esse omnino certum, quod Romani Pontifices supplent jurisdictionem: sed ubi dubitatur de probabilitate opinionis, non potest esse certum, quod Romani Pontifices supplent jurisdictionem; cum id solum sit certum, quando constat de probabilitate opinionis: ergo ubi dubitatur de probabilitate opinionis, Sacerdos absolvere non potest. Minor & consequentia patent. Major autem, si penetrentur termini, evidens est. Nam ut absolutio evadat certa, non sufficit probabilitas opinionis, sed requiritur aliud principium certum, quod non est aliud, nisi ipsa certitudo de supplemento jurisdictionis facto à Principe Ecclesiæ.

§. IV.

Solvuntur objectiones §. 1. proposita.

SVMMARIVM.

Quomodo Bulla non concedat omnibus omnino fidelibus, quod possint absolvi à reservatis? n. 221.

Quomodo Pontifices non declaraverint solum suam ipsorum intentionem? Et quomodo laboret in æquivoco Authores partis oppositæ? n. 222

An Pontifices declaraverint etiam intentionem successorum? n. 223.

An Commissarius revocet facultates concessas Superioribus Religionum quoad eorum ordinum fratres. n. 224.

Discrimen inter revocationem privilegii, & declarationem doctrinæ, quoad intimationem, & acceptationem. 225.

Item discrimen inter legem, & declarationem doctrinæ quoad supplicationem Regis factam Pontifici. n. 226.

Quomodo non sit ad rem quadam supplicatio Regis, quæ refertur. n. 227.

Quomodo non resultet probabilitas ex authoritate Doctorum oppositæ partis? n. 229.

Neque satisfecerint fundamentis nostræ sententiæ. n. 130.

Infertur, oppositam opinionem esse tenuis, & dubiæ probabilitatis. n. 231.

221. AD primam respondeo, negando antecedens, quod Bulla concedat id omnibus Fidelibus, nullo excepto: quia expressè excipit Regulares, dum concedit Commissario, quod possit suspendere omnes indulgentias, & facultates, exceptis iis, quæ concessæ sunt Regularium Superioribus quoad eorum ordinum fratres. Deinde quia Romani Pontifices declararunt, per eam clausulam generalem non prodesse Regularibus eam facultatem, neque profuisse, neque profuturam esse.

222. Ad id, quod subjungitur, dico, falsum esse, quod *Clemens & Vrbanus* solum declaraverint suam ipsorum intentionem; cum expresse declaraverint, numquam suffragatam esse Regularibus Cruciatam ad hunc effectum, & numquam suffragaturam. Et quidem

dem laborant in æquivoco, ut diximus, Authores partis oppositæ, dum non distinguunt inter declarationem doctrinæ, quam faciunt Romani Pontifices, & declarationem suæ ipsorum intentionis personalis. Si enim solum declararent suam ipsorum intentionem, non dixissent, numquam illis profuisse Cruciatam ad hunc effectum; sed solum se non habere intentionem concedendi in Bulla Cruciata eam facultatem.

223. Ad secundam constat ex dictis, eos duos Pontifices non declarasse solum suam peculiarem intentionem, sed declarasse doctrinam de nullitate absolutionis Regularium datæ vi Cruciatæ. Et cum talem doctrinam declaraverint in perpetuum illis verbis *Perpetuo declaramus*; & ex illis, *Ad perpetuam rei memoriam* constat evidenter, quod declaraverint intentionem successorum. Quod autem dicitur successores non declarasse suã intentionem, etiam est falsum. Nam successores *Clementis*, scilicet *Paulus V. & Gregorius XV.* etiam declararunt suam intentionem eodem modo, ac ipse *Clemens*.

224. Ad tertiam concedo, Commissarium suspendere omnes alias indulgentias, & facultates; sed expresse excipiuntur indulgentiæ, & facultates, quæ concessæ sunt Superioribus Religionum quoad eorum ordinum fratres. Ideoq; privilegia concessa Superioribus, ne per Cruciatã absolvatur subditi à peccatis, quæ reservata sunt ipsis superioribus, non suspenduntur. Quod autem dicitur, excipi solum indulgentias, & non facultates contra evidentiam rei pugnat; cum verba Bullæ sint, *ut suspendere possit, illo anno durante, omnes similes, vel dissimiles indulgentias, & facultates ... exceptis tamen concessis Ordinum mendicantium Superioribus, &c.* Ut latius constat ex supradictis. Præterea, quia indulgentiæ non conceduntur Superioribus, sed omnibus Regularibus.

225. Ad quartam dico, in ea clarius cognosci æquivocationem, qua laborant Authores partis oppositæ, dum non distinguunt inter declarationem doctrinæ, & legem prohibitoriam. Nam licet lex revocatoria privilegii indigeat intimatione; (quod non est usque adeo certum, ut non indigeat distin〈c〉tione; de quo postea) & licet quævis lex indigeat acceptatione (sub illis tamen modificationibus, quas latè tradidi in 2. *part. Crif. Theol. disp. 29.*) declaratio tamen doctrinæ facta à Romano Pontifice, nõ eget intimatione neq; acceptatione: quia ubi quis certo scit, hanc esse doctrinam traditam á Romano Pontifice, tenetur eam admittere, & acceptare ut veram, quamvis neque intimetur, neque in Diœcesi, vel Provincia solemniter promulgetur, ut latius tradidi in 3. *part. Crif. Theol. disp. 77. cap. 4.* quia dum certo scimus, aliquam doctrinam morum esse veram; non possumus claudere oculos lumini certitudinis.

226. Ad quintam. Etiam in hac clarè conspicitur hallucinatio Authorum oppositæ partis, non distinguentium declarationem doctrinæ à lege Dicendum ergo est, quod quamvis per supplicationem Regis suspendatur obligatio legis; non tamen suspenditur declaratio doctrinæ morum facta à Romana Cathedra. Declaravit *Clemens VIII.* opinionem de absolutione in absentia esse falsam, & scandalosam. Numquid si Rex Catholicus supplicaret, prodesset aliquo modo ejus supplicatio, vel ut suspenderetur declaratio, vel ut revocaretur? Quis tale monstrum potest admittere? Cum ergo multi Romani Pontifices declaraverint, concessionem Bullæ quoad absolutionem à reservatis non potuisse suffragari Regularibus, atque adeo invalide esse absolutos, qui ea usi fuissent; nihil prodest supplicatio Regis contra certam veritatem doctrinæ morum.

227. Quod autem dicit *Magist. Arauxo*, sup-

supplicatum esse *Vrbano VIII.* ne in ipsa concessione universali apposita in Bulla apponeretur expressius exceptio Regularium; nihil probat, etiamsi *Vrbanus* annuerit ei supplicationi. Nam cum in ipsa Bulla sit expressa ea exceptio Regularium illis verbis: *Exceptis tamen concessis Ordinum mendicantium Superioribus quoad eorum fratres tantum.* Non fuit necesse id apponere iterum in prædicta clausula universali.

228. Et hinc cognoscitur, *Leandrum* à SS. Sacramento passum fuisse æquivocationem, cum dixit, se audivisse à *Mag. Arauxo*, supplicatum esse à Bulla *Urbani*, cum ipse *Arauxo* solum dixerit, supplicatum esse, ne exprimeretur exceptio immediate in ipsa clausula universali.

229. Ad sextam. Constat ex ijs, quæ late demonstravi *in 1. part. Crif. Theol. disp. 1. & in 3. part. disp. 55. & 56. & 57.* non resultare probabilitatem extrinsecam, nisi Authores sint omni exceptione majores. Et licet Authores hujus opinionis in aliis quæstionibus sint omni exceptione majores, quia in illis quæstionibus nullam patiuntur exceptionem ex illis quatuor exceptionibus ibidem assignatis; at in hac quæstione subjacent duabus prioribus exceptionibus. Prima enim exceptio ex ibi assignatis est, quod loquantur contra principium certum; nullum autem certius principium est in re morali, quam declaratio Cathedræ Romanæ, contra quam in hac quæstione differunt prædicti Authores. Secunda autem exceptio contra authoritatem Doctoris, & probabilitatem extrinsecam est, quod doceant ex fundamento levi, aut æquivoco, aut sophistico. Constat autem ex dictis, eos Authores circa hanc quæstionem in æquivoco laborare, dum declarationem doctrinæ morum confundunt cum lege prohibitoria: & cum declaraverint Pontifices, eam concessionem universalem de absolutione à reservatis numquam profuisse Regularibus, illi Authores, insigniter decepti, putant, solum declarare suam personalem intentionem; cum hæc duo toto cælo distent inter se. Cum ergo in hac quæstione patiantur eas duas exceptiones, constat eos quoad hanc quæstionem nō esse omni exceptione majores.

230. Sed & quartam exceptionem ibidem assignatam patiuntur, nempe quod non accurate discusserint fundamenta utriusque partis. Nam ut optime notavit *P. Mathæus de Moya tom. 1. select. tract. 3. disp. 8. quæst. 8. num. 28.* ij Authores numquam discusserunt id argumentum, quod desumitur ex ea declaratione Pontificis. Audienda sunt verba hujus Doctoris: *Quapropter eorum incuria .. in præfatis decreti verbis, prout ad præteritum referuntur; expendendis, omnem Recentiorum authoritatem penitus elevavit, ita ut eorum opinioni nulla, neque extrinseca probabilitas subesse possit: quia nullus hucusque directe respondit citatis decreti verbis ad præteritum relatis.*

231. Ex quibus omnibus concluditur, eā opinionem laxiorem de facultate Regularium circa eligendum Confessarium pro absolutione à reservatis esse (ut minimum) tenuiter probabilem, & consequenter practicè improbabilem, ex eo dictamine reflexo, contento in damnatione tertiæ propositionis, quod improbabile est, posse gubernari conscientiam ex opinione tenuiter probabili. Item esse dubiæ probabilitatis, & consequenter dubium practicum, in quo necessario tutior pars amplectenda est. Et consequenter etiam ex hoc capite est practicè improbabilis, ex eo dictamine reflexo, quod improbabile est posse gubernari conscientiam ex opinione dubie probabili.

QUÆSTIO II.

An Ecclesia suppleat jurisdictionem ejus Religiosi, qui approbatus ab Ordinario pro viris tantum, audit etiam confessiones fœminarū?

§. I.

§.I.

Refertur opinio laxior cum suis fundamentis.

SUMMARIUM.

Praxi approbandi Confessarios minores quadragenariis cum limitatione ad solos viros. Et opinio docens eam limitationem non intelligi quoad Regulares. n. 232. & seq.

Primum fundamentum ejus opinionis à paritate Curati ad Regularem. n. 234.

Secundum, ex eo quod ea exclusio Regularium innititur falsæ præsumptioni. n. 235.

Tertium, ex eo quod ea exclusio ponitur per modum concilii n. 236.

Quartum ex eo quod ad Episcopum solum pertinet approbatio Regularis quoad idoneitatem Scientiæ. n. 237.

Quintum, ex eo quod tales Regulares habent approbationem generalem. n. 238.

232. FRequens est in Diœcesibus Hispaniæ, cum Episcopi approbant Confessarios, etiam Regulares, ad audiẽdas Confessiones, apponere eam limitationem, ne audiant Confessiones fœminarum, donec impleant quadragesimum ætatis annũ

233. Opinio est aliquorum scriptorum, Regulares approbatos ab ordinario loci pro audiendis Confessionibus virorum, posse etiam audire confessiones fœminarum de licentia sui Prælati Regularis. Ita *Villalobos tom. 1. Sum. tract. 9. diff. 53. n. 2. citans Vegam, & Lumbier tom. 2. Sum. n. 734. fol. 932.* Sed hi Authores id dixerunt ante Bullam *Clementis X.*

234. Fundamentum eorum est. Primo. Nam Clerici sæculares ætatis viginti quinq; annorum, aut saltem non pervenientes ad quadragesimum, eliguntur Curati, & consequenter approbantur sine limitatione ad cõfessiones virorum, & mulierum; cum tamen Religiosi in suo statu censeri debeant magis idonei, quam sæculares: ergo Episcopi approbantes Religiosos cum ea limitatione ætatis irrogant injuriam Religiosis. Sed ubi Episcopus per injuriam denegat Religioso approbationem, Papa confert ei jurisdictionem, ut constat ex *Clem. Dudum,* de sepulturis. Ibi enim conceditur fratribus Prædicatoribus, & Minoribus, quod si Episcopus injuste deneget licentiam, & approbationem ad audiendas confessiones, eo ipso Pontifex illam concedit. Ergo Regularis approbatus ab Episcopo ad confessiones dumtaxat virorum defectu ætatis quadraginta annorum: habet approbationem, & jurisdictionem à Papa ad audiendas Confessiones fœminarum.

235. Secundo *Lumbier n. 733.* probat. Nã ea exclusio Regularium non pervenientium ad annum ætatis quadragesimum, à confessionibus fœminarum, innititur præsumptioni defectus maturitatis: hæc autem præsumptio tollitur per statum Religiosum: ergo cessat ea limitatio.

236. Tertio. Idem *Lumbier num. 734.* id probat. Nam clausula posita in approbatione quam Episcopus dat Regularibus, non ponitur per modum exclusionis, sed per modum concilii directivi; vel si ponitur per modum præcepti, non est auferendo approbationem: ergo Regularis approbatus ab Episcopo ad confessiones dumtaxat virorum, etiam manet approbatus ad confessiones fœminarum.

237. Quarto probant alii. Nam ad Episcopum solum spectat approbare Regularem quoad idoneitatem scientiæ; ad Prælatum autem Regularem quoad idoneitatem morũ: ergo cum Episcopus approbat absolute quoad scientiam, nempe ut audiat confessiones etiam fœminarum ex tempore, quo impleverit quadragesimum ætatis annum, censeri debet absolute approbatus.

238. Quinto. Nam in Bulla *Clementis X.* dicitur: *Illos autem Religiosos, qui ad Confessiones audiendas idonei generaliter reperti fuerint ab Episcopis generaliter quoque, & indistincte*

absque aliqua limitatione temporu, certorumq; locorum, aut generu personarum in Diœcesi propria admittendos. Sed Religiosi, qui approbantur generaliter, dummodo impleverint quadragesimum annum, habent approbationem generalem: ergo approbationem obtinent absque limitatione certi generis personarum.

§. II.

Vera sententia proponitur, & roboratur.

SUMMARIUM.

Qualiter relata opinio sit tenuiter probabilis, neq; in usu illius Ecclesia suppleat jurisdictionem, post Bullam Clementis X. n. 239.

Prima probatio ex eo quod limitate approbati limitatam habent jurisdictionem n. 240.

Ad Episcopum non solum spectat examen idoneitatis quoad scientiam, sed etiam quoad mores. n. 242.

Et quomodo id inferatur ex eo, quod approbatus quoad saculares non sit approbatus quoad moniales? n. 243.

Item ex eo, quod potest revocare licentias datas ad confessiones. n. 244.

Item, non solum requiritur approbatio Episcopi, sed etiam licentia. n. 245. & seqq.

Relata opinio est dubiæ probabilitatis. n. 247.

Ab ea Bulla Clementis X. supplicatum esse, falsum est. n. 249. & seqq.

239. DIcendum tamen est, eam opinionem esse tenuiter probabilem, sive (quod idem est) dubiæ probabilitatis, scilicèt post Bullam *Clementis X.* quam in fine totius operis propono, & quam expedivit præfatus Pontifex ad decidendas dubitationes, & varietatem opinionum, quam exortæ fuerant circa approbationem, quam ab Ordinario habere debent Regulares, ut constat ex illis verbis: *Innotuit nobis, dubitationes non nullas circa benedictionem, licentiam, contradictionem examen, & approbationem ejusmodi in aliquibus Diœcesibus excitatas fuisse, ex quibus controversiæ, & dissensiones permulta indies subsequi possent, occasione privilegiorum, qua per Sedem Apostolicam Religiosis Ordinibus concessa fuerunt.* Consequenterque dicendum est, quod si Regularis approbatus ab Episcopo, cum limitatione ad confessiones virorum, donec perveniat ad annum quadragesimum, si prætextu relatæ opinionis audiat confessiones fœminarũ, Ecclesia non supplet jurisdictionẽ.

240. Probatur primò ex illis verbis Bullæ *Clementis X. Quoad cæteros verò (Regulares) qui non adeo idonei reperirentur, si petierint se admitti, arbitrio Ordinariorum relinqui, ipsos cum limitata facultate, prout eisdem Ordinariis magis expedire videbitur, approbare, & admittere.* Ex quibus verbis constat, limitate approbatos limitatam habere jurisdictionem. Sed minores quadragenariis limitate approbantur, scilicèt ad solas confessiones virorum. Quomodo ergo supplebit Pontifex jurisdictionem absolutam, & generalem, quam expresse vult esse limitatam?

241. Dices, ad Episcopum solum pertinere examen idoneitatis quoad scientiam, non verò quoad mores; ut in quarta probatione oppositæ opinionis proponitur.

242. Hæc tamen responsio convincitur ex verbis ipsius Bullæ: *Cum pracipua Ministri Sacramenti Pœnitentia qualitas sit vita integritas ac morum honestas; utiq; eam causam ad confessionis ministerium pertinere, ac proinde nihil obstare, quominus ob eam possit Episcopus Regulares à semetipso approbatos suspendere, aut repellere à Confessionibus audiendis* Et quamvis hoc dicat Pontifex pro eo casu, quo Regulares *inhonestè vivant, vel aliquod delictum committant, per quod rationabili Episcopi judicio videantur à Confessionibus suspendendi*, quæ sunt verba Bullæ; cæterum id determinate injungit ex illa generali ratione, quod *Pracipua Ministri Sacramenti Pænitentia qualitas sit vita integritas, ac morum honestas*, de qua juxtà hanc Bullam Episcopus judicare debet. Et ideo spectat etiam ad

ad Episcopum judicare non solum de idoneitate quoad scientiam, sed etiam de idoneitate quoad mores. Quare quia adest præsumptio contra juvenilem ætatem, & juxta eam præsumptionem judicio Episcopi non est idoneus Regularis ad confessiones fœminarum audiendas, donec sit in ætate matura, utique accipit approbationem limitatam.

243. Deinde, quod spectet ad Episcopum judicare de idoneitate Rngularium quoad maturitatem prudentiæ vitæ integritatem, & honestatem morum, constat etiam ex eo, quod disponit Pontifex, nempe Regularem approbatum ad audiendas confessiones secularium, non propterea censeri approbatum quoad confessiones Monialium. Hæc enim limitatio non est propter scientiam, sed propter maturitatem prudentiæ, virtutis, & morum, ut per se patet: ergo non minus spectat ad Episcopum judicium de idoneitate quoad mores, quam quo ad scientiam.

244. Tertiò, si solùm spectaret ad Episcopum judicium de idoneitate Regulariũ quo ad scientiam, non posset revocare licentiam datam ad Confessiones; cum scientia indies potius crescat, quam minuatur: sed *Clemens* in Bulla concedit Episcopo, quod possit revocare licentiam alicui Regulari datam ad audiendas Confessiones, ex causa justa, illis verbis: *Ab ipsomet Episcopo approbatos* (Regulares) *non posse ab eodem, qui sic approbavit, iterum examinari, aut ab eisdem Confessionibus audiendas suspendi, seu licentias illis concessas revocari, nisi nova superveniente causa, quæ ipsas Confessiones concernat.* Ergo ultrà examen scientiæ alia etiam causa dari potest, de qua possit ferre judicium Episcopus. Neque ultra defectum scientiæ est alia causa concernens ad confessiones, nisi defectus idoneitatis quoad mores, & maturitatis judicii, & prudentiæ.

245. Quartò. Nam ex Bulla *Clementis* constat, non solum requiri approbationem Episcopi quoad Regulares, sed etiam licentiam ad audiendas Confessiones, ut constat ex verbis proximè relatis, *seu licentias illis concessas revocari*; sive ea licentia sit collatio jurisdictionis; sive permissio utendi jurisdictione, quã præsupposita ea licẽtia, cõfert Papa Regularibus, juxta diversas opiniones: sed ea licentia præsupponit approbationem scientiæ, & est quid diversum ab illa: ergo ad Episcopum aliquid aliud spectat, præter approbationem scientiæ, etiam quoad Regulares.

246. Id ipsum constat ex ea periodo Bullæ, ubi præcipit Religiosis approbatis, ut cũ audiunt confessiones infirmorũ, certiorẽ faciant Parochũ de talibus Confessionibus. Sic enim ait: *De qua tamen Confessione teneri dictos Religiosos eorumdem infirmorũ Parochum illicò certiorem reddere. Et hoc posse illis ab Episcopo, sub pœna suspensionis à facultate audiendi Cõfessiones, præcipi.* In hoc ergo casú prædicti Religiosi non amittunt approbationẽ scientiæ; & tamen pro tẽpore suspensionis amittunt facultatem absolvendi: ergo præter approbationẽ scientiæ spectat ad Episcopum dare, aut suspendere facultatem absolvendi.

247. Probatur secundò eadem conclusio. Nã inter plures viros Sapientes dubitatur de probabilitate ejus opinionis, quæ docet, Regulares approbatos ad Confessiones virorum eo ipso manere approbatos ad cõfessiones fœminarũ, si id fiat cũ licentia suorũ Prælatorum. Et quidem mihi constat, Religioso, Dominicanæ, & Augustinianæ familiæ non audere ad praxim reducere præfatã opinionem post cõstitutionem *Clementis X*. & ideo quoties expedit, quod aliquis Religiosus ex eis audiat confessiones mulierum, postulant ab Ordinario; & idem opinor de praxi aliarũ Religionũ: sed ubi dubitatur de probabilitate opinionis, ea est tenuis, & dubiæ probabilitatis, sub qua nõ est tuta conscientia, ut constat ex dictis: ergo ea opinio eligi nõ potest tuta conscientia; atq; adeo talis est, ut juxta eam Ecclesia non suppleat jurisdictionem.

248. Au-

248. Audivi, quosdam asserere, hanc Bullam *Clementis X.* non esse admissam in Hispania, eo quod facta fuerit nomine Regis Catholici supplicatio ad *Clementem X.* pro suspensione hujus Bullæ; ideoque eam mansisse suspensam.

249. Illi tamen, qui hæc asserunt, egregie decipiuntur. Quando enim hæc Bulla pervenit ad Curiam Madritensem, omnes Regulares una confugerunt ad Reginam Gubernatricem Hispaniæ, postulantes, ut fieret supplicatio Pontifici Romano pro suspensione præfatæ Bullæ. Regina autem habito maturo cōsilio cum viris zelo, & doctrina præditis, noluit supplicare, sed decrevit scribere enciclycas litteras omnibus Episcopis Hispaniæ tenoris sequentis, qui continetur in Epistola missa ad Illustrissimum D. Ambrosium ignatium Spinula, & Guzman, Archiepiscopum Hispalensem, quam modo habeo præ manibus originariam ipsam, quam accepi à Secretario præfati illustrissimi Domini. Et in capite Epistolæ sic scribitur: *La Reyna Governadora.* Et sic prosequitur.

250. *Muy Reverendo en Christo Padre Arcobispo de Sevilla, del Consejo. Aviendo entendido, que se ha publicado en estos Reynos una Bulla de su Santidad, expedida en veinte y de uno Iunio, del anno passado de mil y seiscientos y setenta, sobre las licencias de predicar, y confessar de los Regulares, è resuelto rogaros, y encargaros (como por esta lo hago) que por lo que mira à vuestra Diocesis vseis de la facultad que se os concede por la Bulla con la prudencia, y templança de vuestro ministerio pastoral, y atencion justa, debida al lustre, y decoro de las Religiones que en ello me dare de vos por servida. De Madrid à 21. de Marco de 1673. Yo la Reyna.* Pormandado de su Magestad Don Innigo Fernandez del Campo.

§. III.

Evertuntur fundamenta partis opposita.

SUMMARIUM.

Quam periculosum sit prætexere injuriam examinu? n. 251.

Disparitas inter Regulares, & Curatos circa approbationem in ætate juvenili. n. 252. & seq.

Quod negetur approbatio ad confessiones fœminarum ex falsa præsumptione defectus maturitatis, nihil probat. n. 254.

Disparitas, inter legem, & licentiam, quando utraque innititur falsæ præsumptioni. n. 255.

Præsumptio defectus maturitatis non cessat in uno individuo per mores Communitatis, sed per mores individui. n. 257.

Limitatio quoad confessiones fœminarum ponitur negando approbationem per propositionem exceptivam. n. 258.

Quomodo exponatur propositio exceptiva? n. 259.

Ad Episcopum spectat etiam judicium de idoneitate maturitatis. n. 260.

Regulares in ætate juvenili non reperiuntur generaliter idonei judicio Episcopi. n. 261.

251. AD primum fundamentum partis oppositæ respondeo, esse valde periculosum conscientiis Fidelium excitare eas querelas de injuria ab Ordinario irrogata, quando non concedunt approbationem absolutam Regularibus. Quis enim est ex illis, qui examinantur sive ad Ordines minores, vel majores, sive ad Confessiones audiendas, qui si post examen exeat reprobatus non vociferetur, se injuste reprobatum?

252. Ea autem injuria, quæ prætexitur, cōsistens in eo quod Clericis sæcularibus Curatis ante quadragesimum annum detur facultas audiendi confessiones mulierum, & denegetur Regularibus in eadem ætate, tota consistit in paritate rationis; cum tamen disparitas sit luce meridiana clarior. Nam in Clericis Curatis concurrunt duæ circumstantiæ, quæ non inveniuntur in Regularibus. Prima est necessitas Ecclesiæ; cum enim Episcopi nō inveniant Curatos quadragenarios, nec possint

sint relinquere Parochiam Pastore viduatam, coguntur designare, quos inveniunt idoneos. Et hos non indifferenter admittunt, sed facta prius inquisitione de moribus. Cum ergo hæc necessitas Ecclesiæ non concurrat in Regularibus, quomodo potest esse paritas rationis?

253. Accedit secunda ratio disparitatis. Nam Clericis curatis incumbit obligatio administrandi Sacramenta, etiam media nocte, etiam tempore æstivo, ardente Sole, vel hyemali ingruente pluvia, & cum magnis quandoque incommodis, atque etiam tempore pestis, aut alterius epidemiæ cum periculo vitæ; & adhæc omnia tenentur lege justitiæ; atque adeo ad hæc omnia requiruntur vires robustæ; & consequenter plerumque necesse est, assumere Curatos minores quadragenariis. Cum autem in Regularibus non inveniatur hæc stricta obligatio, non fit illis injuria, si non concedatur eis eadem facultas, quæ Curatis conceditur.

254. Ad secundum respondeo, concedendo majorem, quod limitatur approbatio ad Confessiones virorum ex præsumptione defectus maturitatis, quæ præsumptio militat contra ætatem juvenilem; & omitto, quod hæc præsumptio tollatur per statum Religiosum (licet id sit falsum) & nego consequentiam.

255. Et quidem est ingens discrimen inter præsumptionem, cui innititur lex, & præsumptionem, cui innititur licentia, sive facultas ad aliquid faciendum. Nam quando lex innititur præsumptioni, si hic, & nunc cessat præsumptio, hic & nunc cessat obligatio. Non sic, quando petitur privilegium, facultas, approbatio, &c. si hæc neget, aut limitet Superior, innixus alicui præsumptioni, quæ hic & nunc cessat; quia cum ad aliquam licentiam obtinendam requiratur positiva concessio; dum Superior non concedit illam positive, nihil prodest, quod subsistat, vel non subsistat præsumptio; quod moveatur, aut non moveatur præfata præsumptione, quæ deficit. Et quidem si ego posco licentiam à meo Superiore ad faciendum aliquid, quod sine ejus licentia facere non possum, si ipse innixus falsa præsumptione negat licentiam, numquid propterea censebo mihi datam esse licentiam? minime. Quia dum illam non concedit positive, non habeo ego licentiam.

256. Præterea Concilium Tridentinum, & Constitutiones Romanorum Pontificum, præcipuè *Pii V. Urbani VIII. & Clementis X.* hanc approbationem Regularium (servatis servandis) remittunt judicio Episcopi: si ergo Episcopus censet, adesse præsumptionem defectus maturitatis ad audiendas Confessiones fœminarum in Regularibus juvenibus, nihil proderit, quod ipsi Regulares probabiliter censeant, eam præsumptionem tolli per statum Religiosum; cum hanc dispositionem non remiserit Ecclesia proprio uniuscujusque judicio, sed solum judicio Episcopi.

257. Deinde ea præsumptio defectus maturitatis tollitur per speciales mores singularis personæ, non per mores Communitatis. Nam ex decem virginibus quinque erant prudentes, & fatuæ quinque; nec status virginitatis erat sufficiens præsumptio prudentiæ. Quæ autem incommoda sequantur ex ea credulitate, quod omnes ad unum Regulares præsumantur pollere debita maturitate ad confessiones fœminarum audiendas, res est, quam oportet silentio committi.

258. Ad tertium, falsum est utrumque, quod assumitur; & quod limitatio, quæ præscribitur, fit solum per modum concilii, & quod non fit negando approbationem, quoad confessiones fœminarum. Primum est falsum; quia in testimonio approbationis, quod datur in hac Diœcesi Hispalensi dicitur: *Pueda en nuestra Diocesi administrar el Santo Sacramento*

cramento de la Penitentia à las personas, que con el se quisteren confessar, excepto à las mugeres, en caso de no tener el susodicho quarenta annos. Quod ita fideliter vertitur in latinum sermonem. *Posit in nostra Diœcesi administrare Sacramentum Pœnitentiæ illis, qui ipsi voluerint confiteri, exceptis mulieribus, in casu quo non sit quadragenarius.* Cum ergo ab ea potestate audiendi confessiones quorumcumque, excipiantur fœminæ; quomodo id est solum per modum consilij?

259. Propositionem exceptivam exponunt Dialectici negando prædicatum de eo, quod excipitur. v.g. *Omnes homines exceptis Æthiopibus, sunt albi:* sic exponitur: *Æthiopes non sunt albi, & reliqui distincti ab Æthiopibus sunt albi.* Eodē ergo modo exponenda est hæc propositio: *Confessario nondum quadragenario possunt confiteri omnes Diœcesani, exceptis mulieribus:* Scilicet per hanc propositionem exponentem: *Mulieres non possunt confiteri Confessario nondum quadragenario; & reliqui distincti à mulieribus possunt confiteri confessario nondum quadragenario.* Et hinc constat etiam, esse falsum illud secundum assumptum ejus argumenti; quod ea limitatio non fiat negando approbationem respectu mulierum; cum hoc sit contra expositionem Dialecticam propositionis exceptivæ, ut constat ex dictis.

260. Ad quartam constat ex dictis, quod ad Episcopum non solum pertineat judicium de idoneitate scientiæ, sed etiam de idoneitate maturitatis, judicii, prudentiæ, & morum.

261. Ad quintum, verissimum est, quod Regulares, qui reperti fuerint generaliter idonei ad audiendas Confessiones, sine limitatione approbandi sunt ad eas audiendas; illi tamen, qui sunt in ætate juvenili, non sunt reperti generaliter idonei, quia judicio Episcopi reperiuntur adhuc immaturi.

262. Rogabis, an saltem virtute Cruciatæ possint absolvere fœminas illi Confessarii Seculares, vel Regulares, qui sunt limitate approbati ad solas virorum Confessiones? Sed hæc difficultas deciditur in *quæst. 4. hujus articuli.*

QUÆSTIO II.

An Ecclesia suppleat jurisdictionem Confessarii, qui approbatus in Diœcesi Cordubensi vult virtute Cruciatæ audire Confessiones in Diœcesi Hispalensi?

§. I.

Proponitur, & explicatur difficultas, & ratio dubitandi.

SUMMARIUM.

Opinio olim tradita, quod Regulares approbati ab uno Episcopo possint ubique eligi ad confessiones. n. 263.

Alia opinio docens, quemlibet approbatum ab uno Episcopo posse ubique eligi virtute Cruciatæ. n. 264.

Clemens X. constitutionem promulgavit ad compescendam discordiam inter Episcopos & Regulares. n. 265. & seq.

Quomodo opiniones relatæ non maneant probabiles post constitutionem Clementis? n. 267.

Objectio refutata. n. 268. & seq.

263. Opinio fuit à multis doctoribus olim admissa, in vim decreti Tridentini, approbatum ab uno Episcopo ad Confessiones audiendas manere ubiq; approbatum: & ideo Regulares, qui approbati ab Ordinario accipiunt jurisdictionem à Romano Pontifice, juxta privilegia, olim Regularibus à Sede Apostolica concessa, præcipuè in *Clement. Dudum. de Sepult.* posse ubique eligi ad Confessiones audiendas. Nitebatur autem hæc opinio eo fundamento, quod Concilium Tridentinum *sess. 23. cap. 15. de Reform.* decrevit. Nullum Sacerdotem posse audire Confessiones sæcularium, nisi approbetur *ab Episcopis.* Cum ergo non determinet

minet Concilium, á quo Episcopo sint approbandi, utique à quolibet Episcopo approbari sufficiet.

264. Fuit etiam opinio alia majori plausu accepta, quam præcedens, scilicet quemlibet approbatum ab uno Episcopo posse ubique eligi virtute Cruciatæ. Ita *Sotus, Ægidius, Medina, Corduba, Petr. Ledesma, Valerus, Gomez, P. Henriquez, Reginaldus, Coninck, Filliucius, Fagundez, & plures alii*, quos refert *P. Mendo disp. 22. cap. 4. num. 61.*

265. Sed hæ opiniones non parvam dissensionem excitarunt inter Episcopos, & Regulares. Quam ob causam *SS. D. Clemens X.* anno 1670. Bullam promulgavit, ut has dubitationes, & quæstiones ad unam determinatam formam reduceret, per quam Episcoporum, & Regularium dissidia compescerentur. Ut patet ex verbis relatis *in quæst. præced. num.* 239. Ubi observandum est, hanc constitutionem non esse solum præceptivam, sed etiam (imo majori ex parte) declaratoriam juris unicuique partium competentis.

266. In hac autem controversia in titulo hujus quæstionis proposita, hanc declarationem producit *Clemens X. Religiosos ab Episcopo ad Confessiones sæcularium in sua Diœcesi audiendas approbatos, non posse in alia Diœcesi eas absque Episcopi approbatione audire, quamvis pœnitentes subditi sint ejus Episcopi, à quo ipsi Religiosi jam fuerant approbati.*

267. Ex quibus verbis omninò certum est, opinionem primo loco relatam penitus corruisse; & si olim probabilis fuerit, post hanc constitutionem *Clementis X.* nullam ei probabilitatem relictam fuisse.

268. Scio, aliquos Doctores in ea fuisse opinione, privilegia hujusmodi concessa Religiosis in *Clement. Dudum cit.* non revocari per constitutiones generales, quia sunt privilegia in corpore juris contenta; de quibus affirmant, non debere intelligi constitutiones universales posteriores revocatorias.

269. Sed id non habere locum in hoc casu, manifestum est ex ipsa Bulla, in qua revocat omnia privilegia huic declarationi contraria, illis verbis: *indultis, & privilegiis, etiam in corpore juris clausis.*

§. II.

Deciditur quæstio, & probatur.

SUMMARIUM.

Post Bullam Clementis X. nequeunt eligi virtute Cruciatæ approbati ad confessiones in aliena Diœcesi. n. 271.

Ex præfata Bulla non censetur approbatus pro hac Diœcesi, qui approbatur in aliena. n. 272.

Hac Bulla declarat, decretum Tridentini de approbatione Ordinarii intelligi de Diœcesano. n. 273.

Hac Bulla revocat, quidquid in contrarium potest obstare huic generali Constitutioni n. 274.

Proponitur clausula revocatoria. n. 275.

Quomodo privilegia ex titulo oneroso revocantur clausula generali? n. 276.

Quomodo privilegium dubium ex varietate opinionum possit revocari sine compensatione. n. 278

Privilegia, quæ dantur propter merita, cum solum sit mentio generalis, revocantur sine compensatione. n. 279.

Privilegia, quæ ob aliquam circumstantiam sunt revocabilia, revocantur sine compensat one. n. 280.

Privilegia ubi cognoscuntur afferre dissentiones, nocent publicæ utilitati, atque adeo sunt revocabilia sine compensatione. n. 281.

Quomodo in hac Bulla revocentur privilegia exprimenda de verbo ad verbum. n. 281.

270. Restat ergo quæstio, an hæc decisio *Clementis X.* sic intelligenda sit, ut non comprehendat eos, qui fruuntur privilegio Cruciatæ, eo quod juxta opinionem relatam, concedit, approbatum ab uno Ordinario posse in alia Diœcesi audire cõfessiones virtute Cruciatæ? An potius stãte hac cõstitutione novissima, nõ possint Regulares ap-

approbati in Diœcesi Cordubensi eligi per Bullam in Diœcesi Hispalensi?

271. Sit conclusio. Mihi certum est, post hanc Bullam *Clementis X.* non posse eligi virtute Cruciatæ Regulares, vel sæculares Sacerdotes approbatos in Diœcesi Cardubensi, ut audiant Confessiones sæcularium in Diœcesi Hispalensi. Pro qua conclusione nullum allego Authorem: quia omnes, qui disputant hanc quæstionem scripserunt ante præfatam Bullam *Clementis X.* quæ expedita fuit undecimo Kalendas Iulij anno 1670.

272. Probatur primo. Nam licet Authores, qui ante hanc Bullam *Clementis X.* scripserunt, censuerint, quod dum in Bulla Cruciatæ conceditur, ut possint eligere Confessarium *ex approbatis ab ordinario*, nomine Ordinarii intelligitur Episcopus etiam alterius Diœcesis diversæ ab ea, in qua existebat Confessarius, quando subiit approbationem; tamen in hac Bulla *Clemens X.* declarat, Ordinarium approbantem esse dumtaxat Diœcesanum, sive Episcopum ejus Diœcesis, in qua actualiter commoratur Confessarius ita ut non censeatur approbatus pro hac Diœcesi, qui in altera est approbatus: ergo juxta tenorem Bullæ *Clementis X* ea verba Cruciatæ *ex approbatis ab Ordinario* intelliguntur de Ordinario Diœcesano, sive ejus Diœcesis, in qua actualiter commoratur confessarius. Et consequenter ex hac declaratione nullum est in Cruciata privilegium circa electionem confessarii in altera Diœcesi approbati.

273. Quod id ita declaret *Clemens X.* (quæ est præcipua pars antecedentis) constat Nam in Bulla Cruciata ponuntur ea verba: *Ex approbatis ab Ordinario*; ut observetur decretum Tridentini circa approbationem cōfessariorum; in sua autem Bulla *Clemens X.* cum proposuisset decretum Tridentini de hac approbatione, declarat, quomodo id decretum intelligendum sit, & practicandum, scilicet ita ut approbatus in una Diœcesi non possit audire Confessiones in alia sine Episcopi Diœcesani nova approbatione: ergo declarat ita intelligendum in praxi decretum Tridentinum, ut non censeatur approbatus sine nova approbatione hujus Diœcesani.

274 Probatur secundo. Demus enim, esse privilegium Cruciatæ, quod concedat, approbatum ab uno Episcopo, posse in altera Diœcesi audire Confessiones eorum, qui habent Cruciatam. *Clemens X. hac generali, & perpetuo valitura constitutione* (quæ sunt verba Bullæ) *decernit, & declarat ... Religiosos ab Episcopo ad Confessiones sæcularium in sua Diœcesi audiendas approbatos non posse in alia Diœcesi eas absque Episcopi Diœcesani approbatione audire*: Ergo cum hæc sit constitutio generalis, comprehendit generaliter omnes casus, etiam Cruciatæ. Deinde revocat, quidquid in contrarium potest obstare huic generali constitutioni, scilicet omnibus modis, & clausulis, quæ excogitari possunt, evanescereque facit omnes modos, quibus solent jurisprudentes interpretari constitutiones Pontificias. Ergo licet detur privilegium Cruciatæ, illud quidem per constitutionem *Clementis X.* revocatur.

275. Excludi autem universalissime omnia omninò privilegia huic dispositioni obviantia, constat ex ea clausula Bullæ: *Irritum quoq; & inane quidquid secus super his à quoquam quavis authoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus quibusvis Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis in favorem quarumcumque personarum, atque quorumvis Ordinum tam Mendicantium, quam non mendicantium, Militarum etiam Sancti Ioannis Hierosolymitani, Congregationum, Societatem, etiam IESU, ac cujusvis alterius instituti, etiam necessario, & in individuo exprimendi, Monasteriorum Conventuum, Capitulorum, Ecclesiarum, & aliorum quorumcumque tam sæcularium, quam Regula-*

gularium locorum, nec non illorum etiam juramento, Confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, vel consuetudinibus etiam immemorabilibus, exemptionibus quoque, indultis. & privilegiis etiam in corpore juris clausis, aut ex causa, aut titulo (oneroso,) vel in limine fundationis concessis, etiam mari magno, seu Bulla Aurea, aut alias nuncupatis; conservatorum deputationibus, eorumque, atque aliis inhibitionibus, quibus Episcopi deferre minime teneantur; & quibusvis aliis sub quibuscumque tenoribus, & formis, aut cum quibusvis derogatoriarum derogatoriis, aliisq; efficacioribus, & insolitis clausulis, nec non irritantibus, & aliis decretis, etiam motu proprio, & ex certa scientia, ac de Apostolica potestatis plenitudine, aut alias quomodolibet, etiam perviam communicationis, seu extensionis concessis, & iteratis vicibus approbatis, & innovatis: quibus omnibus, etiamsi pro sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus, & formis specialis specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu alia quevis expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenore hujusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso & forma in illis tradita observata, inserti forent, præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, & insertis habentes; illis quoad ea, quæ eisdem præsentibus adversantur (illis alias in suo robore permansuris) harum serie specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

279. Dices primo. Privilegia concessa titulo oneroso non revocantur clausula generali: sed privilegia Cruciatæ conceduntur titulo oneroso, nempe militandi contra hostes nominis Christiani, vel conferendi pecuniam pro eo bello: ergo non revocantur clausula generali. Sed hæc responsio non habet locum in præsenti, nam *Clemens* revocat omnia privilegia, etiam ea, quæ sunt *ex titulo oneroso*, quæ sunt expressa verba constitutionis.

297. Dices secundo. Privilegia, quæ sunt ex titulo oneroso, aut remuneratione, non intelliguntur revocata, donec fiat compensatio æquivalens: sed pro privilegio Bullæ. quæ est ex titulo oneroso, nulla conceditur compensatio; & pro privilegiis concessis Religionibus, quæ remuneratoria sunt, nulla etiam compensatio conceditur: ergo non debent intelligi revocata.

278. Sed hæc instantia, quantum attinet ad revocationem privilegii Bullæ, nullius momenti est. Nam cum privilegium est dubium ex varietate opinionum, potest revocari sine ulla compensatione. Nam sicut probabile erat dari tale privilegium, etiam probabile erat, illud non dari. Ex quo fit, quod Pontifex respiciens illud ut merè probabile, non teneatur dare compensationem. Sic enim si probabile est, Petrum habere jus privilegii ad talem rem, & probabile non habere jus, si per decretum Principis auferatur ab illo id jus, non tenetur facere compensationem; quia probabile est nullam ibi injuriam irrogari in ea obligatione.

279. Quod autem attinet ad privilegia Regularium, quæ revocantur, constat non esse remuneratoria in eo genere, in quo pro eorum revocatione requirunt compensationem. Non enim eam requirunt, quando merita generali mentione referuntur sed requiritur specialis mentio talis, & talis meriti. Sic tradunt *Tiraquellus in L. Si unquam C. de revocandis donat. num. 85. Socinus consil. 395. num. 8. vers. 4. Matienzo lib. 5. Recopilat. tit. 10. L. 15. glossa 12. n. 2.* quos refert, & sequitur *P. Castro Palao tom. 1. tract. 3. disp. 4 punct. 21. §. 2. num 6.* Præfata autem privilegia

legia Regularium, quæ revocantur à *Clemente X.* solum faciunt mentionem meritorum in generali; & ideo non sunt ejus generis, quæ revocata exigant compensationem.

Præterea privilegia, quæ ex se ob aliquam circumstantiam adjunctam sunt revocabilia, eo ipso quod talia sint, in ipsa revocatione non exigunt compensationem. Sunt enim sicut donationes revocabiles, quæ si revocantur, non exigunt compensationem. Deinde privilegia, quæ sunt noxia publicæ utilitati, eo ipso sunt revocabilia: quia publica utilitas præfertur utilitati privatæ.

281. Tum sic. Privilegia, quæ dant facultatem Regularibus, aut quibusvis alijs, ut sine approbatione Ordinarii Diœcesani audiant Confessiones in ejus Diœcesi, judicio Principis Ecclesiastici sunt noxia publicæ utilitati; ut dicitur in ea Bulla *Clementis*: *Innotuit nobis dubitationes nonnullas... circa examen, & approbationem ejusmodi in aliquibus Diœcesibus excitatas fuisse; ex quibus controversiæ, & dissensiones permulta indies subsequi possent occasione privilegiorum, &c.* Nulla autem magis noxia sunt publicæ utilitati, quam quæ pariunt dissensiones, maximè inter personas præcipuas Reipublicæ Ecclesiasticæ. Ergo præfata privilegia ex peculiari ea circumstantia sunt revocabilia; ergo in sui revocatione non exigunt compensationem. Quæ consequentiæ patent ex dictis. Unde quæ dicam in *quæst. 5. §. 3. ad 3. argum.* Ubi latius examinatur hæc materia de privilegiis remuneratoriis.

282. Dices tertio. In privilegiis Religionum solet poni clausula, ut non intelligantur revocata, nisi *de verbo ad verbum* inserantur in revocatione. Sed hoc nihil obstat: nam Pōtifex revocat etiam si *de verbo ad verbum* inserenda sint in revocatione, & decernit ea privilegia haberi pro expressis in præsenti constitutione in ordine ad revocationem.

§. III.

Tertia probatio & objectionis solutio.

SUMMARIUM.

Quomodo inter Episcopos, & Regulares intervenerit dissensio ad approbationem? n. 283.

Quæ verba ponantur in Summario Bullæ favore Regularium? n. 284.

Quomodo ea verba intelligenda sunt juxta constitutionem Clementis X.? n. 285.

283. Probatur tertiò conclusio ex ipso fine, quem intendit *Clemens X.* hac sua *generali, & perpetuo valitura constitutione*; nempe ut compescat dubitationes, & controversias, quæ in hac materia de approbatione Regularium versabantur inter Episcopos, & regulares. Declarat enim Pontifex, intendere se definire *dubitationes* ortas *circa examen, & approbationem ejusmodi in aliquibus Diœcesibus* scilicèt inter Episcopos, & Regulares; & *ut magis, magisq; dissensionum tollantur semina; & in posterum firmior in agro Dominico pax Christi floreat.* Sed dubitationes, & dissensiones exortæ inter Episcopos, & Regulares præcipuè versantur circa audiendas confessiones, sine approbatione Episcopi Diœcesis, in qua commorantur Regulares, sive sit cum privilegio Cruciatæ, sive sine illo. Ergo Pontifex sua constitutione comprehendit etiam approbationem conjunctam cum privilegio Cruciatæ. Ergo cum Pontifex declarat: *Religiosos ab Episcopo ad Confessiones sæcularium in sua Diœcesi audiendas approbatos, non posse in alia Diœcesi eas absq; Episcopi Diœcesani approbatione audire, quamvis pœnitentes subditi sint ejus Episcopi, à quo ipsi Religiosi jam fuerant approbati*; generaliter loquitur Pontifex, sive de habentibus, sive de non habentibus privilegium Cruciatæ; maximè cum id privilegium sit adeo dubium, ut videmus; & Pontifex intendit definire omnes dubitationes intercedentes inter Episcopos, & Regulares circa eam controversiam de approbatione.

284. Obji-

284. Objicies, in Summario Bullæ latino apponere Commissarium generalem hæc verba: *Conceditur, ut possint eligere Confessorem sæcularem vel cujuscumq; etiam mendicantium Ordinum Regularem ex his, qui ab Ordinario, & quoad Regulares, qui semel tantum approbati fuerint.* Sic enim refert Summarium latinum P. Andreas Mendo in explicatione Cruciatæ. Ergo Regularis, qui approbatus est ab Episcopo Cordubensi, cum jam sit semel approbatus, poterit per Cruciatam eligi in quavis alia Diœcesi.

285. Ut respondeam, suppono, quod non apponuntur in Summario, quod Hispano idiomate conficitur à Commissario generali, ea verba superaddita: *Quoad Regulares, qui semel tantum approbati fuerint:* nec scio, an verba, quæ superaddit Commissarius, deprompserit ex aliqua Bulla; aut ex aliqua declaratione Sacræ Congregationis. Sed undecumque illa verba desumpta sint, dicendum est illa verba eumdem subire sensum, quem statuit *Clemens X.* in sua relata Constitutione illis verbis: *Regulares verò ad ejusmodi Confessiones audiendas prævio examine simpliciter, & absq; ulla temporis præfinitione ab ipsomet Episcopo (secus autem si ab ejus Vicario, aut ab Antecessoribus Episcopis) approbatos, non posse ab eodem, qui sic approbavit, iterū examinari, &c.* Sensus ergo eorum Cruciatæ verborū intelligendus est juxta hanc Clementis decisionem, ita ut sufficiat una approbatio facta generaliter ab Episcopo Diœcesano. Quare si Episcopus, qui absolutè, & generaliter approbavit Regularem, revocaret sine causa licentiam ab ipso datam, ea revocatio esset nulla; ideoque posset eligi per privilegium Cruciatæ; imo & absque illo. Ponitur autem in Summario latino Cruciatæ, *quoad Regulares, qui semel tantum, &c* propter discrimen, quod intercedit inter Sacerdotes sæculares, & Regulares. Nam licentia data ab Episcopo Sacerdoti sæculari revocari potest ad libitum; & postquam revocata est, non potest eligi per Bullam, quia cessat approbatio. Non sic erga Regularem propter dicta. Et ita explicat illam clausulam Summarii *Emmanuel Rodriguez in Bull. Cruc. §. 9. n. 31.* Ut Regulares tantum approbati esse debeant pro inna Diœcesi.

§. IV.

Ulterior confirmatio doctrinæ traditæ ex declaratione Pauli V. & duobus decretis Sacræ Congregationis.

NON EGET SUMMARIO.

286. Certitudini doctrinæ traditæ maxime suffragatur declaratio Pontificis, & duæ declarationes Eminentissimorum S. R. E. Cardinalium interpretum Concilii Tridentini, quarum tria instrumenta authentica asservantur in Archivio Palatii Archiepiscopalis Hispalensis, unde ea transcripsi. Cum ergo Hispali non modica dissensio excitata fuerit inter Archiepiscopum, & Regulares, circa eam potestatem, quam sibi esse virtute Cruciatæ existimabant Regulares, eā ad praxim deducentes; *Illustrissimus D. Petrus de Castro ann. Domini* 1611. consuluit *SS. D. Paulū V.* qui jussit, hanc causā examinari in Sacra Congregatione Cardinalium Interpretum Concilii Tridentini. Itaque nomine *Illustriss. D. Petri de Castro, Archiepiscopi Hispalensis* oblatus est Sacræ Congregationi libellus supplex hujus tenoris.

Illustrissimi, & Reverendissimi Domini.

287. IN Civitate, & Diœcesi Hispalensi Regulares absque Archiepiscopi licentia, & approbatione solent sæcularium confessiones audire, & verbum Dei in aliis, quā suorū ordinū Ecclesiis prædicare, forsan adducti, quod se à jurisdictione Ordinarii exceptos esse, & vigore literarū Apostolicarum

carum super Cruciata nuncupata emanatarũ, illa sibi permissa esse prætendant. Supplicat Illustrissimis, & Reverendissimis DD. VV. Modernus Archiepiscopus pro hujusmodi abusus tollendi remedio, & declaratione.

Decretum Sacræ Congregationis.

SAcra Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum censuit Regulares hujusmodi, ut cumq; exemptos, non posse absque Ordinarii Hispalensis licentia, & approbatione, personarum sæcularũ Confessiones audire, litterasque Cruciatæ prædictas in hac re quidquam novi juris minimè induxisse. Ac similiter non posse dictos Regulares verbum Dei prædicare in aliis, quam suorum ordinum Ecclesiis, absque licentia, & approbatione ipsius Ordinarii *R. Card. Ubaldinus.*

288. Decretum hoc Sacræ Congregationis confirmavit *SS. Paulus V.* hoc diplomate Apostolico.

Paulus Papa V. ad perpetuam rei memoriam.

NOmine Venerabilis Fratris Petri Archiepiscopi Hispalensis Nobis nuper expositum fuit, quod in Civitate, & Diœcesi Hispalensi irrepserit abusus, ut Regulares absque pro tempore existentis Archiepiscopi Hispalensis licentia sæcularium personarum confessiones audire; & verbum Dei, etiam in aliis Ecclesiis, quam suorum ordinum prædicare soleant, forsan adducti, quod se à Jurisdictione Ordinarii exemptos esse, & vigore litterarum Apostolicarum super Cruciata nuncupata emanatarum, illa sibi permissa esse prætendant. Quare nos, qui ex pastorali nostri officii debito procurare tenemur, ut ex agro Domini abusus tollantur, supplicationibus dicti Petri Archiepiscopi nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, de consilio Venerabilium Fratrum nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum authoritate Apostolica tenore præsentium, ejusdem Concilii decretis inhærentes, Regulares prædictos non posse, absque Ordinarii licentia, sæcularium personarum confessiones audire: neque verbum Dei prædicare absque licentia, & approbatione ipsius Ordinarii, in aliis, quam suorum Ordinum Ecclesiis: litterasque Cruciatæ prædictas in hac re quidquam novi juris minimè induxisse: sicque, & non aliter per quoscumque judices Ordinarios, & Delegatos sublata eis, & eorum cuilibet, quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & authoritate judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam quavis authoritate scienter, vel ignoranter, contigerit attentari, decernimus, & declaramus. Quocirca eidem Petro Moderno, & pro tempore existenti Archiepiscopo Hispalensi per præsentes committimus, & mandamus, ut quoscumq; cujusvis ordinis Regulares Civitatis, & Diœcesis prædictarum præmissa peragentes, seu peragere posse, quovis prætextu prætendentes authoritate nostra moneat, ut decreto, & declarationi nostris hujusmodi de cætero, ut par est, obediant. Quod si facere recusaverint, vel quoquo modo neglexerint, eosdem per sententias, censuras, & pœnas Ecclesiasticas arbitrio suo infligendas, omni, & quacumque appellatione postposita, eadem authoritate nostra cogat, & compellat. Super quo eidem Archiepiscopo plenam, & liberam facultatem, & authoritatem concedimus, & impartimur. Non obstantibus quibusvis constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac quorumvis ordinum Regularium, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & litteris Apostolicis, illis, eorumque Superioribus, & personis sub quibuscumque tenore, & formis, ac cum quibusvis clausulis, & decretis

in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis eorum tenore præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datis Romæ apud Sanctum Marcum, sub Annulo Piscatoris, die undecima Octobris M.DC.XI. Pontificatus nostri anno Septimo. S. Cobellutius.

289. Et hoc diploma Apostolicum promulgatum fuit in hac Hispalensi Diœcesi; in qua jam ex hoc tempore, non fuit practicè probabile, quod virtute Cruciatæ possint absolvere confessarii approbati in alia Diœcesi.

290. Ubi advertendum maximè est, *Paulum* V. in suo diplomate dixisse: *Decernimus, & declaramus*. Unde fit, hanc non solum esse legem Pontificis pro Diœcesi Hispalensi, sed esse declarationem doctrinæ. Declarat enim Pontifex, non posse Regulares, aut Sæculares Confessarios, etiam virtute Cruciatæ, absolvere Diœcesanos sine licentia Ordinarii illius Diœcesis, & *esse irritum & inane* quidquid in contrarium contigerit attentari, *sive scienter, sive ignoranter*. Constat autem *ex disp. 1. proœmiali*, declarationem doctrinæ, quam facit Romanus Pontifex, non indigere majori promulgatione, quam ea, quæ sufficit, ut quis certo sciat, eam esse declarationem Romani Pontificis. Etenim quotiescumque scio, aliquam doctrinam moralem esse certam, teneor eam sequi sive practicando, sive consulendo: sed quoties certo scio, Romanum Pontificem declarasse, aliquam doctrinam esse veram, scio eam esse certam: ergo ubi scio, eam declaratam à Romano Pontifice, teneor eam sequi in praxi.

291. Sed de his non obstantibus, non pauci Authores secuti sunt eam opinionem (forte ob ignoratam declarationem *Pauli V.*) quod licitum fuerit Confessariis in aliena Diœcesi approbatis virtute Cruciatæ, absolvere pœnitentes hujus Diœcesis. Sed quoniã adhuc persistebant ejusmodi dissidia, & indies crescebant inter Episcopos, & Regulares; *SS. D. Clemens X. anno* 1670. Bullam promulgavit, ut has dubitationes, & dissidia ad unam determinatam formam reduceret, per quam Episcoporum, & Regularium dissidia terminarentur, idque non solum præcipiendo, sed etiam declarando, quid juris unicuique partium competeret.

292. Promulgavit hanc constitutionem *Clementis X. Illustrissimus D. D. Ambrosius, Ignatius Spinula, & Guzman, Archiepiscopus Hispalensis* in sua Ecclesia die 4. Februarij an. 1671. Et tamen non defuerunt Regulares aliqui, qui adhuc contenderent, se posse absolvere virtute Cruciatæ, cum sola approbatione alienæ Diœcesis. Quare illustrissimus D. Archiepiscopus consuluit denuo *SS. D. Clement.* X. per litteras tenoris sequentis.

Beatissime Pater

293. MAgnam afferet Reipublicæ Christianæ pacem, & tranquillitatem Constitutio Sanctitatis vestræ, si exactè servetur, in qua sancivit: *Religiosos ab Episcopo ad confessiones sæcularium in sua Diœcesi audiendas approbatos, non posse in alia Diœcesi eas absque Episcopi Diœcesani approbatione audire, quamvis pœnitentes subditi sint ejus Episcopi à quo ipsi Religiosi jam fuerant approbati.* Huic tamen tam sanctæ constitutioni sive fraus, sive relaxatio adinventa est prætextu privilegiorum Bullæ Cruciatæ. Et quidem ante istam Sanctitatis vestræ constitutionem, non pauci scriptores docuerunt, Confessarium approbatum ab uno Episcopo, posse virtute Bullæ Cruciatæ eligi ubique terrarum ad Confessiones sæcularium audiendas; maximè si confessarius sit ex Regularibus

carum super Cruciata nuncupata emanatarũ, illa sibi permissa esse prætendant. Supplicat Illustrissimis, & Reverendissimis DD. VV. Modernus Archiepiscopus pro hujusmodi abusus tollendi remedio, & declaratione.

Decretum Sacræ Congregationis.

SAcra Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini interpretum censuit Regulares hujusmodi, ut cumq; exemptos, non posse absque Ordinarii Hispalensis licentia, & approbatione, personarum sæcularium Confessiones audire, litterasque Cruciatæ prædictas in hac re quidquam novi juris minimè induxisse. Ac similiter non posse dictos Regulares verbum Dei prædicare in aliis, quam suorum ordinum Ecclesiis, absque licentia, & approbatione ipsius Ordinarii *R. Card. Ubaldinus.*

288. Decretum hoc Sacræ Congregationis confirmavit *SS. Paulus V.* hoc diplomate Apostolico.

Paulus Papa V. ad perpetuam rei memoriam.

NOmine Venerabilis Fratris Petri Archiepiscopi Hispalensis Nobis nuper expositum fuit, quod in Civitate, & Diœcesi Hispalensi irrepserit abusus, ut Regulares absque pro tempore existentis Archiepiscopi Hispalensis licentia sæcularium personarum confessiones audire; & verbum Dei, etiam in aliis Ecclesiis, quam suorum ordinum prædicare soleant, forsan adducti, quod se à Jurisdictione Ordinarii exemptos esse, & vigore litterarum Apostolicarum super Cruciata nuncupata emanatarum, illa sibi permissa esse prætendant. Quare nos, qui ex pastorali nostri officii debito procurare tenemur, ut ex agro Domini abusus tollantur, supplicationibus dicti Petri Archiepiscopi nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, de consilio Venerabilium Fratrum nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum authoritate Apostolica tenore præsentium, ejusdem Concilii decretis inhærentes, Regulares prædictos non posse, absque Ordinarii licentia, sæcularium personarum confessiones audire; neque verbum Dei prædicare absque licentia, & approbatione ipsius Ordinarii, in aliis, quam suorum Ordinum Ecclesiis; litterasque Cruciatæ prædictas in hac re quidquam novi juris minimè induxisse; sicque, & non aliter per quoscumque judices Ordinarios, & Delegatos sublata eis, & eorum cuilibet, quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & authoritate judicari, & definiri debere: ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam quavis authoritate scienter, vel ignoranter, contigerit attentari, decernimus, & declaramus. Quocirca eidem Petro Moderno, & pro tempore existenti Archiepiscopo Hispalensi per præsentes committimus, & mandamus, ut quoscumq; cujusvis ordinis Regulares Civitatis, & Diœcesis prædictarum præmissa peragentes, seu peragere posse, quovis prætextu prætendentes auctoritate nostra moneat, ut decreto, & declarationi nostris hujusmodi de cætero, ut par est, obediant. Quod si facere recusaverint, vel quoquo modo neglexerint, eosdem per sententias, censuras, & pœnas Ecclesiasticas arbitrio suo infligendas, omni, & quacumque appellatione postposita, eadem authoritate nostra cogat, & compellat. Super quo eidem Archiepiscopo plenam, & liberam facultatem, & authoritatem concedimus, & impartimur. Non obstantibus quibusvis constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac quorumvis ordinum Regularium, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & litteris Apostolicis, illis, eorumque Superioribus, & personis sub quibuscumque tenore, & formis, ac cum quibusvis clausulis, & decretis

in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis eorum tenore præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datis Romæ apud Sanctum Marcum, sub Annulo Piscatoris, die undecima Octobris M.DC.XI. Pontificatus nostri anno Septimo. S. Cobellutius.

289. Et hoc diploma Apostolicum promulgatum fuit in hac Hispalensi Diœcesi; in qua jam ex hoc tempore, non fuit practicè probabile, quod virtute Cruciatæ possint absolvere confessarii approbati in alia Diœcesi.

290. Ubi advertendum maxime est, *Paulum* V. in suo diplomate dixisse: *Decernimus, & declaramus*. Unde fit, hanc non solum esse legem Pontificis pro Diœcesi Hispalensi, sed esse declarationem doctrinæ. Declarat enim Pontifex, non posse Regulares, aut Sæculares Confessarios, etiam virtute Cruciatæ, absolvere Diœcesanos sine licentia Ordinarii illius Diœcesis, & *esse irritum & inane* quidquid in contrarium contigerit attentari, *sive scienter, sive ignoranter*. Constat autem *ex disp. 1. proœmiali*, declarationem doctrinæ, quam facit Romanus Pontifex, non indigere majori promulgatione, quam ea, quæ sufficit, ut quis certo sciat, eam esse declarationem Romani Pontificis. Etenim quotiescumque scio, aliquam doctrinam moralem esse certam, teneor eam sequi sive practicando, sive consulendo: sed quoties certo scio, Romanum Pontificem declarasse, aliquam doctrinam esse veram, scio eam esse certam: ergo ubi scio, eam declaratam à Romano Pontifice, teneor eam sequi in praxi.

291. Sed de his non obstantibus, non pauci Authores secuti sunt eam opinionem (forte ob ignoratam declarationem *Pauli V.*) quod licitum fuerit Confessariis in aliena Diœcesi approbatis virtute Cruciatæ, absolvere pœnitentes hujus Diœcesis. Sed quoniã adhuc persistebant ejusmodi dissidia, & indies crescebant inter Episcopos, & Regulares; *SS. D. Clemens X. anno* 1670. Bullam promulgavit, ut has dubitationes, & dissidia ad unam determinatam formam reduceret, per quam Episcoporum, & Regularium dissidia terminarentur, idque non solum præcipiendo, sed etiam declarando, quid juris unicuique partium competeret.

292. Promulgavit hanc constitutionem *Clementis X. Illustrissimus D. D. Ambrosius, Ignatius spinula, & Guzman, Archiepiscopus Hispalensis* in sua Ecclesia die 4. Februarij an. 1671. Et tamen non defuerunt Regulares aliqui, qui adhuc contenderent, se posse absolvere virtute Cruciatæ, cum sola approbatione alienæ Diœcesis. Quare illustrissimus D. Archiepiscopus consuluit denuo *SS. D. Clement.* X. per litteras tenoris sequentis.

Beatissime Pater

293. MAgnam afferet Reipublicæ Christianæ pacem, & tranquillitatem Constitutio Sanctitatis vestræ, si exacte servetur, in qua sancivit: *Religiosos ab Episcopo ad confessiones sæcularium in sua Diœcesi audiendas approbatos, non posse in alia Diœcesi eas absque Episcopi Diœcesani approbatione audire, quamvis pœnitentes subditi sint ejus Episcopi à quo ipsi Religiosi jam fuerant approbati.* Huic tamen tam sanctæ constitutioni sive fraus, sive relaxatio adinventa est prætextu privilegiorum Bullæ Cruciatæ. Et quidem ante istam Sanctitatis vestræ constitutionem, non pauci scriptores docuerunt, Confessarium approbatum ab uno Episcopo, posse virtute Bullæ Cruciatæ eligi ubique terrarum ad Confessiones sæcularium audiendas; maximè si confessarius sit ex Regularibus

Q

laribus. Et quoad Regulares, niti videntur ijs verbis Bullæ Cruciatæ: *Ex his, qui ab Ordinario, & quoad Regulares semel tantum approbati fuerint.* Imo vero sunt non pauci Authores, qui affirmarunt, Confessarium etiam non Regularem, approbatum in una Diœcesi, posse ubique eligi virtute Cruciatæ.

294. Moderni ergo Regulares contendunt, eos semel in una Diœcesi approbatos posse ubique locorum eligi virtute Cruciatæ, etiam post hanc Vestræ Sanctitatis constitutionem. In quo si sincerè procederent, satis clare cognoscerent, jam post prædictam constitutionem, non relinqui locum illi prædictæ opinioni, cum Vestra Sanctitas tam clarè statuerit, Religiosos ab Episcopo ad confessiones sæcularium in sua Diœcesi audiendas approbatos, non posse in alia Diœcesi eas absque Episcopi Diœcesani approbatione audire; non obstantibus privilegiis, aut consuetudinibus, vel statutis quibuscumque, *etiam ex causa, & titulo oneroso* concessis, & sub quavis forma & tenore, &c. Opinionem ergo privilegio Bullæ innitentem, etiam revocato privilegio, sustinere volunt.

295. Ex quo fit, quod cum fere nullus sit in Regnis Hispaniæ, qui non assumat Bullam Cruciatæ; in prædictis Regnis ista Vestræ Sanctitatis constitutio suo fine frustratur. Quia Regulares sub hoc prætextu semel approbati in una Diœcesi, audiunt confessiones sæcularium ubique, eo quod omnes sæculares habent Bullam Cruciatæ. Quod si Episcopus vult arcere Regulares ab audiendis sæcularium confessionibus absque sua approbatione, fortiter resistunt se tuentes privilegio Bullæ Cruciatæ, quam prædicti sæculares habent. Ex quo vetera dissidia reviviscunt.

296. Ut ergo his dissidiis Vestra Sanctitas finem imponat, maxime oportet, quod Vestra Sanctitas suo diplomate declaret, nihil suffragari Bullam Cruciatæ Regularibus, aut quibuslibet aliis Confessariis in alia Diœcesi approbatis ad audiendas confessiones sæcularium hujus Diœcesis, & illam eorum Authorum opinionem hac Vestræ Sanctitatis constitutione antiquatam esse. Servet Deus incolumen Sanct. V. &c.

297. Scripsit simul D. Archiepiscopus litteras ad Procuratorem generalem D. Archiepiscopi pro negotiis Curiæ Romanæ constitutum, in quibus monebatur de postulanda facultate, ut D. Archiepiscopus procederet contra Regulares, qui contravenirent decreto, & declarationi faciendis.

298. Sanctissimus Dominus post acceptas has litteras, præcepit Eminentissimo Domino Cardinali *Ursino*, ut examinata materia earum in Sacra Congregatione Eminentissimorum Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum, Declarationem Sacræ Congregationis rescriberet D. Archiepiscopo. Exemplum litterarum Eminent. D. Cardinalis hoc est.

299. Perillustris, & Reverendissime Domine uti frater. Duo pro parte Amplitudinis tuæ à Sacra Congregat. Eminentissimorum Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum petita fuêre. Primum, ut ei specialiter committeretur executio Constitutionis incipientis *Superna* editæ nuper à Sanctissimo D. N. *Clement. X.* cum facultate, ut tamquam Sedis Apostolicæ delegatus in casu contraventionis adversus cujuscumque Ordinis Regulares procederet per sententias, censuras, & pœnas Ecclesiasticas ejus arbitrio. Secundum, ut declararetur, quod dicti Regulares nullatenus eligi possint in Confessarios vigore Bullæ Cruciatæ, nisi juxta dictam constitutionem fuerint approbati. Quoad hoc Eminentissimi Patres idem nunc juris esse censuerunt, ac alias 6. Augusti 1611. definitum fuit pro istamet Diœcesi; ac proinde dari

ri voluerunt declarationem editam sequentis tenoris. *HISPALENSIS.*

Sacra Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum sæpius declaravit, Regulares non posse absque Ordinarii licentia, & approbatione sæcularium personarum confessiones audire; prædicare vero ita demum non posse absque licentia, & approbatione ipsius Ordinarii, si in aliis quam suorum Ordinum Ecclesiis Sacras Conciones sint habituri, nec constitutionem, quæ Cruciatæ appellatur in hac re quidquam novi juris induxisse.

Quoad primam vero petitionem alia commissione minimè opus esse dixerunt, sed Amplitudini tuæ scribendum, ut suo jure, quod in his jam habet, utatur, servata forma tam supradictæ Constitutionis *superna &c.* quam alterius *Gregorii XV. S.* M. in eadem materia. Hæc igitur per hasce literas S. Congregationis nomine significo Amplitudini tuæ, ut quidquid sibi liceat, sciat, & ei diutinam precor incolumitatem Romæ 16. Febr. 1675.

Amp. tua.

Uti frater Studios.

Fr. Ursinus Cardinalis Sancti Xisti Præses.

S. Archiep. Brachaccius, Episcopus Viterbiensis.

Sciendum etiam est, ultra has declarationes Sacræ Congregationis, quas autheuticas apud me habui; *Mag. Arauxo in selectis tom.* 1. *tract.* 1. *quæst.* 8. *sect.* 3. *num.* 14. scribit aliam his verbis: *Ita habetur in quadam declaratione missa ad Archiepiscopum Valentinum, ibi: (Approbatum ab alio, quam à Valentino* Ep*iscopo, in Diœcesi Valentina non censeri approbatum ab Ordinario.)* Ex quo manifestè infertur, illum non posse eligi virtute Cruciatæ in Diœcesi Valentina, cum in illa non censeatur approbatus ab Ordinario. Refertque *Arauxo* duas alias declarationes de eodem, relatas *à Bellarmino in notis ad Concil. Trid.*

Synopsis hujus quæstionis.

301. Ex dictis infertur, argumenta facta saltem convincere, post *Clementis X.* constitutionem esse valdè dubiam probabilitatem opinionis docentis, Regularem approbatum ad Confessiones audiendas in una Diœcesi posse virtute Cruciatæ eligi in altera Diœcesi. Nam qui perpenderit præfata argumenta, ut minimum, dubitabit, an opinio proximè relatâ habeat sufficientem probabilitatem pro regimine conscientiæ. Hinc consequenter deprehenditur, præfatam opinionem esse tenuiter probabilem; nam ut latè ostendam *disert.* 3. opinionem esse tenuiter probabilem nihil aliud est, quam esse dubium de probabilitate. Quod quidem dubium, ut sæpe dixi, est dubium practicum, in quo tutior pars eligenda est.

302. Ex quibus omnibus manifestum fit, Ecclesiam non supplere jurisdictionem illius Religiosi, qui approbatus in una Diœcesi ad Confessiones audiendas, eligitur in altera Diœcesi prætextu Cruciatæ. Nam, ut ostendi initio hujus articuli, Ecclesia non supplet jurisdictionem in usu earum opinionum, quæ sunt dubiæ, & tenuis probabilitatis.

QUÆSTIO IV.

An Ecclesia suppleat jurisdictionem Confessarii, qui utitur opinione docente, approbatum ad Confessiones virorum dumtaxat posse eligi virtute Cruciatæ ad confessiones fœminarum?

SUMMARIUM.

Proponitur, & explicatur quæstio. n. 303.

Post constitutionem Clementis X. tenuiter probabilis est opinio, quod Regularis approbatus tantum ad confessiones virorum possit audire fœminarum virtute Cruciatæ. n. 304.

Qui approbantur solum ad confessiones virorum, habent approbationem limitatam. n. 305.

Clemens X. compescere intendit hanc controversiã quæ est inter Episc. & Regulares. Ib. & n. 306

In Bulla Cruciata non datur privilegium Regulari quoad approbationem. n. 307.

Regularis absolutè approbatus pro sæcularibus non potest virtute. Cruciatæ eligi ad confessiones Monialium. n. 308.

Illi non censentur approbati ad Confessiones monialium. n. 309.

303. IN *quæstione* 2. hujus articuli ostendimus, ex constitutione *Clementis X*. regularem approbatum limitate ad confessiones virorum, donec impleat quadragesimum ætatis annum, non posse audire licitè, nec validè confessiones fœminarum; & opinionem oppositam esse tenuis, & dubiæ probabilitatis. Modo inquiritur, an saltem id liceat virtute Cruciatæ Regularibus, & sæcularibus cum ea limitatione approbatis; ita ut propter probabilitatem opinionis, Ecclesia suppleat jurisdictionem, quæ defecerit?

304. Et ex dictis in *quæstione* 2. & 3. dicendum est, ex constitutione *Clementis X*. certum esse, non posse virtute Cruciatæ eligi ad Confessiones fœminarum Confessarium taliter approbatum; aut saltem eam opinionem affirmativam esse tenuiter, & dubiè probabilem; atque adeo Ecclesiam non supplere jurisdictionem Confessarii ea opinione utentis in praxi.

305. Probatur. Nam, ut in *quæst*. 2. §. 2. ostendi ex verbis eius Constitutione Clementinæ, illi, qui limitatè approbantur, limitatam habent jurisdictionem; ita ut nullo modo possint illam exercere ultra limites ob Ordinario præfixos. Quod non solum Pontifex interdicit, sed etiam declarat tamquam doctrinam veram, & certam. Deinde in præfata constitutione affirmat Pontifex, intendere se compescere omnes dubitationes, & controversias inter Episcopos, & Regulares exortas; & reducere hanc materiam ad unam determinatam formam, quæ semper sit observanda, non obstantibus quibuscumque privilegiis etiam ex contractu oneroso concessis; ut constat ex proxima quæstione tertia.

306. Atqui hæc est una ex dubitationibus, & controversiis, quæ inter Episcopos, & Regulares oxortæ sunt, propter varietatem opinionum, an saltem possint Regulares approbati limitatè ad Confessiones virorum, virtute Cruciatæ, eligi ad Confessiones fœminarũ: & *Clemens X*. hanc, & reliquas dubitationes, & controversias reducit ad hoc, quod qui minus idonei judicantur ab Episcopo, relinquantur cum facultate limitata, prout eisdem Ordinariis magis expedire videbitur, ut constat ex clausula proposita *in quæst*. 2. *n*. 240. Et ut forma hæc semper, & continuò habeatur in praxi, revocata quoad hoc censenda est facultas Bullæ Cruciatæ, si qua datur; quia ea, quæ sunt ex contractu oneroso omninò revocatur.

307. Dixi *Si qua datur*, quia valdè dubium est, quod talis facultas detur in Bulla Cruciata: cum enim dicitur, quod possint eligi approbati ab Ordinario; de approbatis ab Ordinario absolutè, & sine limitatione, id intelligi debet. Nam Bulla Cruciata nullum concedit privilegium circa approbationem Confessarii, ut multis ostendit *P. Mendo in expositione Cruciatæ disp*. 25. *cap*. 3. *& seqq*.

308. Hinc etiam constat, Regularem absolutè approbatum pro sæcularibus, non posse virtute Cruciatæ eligi ad Confessiones Monialium; etiam si probabilis sit opinio (à qua quæstione modo abstineo) docens, posse Regulares absolvi à non reservatis, virtute Cruciatæ. Pontifex enim excludens omnia omninò privilegia in contrarium (etiam concessa ex contractu oneroso, etiam si requirant quamlibet exquisitam formã pro eorum revocatione) declarat hunc articulum spectantem ad Moniales, sic: *Generaliter approbatos ab Episcopo ad personarum sæcularium Confessiones audiendas, nequaquam censeri approbatos ad audiendas Confessiones Monialium sibi* (id est, ipsis Religiosis) *subjectarum; sed egere quoad hoc speciali Episcopi approbatione. Atq; approbatos pro*

pro audiendũ Confessionibus Monialiũ unius Monasterii minimè posse audire Confessiones Monialium alterius Monasterii. Itidemque Confessarios extraordinarios semel deputatos, atque approbatos ab Episcopo ad Monialium Confessiones pro una vice audiendas, haud posse, expleta deputatione, in vim approbationis hujusmodi illarum Confessiones audire: sed toties ab Episcopo esse approbandos, quoties casus deputationis contigerit.

309. Ubi notanda sunt illa verba: *Nequaquam censeri approbatos ad audiendas Confessiones Monialiũ.* Unde desumitur argumentũ. Nõ possunt virtute Cruciatæ eligi ad Confessiones Monialium, nisi illi, qui fuerint approbati ab Ordinario: sed qui generaliter approbati sunt ad confessiones sæcularium, nequaquam censentur approbati ab Ordinario ad Confessiones Monialium: ergo qui generaliter sunt approbati ad confessiones sæcularium, non possunt virtute Cruciatæ eligi ad Confessiones Monialium. Præterea *Mag. Arauxo in select tract. 1. q. 8. sect. 3. n. 15.* refert declarationem Cardinalium, quæ multò ante hanc Bullam data est. Sic enim ait: *Fuit quoq; alia (* declaratio Sacræ Congregationis *) missa ad Episcopum Abulensem an. 1593. in qua declaratum fuit; quod approbatus ad audiendas Confessiones certi generis personarum, vel in certa Ecclesia, non censetur approbatus simpliciter; ac proindè quod non potest virtute Bullæ Cruciatæ, aut Iubilæorum eligi ad audiendas confessiones aliarum personarum, vel extra illas Ecclesias ipsi designatas.*

QUÆSTIO V.

An Ecclesia suppleat jurisdictionem in ea opinione, quæ affirmat, posse Regulares absolvere virtute privilegii vivæ vocis oraculo concessi.

§. I.

Præmittuntur aliqua, & refertur opinio affirmans, & ejus Authores.

SUMMARIUM.

Aliqua privilegia concessa sunt Regularibus vivæ vocis oraculo pro absolutione fidelium. n. 310.

Tale est potestas absolvendi eos, qui bona naufragantium rapuerint. ibidem.

Item potestas absolvendi damnatos ad triremes, sicut in articulo mortis, n. 311.

Gregorius XV. & Urbanus VIII. revocarunt omnia privilegia vivæ vocis oraculo concessa. n. 312.

Opinio multorum quod privilegia Regularibus concessa non manent revocata. n. 314.

310. PRæmitto primò, esse aliqua privilegia Regularibus à Romano Pontifice concessa vivæ vocis oraculo pro absolvendis Fidelibus. Tale est privilegium, quod *Gregorius XIII. die 18. Maij ann. 1584.* concessit confessariis Societatis JESU, ut refertur in Compendio privilegiorum ejusdem Societatis *verb. Absolutio, §. 2. his verbis: Possunt Confessarii Societatis absolvere eos, qui bona naufragantium rapuerint, injuncta eis restitutione, ubi, & quomodo ea fieri poterit,* & subjungitur contineri *in viva vocis oraculis. p. 133.*

311. Et in eodem compendio, & in eodem verbo §. 5. sic refertur aliud privilegium. *Qui mittuntur ad triremes possunt absolvi per nostros à quibuscumque casibus, sicut in articulo mortis. Pius IV. in viva vocis oraculis pag. 30.* in quo eodem compendio alia similia oracula reperiuntur.

312. Præmitto secundò *Gregorium XV. die 2. Iulii ann. 1622.* expedivisse motum proprium, in quo revocat omnia privilegia vivæ vocis oraculo concessa, cum aliquibus tamen limitationibus, scilicet excipiendo à revocatione ea oracula, quæ concessa fuissent ad instantiam Regum, & ea, quæ manu alicujus Cardinalis firmata fuissent. Posteà tamen

Urbanus VIII. die 20. Decembr. ann. 1631. expedivit motum proprium alium, qui incipit: *Alias felicis recordationis*, in quo generaliter omnia vivæ vocis oracula revocavit absque ulla limitatione; qui habetur in *tom. 4. Bullarij*, & illum affert *Diana part. 4. in fine libri.*

313. Ut ergo videamus, an Ecclesia suppleat jurisdictionem eorum, qui utuntur ea opinione, quæ negat revocata esse privilegia Regularium vivæ vocis oraculo concessa, inquirendum est, an ea opinio sit verè, & absolutè probabilis; an potius tenuiter probabilis, sive quod idem est, an ea sit dubiæ probabilitatis?

314. Igitur non obstantibus his constitutionibus, opinio est non paucorum, privilegia Regularibus concessa vivæ vocis oraculo à Romanis Pontificibus, non manere revocata. Ita *Peyrinus in privileg. Minim. tom. 3. cap. 12. constitut. 18. alias 28. Urbani VIII. in scholiis num. 1. (referente Diana part. 5. tract. 14. resolut. 22.) item Bordonus in Consil. Regul. tom. 1. resolut. 31. & tom. 2. resol. 54. num. 238.* loquens de oraculis, quæ non sunt in præjudicium aliorum, ut refert *Diana part. 9. tract. 7. resolut. 61.* ubi etiam refert *Leandrum à Murcia*, qui sine ea limitatione id docet de omnibus oraculis, quæ concessa sunt Regularibus, *in Regul. S. Franc quæst. 20. ad cap. 6. num. 3.* Pro eadem opinione stat *Vidal. in Ara Theol: Moral. tit. 4 de Iurisdict. Inquisit. num. 15.* ut refert ipse *Diana part. 10. tract. 14. resol. 24. item Samuelus in praxi de sepulturis præludio 3. Appendicis n. 1. & præludio 4. num. 1. & Hieronymus Garcia in Politica Regul. tom. 1. tract. 8. difficult. 1. dub 6. num. 6. quos refert Diana ibid. Item Th. Hurt. tom. 2. tract. 12. cap. 1. §. 21. num. 1168. & t. 1. tract. 2. cap. 6. resol. 22. num. 250. Possentius in Recollect. fol. 44 Bassæus verb. Privilegium 5. num. 8. Straccius in instruct. ad fratres, Martinus de S. Ioseph. in monit. Confessar. t. 1. lib. 1. de Matrim. tract. 43. num. 2. Ioannes de Soria in Summa de Regular. dub. 1.* quos refert *idem Diana part. 11. tract. 6. resolut. 45.* & in hanc opinionem videtur inclinare *P. Pellizarius in Manuali Regular. tom. 2. tract. 8. cap. 1. sect. 5. num 130.* & alii Recentiores.

§. II.

Ostenditur, relatam opinionem esse ad summum tenuiter probabilem.

SUMMARIUM.

Statuitur conclusio. n. 315.

Authores conclusionis. n. 316.

Pontifices revocant privilegia, quæ non sunt scripta in litteris Apostolicis. n. 317. & seqq.

Responsio adversariorum laborat in æquivoco. n. 319. & seq.

Clausula Urbani, ex qua id constat apertè. n. 321.

Quomodo perperam extendatur privilegium, dum non apponuntur termini formales? n. 322.

De periculo extendendi privilegium, & de experientia extensionis pravæ testatur Pontifex. n. 323.

Quod vivæ vocis oracula confirmata sint in genere, non prodest, ut inveniantur scripta in litteris Apostolicis. n. 324.

Quomodo Pontifex voluerit occurrere aliis malis per hanc revocationem? n. 325.

Non est leve malum, quod non possit fieri plena probatio privilegij. n. 326.

Declaratio legis facto à Pontifice oretenus prodesse potest pro foro conscientiæ, juxta Lezanam. n. 327.

315. NUmquam potui mihi in animum inducere, eam opinionem esse verè probabilem, sed semper eam existimavi certo falsam; mihi enim evidens est, privilegia Regularibus vivæ vocis oraculo concessa à Romano Pontifice, ex constitutione *Urbani VIII.* manere revocata. Sed quia multi scriptores præfatam opinionem propugnant, nolo appellare absolutè improbabilem, sed solum

solum assero, eam esse tenuiter probabilem, & dubiæ probabilitatis.

316. Ea privilegia esse revocata tamquam certum propugnant *Lugo Cardin. lib. 4. responsorum moral. dub. 33. num. 2. Diana in locis supra citat. P. Quintanadvennas tom. 1. tract. 9. sing. 3. num. 1. & apud Dianam in locis supra citatis. Roccaful. in Praxi tom. 2. part. 3. lib. 7. cap. 6. n. 44. P. Baldellus tom. 2. lib. 3. disp. 34. num. 19. P. Antonius de Escobar in Theol. moral. t. 1. lib. 6. sect. 2. cap. 13. Problem. 16. n. 144. & cap. 16. Probl. 3. num. 195. & ex parte Bordonus in consil. Regul. tom. 1. resol. 31. num. 4.*

317. Ostenditur assertio. Nam *Gregorius XIII. & Urbanus VIII.* revocarunt omnia privilegia, quæ non reperiuntur scripta expresse, & singillatim in litteris Apostolicis, neque de illis constat per ejusmodi litteras: sed ejusmodi privilegia Regularibus concessa vivæ vocis oraculo, quamvis per alias Bullas fuit confirmata in genere, non reperiuntur scripta in litteris Apostolicis, neque per ejusmodi litteras constat de illis: ergo revocata manent ex constitutionibus *Gregorii & Urbani*.

318. Hic syllogismus est Achilles roboris irrefragabilis, cujus Minor, & consequentia sunt evidentes. Majorem autem ego non minus evidentem existimo. Nam vivæ vocis oracula sunt illa, quæ Pontifex Romanus concedit voce tenus, & non scripto proprio: ergo dum non reperiuntur scripta in litteris Apostolicis, sunt vivæ vocis oracula. Sed *Gregorius, & Urbanus* revocant omnia omnino privilegia *vivæ* vocis oraculo concessa, & *Urbanus* etiam concessa ad instantiam Regum, & ea etiam, quæ manu alicujus Cardinalis firmata inveniuntur: ergo revocant omnia ea, quæ non reperiuntur expresse, & singillatim in litteris Apostolicis, sive quæ per ejusmodi litteras non constant.

319. Ad hoc argumentum respondent, vivæ vocis oracula concessa Regularibus, exuisse naturam *vivæ* vocis oraculi, & induisse naturam privilegii Bullati. Sed quomodo id fit? Ajunt, multos Romanos Pontifices in Litteris Apostolicis confirmasse omnia, & singula privilegia priùs Regularibus concessa, tamquam si de verbo ad verbum insererentur, quæ omnia in ipsis Litteris volunt pro expressis habere. Tum sic: ergo ea vivæ vocis oracula habenda sunt pro expressis. Sed expressa in litteris Apostolicis jam non sunt vivæ vocis oracula, sed privilegia Bullata: ergo ea non revocantur, dum sola vivæ vocis oracula revocantur.

320. Sed hæc responsio fallax est, & in æquivoco laborans. Nam *Gregorius & Urbanus* expressis verbis intendunt, quod, ut privilegia valeant, constare debent ex litteris Apostolicis, & in illis reperiri expresse, & singillatim scripta: quid ergo prodest, quod dicant alii Pontifices Prædecessores per clausulam generalem, ea habenda esse pro expressis, si per hanc clausulam non constat de talibus privilegiis, neque ea inveniuntur scripta expressè, & singillatim in ejusmodi litteris?

321. Quod autem præfati Pontifices, & præcipuè *Urbanus* expresse intendat revocare privilegia, quæ non constant ex litteris Apostolicis, constat ex motu proprio *Urbani* illis verbis: *Cum autem experientia rerum magistra compertum sit concessiones, & gratias vivæ vocis oraculo, etiam à S. R. E. Cardinalibus obtentas, & ipsorum manu firmatas, sæpe ab his, in quorum favorem emanarunt, minus canonica interpretatione extendi, & perperam in disciplinæ Ecclesiasticæ detrimentum executioni demandari; idcirco quantum cum Domino possumus, his & aliis malis occurrere volentes; motu proprio, &c.*

322. Ex quibus verbis constat primò, quod Pontifex cavere intendit, ne, dum non constat de terminis formalibus, quibus facta est à Pontifice concessio, illi, in quorum favorem facta est concessio, apponant alios termi-

minos, qui sibi videantur æquivalentes, & sic extendant facultatem vltra mentem Pontificis. Et quidem non est dubium, longè diverso modo fieri interpretationem privilegii, si apponantur diversi termini, quamvis narranti privilegium videantur æquivalentes nam ipsi termini, qui communiter reputantur æquivalentes, alii majorem, alii minorem extensionem recipiunt. Ex quo manifestè colligitur intendere Pontificem, quod certum constet de terminis formalibus, quibus Pontifex fecit concessionem, quod non aliter constat, nisi per ipsas litteras Apostolicas.

323 Constat secundo ex ipso Romani Pontificis testimonio, cui refragari nefas est, experientia compertum esse; eiusmodi oracula ab aliquibus extendi vltra id, quod creditur fuisse de mente Pontificis, & ultra id, quod permittit canonica interpretatio. Ex quo manifestè infertur, quod intendit Pontifex, privilegia constare de verbo ad verbũ ex litteris Apostolicis, ne dum proponuntur, seu referuntur privilegia per alios terminos diversos ab iis, quibus Pontifex ea concessit, facilius trahantur ad diversum sensum.

324. Constat tertio. Nam quamvis confirmata sint in genere per alios Pontifices: & non inveniantur scripta in litteris Apostolicis, sed solum scripta per privatam personam; idem subeunt periculum, quod *extendatur minus canonica interpretatione*; & quod cũ detrimento *Ecclesiastica disciplina executioni mandentur*: Ergo Pontifex expressè vult revocare omnia privilegia, quæ non reperiuntur scripta in litteris Apostolicis; neque eximuntur à revocatione, per hoc quod sint confirmata in genere.

325. Constat quarto, voluisse Pontificem *occurrere aliis malis*, quæ ex concessione privilegiorum voce tenus facta, & non scripta in litteris Apostolicis, oriri possunt., ut dicitur in clausula supra relata: ergo manifestum est, quod intendit Pontifex, quod privilegia inveniantur scripta in litteris Pontificis, & ex illis clare constet, ut prædictis malis occurratur.

326. Sed quænam sunt hæc mala, sive inconvenientia? Sane non est leve inconveniens, quod in tota Ecclesia deducantur ad praxim, privilegia, de quorum concessione non est plena probatio, & vix est semiplena, qualia sunt non pauca ex his oraculis. Nam licet quam plures sint scriptores, qui testentur dari ejusmodi privilegia vivæ vocis oraculo concessa, authoritas tamen omnium illorum reducitur ad illum unum, qui vel immediate accepit ab ore Pontificis, vel immediatè accepit ab eo, qui obtinuit à Pontifice concessionem. Cui tam tenuem fidem habet *Vrbanus*, ut licet sit S.R.E. Cardinalis ille, qui testatur privilegium, non vult istud esse validum. Et meritò: quia dum non plene constat de verbis formalibus Põtificis, potest ille, qui testatur privilegium, addere, aut minuere, aut in alio sensu intelligere. Et quidem quamvis in aliqua causa deponant viginti testes, si omnes se referant ad dictum unius, non faciunt majorem probationem, quam ille unus.

327. Observandum tamen est, declarationem oretenus factam à Pontifice circa aliquam legem à se latam prodesse posse pro foro conscientiæ; quia ea declaratio non est privilegium sed doctrina quædam certa pro foro conscientiæ. Sicut enim pro foro conscientiæ prodest interpretatio doctrinalis, quam dat vir sapiens; multo magis declaratio Pontificis, quæ quidem sumitur per modum doctrinæ pro intelligentia legis. Et de his declarationibus oretenus factis non loquitur *Urbanus*. Et tales existimo esse declarationes quasdam, quas dedit *Clemens Octavus* circa constitutionom suam de casibus reservatis pro Societate IESU, ut praxis ejus Con-

declarationes non comprehendi constitutione *Urbani VIII.* observavit *Lezana in qq. Regular. cap 3. n. 21. ut refert Diana part. 5. tract. 14. resol. 22.*

§. III.

Solutione, & confutatione objectionum roboratur assertio.

SUMMARIUM.

Ea clausula (ac si exprimerentur de verbo ad verbum) non praestat eumdem effectum, ac ipsa expressio. n. 328.

Privilegium Pij V. ex quo tres consequentiae colliguntur favore oppositae sententiae. n. 330. & seqq.

Pius V. potestatem habuit revocandi ea ipsa, quae concessit. n. 339.

Eamdem potestatem habuerunt Gregorius, & Urbanus, & illa usi fuerunt ex plenitudine potestatis. n. 337. & seqq.

Quam vim habeat haec clausula (de plenitudine potestatis?) n. 336.

Clausula derogatoria Urbani tollit reviviscentiam oraculorum. n. 340.

Ex justa causa Urbanus revocavit oracula. n. 341.

Privilegia Religionum sunt revocabilia de plenitudine potestatis, quamvis irrevocabilia de potestate Ordinaria. n. 342.

Ad clausulas ex Bullis Gregorij XIV. & Pauli V. idem respondetur, atque ad Bullam Pij V. n. 345.

328. OBjicitur primò. Plures Pontifices saepius confirmarunt omnia . & singula privilegia Regularium , tamquam si denuo in litteris Apostolicis de verbo ad verbum referentur, & habentes illa pro expressis: ergo eumdem effectum habent, ac si talibus litteris Apostolicis referentur de verbo ad verbum ; sed si de verbo ad verbum referentur, non essent oracula, sed privilegia Bullata: ergo de facto jam non sunt oracula, sed privilegia Bullata.

329. Sed jam in §. *praecedenti* dixi, hoc genus argumenti laborare in aequivoco. Oportet autem modo aperire terminos , in quibusvis latet aequivocatio. Nota eam consequentiam: *Ergo eumdem effectum habent , ac si in talibus litteris Apostolicis referentur de verbo ad verbum*: Quae prima facie videtur vera, & tamen universaliter sumpta est omnino falsa. Nam inquiro, an praedicta oracula sic in genere confirmata habeant eum effectum, quod constet de illis per litteras Apostolicas, ita ut per ipsas litteras Apostolicas sciatur , quaenam, & qualia sint ejusmodi privilegia ? Quis audebit tale absurdum affirmare; cum sola lectione litterarum Apostolicarum convinci possit? Ergo dicendum est , quod ea oracula non habeant eumdem omnino effectum, quem haberent, si de verbo ad verbum referentur in litteris Apostolicis. Et hinc patet, negandam esse eam consequentiam, ex cujus negatione corruit tota vis argumenti.

330. Objicitur secundò. Omnia privilegia ordinibus Mendicantibus concessa sunt irrevocabiliter: ergo privilegia vivae vocis oraculo concessa eisdem , non revocantur per constitutionem *Urbani*, aut *Gregorij*. Antecedens probatur primò. Nam *B. Pius V.* in quadam Bulla, in qua concessit, & confirmat privilegia pro quibusdam Mendicantibus, decrevit, ea privilegia nullo unquam tempore per Sedem Apostolicam revocari posse ; & sub aliis revocationibus non comprehendi praefata privilegia. Quod si ea revocari contingat, ea Pontifex denuo concedit; etiam sub data ab ipso Mendicantium Generali eligenda. Et confirmatur. Nam *Gregorius XIV.* & *Paulus V.* confirmavit eadem privilegia eodem modo, ac *Pius V.*

331. Ex hac concessione constat primò , Omnia eorum privilegia, atque adeo oracula,

nullo unquam tempore revocari, aut limitari, vel illis derogari posse. Ergo si nullo tempore revocari possint, irrevocabiliter concessa sunt.

332. Constat secundo, omnia eorum privilegia, atque adeo oracula, exceptionem habere à quibuslibet revocationibus, atque adeo à revocatione *Gregorij*, *& Urbani*: ergo ab horum Pontificum revocatione excipienda sunt oracula illis concessa.

333. Constat tertio, quoties privilegia eorum, atque adeo oracula revocata fuerint, toties reduci posse, & debere ad suum pristinũ statum: ergo postquam oracula illis concessa revocata sunt à *Gregorio*, *& Urbano*, debent restitui in suum pristinum statum, & valorem.

334. Quod majus accipit robur ex eo, quod subjungit Pontifex, nempe post factam revocationem, ita reviviscere denuo ejusmodi privilegia, ut possit talibus privilegiis, & eorum concessioni apponi data temporis subsequentis, arbitrio Generalis: ergo postquam facta est ea revocatio ab *Urbano VIII.* *anno 1631.* poterit Generalis apponere datam anni 1632. ita ut pro tunc censeantur oracula denuo concessa post revocationem. Ergo ejusmodi oracula sunt irrevocabilia, atque adeo non sunt revocata.

335. Hoc tamen argumentum, & si magnum videatur afferre apparatum, tamen nihil affert veræ probabilitatis contra præfatam assertionem. Pro cujus rei claritate tria interrogo. Primum, an *Pius V.* qui eam concessionem fecit illis Mendicantibus, habuerit potestatem revocandi illam per clausulas sufficientes ad revocationem, & concurrente justa causa revocationis? Secundum, an *Gregorius XIII.* *& Urbanus VIII.* habuerint eamdem potestatem, ac *Pius V*? Tertium, an *Gregorius*, *& Urbanus* usi fuerint hac potestate revocãdi per clausulas sufficientes ad revocationem, & concurrente justa causa?

336. Et ad primam quæstionem dico indubitatum esse, quod qui habuit potestatem concedendi, habuit potestatem revocandi, saltem concurrente justa causa: & sicut potuit concedere, quod revocata ea privilegia reviviscerent, etiam sub quacumque data temporis ad arbitrium Generalis; ita etiam ex justa causa potuit postea decernere, quod nullo modo reviviscerent. Neque aliquis potest hoc assertum negare, nisi negando potestatem universalem, quam Christus D. dedit D. *Petro*, decernendi omnia ea, quæ ad utilitatem Ecclesiæ expedire judicaret.

337. Ad secundam respondere otiosum est; cum per se notum sit ex fide, in nullo Romano Pontifice esse majorem potestatem, quam in alio.

338. Ad tertiam dico, *Gregorium*, *& Urbanum* usos esse hac potestate revocandi privilegia vivæ vocis oraculo concessa; cum ambo Pontifices dicant, id decernere ex *plenitudine potestatis.* Quæ (ut definit *Barbosa tract. de Clausulis usu frequent. clauf. 41. num. 2.* ex communi sententia jurisprudentum) *est illa, cujus causa non est ratio exquirenda in Principe, cur ita faciat.* Quod intellige, dummodo non sit contra jus naturale, aut Divinum; & in Principe laico contra jus canonicum, quo obstringitur. Neque ab hac definitione sic intellecta recedit *P. Thomas Sanchez lib. 2. de Matrim. disp. 15. num. 3.*

339. Deinde, ut ait idem *Barbosa ibid. num. 9. cum aliis Doctoribus*, hæc clausula *de plenitudine, potestatis vim habet derogatoria ad omnem legem contrariam, etiam habentem clausulam derogatoriam.* Et, ut idem author ait *num. 10. Operatur, quod contraria censeantur sublata absque alia derogatione, & clausula (Non obstante;) maxime quando adest clausula, (Ex certa scientia.)*

340. Quod

340. Quod autem clausula derogatoria *Urbani* sit sufficiens ad tollendam revivisentiam oraculorum: patet ex ipso tenore clausulæ: *Non obstantibus præinsertis litteris hujusmodi ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, & quatenus opus sit etiam Regula nostra de non tollendo jure quæsito, privilegiis quoque, indultis, & litteris Apostolicis, eisdem Cardinalibus, ac Ordinibus, Congregationibus, Institutis, & Societatibus, eorumque Superioribus quocumque nomine nuncupatis sub quibuscumque verborum formis, & tenoribus, ac cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, ac irritantibus, & aliis decretis in genere, vel in specie, ac alias in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiam si pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, & expressa ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quavis alia expreßio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expreßis habentes specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.* Ex quibus omnibus patet, hanc clausulam esse sufficientem ad plenam revocationem concessionis factæ à *B. Pio V.* quoad oracula.

341. Quod autem *Urbanus* invenerit justam causam revocationis patet ex verbis Bullæ *Urbani relatis in §. præcedenti*, nempe experientia comperisse, eos, in quorum favorem data sunt oracula, extendere ultra modum ea privilegia, & cum detrimento disciplinæ Ecclesiasticæ, & sic perperam extensa executioni mandare; præter alia mala, quæ refert in genere. Unde hæc revocatio facta est pro majori utilitate publica.

342. Hinc respondetur ad argumentum, concedendo, privilegia Religionum esse irrevocabilia de potestate ordinaria; revocabilia autem de plenitudine potestatis. Ad primam probationem dico, quando *B. Pius V.* concessit, ea privilegia revocari non posse, necessario intelligi debere de potestate ordinaria, non autem de plenitudine potestatis. Nam *B. Pius V.* non potuit ligare plenam potestatem, quam á Christo D. habituri erant ejus successores.

343. Ad secundam probationem eodem modo respondendum est, cum *B. Pius V.* concessit, ut à qualibet revocatione privilegiorum à Successoribus facta excipienda sint ea privilegia, intelligendum esse de revocatione facta ex plenitudine potestatis, quam non potuit ligare, aut coarctare *B. Pius V.*

344. Ad tertiam, cum *Pius* concessit, quod quoties revocata fuerint, toties reviviscant; cum non potuerit coarctare plenitudinem potestatis successorum, intelligi debet, id ita esse nisi successores utantur plenitudine potestatis. Hæc enim in quolibet Successore Petri perenniter persistit. Et eodem modo intelligitur id, quod *Pius* subjungit de data posteriori apponenda concessioni.

345. Ad confirmationem desumptam ex Bullis *Gregorii XIV. & Pauli V.* cum hæ constitutiones prodant eodem tenore, ac constitutio *Pij V.* eodem prorsus modo respondendum est, nempe in prædictis Bullis sermonem esse de potestate ordinaria; consequenterque relinquere locum abrogandi talia privilegia de plenitudine potestatis.

§. IV.

Argumentum desumptum à natura privilegij remuneratorij dissolvitur.

SUMMARIUM.

Multiplex divisio privilegii. n. 350. & seq.
Privilegia remuneratoria sunt irrevocabilia, dum non apparent noxia publicæ utilitati. n. 356.
Oracula Regularibus concessa revocabilia sunt, ex quo apparuerũt noxia publicæ utilitati. n. 363
In revocatione eorum non debet fieri compensatio, quando revocatio expedit bono publico. n. 365. & seq.
Quando privilegia remuneratoria transeant in naturam contractus? n. 366.
Concessio privilegiorum ejusmodi non est vera donatio n. 367.
Quomodo sint revocabilia privilegia data propter Cultum Divinum? n. 368.

346. Objicitur tertiò. Privilegia remuneratoria sunt irrevocabilia; quæ si de plenitudine potestatis revocantur, debet fieri compensatio: sed omnia privilegia Regularium, atque adeo vivæ vocis oracula sunt remuneratoria; cum constet ex Bullis Apostolicis, concedi ea privilegia propter magna merita; & nulla data est compensatio pro ejusmodi oraculis revocatis: ergo manent non revocata.

347. Confirmatur primo. Nam privilegia remuneratoria transeunt in naturam contractus: contractus autem est irrevocabilis, quãvis intercedat inter Principem, & subditum: ergo privilegia remuneratoria, atque adeo præfata oracula data pro Regularibus, sunt irrevocabilia.

348. Confirmatur secundo. Nam concessio privilegij est quædam donatio: sed donatio acceptata à donatario est verus contractus qui revocari non potest: ergo concessio privilegij remuneratorii est verus contractus, qui revocari non potest.

349. Confirmatur tertiò. Non enim est credibile, quod Pontifex velit revocare ea privilegia, quæ conceduntur ad cultum Dei & augmentum Fidei, & Religionis Catholicæ: atqui omnia privilegia, atque adeo præfata oracula, concessa Ordinibus Mendicantibus, concessa sunt ad cultum Dei, & augmentum Fidei, & Religionis Catholicæ: ergo nõ est credibile, quod Pontifex velit revocare ejusmodi oracula. Probatur Minor. Nam Paulus V. dum confirmata privilegia, proponit tamquam motivum, quod illi in Ecclesia ad Fidei, pietatis, Religionis augmentum profecerint. Id autem motivum nihil aliud est quam moveri ad concedenda privilegia in augmentum Fidei, pietatis, & Religionis Catholicæ.

350. Pro solutione hujus objectionis, & recta intelligentia hujus materiæ, præmittẽda sunt aliqua, quæ partim observavit P. *Suarez lib. 8. de legibus cap. 37.* partim ex ejus doctrina clare colliguntur. Et in primis (loquẽdo de privilegiis, quæ conceduntur subditis à Principe) duplex est privilegium, aliud est ex contractu, in quo intervenit justitia commutativa, & aliud ex liberalitate. Deinde privilegium ex contractu aliud est ex contractu lucrativo, quando videlicet ille, qui accipit privilegium, se obligat ad dandum, aut faciendũ aliquid in utilitatem concedentis; aliud vero ex contractu gratuito, quando scilicet accipiens privilegium nihil dat, nec facit in utilitatem concedentis.

351. Rursus utrumque privilegium tam ex contractu, quam ex mera liberalitate, subdividitur in privilegium, quo conceditur res alicui, in quam potest adquirere dominium, ut concessio Castri juris vectigalium servitutis, &c. & in privilegium, quo conceditur facultas aut licentia aliqua.

352. De-

352. Deinde hoc utrumque privilegium in subdivisione contentum, aliud est remuneratorium, quod conceditur ex gratitudine propter merita, & aliud purè liberale, & sine attentione ad merita. Deinde privilegium remuneratorium subdividitur in illud, quod est ex rigoroso debito gratitudinis; & in illud, quod est debito congruentiæ gratitudinis. Aliquando enim Dominus dat Ministro remunerationem, quam & si nō debeat ex pacto aut alias ex justitia, illa remuneratio habet quamdam proportionem, & quasi æqualitatem cum speciali industria ministri judicio prudentum. Et hæc est ex debito rigoroso gratitudinis. Aliquando vero dat remunerationem superabundanter, & multo majorem, quam requirit proportio meriti ad præmium; & tunc non est ex debito rigoroso, sed ex debito cōgruentiæ gratitudinis, saltem quoad excessum.

353. Et quidem si privilegium sit ex contractu lucrativo, illud est per se irrevocabile. Dicitur autem *per se*; nam per accidens revocari potest à Principe, quando revocatio expedit ad utilitatem publicam; facta tamen compensatione, juxta utilitatem, quam ipse Princeps accepit: ad id enim tenetur Princeps ex lege justitiæ commutativæ.

354. Deinde quando privilegium est rei, in quam accipiens privilegium, adquirit dominium, sive illud privilegium sit ex contractu, sive ex liberalitate, est per se irrevocabile. Ratio est: quia ubi subditus adquirit Dominium rei, Princeps nō potest per se auferre dominium à subdito; nisi in casu raro, in quo potest ratione supremi dominij disponere de rebus subditorum in utilitatem publicam, facta compensatione eo modo, quo fieri poterit.

355. Præterea quando dicitur privilegium remuneratorium transire in naturam contractus, intelligēdum est, id ita esse analogicè & similitudinariè; nō vero rigorosè & strictè. Ratio est: quia privilegium ex cōtractu obligat ex justitia commutativa; privilegium autem remuneratorium obligat ex gratitudine: si enim obligaret ex justitia cōmutativa, jam nō esset dumtaxat remuneratorium, sed ex contractu.

356. Deinde privilegium remuneratoriū Principis Ecclesiastici est per se irrevocabile. Dicitur autem *per se*: nam per accidens revocari potest, nempe quādo adest justa causa revocādi scilicet utilitas publica. Id autem ita certum est, ut *Gregorius XV.* hanc cōclusionē definierit in ea Bulla, in qua revocavit ea vivæ vocis oracula his verbis. *Romanus Pontifex ...gratias, & indulta à se, & prædecessoribus suis concessa, justis interdum suadentibus causis, juxta creditum sibi Pastoralis officii debitum, moderatur, aut revocat prout rerum & temporum qualitatibus debitè pensatis conspicit in Domino salubriter expedire.* In quibus verbis notandū est primo; id verbum *revocat*, idem esse ac *justè revocat*. Ex quo evidēter infertur potestas revocandi. Secundo, hanc potestatem revocandi esse, cum ex judicio Pontificis expedit communi utilitati, ut patet ex ultimis verbis relatis: *Prout rerum & temporum qualitatibus debitè pensatis conspicit in Domino salubriter expedire.*

357. Rursus quando ad utilitatem publicam expedit revocatio privilegii remuneratorij, tunc ipsa concessio privilegij affert tacitè inclusam conditionem, nempe, si nō sit cōtra utilitatem publicam, judicio Principis. Et, ut optimè advertit ibi *P. Suarez*, ea non est propriè revocatio, sed declaratio, quod prima concessio nō extendatur ad eas circumstantias, in quibus id non expedit bono publico, aut in quibus, bono publico expedit, quod non extendatur.

358·Tunc autem, licet Princeps non faciat compensationem, valida erit revocatio, etiam si tale privilegium concessum fuerit ex rigoroso debito gratitudinis ; peccabit autem Princeps, non dans compensationem , nisi ex alio titulo, aut causa excusetur. Quando autem privilegium fuerit remunerativum non ex rigoroso debito gratitudinis, sed ex debito congruitatis, licet sit valida revocatio , si tamen sit sine causa , est illicita sub reatu culpæ venialis ; sicut etiam cum Princeps revocat sine causa privilegium ex mera liberalitate concessum.

359· Princeps autem non tenetur dare compensationem , quando ex causa publica revocat privilegium, quod in facultate, aut licentia aliqua consistit , concessum scilicet ex mera liberalitate, aut ex debito congruitatis gratitudinis; hæc enim duo genera privilegiorum parum inter se differũt , & æquiparantur quoad suos effectus; aut quando Princeps dubitat, an fuerit concessum privilegium ex debito rigoroso gratitudinis, an ex solo debito congruitatis; quia obligatio dubia non est proprie obligatio.

360· Accedens autem proprius ad materiam hujus argumenti, privilegia vivæ vocis oraculo regularibus concessa certum est non esse ex contractu justitiæ ; sed negari non potest, ea esse remuneratoria , quia in pluribus Bullis Pontificiis asseritur, ea concedi , & confirmari propter præclara merita ipsarum Religionum.

361. Deinde ejusmodi privilegia non sunt de rebus, quarum dominium haberi possit: illa enim sunt de facultatibus ad absolvendum, dispensandum, &c. Quæ facultates non cadunt sub dominium. Constat etiam, ejusmodi privilegia non esse data ex contractu justitiæ commutativæ, neque lucrativo, neque gratuito. Nam si Pontifex ea non concessisset, non esset injustus, quamvis ea dederit cum attentione ad præclara merita & in præmium illorum.

362. Et quidem quamvis quæstio institui posset, an privilegia vivæ vocis oraculo Regularibus concessa taliter sint remuneratoria, ut sint concessa ex debito rigoroso gratitudinis, an ex solo debito congruentiæ, & hoc secundum videri posset verius ; quia tamen id non est necessarium ad solutionem argumenti, ideo ab ea quæstione decidenda libenter abstineo.

363. Ad objectionem ergo respondeo, distinguendo Majorem: privilegia remuneratoria sunt irrevocabilia (dum non apparet in commodum noxium publicæ utilitati , judicio Principis) transeat; (alias,) nego. Vel sic: (dum non apparet revocatio expediens bono publico, judicio Principis) transeat; (alias) nego. Itaque quamvis per se sint irrevocabilia; ex quo tempore apparent noxia utilitati puplicæ, vel revocatio eorum apparet expediens bono publico, judicio Principis, revocari possunt. Quæ revocatio, ut loquitur *P. Suarez loco cit.* non est propriè revocatio, sed declaratio, qua declarat Princeps, ea privilegia non extendi ad tempus, in quo judicio Principis cernitur aliquod inconveniens cõtra utilitatem publicam; aut ipsa eorum revocatio apparet expediens bono publico.

364. Ad minorem respondeo, privilegia vivæ vocis oraculo concessa Regularibus esse quidem remuneratoria, & fuisse irrevocabilia dum non apparebat aliquid publicæ utilitati noxium, judicio Principis Ecclesiastici ; aut judicio ejusdem revocatio eorum expediebat bono publico. At postquam judicio Principis Ecclesiastici talia esse judicata sunt , fuerunt revocabilia ; vel ut loquitur P. *Suarez supra cit.* declarata fuerunt non extendi ad has circumstantias, in quibus judicio Principis Eccle-

Ecclesiastici expediebat bono publico non adesse talia privilegia. Quod autem repertum fuerit incommodum publicæ utilitati noxium, patet ex relatis verbis *Urbani*: *Ab his, in quorum favorem emanarunt, minus canonica interpretatione extendi, & perperam in disciplina Ecclesiastica detrimentum executioni demandari.*

365 Ad id, quod subiungitur, debere fieri compensationem, respondetur, falsum esse, cũ expedit bono publico, ea privilegia revocari, ut jam dictum manet; nisi sint de re, cujus adquisitum est dominium. Cui etiam superaddi potest id, quod supra *quæst.3.§.3. vers. Quod autem*, dixi cum multis Doctoribus, non deberi compensationem, quando privilegium conceditur propter merita in generali, non autem propter aliquod meritum in particulari.

366. Ad primam confirmationem nego, privilegia remuneratoria transire in naturam contractus, quando non sunt circa rem, cujus adquiritur dominium, ut de castro, jure percipiendi vectigalia &c. cum non maneat obligatus Princeps ex justitia commutativa, ex qua obligat contractus.

367. Ad secundam confirmationem respondeo, concessionem ejusmodi privilegiorum non esse donationem, nisi solum analogicè, aut metaphoricè. Et hæc secunda confirmatio solum habet vim in privilegiis, in quibus conceditur dominium rei, v.g. juris vectigalium &c Ea enim est propriè donatio, & verus contractus gratuitus, qui revocari non potest, nisi propter publicam necessitatem, facta compensatione, si fieri potest; aut propter alias causas jure permissas absque compensatione.

368. Ad tertiam confirmationem, ex illis verbis *Pauli V*. non infertur, quod data sunt privilegia Mendicantibus ad promovendum Cultum Divinum; sed ad summum quod data sunt in prœmium ijs Religiosis, qui se optimè exercuerunt in cultu Dei promovendo. Sed esto, data sint propter cultum Dei promovendum: id quidem intelligi debet, dum ea privilegia judicio Principis Ecclesiastici nullum afferunt inconveniens, quod noxium sit utilitati publicæ. Nam ubi reperitur ejusmodi inconveniẽs, non promovetur cultus Dei per ea indulta, quæ cedunt in damnum spiritualis gubernationis. Cum ergo privilegia vivæ vocis oraculo concessa, sint in damnum spiritualis gubernationis; nam, ut testatur *Urbanus*, ea privilegia, quia non constant ex litteris Apostolicis, extenduntur pro libito à privilegiatis, & alia mala inde sequuntur; inde est, quod per ea non rite promoveatur cultus Dei, & Fidei augmentum. Quare minor ejus syllogismi distinguenda est: omnia privilegia concessa sunt illis ad cultum Dei, & augmentum Fidei, (dum nullum afferre conspiciuntur incommodum contra spiritualem gubernationem,) concedo; (dum id afferre conspiciuntur,) nego.

§. V.

Tres aliæ objectiones solutæ.

SUMMARIUM.

Quod revocata sint oracula non est dubium, sed certum à principiis intrinsecis. n. 372.

Dubia probabilitas est dubium practicum; ad quod non extenditur constitutio favorabilis n. 373.

Bene stat quod opinio sit tenuiter probabilis; & quod opposita sit certa. n. 374.

Nullus Authorum numerus sufficit contra certitudinem. n. 376.

In casu urgentissimæ necessitatis uti possumus opinione tenuiter probabili, quando opposita opinio non est certa, & necessitas auget probabilitatem. n. 377.

369. Objicitur quartò. Quoties in materia favorabili intervenit dubium, ea quidem amplianda est ad casum dubium: sed privilegia Regularium, etiam quæ vivæ vocis oraculo concessa, sunt materia favorabilis; & est dubium controversum inter Authores, an revocata sint, nec ne: ergo talia privilegia amplianda sunt, & extendenda ad ejusmodi casum dubium; atque adeo censendum est, ea, non esse revocata, sed remanere valida.

370. Confirmatur primò. Diximus enim, eam opinionem, quod valida remaneant oracula, esse tenuiter probabilem, idem autem est, quod sit tenuiter probabilis, atque quod sit dubiè probabilis: ergo res est dubia, quod hæc oracula sint revocata, aut persistant valida. Cum ergo materia favorabilis extendatur ad casus dubios ejusmodi privilegia, & valor eorum extendetur ad præsentem casum.

371. Confirmatur secundò. Nam minus est, quod casus sit dubius, quam quod sit tenuiter probabilis; hic enim supra dubium addit aliqualem probabilitatem: ergo si materia favorabilis, qualis est materia horum privilegiorum, extenditur ad casus dubios, à fortiori extendetur ad casus tenuiter probabiles.

372. Respondetur, concessa Majori, negando Minorem quoad secundam partem. Est enim certum à principiis intrinsecis, ejusmodi oracula esse legitimè revocata. Nam ex dictis constat, Pontificem Romanum habere potestatem revocandi, & de facto revocasse ea omnia, quæ non sunt expresè scripta in litteris Apostolicis, neque ex illis constat, ea esse concessa; idque propter inconvenientia, quorum experientiam testatur Pontifex. Quæ ratio facit certitudinem moralem, atque adeo de tali revocatione nullum esse potest dubium.

373. Ad primam confirmationem respondeo, eam opinionem dici tenuiter probabilem, eo quod aliquibus Authoribus visa est probabilis; non quia verè sit talis, quia cum revocatio sit certa, valor non potest esse vere probabilis. Cum autem dicitur, opinionem tenuiter probabilem esse dubiè probabilem, verum est, ut constabit *ex disert. 3.* Sed dubia probabilitas idem est, ac dubium de probabilitate, & consequenter dubium practicum, in quo semper tutior pars eligenda est ad praxim. In quo casu tutior pars manet practicè certa; quia certum est, in tali dubio practico non posse deduci ad praxim partem minus tutam, sed necessarium esse, quod pars tutior deducatur ad praxim. Aliud longe diversum est, quod revocatio sit dubia speculativè: id enim omnino est falsum. Quando autem dicitur, materiam favorabilem extendi ad casus dubios, intelligi non potest de dubio practico; nam cum quis practice dubitat, an hic & nunc peccabit, nec ne; nullus favor potest ei suffragari, quo minus eligat partem tutiorem. Cum ergo dicitur materia favorabilis extendi ad casus dubios, id necessario intelligitur de dubio speculativo, quod non reperitur in præsenti propter dicta.

374. Ad secundam confirmationem bene stat, quod opinio sit tenuiter probabilis, & consequenter quod ejus probabilitas sit dubia modo explicato, & quod opposita opinio sit certa à principiis intrinsecis. Illa enim opinio vocatur dubiè probabilis, non quia opposita non sit certa; sed quia aliquibus illa videtur probabilis, quorum intellectui non proponitur certitudo oppositæ. Et hanc vocavit probabilem *secundum quid P. Granado tom. 1. in 1. part. controv. 2. tract. 1. disp. 3. sect. 30. num. 346.*

375. Objicitur quintò. Tredecim Authores relati *in §. 1.* hujus quæstionis stant pro

pro ea opinione, quod adhuc persistunt valida ea privilegia, quæ vivæ vocis oraculo concessa sunt Regularibus: quid ergo amplius postulandum est ad probabilitatem absolutam, quam is doctorum numerus?

376. Respondetur, nullum Authorum numerum sufficere contra certitudinem. Nã, ut ostendi *in 1. part. Crist. Theol. disp. 11.* ut Authores conferant probabilitatem opinioni, debent esse omni exceptione majores, una autem ex prædictis exceptionibus est, quod doceant contra principium certum. Unde fit, quod licet in reliquis quæstionibus sint omni exceptione majores; in hac tamen quæstione hanc exceptionem patiuntur. Quare in ea quæstione non possunt conferre probabilitatem. Maxime cum non responderint ad hoc argumentum à nobis factum, quod demonstrativum existimo.

377. Objicitur sextò. Opinio tenuiter probabilis licitè potest deduci ad praxim in casu urgentissimæ necessitatis, ut diximus *supra art.* Sed hæc opinio de oraculis non revocatis saltem est tenuiter probabilis, ut proximè diximus: ergo saltem poterit deduci ad praxim in casu urgentissimæ necessitatis.

378. Respondeo, Majorem hujus syllogismi solum habere locum, quando opposita opinio non est omninò certa à principiis intrinsecis; sed solum est tenuis probabilitatis ob tenuitatem fundamenti; sic enim ipsa vigens necessitas solet augere vim fundamenti. Quando autem opposita opinio est certa à principiis intrinsecis, & alia opinio dicitur tenuiter probabilis solum propter authoritatem aliquorum, tunc non est licitum deducere ad praxim talem opinionem. Cum ergo sic se habeat hæc opinio de oraculis non revocatis; neque in urgentissima necessitate potest deduci ad praxim.

§. VI.

Quodam singulari casu roboratur tradita doctrina.

SUMMARIUM.

Privilegium concessum fratribus Augustinianis relatum à Roffensi n. 380.
Quomodo illud restringat P. Enriquez. n. 381.
Quomodo etiam illud restringat Rodriguez ex Vega? n. 382.
Et quomodo illud ampliet recentior? Ibidem.
Et quomodo inciderit idem Author in absurdum, quod proponit Urbanus? n. 383.
Alia ampliatio ejusdem Authoris multo absurdior. n. 384.

379. VIdimus in præcedentibus, *Urbanum VIII.* decernere, ne valeant privilegia Pontificia, nisi expresse constent ex litteris Apostolicis; eo quod experientia didicit, ejusmodi privilegia vocetenus concessa, ab ijs, in quorum favorem emanarunt, extendi ultra mentem concedentium, & in detrimentum Ecclesiasticæ disciplinæ executioni mandari. Quod quam certum sit, casus proxime referendus clare ostēdit.

380. Quidam Recentior in tractatu, quem edidit de instructionibus Missionariorum refert privilegium vivæ vocis oraculo concessum à *Leone X.* fratribus Augustinianis per verba, quæ affert Vera Cruz in *speculo part. 2. art. 27. §. Et hoc confirmatur* citans *Roffensem*, his verbis: *Confirmatur expressa concessione Leonis X. qui dedit fratribus Ordinis S. Augustini, quod cum his, qui in primo gradu scienter, aut ignoranter contraxerunt, modo notorium id non fuerit, neque in judicium productum, dispensare valeant, ut de novo contrahant, & in eodem item contracto Matrimonio remaneant, prole quin etiā legitima.* Hæc sunt verba *Ildephonsi* à Vera Cruce; cujus fides tota est penes testimonium *Roffensis.*

381. Et quidem ipsi Authores citati à Recentiore diversimodè extendunt, aut restringunt hoc privilegium Nam *P. Enriquez lib. 2. de Matrimon. cap. 3. num. 3. in marg. litt. A* sic ait: *Refert speculator. 2. part art. 27. fine ex Roffensi de Matrim. Regis Angliæ. Sed quia non reperitur scriptum, apud eos, qui diligenter privilegia Mendicantium collegerunt, videtur, tantum fuisse concessum à Leone X. dispensare in affinitate incestus, quæ supervenit Matrimonio.* Hæc *Enriquez.*

382. Idem recentior citat *Emmanuelem Rodriguez* pro eodem privilegio Augustinianis concesso dispensandi in præfato impedimento dirimenti *tom. 3. qq. Regular., quæst. 2. art. 2.* Sed hic Author hæc verba habet: *Doctissimus P. Vega legens Sacram Theologiam in hoc Conventu S. P. N. Francisci Salmanticensi, asseruit, se credere, hoc privilegium non fuisse universaliter concessum, sed pro aliquo casu particulari tantum indultum: quo casu cessante jam ipsummet cessaverat.* Hæc *Rodriguez.* Eodem modo, ac relati Authores, loquitur de hoc privilegio *P. Pellizarius tom. 2. Manual. lib. 8. cap. 3. n. 343.* Et his non obstantibus, contendit præfatus Recentior, illud privilegium esse universale pro omnibus Confessariis Regularibus, & intelligi dispensatione in impedimento dirimenti.

383. Ecce absurdum, cujus meminit *Urbanus VIII* quod privilegia vivæ vocis oraculo concessa, cum eorum formalia verba non inveniantur scripta in litteris Pontificiis, ab ijs, in quorum favorem emanarunt, extenduntur minus canonica interpretatione Est enim magnum absurdum, quod privilegium *Leonis X.* concessum, juxta *Rodericium, & Vegam* pro uno casu particulari, extendatur amplissimè ad omnes casus ejusmodi, & pro omnibus Confessariis Regularibus. Et quod, secundum *Enriquez*, datum est à *Leone X.* pro dispensatione ad petendum debitum in affinitate orta post contractum Matrimonium, extendatur ad dispensandum in impedimento dirimenti in ordine ad contrahendum. Et hæc ipsa varietas Authorum in referendo privilegium demonstrat, quam magnum sit absurdum, quod impulit *Urbanum VIII.* ad revocanda ejusmodi oracula.

384. Sed multo magis conspicitur hoc absurdum in eo, quod superaddit ibidem idem Recentior, scilicet virtute privilegiorum Regularibus concessorum, quæ ibi non refert posse omnes Regulares dispensare in quibuslibet impedimentis dirimentibus, sive post, sive ante contractum Matrimonium, in omnibus illis eventibus, in quibus potest Episcopus. Et quamvis citet plures Authores, manifestum est, quod perperam citantur. Nam *Diana* quem citat, *5 part. tract. 2. de dub. Regul. resol. 9.* nihil dicit, quod sit ad rem, & *part. 11. tract. 4. resolut. 3.* solum loquitur de quodam privilegio Minimorum dispensandi super irregularitatibus, in quibus dispensat Episcopus. Citat etiam *Thomam Sanchez tom. 3. de Matrim. lib. 8. disp. 16.* Et ibi solum loquitur de votis Castitatis, & Religionis non absolutis sed habentibus limitationem, in quibus jure ordinario dispensat Episcopus: quod quidem privilegium dispensandi in votis est vivæ vocis oraculo concessum. Et illud vult extendere is recentior ad dispensandum in omnibus impedimentis dirimentibus, in quibus ratione urgentis necessitatis dispensat Episcopus. Et hic dilucidè conspicitur, quam merito dixerit *Urbanus VIII. Experientia rerum Magistra compertum esse, concessiones, & gratias vivæ vocis oraculo... obtentas..., sæpe ab his, in quorum favorem emanarunt, minus canonica interpretatione extendi, & perperam, in disciplinæ Ecclesiasticæ detrimentum, executioni demandari.* Omitto alia, quæ ibidem tradit

tradit

tradit idem Recentior, quæ sine periculo animarum nequeunt ad praxim deduci; quia omnino carent probabilitate.

ARTICULUS VIII.

Discutitur tertius dicendi modus circa certitudinem jurisdictionis, ex eo quod pœnitens se accuset simul de venialibus, aut mortalibus jam confessis.

SUMMARIUM.

Certum est quemlibet Sacerdotem habere jurisdictionem in venialia, & ex hoc capite cum datur opinio probabilis circa jurisdictionem, valor Sacramenti redditur certus. n. 386.

Tres notationes circa decretum de communione quotidiana. n. 387. & seq.

Id esse certum affirmant communiter Theologi. n. 390. & seq.

Multi Authores antiqui affirmantes Sacerdotem simplicem habere jurisdictionem in venialia. n. 409.

Doctores, qui asserunt ex consuetudine Ecclesiæ dari in omnibus Sacerdotibus jurisdictionem in venialia. n. 410.

Certitudo hujus consuetudinis sumitur ex eo quod in quæstione facti ingens numerus testium facit plenam probationem. n. 411.

Ex universali persuasione ferè omnium fit certa consuetudo, & traditio ejus jurisdictionis. n. 412.

Confirmatur ex simili afferto Tridentini. n. 413.

Consuetudo dat jurisdictionem ex lege Ecclesiæ. Et quid inde pro nostra conclusione? n. 414.

Qui bona fide orta ex opinione probabili circa jurisdictionem confitetur mortalia, & venialia, absolvitur directè à venialibus, & indirectè à mortalibus. n. 415.

385. QUæritur in præsenti, an quando opinio est vere probabilis circa jurisdictionem, & pœnitens simul cum mortalibus confiteatur aliqua venialia, reddatur omnino certus valor Sacramenti, neque maneat expositus frustrationi. Hæc autem quæstio pendet ex alia, in qua inquiritur, an certum omnino sit, quemlibet Sacerdotem, etiam non approbatum ab Ordinario habere jurisdictionem, ut valide absolvat à venialibus? Nam si certum est, quemlibet Sacerdotem ea jurisdictione gaudere, pœnitens, qui bona fide accedit ad tic confitendum propter opinionem probabilem de jurisdictione ad mortalia absolvitur directè à venialibus & indirectè à mortalibus; sicut contingit, cum confitetur bona fide venialia, & obliviscitur invincibiliter mortalium, tunc enim ab eis manet indirectè absolutus.

386. Assero ergo, certum esse, quemlibet Sacerdotem habere jurisdictionem in venialia, antecedenter ad decretum de Communione quotidiana. Atque adeo quando datur opinio vere probabilis circa jurisdictionem, cujus probabilitas subservit, ut pœnitens accedat bona fide; valor Sacramenti redditur certus. Ita docui *in 1. part. Crif. Theol. disp. 15. cap. 4. art 11. n. 349. & cap. 15. art. 4. n. 641.*

387. Ante omnia notandum est, prodiisse decretum S. Congregationis datum die 12. Februarij ann. 1679. & publicari jussum à *SS. D. Innocentio XI.* & re ipsa publicatum die 15. Februar. ejusdem anni, circa Communionem quotidianam. Ubi circa finem sic præcipitur. *Non permittant* (Episcopi) *ut venialium confessio fiat simplici Sacerdoti non approbato ab Episcopo, aut Ordinario.*

388. Notandum est deinde (quod ex his verbis colligitur) non prohiberi per hanc clausulam Sacerdoti approbato ab Ordinario, quod absolvat à venialibus, etiam in casu, quo jurisdictio ad mortalia sit probabilis ex varietate opinionũ; imo & in casu, quo talis opinio probabilis de jurisdictione ad mor-

talia sit falsa coram Deo, & vere probabilis coram hominibus. Patet assertio ex ipso tenore verborum, quæ proximè retuli.

389. Notandum est tertio, principalem assertionem prætactam nullo modo loqui de Sacerdote non approbato ab Ordinario: quia cum loquamur de valore absolutionis in Sacerdote intendente absolvere à mortalibus, nulla potest esse probabilitas de jurisdictione in illa mortalia in Sacerdote non approbato Loquitur ergo assertio de Sacerdote approbato: quia ante decretum, erat certum, quod quilibet Sacerdos habebat potestatem proximam absolvendi à venialibus, & per decretũ non prohibetur Sacerdos approbatus, atque adeo in hoc remanet eadem potestas proxima. Quare si habet jurisdictionem probabilem etiam ex opinione, quæ sit falsa coram Deo, dum absolvit à mortalibus, & venialibus, ab istis absolvit directè, à mortalibus autem indirectè.

390. Quod autem antecedenter ad decretum, fuerit hæc potestas proxima absolvendi à venialibus in quolibet Sacerdote, tamquam certum affirmant communiter Theologi. *Ita P. Suarez tom. 4. in 3. part. disp. 26. sect. 9. n. 8.* qui cum hanc viam doceat ad reddendam absolutionem certo validam, hæc verba subjungit: *Alius modus dicendi est, in omni confessione, quæ fit hujusmodi ministris* (scilicet pollentibus jurisdictione probabili) *semper intervenire materiam aliquam, circa quam habeant CERTAM, & indubitatam jurisdictionem; scilicet aliqua peccata venialia.* Et num 9. circa finem: *Hæc via videtur mihi vera; nam principium, in quo fundatur, est satis CERTUM.* Et *disp. 31. sect. 3. n. 10.* ait: *Hæc ratio mihi non satisfacit, alioqui etiam procederet de habente mortale peccatum oblitum, ut confessio de solis venialibus bona fide ab illo facta simplici sacerdoti non sit verum Sacramentum, nec sanctificet talem hominem alias bene dispositum quod certè est falsum, & improbabile.*

391. *P. Thomas Sanchez lib. 1. Summa cap. 9. num. 35.* ita asserit: *Quilibet Sacerdos CERTAM in venialia jurisdictionem habet: & ideo cũ pœnitens non ponat obicem, & sit certa jurisdictio in aliquam materia partem, erit certus confessionis valor.*

392. *P. Arriaga tom. 8. tract. de Pœnit. disp. 39. sect. 3. n. 26.* ait: *CERTUM est inter omnes fere authores, posse quemlibet Sacerdotem ab eis* (venialibus) *absolvere.*

393. *Lugo Card. disp. 19. de Pœnit. sect. 2. n. 30.* agens de sententia concedente cuilibet Sacerdoti jurisdictionem in venialia, ait: *Ego existimo imprimis, si sermo sit de ordinaria confessione extra mortis periculum, sententiam illam tutissimam esse, quia proximus nulli, vel certè exiguo periculo exponitur.*) *Et disp. 18. sect. 3.* ait: *Communis Theologorum sententia id affirmat; & communis Fidelium usus ita habet* Et *ibid. num. 48.* agens de mortalibus confessis, ait: *In contrarium tamen est usus Fidelium, ut circa ejusmodi peccata omnes Sacerdotes absolvant.*

394. *P. Castro Palao tom. 4. tract. 23. disp. unica punct. 14. n. 25.* sic asserit: *Hic casus vix est possibilis; si quidem frequenter pœnitentes aliqua peccata venialia, vel mortalia alias legitimè confessa confiteri solent, in qua omnes Sacerdotes CERTAM jurisdictionem habent.*)

395. *Antoninus Diana part. 2. tract. 13. resol. 2. fine: In his casibus semper pœnitens se accusat de aliquo veniali; & cum simplex Sacerdos ad venialium absolutionem INDUBIE habeat jurisdictionem, absolvens, cum opinione probabili gratiam causabit* Et *part 4. resol. 4.* idem affirmat

396. *P. Moya tom. 1. selectar. tract. 3. disp. 8. quæst. 7. n. 3.* ait: *Si Pœnitens venialia simul confiteatur, omninò CERTUS erit confessionis valor.*

397. *P. Granado in 1. 2. controv. 2 tract.* 22.

22. disp. 4. sect. 4. n. 38. hæc habet: *Mihi placet opinio affirmans, sufficere, quod Confessarius secundū probabilem opinionē habeat jurisdictionem absolvendi, ut licitè possit ministrare Sacramentum Pœnitentiæ; quia revera nullo periculo exponitur Sacramentum ... quia in confessione semper pœnitens fatetur aliquod saltem veniale, supra quod* CERTUM *est esse jurisdictionem in quolibet confessario; & cum aliunde sit probabile, quod possit absolvere à mortalibus, saltem cadet indirectè absolutio supra illa, & ita nulli periculo exponitur.*

398. Raymundus Lambier 3. part. Summæ n. 1714. fol. 1. n. 805. sic ait: *Tan poco vemos practicar con el que no est à aprobado; pero esto no nace de q̃ no sea cierta la jurisdiction, sino que no les ocurre razon, para aviendo Confessor aprobado, que se supone que ha de ser mas perito por tener aquel banno, dexar aquel, y poner se en manos de quien no lo tiene.* Quæ sic in latinum sermonem transferes. (Neque videmus praxim, quod confiteantur venialia ei, qui non habet approbationem. Sed hoc non oritur ex eo, quod non sit *certa* jurisdictio: sed quia non occurrit ratio, ut cum habeant copiam confessarii approbati, qui supponitur doctior ob hanc qualitatem, hunc deserant, & se subjiciant ei, qui illam qualitatem non habet.

399. *P. Ægidius de Coninck disp. 8. de Pœnit. dub. 6. n.* 41. sic ait: *Pœnitens semper potest confiteri aliqua venialia, aut mortalia quæ semel confessus est, in qua confessarius habet* CERTAM *jurisdictionem.*

400. *Ioannes Sancius in selectis disp.* 44. *num.* 24. sic ait: *In prædictis casibus non peccabit contra charitatem, nec justitiam minister absolvens; dum pœnitens aliquod veniale simul cum mortalibus fateatur. Quia cum simplex Sacerdos ad venialium absolutionem indubiè habeat jurisdictionem, absolvens gratiam causabit, & sic pœnitenti nulla irrogabitur injuria.* Et paulò inferius: *Hoc jam sub dubio non cadit, sed solum sub scrupulo, ut deducitur ex cap Omnis utriusq; sexus de Pœnitentiis, & Remissionibus.*

401. P. *Filliucius t. 1. tract. 7. cap. 8. q. 10. n.* 227. sic ait: *In tali confessione semper potest esse materia aliqua, circa quam habeat Sacerdos jurisdictionem* CERTAM, *ut sunt venialia, ratione cujus absolutio valida erit.*

402. P. *Fagundez in 2. Ecclesiæ præcept. lib. 7. num.* 15. pro eadem certitudine stare videtur, dum affirmat, hunc semper fuisse usum, & consuetudinem Ecclesiæ, his verbis: *Circa venialia, & mortalia jam ritè confessa, & absoluta, omnibus Sacerdotibus censetur data jurisdictio ab Ecclesia: & hic fuit semper usus, & consuetudo illius.*

403 *Bonacina tom. 2. disp. 2. de peccatis quæst. 4. punct. 9 n. 19. §. Præterea* affirmat tamquam certum posse simplicem Sacerdotem absolvere à venialibus.

404. *P. Valencia tom. 4. disp. 7. de Pœnit. quæst. 10. punct. 2. § Præterea* sic ait: *Vi etiam consuetudinis quil bet item Sacerdos jurisdictionem habet ad audiendam cujuslibet confessionem de venialibus tantum, itemq; de iis mortalibus, quorum prius etiam confessio facta sit.* Et cum *P. Valencia* recurrat ad consuetudinem Ecclesiæ; & certum sit ex infra dicendis, quod consuetudo dat jurisdictionem, merito censemus, *P. Valencia* certum existimare valorem Sacramenti in confessione venialium facta simplici Sacerdoti.

405. *P. Gaspar Hurtado disp. 10. de Pœnit. difficult.* 10. id ipsum supponit tamquam certum. Ait enim: *Supponimus, in quo conveniunt Doctores, Sacerdotes etiam simplices habere sufficientem, & completam jurisdictionem in mortalia jam legitimè confessa, & in venialia, quamvis non confessa. Quod usu, & consuetudine Ecclesiæ constat.*

406. *P. Andreas Mendo in Bull. Cruc. disp. 22. cap. 1. n. 2. Praxis Fidelium, & consuetudo semper fuit, ut omnes Sacerdotes possint absolvere à mortalibus semel jam ritè confessis* Et pro eodem asserto citat Candidum.

407. *P. Vasquez tom. 4. in 3. q. 93 art. 1. dub. 6.* supponit tamquam certum, quemlibet Sacerdotem posse absolvere à venialibus; dicit enim disputari a Doctoribus, an hæc potestas concedatur à Christo D. in ipsa Ordinatione, an potius ab Ecclesia, & ipse magis inclinat in eam sententiam, quæ affirmat, eam potestatem concedi à Christo D. In quo manifestè existimat non disputari à Doctoribus, an simplex Sacerdos possit validè absolvere à venialibus, sed id potius Doctores supponere, & solum inquirere radicem, unde hæc potestas illi proveniat.

408. *Ludovicus à Cruce citandus art. seq.* agens de hac sententia P. *Vasquez* quam in dubium vertere conatur, sic ait: Debuisset namque *(Vasquez)* in medium producere textum aliquem, vel authoritatem saltem unius, duorumve Doctorum gravium ex antiquis, qui dignè posset attestari hanc jurisdictionem fuisse umquam ab Ecclesia simplicibus Sacerdotibus collatam.) Et idem dicit *Philippus Faber* ibidem citandus.

409. Sed immeritò id asserunt, sunt enim multi Doctores antiqui, qui sine pugna affirmant, id posse Sacerdotem simplicem, & solum inquirunt, an habeat hanc potestatem à Christo D. an ab Ecclesia: quoad hoc solum diffidentes. Ita *Cajetanus verb. Absolutio 2. §. Libertas.* Et idem habet *tom. 1. opusculor. tract. 7. Paludanus in 4. dist. 19. quæst 2. num. 25. Capreolus ibidem ad 3. contra 1. conclusionem, Io. a de Medina de cõf. q. 40. de cõf. voluntate,* nõ necessitate facienda. §. *Ne tamen* (qui solet pro opposita citari) ubi ait: *Tacitè videtur Papa licentiare peccatorem, ut venialia & peccata mortalia prius confessa confiteantur, cui velint. Sotus in 4. dist. 18. quæst. 4. art. 2. ad 3. Ruardus art. 3. contra Lutherum, Ioannes Major in 4. dist. 19. quæst. 1. §. Sed contra Aureolum. Sylvester verb. Confessor. 1. fin. Canus relection de Pœnit. part. 5. Ledesma 2. 4. quæst. 7. art. 5 dub. 16.* fine. Quos sequuntur quam plurimi recentiores. Hi sunt ult a supra citatos *Enriquez lib. 3. de Pœnit. cap. 5. num. 4. Kelison quæst. 8. art. 5. dub. 3. Caspensis in cursu Theol. tom. 2. tract. 24 disp. 5 sect. 3. num. 27. Ioannes Prepositus 3. part. quæst. 7 dub. 5. n. 37. Tannerus to. 4. disp. 6 quæst 9. dub. 3. num. 59. Ex quibus Canus, Ruardus, & Mart. de Ledesma* (ut refert *P. Suarez* ubi supra) affirmantes, jurisdictionem in venialia competere jure Divino omnibus Sacerdotibus, simul affirmant, dari eam consuetudinem in Ecclesia: quæ consuetudo ex dictis infert jurisdictionem.

410. Ideo *P. Suarez disp. 26. de Pœnit. sect. 6. n. 2.* affirmat, antiquos Doctores supponere, hanc esse consuetudinem Ecclesiæ, & *num 5.* refert Authores, qui affirmant, *jure Divino datam esse hanc jurisdictionem Sacerdotibus.* Et addit: *Fundatur verò in Ecclesia consuetudine.* Et mox: *Existimo, hanc fuisse Ecclesiæ concessionem, quam consuetudo ostendit.* Quam consuetudinem ibidem sæpius repetit. Et loquens de mortalibus jam confessis, *num. 6.* ait: *Dicendum sine dubio est, eodem modo hanc materiam* (mortalia jam confessa) *esse subjectam simplicibus Sacerdotibus, quo venialia peccata; quia est eadem consuetudo, & eadem ratio.* Et *num. 10.* addit. *Et hanc concessionem, seu delegationem à Summis Pontificibus manasse, & ex eorum tacito consensu durare; nam hoc saltem ostendit consuetudo, & traditio.* Et de hac consuetudine Ecclesiæ deponunt *P. Valencia, P. Fagundez, P. Gaspar Hurtado. Lugo Cardinalis, & P. Mendo supra citati.*

411. Hæc

411. Hæc certitudo jurisdictionis circa venialia & consuetudinis ac traditionis confirmatur primo. Nam ut ostendi in 1. *part. Cris. Theol. disp. 12. cap. 5. in quæstione* facti sententia communis omnium, aut ferè omnium Doctorum facit certitudinem moralē. Nam in quæstione facti fit probatio plena, & moraliter certa per ingentem numerum testium, quamvis uno vel altero refragante: consuetudo autem universalis est res facti: ergo ingens numerus authorum illam affirmantium (uno vel altero refragante) facit probationem plenam, & moraliter certam.

412. Confirmatur secundo. Nam ut ostendi *in 2. part. Cris. Theol. disp. 23. cap. 5. art. 7.* quoties apud omnes, aut ferè omnes fideles est firma persuasio de aliqua obligatione, aut potestate concessa ea est quædam traditio quæ facit certitudinem moralem, hæc autem universalis persuasio certo probatur, si omnes, aut ferè omnes Theologi unanimi consensu affirment, ut *disp. 12. probavi num. 75.* Atqui omnes aut ferè omnes Theologi, ut supra vidimus, hanc consuetudinem, & delegatam cuilibet Sacerdoti potestatem affirmant, & indè probatur firma omnium, aut ferè omnium fidelium persuasio: ergo hæc est traditio faciens certitudinem moralem.

413. Confirmatur tertio. Nam ut constat ex *Concilio Trident. sess. 13. cap. 7. Ecclesiastica consuetudo declarat*, obligationem præmittendi confessionem communioni; quod idem est, ac dicere, quod Ecclesiastica consuetudo facit certitudinem moralem ejus obligationis: ergo hæc consuetudo Ecclesiastica de potestate cujuslibet Sacerdotis circa venialia etiā faciet certitudinem.

114 Confirmatur quarto Est enim certum in jure quod *consuetudo dat iurisdictionem* ut late ostendi *art. 6.* Cū ergo ex dictis certum sit quod consuetudo ex dispositione iuris dat jurisdictionem; & ex testimonio authorum constet, talem de facto dari consuetudinē absolvendi à venialibus sine ulla Episcopi approbatione; certum debet esse, quod quilibet Sacerdos habet hanc iurisdictionem in venialia scilicet antecedēter ad decretum prohibens.

415. Ex quibus omnibus infertur: eum qui bona fide orta ex opinione probabili circa jurisdictionē Cōfessarii approbati, confitetur peccata mortalia, & simul etiā venialia, absolvitur directè à venialibus, & (si ea opinio sit coram Deo falsa) indirectè à mortalibus. Nam pœnitens vi illius opinionis ignorat invincibiliter obligationem confitendi alteri confessario & ignorare eam obligationem perinde est ac non recordari peccatorum.

ARTICULUS IX.

Solvuntur objectiones contra doctrinam articuli præcedentis.

SUMMARIUM.

Propter aliqua incommoda prohibentur simplices Sacerdotes absolvere à venialibus. n. 417.

Sed non inde aufertur jurisdictio ab approbato. n. 418.

Tres Authores, qui negant esse jurisdictionem in venialia in simplici Sacerdote. n. 419.

Eorum opinio non est probabilis ex sola eorum authoritate contra reliquos. n. 420.

An liceat in articulo mortis confiteri simplici Sacerdoti. n. 421.

In Articulo mortis ex duobus mediis certis eligendum est certius. n. 423.

In articulo mortis confitens bona fide simplici Sacerdoti securus manet. n. 424.

416. OBjicies primo. *Innocentius XI.* in decreto circa Communionem quotidianam dato Romæ die 12. Februarij anni 1679. sic decernit: *Non*

S 3 *permit-*

permittant, ut venialium confessio fiat simplici Sacerdoti non approbato ab Episcopo, aut Ordinario. Ergo non est verum, ne dum certum, quoslibet Sacerdotes, etiam non approbatos gaudere hac jurisdictione circa venialia; aut saltem, si olim eam habuerunt, jam esse sublatam per hoc Decretum. Propter hoc argumentum *Mag. Hozes* putat, non prodesse Cōfessionem venialium ad assecurandam jurisdictionem probabilem; & *propos.* 1. *n.* 25. confirmat: Nam Archiepiscopus Hispalensis, ex facultat. sibi data à Rom. Pontifice præcipit sub excommunicatione latæ sententiæ, ne simplici Sacerdoti fiat Confessio venialium. Quo præcepto, & censura ligantur etiam Regulares.

417. Respondetur. optime decretum esse à Pontifice ne permittatur usus hujus jurisdictionis Sacerdoti non approbato propter incōvenientia quæ ex opposito resilire possunt. Primum, quia si indoctus sit Sacerdos, nesciet discernere inter mortalia, & venialia; & fortasse existimabit esse venialia; quæ mortalia sunt secundum id juste interdicitur, ne prætextu absolvendi à venialibus, ausu temerario aggrediantur absolvere à mortalibus, ducti præcipuè aliquibus opinionibus improbabilibus, qualis est illa, quæ contendit, posse virtute Cruciatæ absolvere Regulares à reservatis, & aliæ similes. Deindè etiam si vera esset opinio eorum, qui dicunt, jure Divino pertinere ad omnes Sacerdotes potestatem absolvendi à venialibus, usus ejus potestatis posset prohiberi ab Ecclesia. Ut constat *ex Trident. sess.* 24. *cap.* 2. *ubi* sic ait: *Declarat, hanc potestatem perpetuo in Ecclesia fuisse, ut in Sacramentorum dispensatione, salva illorum substantia ea statueret, vel mutaret, quæ suscipientium utilitati, seu ipsorum Sacramentorum venerationi, pro rerum, temporum, & locorum varietate, magis expedire judicaret.*

418. Deinde ex dictis *art.* 4. *initio* constat assertionem, qua affirmamus, securam reddi absolutionem, si Sacerdos habens jurisdictionem probabilem ad absolvendum à mortalibus, audiat simul venialia, quia quilibet Sacerdos habet jurisdictionem certam in ordine ad venialia, loqui expressè de Sacerdote approbato ad audiendas Confessiones: quia nulla est opinio probabilis, quæ doceat, Sacerdotem non approbatum habere jurisdictionem probabilem in ordine ad mortalia. Cū ergo antecedenter ad illud decretum certum sit, quemlibet Sacerdotem habuisse jurisdictionem in ordine ad venialia, & per decretum non auferatur hæc jurisdictio à Sacerdote approbato, fit, Sacerdotem sic approbatum ab Ordinario, si habeat jurisdictionem vere probabilem in mortalia, & cum illis audiat simul venialia, conferre absolutionem certo validam. Si enim coram Deo falsa sit opinio probabilis de jurisdictione ejus in ordine ad mortalia; cum habeat jurisdictionem certam in venialia, absolvit directè à venialibus, & indirectè à mortalibus; & ideo Sacramentum remanet certo validum. Quod sæpè contingere poterit, nempè quando probabile est, tale peccatum non esse reservatum. Tunc enim non exponitur absolutio frustrationi, si hæc cadat etiam in venialia, propter dicta Et hinc patet ad argumentum, & ejus confirmationem.

419. Objicies secundo. Tres Authores inveniuntur, qui contendunt, simplicem Sacerdotem non habere jurisdictionem pro absolutione venialium: sed hi tres non possunt non facere opinionem probabilem; ergo probabile est, quod simplex Sacerdos caret jurisdictione pro absolutione venialium, & consequenter non est certa sententia, quæ asserit hanc jurisdictionem inesse cuilibet simplici Sacer-

Sacerdoti. Maior probatur. Nam *Bordonus* stat pro opinione negativa talis jurisdictionis *tom. 1. Consilior. Regular. resolut. 36. quæst. 20. num. 57. apud Dianam part. 8. tract. 1. resol. 55.* Secundus est *Philippus Faber in 4. dist. 17. quæst. unic. disp. 25. cap. 3. num. 71. apud Dianam part. 5. tract. 14. resol. 86.* Tertius est *Ludovicus à Cruce in Bullam Cruciat. disp. 1. cap. 2 dub. 5. num. 13. apud Dianam part. 8. tract. 1. resol. 86.* Et hi Authores eo fundamento nituntur, quod ex Concilio Trident. constat, requiri jurisdictionem ad hoc ut confessarius absolvat à peccatis. Hanc autem non posse uiti consuetudine universali Ecclesiæ, cum de ea non reperiatur textus Concilii, vel Pontificis, qui illam jurisdictionem dederit.

420. Respondetur concedendo majorem, quod illi tres Authores refragentur; & negando minorem, quod eorum opinio sit probabilis ex sola eorum authoritate. Nam *ut dixi in 1. part. cris. Theolog. disp. 12. num. 18.* ubi fere omnes prudentes cõmuni judicio aliquid testantur, maxime in quæstione facti; si unus vel alter refragatur imprudenter procedit; atque adeo eorũ refragatio non potest esse probabilis; & comparatione reliquorum omniũ, paucorum authoritas livis est; & ubi est levis auhoritas deficit probabilitas. Ad fundamẽtum autem, quo illi Authores nituntur satis constat ex *art. præced.*

421. Objicies tertio. Si ea Doctrina esset certa, posset homo in articulo mortis uti opinione probabili circa jurisdictionem absolvendi à mortalibus; maneret enim certus valor Sacramenti, si confiteretur peccata mortalia simul, & venialia: sed in articulo mortis debet homo eligere tutissimam viam, quam potest pro securitate salutis æternæ: ergo ea Doctrina non est omnino certa.

422. Respondeo primo, Vel moribundum habere mortalia simul cum venialibus, vel habere sola veniala? Si enim sola venialia habeat in consciẽtia secure procederet etiam si confiteatur simplici Sacerdoti: tum quia nõ habet obligationem confitendi illa venialia: tum etiam quia cum in eo eventu sit obligatus elicere contritionem perfectam, hoc modo securam reddit suam salutem æternam. Quod autem homo in eo articulo teneatur ad contritionem perfectam, ostendi in 2. *part. cris. Theol. disp. 49. cap. 4. num. 30.* quia nescit homo *utrum amore an odio dignus sit Eccles. c. 9.* potest enim dubitare tum de intentione ministrorum in Sacramentis susceptis tum de diligentia à se ritè adhibita, quoad propriam dispositionem, atque adeo debet adhibere medium certissimum, quantum sibi possibile fuerit, pro securitate salutis æternæ, quale est contritio charitate formata. Si verò habeat mortalia cum venialibus, in hoc involvitur alia quæstio, scilicet an in articulo mortis possit pro mortalibus eligere simplicem Sacerdotem, etiam præsente approbato: de qua inferius dicam.

423. Responderi secundo potest, ex duobus mediis certis, si unum sit certius alio, in articulo mortis eligendum esse id, quod certius est. Neque enim dubitari potest inter ea, quæ sunt certa, unum esse posse certius alio. Sic enim certo scimus, quod cognoscimus evidentia physica; & tamen multo certius est, quod scitur evidentia metaphysica. Hoc ergo modo dicimus, quamvis sit certum, quod simplex Sacerdos validè absolvit à venialibus, esse tamen certiorem absolutionem datam circa venialia à confessario approbato; & ideo moribundum eligere debere Confessarium approbatum.

424. Id quidem ita est juxta sententiam eorum, qui dicunt, in articulo mortis non

posse hominem eligere simplicem Sacerdotem, præsente approbato. Nam oppositam sententiam defendunt plurimi, iique gravissimi Doctores nixi illo textu Concilij Tridentini *sess. 14. de Pœnitent. cap. 7.* ubi sic decernitur: *Verum tamen piè admodum, ne hac ipsa occasione aliquis pereat, in eadem Ecclesia Dei custoditum semper fuit, ut nulla sit reservatio in articulo mortis, atque ideo omnes Sacerdotes, quoslibet pœnitentes à quibusvis peccatis, & censuris absolvere possunt.* Et si quidem moribundus confiteretur peccata mortalia simplici Sacerdoti bona fide, certum existimo illum manere securum de sua æterna salute; sed quia, ut proximè diximus, ex duobus mediis certis in articulo mortis certius eligendum est; ideo præsente confessario approbato, & simplici Sacerdote, debet eligi approbatus.

ARTICVLVS X.

An in aliquo casu licitè possit excommunicatus accipere absolutionem Sacramentalem? Et an pars affirmativa quæstionis subjaceat huic damnationi?

SUMMARIUM.

Qui scit, se esse excommunicatum, si accedit ad Sacramentum percipiendum, peccat lethaliter; sive sit denunciatus sive non n. 425.

Si excommunicatus accedat accedat, ut absolvatur Sacramentaliter, conscius excommunicationis, invalidè absolvitur, n. 426.

Ea quæstio, an valida sit absolutio Sacramentalis lata in excommunicatum, procedit de eo, qui est invincibiliter ignarus excommunicationis. n. 427.

Authores propugnantes eam absolutionem esse validam. n. 428.

Fundamentem ejus opinionis n. 429.

Authores, qui censent absolutionem in eo casu esse invalidam. n. 430.

Fundamentum ejus opinionis. n. 431.

Opinio Navarri, & aliorum, quod excommunicatus, qui satisfecit, & est contritus, nec potest obtinere absolutionem ab excommunicatione, potest absolvi Sacramentaliter validè, & licitè n. 433.

Extra casum necessitatis illicitum est deducere ad praxim eam opinionem, quia hac subest huic damnationi. n. 434.

In casu urgentissimæ necessitatis licitum est deducere ad praxim eam opinionem. n. 436.

Necessitas & impossibilitas sunt correlativa, n. 437.

Ille, cui impossibile est eligere opinionem tutiorem, non dicitur eligere minus tutam, relicta tutiori. n. 438.

Qui incepit Missam, & ante consecrationem recordatur se esse excommunicatum, si timetur scandalum, debet prosequi Missam. n. 441.

Inde colligitur in simili casu posse recipere absolutionem Sacramentalem. n. 442.

Opinio, quæ extra casum necessitatis est minus tuta, posita necessitate gravissima, jam non est minus tuta. n. 443. & seqq.

Extra casum necessitatis sub quibusdam circumstantijs potest excommunicatus accipere Sacramentum pœnitentiæ. n. 445.

In eo casu supplet Ecclesia defectum valoris n. 446.

In quo etiam casu non eligitur probabilis, relicta tutiori. n. 447.

425. SUppono cum omnibus Doctoribus peccare lethaliter excommunicatũ, qui conscius excommunicationis, tã quoad jus, quam factũ accedit, ut absolvatur Sacramentaliter, ante quam ab excomunicatione absolvatur; sicut etiam cum accedit ad quodlibet aliud Sacramentum percipiendum quia Ecclesia removet excommunicatum à perceptione Sacramentorum, Et cum hæc sit materia gravissimo & gravissima, graviter

viter delinquit, qui id præceptum Ecclesiæ violat. Et in hoc differunt excommunicatus denunciatus, & non denunciatus: quia dum Concilium Constantiense indulget Fidelibus, ut possint communicare cum excommunicatis non denunciatis, expresse asserit se in hoc non intendere prosequi favore excommunicatos: faveret autem illis, si contulisset eis facultatem recipiendi Sacramenta.

426. Est ergo quæstio valde controversa inter Doctores, An Sacramentum Pœnitentiæ receptum ab excommunicato sit validum, an potius invalidum? Et omnes supponunt, esse invalidum, quando conscius excommunicationis, sive quoad jus, sive quoad factum intendit accipere absolutionem Sacramentalem, antequam absolvatur ab ea censura, quando est in ejus potestate, quod ab illa absolvatur. Et ratio est. Nam qui actualiter peccat in ipsa confessione invalidè absolvitur à peccatis, quia accedit indispositus sed talis excommunicatus sic accedens ad confessionem, peccat mortaliter actualiter: ergo in tali casu invalidè adsolvitur à peccatis.

427. Procedit ergo quæstio de eo, qui bona fide accedit ad confessionem invincibiliter ignarus excommunicationis, vel quoad jus, vel quoad factum; & etiam de eo, qui ex alia causa (si forte est alia) accedit cum bona fide, ut absolvatur Sacramentaliter, antequã recipiat absolutionem à censura.

428. In qua quæstione, prima opinio affirmat, eam absolutionem Sacramentalem esse validam. *Ita P. Suarez tom. 4. in 3. part. disp. 31. sect. 3. num. 6. & tom. 5. disp. 10. sect. 3. num. 9. & apud ipsum Adrianus, Medina, Petrus Soto, Navarrus, Covarrubias, & Cajetanus. Et quidem Navarrus* id docuit variis in locis, sed præcipuè in *cap. Fratres dist. 5. num. 39. P. Thom. Sanch. lib. 2. Sum. cap. 8. num. 5. P. Ægidius de Coninck disp. 14. de Censur. dub. 5. num. 28. Lugo Cardin. disp. 16. de Pœnit. sect. 15. §. 2. num. 614. P. Castro Palao tom. 6 de Censur. disp. 2. punct. 7. num. 4. Leander à SS. Sacr. part. 4. tract. 2. de Excom. disp. 4. quæst. 9.* & apud ipsum *Toletus, Layman, Villalobos, Alterius, Avila, Victoria, Bonacina, Coriolanus, Th. à Iesu, Henriquez, Angelus, Angles, Ricardus Monaldus, Valencia, Sayrus, Raynaudus, Bauni, Graffis, Llamas, Vgolinus, Reginaldus, Machado, Sylvius, Bassæus, Cornejo, & Diana.* Qui Authores sunt numero quadraginta.

429. Fundamentum hujus sententiæ est valdè urgens. Nam licet potuerit Ecclesia irritum facere Sacramentum Pœnitentiæ susceptum ab excommunicato, auferendo jurisdictionem ab omnibus Confessariis respectu excommunicati; quod tamen non ità irritum reddiderit, inde colligitur, primò, quia nullus est textus, nullum decretum, ex quo ea irritatio jurisdictionis colligatur. Secundò, nam si id ita fecisset, esset quidem in destructionem, & non in ædificationem, & contra ipsam Ecclesiæ pietatem erga suos fideles. Nam si aliquis semper maneret oblitus alicujus excommunicationis, & ab ea numquam absolveretur; maneret semper sine effectu Sacramentum Pœnitentiæ, licet frequenter bona fide susceptum: quod de Ecclesiæ pietate incredibile est.

430. Secunda opinio affirmat, Sacramentum Pœnitentiæ receptum ab excommunicato, quantumvis bona fide esse prorsus invalidum; quia censet, Ecclesiam abstulisse jurisdictionem omnibus Confessariis in ordine ad excommunicatum, donec legitime ab excommunicatione absolvatur. *Ita P. Vasquez tom. 4. in 3. part. tract. de Excomm. dub. 4. P. Gaspar Hurtado disp. 4. de Excom. diff. 3. & disp 8. de Pœnit. diff. 7. P. Luisius Turrianus lib. 2. disp. 9. dub. 4. etiam apud Dianam part. 3. tract. 4 reso-*

resolut. 78. *Finellius, Petrus de Ledesma, Ioannes Sancius, Paludanus, Silvester, Major, Gabriel, S. Antoninus, Mart. de Ledesma, Chapeavilla, Megala;* & *apud Leandrum cit. ultra relatos, Vivaldus, Felinus Ioa. de Medina, Gerson, Rosella, Tabiena, & Archangelus:* qui sunt numero viginti & unus.

441. Cujus fundamentum valdè urget *P. Vasquez* desumptum *ex cap. final. de Clerico excommunicato*, ubi loquens de Clerico celebrante cum Excommunicatione minori, ait Pontifex: *Peccat autem conferendo Ecclesiastica Sacramenta, sed ab eo collata, virtutis non carent effectu: cum non videatur à collatione, sed à participatione Sacramentorum, quæ in sola consistit perceptione remotus.* Ubi illud verbum *remotus* non potest significare duntaxat prohibitionem; quia etiam ad conferendum Sacramenta ligatus excommunicatione minori habet prohibitionem, cum dicat Pontifex, illum peccare conferendo; & simul valere Sacramenta: ergo qui remotus est à participatione, plusquam prohibitus est, atque adeo non valet Sacramentum Pœnitentiæ ab ipso collatum. Videatur *P. Suarez & Lugo Card.* circa solutiones varias, quæ huic argumento adhibentur.

432. Hoc supposito, quod hæ duæ opiniones oppositæ versentur circa valorem absolutionis Sacramentalis collatæ excommunicato; restat inquirere, an in aliquo casu liceat excommunicato conscio excommunicationis quoad jus, & quoad factum, recipere Sacramentum Pœnitentiæ, antequam absolvatur ab excommunicatione? Sive an liceat ei excommunicato deducere ad praxim eam opinionem minus tutam versantem circa valorem Sacramenti?

433. *Navarrus in Enchiridio cap.* 27. *cum num.* 17. exposuisset triplicem Communionem fidelium, dixissetque tertiam Communionem esse Sacramentorum, & Suffragiorum; *num.* 18. affirmat, eum excommunicatum, qui verè contritus est coram Deo, & satisfecit & non potest tam citò consequi absolutionem ab excommunicatione, licitè posse accipere Sacramenta. Asserens enim, excommunicationem majorem privare suffragiis Ecclesiæ, sic ait: (Tertio privat suffragiis generalibus Ecclesiæ.. Quod tamen non intelligitur de excommunicato verè contrito procurante pro viribus absolutionem. *Arg cap. Dixi. & cap. Magna de Pœnitentia. dist.* 1. Is enim coram Deo est in statu gratiæ, & fruitur Communione prima, & *tertia.*) Tertia autem Communio est suffragiorum, & Sacramentorum, ut jam notavi. Sed appositum docet idem *Navarrus in cap. Fratres. de Pœnitent. dist.* 5. *num* 43.

434. Eamdem opinionem affirmativam sequitur *P. Fagundez in* 2. *Eccl. præcept. lib.* 3. *cap.* 12. *num.* 7. ubi inter alia, hæc habet: (Excommunicatio est pœna Medicinalis imposita ab ipsa Ecclesia ad emendationem delicti propter quod imponitur, & ad tollendam contumaciam illius: ergo cum publicè constet, excommunicatum esse jam emendatum, & verè, & ex corde pœnitentem, & satisfecisse parti, & per illum non stare, quominus absolutionem procuret; quia v. g. in morbum incidit, nec est in possibilitate, ut aliquem intrudat pro illa; dicendum plane est, hujusmodi hominem esse capacem Communium Sacrificiorum, imo & *Sacramentorum* Ecclesiæ; cessante enim ratione legis, cessat ipsa lex, ut de se patet.) Censet ergo *P. Fagundez* talem excommunicatum posse licitè participare Sacramenta.

435. Inquiritur ergo in præsenti, an hæc opinio possit licitè deduci ad praxim; vel potius an subjaceat huic damnationi?

436. Dico primo. In casu urgentissimæ ne-

necessitatis licitum est, deducere ad praxim hanc opinionem; atque adeo sic excommunicatus (licet excommunicatio sit reservata, & non habeatur copia Superioris) licitè poterit recipere Sacramentum Pœnitentiæ, in casu talis necessitatis. Pro hac stat communis sententia Theologorum, quamvis non in terminis hujus damnationis, quæ quia novissima est, non potuit attendi ab Authoribus. Admittunt enim propter vitandum scandalum, aut infamiam, aut propter periculum mortis, aut alterius damni gravissimi, posse excommunicatum, etiam excommunicatione reservata, suscipere Sacramentum Pœnitentiæ. P. *Suarez tom 4. in 3. part. disp. 31. sect. 3. num. 6. & 7. & tom. 5. disp. 10. de Excomm. sect. 3. n. 9 P Castro Palao tom. 6. disp. 2. punct. 7 num. 1. Leander à SS. Sacr. tom. 4. tract. 2. de Excom. disp. 4 q. 9. P. Ægidius de Koninck, de censuris disp. 13. num. 103. & disp. 14. num. 31. Diana part. 3. tract. 4. resolut. 78 §. Et omnia, & part. 5. tract. 9 resol. 81. citans Prepositum, & Mercerum, P. Pellizarius in manuali. Regular t. 2. tract. 7. cap. 2. sect. 1. citans Sayrum, & Filliucium*, & subjungit: (Qui tamen concedunt, cum præceptum Ecclesiæ cedat præcepto naturali, quod quis habet vitandi infamiam, scandalum, aut periculum mortis, posse excommunicatum, etiam vitandum in tali casu recipere Sacramenta, & quidem non solum validè sed etiam licitè) *P. Dicastillo tract. 10 de Censuris disp. 2. dubit. 40. n. 633. & plures alii apud ipsos.*

437. Ad probationem hujus assertionis suppono necessitatem & impossibilitatem esse correlative oppositas in eodē genere; ita quod si aliquid est physice impossibile & si aliquid est moraliter impossibile, oppositū est moraliter necessariū. Unde quia physice necessariū est cæcum non videre impossibile physice est cæcū videre. Et hinc colligitur, quoties datur casus necessitatis moralis, oppositam partem esse impossibilem moraliter.

438. Hinc ostendo primò, quod non incurrit hanc damnationem propositio docens, licitum esse excommunicato recipere Sacramentum Pœnitentiæ in casu gravissimæ necessitatis. Etenim hæc damnatio procedit de propositione docente in administratione Sacramentorum posse eligi opinionem minus tutam, *relicta tutiori*: sed in tali casu necessitatis non eligitur minus tuta, *relicta tutiori*: ergo propositio, quæ id docet, non subjacet huic damnationi. Major, & consequentia patent.

439. Minor probatur. Non dicitur relinquere tutiorem is, cui impossibile est eligere tutiorem; non enim dicitur relinquere cursum, qui manibus, & pedibus est ligatus; nec relinquere cibum is, qui illum præ infirmitate gutturis transglutire non potest; non aliam ob causam, nisi quia non dicitur relinquere aliquid, qui id consequi non potest. Sed in eo casu illi homini impossibile est eligere tutiorem: ergo non dicitur tunc relinquere tutiorem.

440. Probatur minor; nam cætera patent. In eo casu gravissimæ necessitatis est moraliter necessarium non eligere tutiorem; quia ipsa necessitas cogit ad eligendam minus tutam; supponimus enim, id esse medium unicè necessarium ad fugiendum illud damnum, v. g. scandali; ergo est impossibile moraliter eligere tutiorem. Hæc consequentia patet: quia necessarium, & impossibile sunt correlativè opposita, ut jam prænotavi.

441. Ostendo secundò. Nam in Rubrica Missalis de defectibus dispositionis animæ n. 5. sic statuitur. *Si recordetur, se esse excommunicatum, vel suspensum, aut locum esse interdictum, similiter conteratur cum proposito tenendi absolutionem. Ante consecrationem autem*

in supradictis casibus, si non timetur scandalum, debet Missam inceptam deserere. Ex quo infertur, quod si excommunicatus inceperit Missam, & ante consecrationem recordatus fuerit excommunicationis, si timetur scandalum debet prosequi Missam.

442. Unde sic formatur argumentum. Non minus prohibitus est excommunicatus prosequi Missam cum recordatur excommunicationis ante consecrationem, quam recipere Sacramentum Pœnitentiæ: sed quando urget necessitas orta ex timore scandali, potest Missam prosequi: ergo quando adest similis necessitas, poterit recipere Sacramentum Pœnitentiæ, sive absolutionem Sacramentalem.

443. Ostendo tertiò. Illa opinio, quæ erat minus tuta extra casum necessitatis, nempe quod valeat absolutio Sacramentalis data excommunicato bona fide confitenti, posita ea necessitate scandali, aut alia simili, jam non est minus tuta, sed omninò certa: ergo ea opinio ad praxim deducta in tali casu necessitatis non incurrit hanc damnationem. Consequentia patet ex tenore propositionis damnatæ. Probatur antecedens. In illo casu necessitatis vult Ecclesia, cessare leges excommunicationis, quantum requirit ipsa necessitas; ideo enim injungit Sacerdoti excommunicato, qui in [illegible] celebrandum recordatur excommunicationis, ut prosequatur omnino Missam in ea necessitate scandali vitandi, quia non vult tunc excommunicationis legem habere suum effectum: ergo etiam in simili casu necessitatis recipiendi Sacramentum Pœnitentiæ, Ecclesia vult cessare legem excommunicationis, quantum requirit ipsa necessitas. Sed lex excommunicationis, juxta opinionem tutiorem, aufert jurisdictionem à Sacerdotibus ad absolvendum Sacramentaliter excommunicatum: ergo ex intentione Ecclesiæ cessat ea ablatio jurisdictionis pro illo casu necessitatis; atque adeo certum est, quod valet pro tunc ea Sacramentalis absolutio excommunicati.

444. Itaque ex eo, quod Ecclesia in ea necessitate scandali vitandi injungat illi Sacerdoti excommunicato, ut prosequatur Missam, infertur, quod in eo casu vult cessare legem excommunicationis: ex eo autem quod velit cessare in eo casu legem excommunicationis, infertur, quod vult etiam eam cessare in simili casu absolutionis Sacramentalis, cum non sit major ratio unius quā alterius. Ex eo autem quod velit cessare legem excommunicationis in eo casu necessitatis absolutionis Sacramentalis, infertur, quod cessat lex de ablatione jurisdictionis; atque adeo quod persistit jurisdictio, & absolutio Sacramentalis est valida

445. Dico secundo. Etiam in casu, qui non est urgentis necessitatis, quando per ipsum excommunicatum non stat, quominus absolvatur, & jam satisfecit, vel est omnino impotens satisfacere, potest, secluso scandalo, accipere Sacramentum Pœnitentiæ, & absolvi à peccatis; & opinio id asserens non subjicitur huic damnationi. Infertur conclusio ex dictis *art. 6*.

446. Etenim defectum valoris ex parte jurisdictionis supplet Ecclesia, quando adest opinio verè probabilis, & communiter recepta tamquam probabilis, circa valorem talis jurisdictionis; & ex hac circumstantia supplentis Ecclesiæ fit certus ille valor: sed circa eum casum præfati excommunicati adest opinio communiter recepta tamquam probabilis de valore jurisdictionis pro absolutione Sacramentali, ut constat *ex n.* 428. ubi pro ea numerati sunt quadraginta doctores: ergo in eo casu Ecclesia supplet defectum jurisdictionis, atque adeò ex hac circumstantia redditur

tur certus valor jurisdictionis, & consequenter valor absolutionis Sacramentalis.

447. Tum sic. Huic damnationi subjicitur propositio, quæ docet eligi posse opinionem probabilem circa valorem Sacramenti, relicta tutiori: sed ubi propositio superaddit circumstantiam, ex qua certus reddatur valor Sacramenti, non docet eligi posse opinionem probabilem circa valorem, relicta tutiori; cum ea circumstantia faciat, eam jam esse sententiam, non probabilem, sed certam: ergo propositio, quæ superaddit eam circumstantiam, non subjicitur huic damnationi.

ARTICULUS XI.

An licitè possit fidelis petere absolutionem Sacramentalem ab excommunicato tolerato? Et an opinio affirmativa subjaceat huic damnationi?

SUMMARIUM.

Discrimen excommunicati tolerati, & non tolerati. Et licitum est communicare cum tolerato. n. 448.

Referuntur opinio asserens non esse validam absolutionē datam à tolerato, & altera opposita, n. 449.

Non subjacet damnationi sententia, quæ docet validam esse absolutionem datam ab excommunicato tolerato. n. 450.

Opinio, quæ docet confessarium excommunicatum toleratum carere jurisdictione, non est probabilis; imo incompossibilis est cum Extravag. Ad evitanda. 452.

448. NOta est distinctio excommunicati tolerati, & non tolerati. Nam ille, qui denunciatus est, aut est notorius Clerici percussor, est non toleratus. Est autem toleratus, qui excommunicationem incurrit non denunciatam, neque incursam ob notoriam Clerici percussionem. Est etiam apud omnes notum, licitum esse communicare tam in Divinis, quam in humanis cum tolerato; secus cum non tolerato.

449. In hac autem quæstione alicui dicendum videbitur, ex vi hujus damnationis non esse licitum petere absolutionem Sacramentalem ab excommunicato tolerato propter hoc argumentum. Sunt enim duæ opiniones circa valorem ejus absolutionis Sacramentalis. Prima quæ videtur esse *Adriani quæst.* 3. *de Baptismo* asserens non esse validam. Secunda autem communis inter Theologos, & jurisprudentes, quæ affirmat esse validam: hæc ergo secunda est minus tuta: ergo juxta hanc damnationem, debemus sequi eam, quæ tutior est; atque adeo ea, quæ docet posse deduci ad praxim hanc opinionem minus tutam, continetur sub hac damnatione.

450. Sed hoc non obstante, dicendum est, hanc secundam sententiam non subjacere damnationi, & consequenter eam licitè posse deduci ad praxim. Ratio est: quia sententia de valore ejus absolutionis non est merè probabilis, sed omninò certa; atque adeo dici non potest, eam, quæ negat valorem Sacramenti Pœnitentiæ, esse tutiorem. Ea enim clarissimè constat ex *Extravag. Ad evitanda*, quæ est Concilij Constantiensis, & ab omnibus fidelibus in Ecclesia est usu recepta; ubi expressè dicitur, neminem teneri vitare alterum ratione alicujus sententiæ vel censuræ *in Sacramentorum receptione, vel administratione &c.* nisi sit denunciata, vel sit propter notoriam Clerici percussionem. Certum autem est, id non posse verificari, nisi in ipsis confessariis persistat jurisdictio, ut sic possint communicare in administratione Sacramentorum cum excommunicatis toleratis.

451. Hujus sententiæ sunt omnes illi Doctores, qui affirmant, non esse licitum in administratione Sacramentorum

sequi opinionem minus tutam;& ex alia parte docent licitum esse in praxi administrare Sacramentum Pœnitentiæ excommunicatis toleratis in præfato casu necessitatis. Ita P. *Suarez de Pœnit. disp. 26. sect. 6. num. 3. & 6. Et P. Enriquez lib. 13. Summ. c. 6. num. 3.* id concedit tamquam licitum Parocho incurso in excommunicationem occultam. Et plures alij cum majori extensione.

452. Ad fundamentum partis oppositæ initio propositum respondeo illam opinionē quæ affirmat non esse probabilem, utpote incompossibilem cum ea extravaganti relata. Neque obstat, quod ea sit opinio unius vel alterius scriptoris: tū quia vnus vel alter scriptor non facit opinionem probabilem contra communem omnium, vel fere omnium Doctorum nisi sit urgenti ratiōne munitus: tum etiam quia contra principium certum nulla est probabilitas extrinseca.

453. Et ideo Sacramentum pœnitentiæ datum ab excommunicato tolerato esse validum, si concurrant cætera requisita est sententia communis. Ita *Avila de Censuris part. 2. cap. 6. disp. 3. dub. 4. §. Tertia opinio*, & apud ipsum *Cajetanus, Angelus Petrus Soto, Victoria, Navarrus*, & dicit esse communem junioribus *P. Suarez de Censur. d. 10. sect. 2. concl. 2. P. Cast. Palao tom. 6. de Censur. disp. 2 punct. 8. num. 4. P. Ægidius de Conick disp. 14. de excommunicat. dub. 5. num. 34. P. Gaspar Hurtado disp. 4. de excommunicat. difficult. 3. num. 12. &* communiter Doctores.

ARTICULUS XII.

An revalidandæ sint confeßiones eorum, qui secuti sunt opinionem minus tutam circa valorem Sacramenti, sive ante, sive post hoc decretum Innocentij XI.

SUMMARIUM.

Confeßiones invalidæ repetendæ sunt. n. 454.

Confeßiones, quæ fiunt juxta opinionem minus tutam circa valorem, cum advertentia hujus Decreti, revalidandæ sunt. n. 455.

Confeßiones quæ, cum ignorantia invincibili hujus Decreti fiunt, vel prius factæ fuerunt juxta opinionem minus tutam circa valorem, non sunt necessario repetendæ. n. 456. & seq.

Opinio reflexa, & practica circa valorem Sacramenti minus tuta est improbabilis. n. 459.

454. Certum est inter omnes Theologos eas confessiones revalidandas esse quæ fuerunt invalidæ Cujus defectus plura capita enumerant Theologi in materia de pœnitentia imo etiā & Catechistæ Est ergo quæstio præsens, an confessiones, quæ fiunt ex opinione minus tuta circa valorē Sacramenti sint invalidæ, atque adeo repetendæ, saltem post decretum hoc *Innocentii XI.*

455. Dico primo Confessiones quæ fiunt iuxta opinionem minus tutam circa valorem cum advertentia huius decreti, & obligationis illius sunt invalidæ atque adeo revalidādæ Patet conclusio Nam ubi homo peccat mortaliter in ipsa confessione, cōfessio est invalida defectu dispositionis requisitæ, vt latè ostendi in 3. *part. crit. Theolog. disp. 70. cap. 4. art. 2.* sed qui cum advertentia hujus decreti, & obligationis illius confitetur sequēdo opinionem minus tutam circa valorē, peccat mortaliter in ipsa confessione: ergo facit confessionem invalidam, atque adeo repetendam Maior patet; quia habere contritionem, & simul peccare mortaliter actualiter, sunt actus incompossibiles Minor etiam patet. Nam qui cum ea advertentia confitetur, in re tam gravi violat præceptum pontificis, & in praxi opponitur eius declarationi, quæ tamquam irrefragabilis admittenda est, conformando mores ad illam.

456. Di-

456. Dico secundo. Confessiones, quæ ex ignorantia, vel inadvertentia invincibili hujus decreti fiunt, vel quæ ante decretum sunt factæ reputandæ sunt validæ, atque adeo non repetendæ. Ratio est: quia cum nemo sciat, utrum amore, an odio dignus sit, sufficit, quod pœnitens habeat credulitatem probabilem de obtenta gratia Sacramenti: sed in eo casu pœnitens habet eam credulitatem probabilem de obtenta gratia Sacramenti: ergo id sufficit, ut Sacramentum antea receptum censeatur validum. Habet autem eam credulitatem probabilem virtute opinionis probabilis, quamvis illa sit minus tuta.

457. Confirmatur. Nam ideo in casu primæ conclusionis confessio evadit nulla, quia pœnitens scienter operatur in re tam gravi contra præceptum, & declarationem Pontificis: sed qui habet inadvertentiam invincibilem ejus decreti, non operatur contra illud; & præterea supponimus concurrere cætera requisita: ergo non est ratio, neque caput, unde ea confessio reputanda sit nulla, & repetenda.

458. Objicies contra primam conclusionem. Qui sequitur opinionem probabilem, non peccat, quamvis opinio probabilis sit minus tuta: quomodo ergo dicitur peccare in confessione ille qui confitetur juxta eam opinionem probabilem?

459. Respondeo juxta dicta *cap. 2.* hic intervenire duas propositiones longe diversas, unam directam, & alteram reflexam. Directa est: *Ista confessio venialium sine dolore formali, & cum solo virtuali est valida...* Propositio reflexa est: *in praxi licitum est uti hac opinione.* Et prima propositio est ad summum probabilis ab extrinseco ob authoritatem suorum Doctorum. Secunda verò reflexa est improbabilis propter hoc decretum *Innocentii XI.* Quare distinguendum est antecedens: qui sequitur in praxi opinionem probabilem speculativam, & directam, non peccat, nego; qui sequitur opinionem practicam, & reflexam, quæ verè si probabilis ut talis, concedo. Illa autem, de qua loquitur antecedens, falsa est, utpote minus tuta, & procedens circa valorem Sacramenti, ut jam dixi. Quod autem ex propositione directa non inferatur ea propositio reflexa, latè ostendi *in 1. part. Crisi Theol. disp. 15. cap. 4. art. 2.*

CAPUT VII.

Examinatur, quænam opiniones excludantur per hoc decretum circa Sacramenta extremæ Unctionis, & Ordinis.

ARTICULUS I.

An, & quomodo oleo benedicto pro Extrema Unctione possit admisceri Oleum non benedictum, ita ut certus maneat valor Sacramenti?

SUMMARIUM.

Prima opinio docens, posse fieri plures additiones olei non benedicti. n. 460.
Opposita sententia, & ejus Authores, n. 461.
An prima sententia utpote minus tuta subjaceat huic damnationi?
Et refertur controversia orta inter viros doctos Hispalenses. n. 462.
Aliqui asserebant, primam sententiam esse certam ex praxi Ecclesiarum Hispaniæ. n. 463.
Item ex cap. Quod in dubiis. *Deinde ex S. Thoma, & aliis fundamentis.* n. 464.
Opposita opinio negans fulciebatur ex eo, quod fundamenta affirmantis erant solum probabilia, & talis opinio erat minus tuta. n. 465.
Illustrissimus Archiepiscopus Hispalensis decrevit consulere Sacram Congregationem. n. 466
Refertur libellus supplex ad Sacram Congregationem missus. n. 467. & seq.
Refertur Sacræ Congregationis responsio. n. 484.

Infertur tamquam certum extremam Unctionem licitè, & validè conferri, etiamsi fiant additiones olei non benedicti modo dicto. n. 487.

Quantam Authoritatem habeat hæc declaratio. n. 488 & seqq.

Respondetur ad argumenta sententiæ negantis. n. 490. & seqq.

460. INquiritur primò occasione cujusdam praxis, quæ usurpari solet in aliquibus Diœcesibus, benedicuntur pro infirmis una vel altera amphora olei, cum pro tota Diœcesi, & omnibus Ecclesiis ejus videntur non sufficere duodecim amphoræ. In primum ergo illud vas tantum olei benedicti infunditur, quantum olei benedicti extrahitur. Et cum id fiat pro tanto numero Ecclesiarum, fit, ut fere semper major sit quantitas olei non benedicti, quam olei benedicti. Plures sunt authores, qui censent, id ita fieri posse, quos refert P. *Quintanadvennas de Sacramentis Ecclesiæ tract. 5. sing. 1. n. 4.* & hæc est comunior inter Theologos, & probabilior sententia.

461. Sed opposita opinio docet quod quantitas in principio benedicta debet esse major, quam tota non benedicta superaddenda, sive simul, sive variis vicibus fiat additio. *Ita Melchior Zambranus, P. Antonius de Quintanadvennas, P. Thomas Tamburinus, & favet P. Georgius Govatus, & Iacobus Marchantius mox referendi.*

462. Inquiritur ergò, an prima opinio, utpotè minus tuta, subjaceat huic damnationi? Et cum hæc materia sit gravissima, utpote pertinens ad praxim administrandi validè Sacramentum Extremæ Unctionis, *Illustrißimus, & Reverendißimus D. D. Ambrosius Ignatius Spinula, & Guzman, Archiepiscopus Hispalensis* consuluit plures viros sapientes, qui in oppositas sententias abierunt.

463. Alii enim asserebant, non esse opinionem probabilem, sed sententiam certam, quæ asserit, posse fieri successivè plures additiones olei non benedicti in minori quantitate, licet tandem in totius anni decursu resultaret major pars olei non benedicti: pro qua certitudine proponebant argumenta non contemnenda. Inter quæ illud erat majoris momenti, quod desumebatur ex praxi omnium Ecclesiarum Hispaniæ. Nam de praxi aliarum Ecclesiarum extra Hispaniam non satis constabat.

464. Arguebant secundò *ex cap. Quod in dubijs* §. 1. *de Consecrat.* inferius subjiciendo. Arguebant tertiò ex sententia *S. Thomæ* asserentis, aquam non benedictam, si admisceatur benedictæ, totam aquam manere benedictam. Arguebant quartò: Nam Authores oppositæ sententiæ concedunt, si oleo benedicto adjungatur minima pars olei non benedicti, totum oleum fieri benedictum: ergo si altera pars minima huic adjungatur, fiet etiam benedicta, cum totum illud, cui adjicitur præsupponatur benedictum. Arguebant quintò, nam oleum, quod resultat ex pluribus minimis additionibus, censetur idem moraliter, ac oleum ab initio benedictum: sicut *Ioannes* est idem moraliter, quando factus est vir grandævus, ac quando erat puer, licet post pueritiam adquisierit per nutritionem multo plures partes suæ substantiæ. Arguebant sextò ex *Concilio Mediolanensi IV.*, cujus verba infra referentur.

465. Oppositam sententiam sustinebant alii viri docti, quibus *Illustrißimus D. Archiepiscopus* præcepit, ut suam dicerent sententiam. Primò. Nam hæc fundamenta relata non evehunt illam opinionem ad gradum certitudinis, quamvis valdè probabiliter procedant: dum ergò ea opinio est intra metas probabilitatis, ea non potest deduci ad praxim, relicta tutiori, propter damnationem primæ propositionis factam à *SS. D. Innocentio XI.* Secun-

Secundò, nam huic sententiæ suffragari videtur dispositio Ritualis Romani infra referendi. Tertiò, quia si ab initio major pars olei non benedicti admisceretur minori parti olei benedicti, totum oleum amitteret benedictionem, ut concedunt oppositæ opinionis patroni; ergo eodem modo si addatur major pars olei non benedicti, non tota simul, sed pluribus additionibus successivis, totum oleum amittet benedictionem; quod enim tota simul, vel successivè sit major, per accidens esse videtur.

466. Cum ergò viri docti circa hanc materiam consulti in oppositas sententias abierint, visumque fuerit sententiam affirmativam non egredi metas probabilitatis, & esse minus tutam, ideoque fortè periclitari valorem Sacramenti; *illustrißimus D. Archiepiscopus* censuit, consulendam esse Sacram Congregationem; & jussu ejusdem D. Archiepiscopi composui libellum supplicem Sacræ Congregationi offerendum, tenoris sequentis.

Eminentißimi, & Reverendißimi Domini.

467. Cum ex decreto Sacræ Congregationis, Romanæ, & Universalis Inquisitionis edito die 2. Martii, ann. 1676. & jusso promulgari à *SS. D. Innocentio* XI. & ex damnatione primæ propositionis ex 65. damnatis, constet, non posse fideles in praxi sequi opinionem probabilem circa valorem Sacramentorum, relicta tutiori; inde exorta est dubitatio magni momenti circa Sacramentum Extremæ Unctionis. Nam cum jure Divino materia hujus Sacramenti sit oleum benedictum ab Episcopo; dubitatur, an si in ampullam olei benedicti immittatur major pars olei non benedicti, non tota simul, sed per partes minores successivè superadditas; hoc modò si materia sufficiens Sacramenti. Hæc enim fuit, & est praxis antiqua hujus Diœcesis, ut ex uno vase olei benedicti ferè mille Ecclesiis, & cœnobiis, & xenodochiis provideatur, factis additionibus successivis olei non benedicti, ita ut in quavis additione sit minor pars olei non benedicti, quæ superadditur; sed sic fit, quod pars olei non benedicti immissi pluribus vicibus per annum, si consideretur tota simul, sit multò major, quam pars olei benedicti.

468. In hac ergo quæstione sunt duæ opiniones, quæ ambæ videntur probabiles. Prima, quæ magis communis, & probabilior videtur; sed minus tuta, dicit, valorem Sacramenti subsistere, dummodo singulis vicibus infundatur minor pars olei non benedicti; quamvis multiplicatis successivè additionibus tandem superaddita fuerit major quantitas olei non benedicti. Hanc sententiam tamquam communiorem, & probabiliorem amplectuntur communiter Theologi, & utuntur paritate aquæ benedictæ, in quam immissa aqua non benedicta, hæc participat benedictionem ab illa. Quæ est sententia *S. Thomæ in 3. dist. 12. quæst. 1. art. 2. quæstiunc. 6. ad 2. Et 3. part. quæst. 77. art* 8. *ad 3.* licet *S. Thomas* non distinguat, an additio debeat esse minoris partis ad majorem,

469. Secunda opinio, quæ licet videatur minus probabilis, est tamen tutior; propugnat, Sacramentum non esse validum, si pars olei non benedicti sit tandem major, licet singulis vicibus infundatur in minori quantitate. Quæ opinio maximè nititur in illis verbis Ritualis *SS. D. Pauli V.* ubi de extrema unctione: *Id tamen* (oleum benedictum) *si fortè intra annum aliquomodo ita deficiat, ut sufficere non posse videatur, neque aliud benedictum haberi queat, modico oleo non benedicto in mino-*

ri quantitate, quæ sufficiens esset pro totius anni decursu, superfuso reparari potest. Ubi maximè notantur ea verba, *modico oleo non benedicto in minori quantitate, quæ sufficiens esset pro totius anni decursu.* Ubi videtur decernere, eam minorem quantitatem esse debere sufficientem pro totius anni decursu: sive eam quantitatem quæ sufficiat pro totius anni decursu, debere esse minorem. Quando autem multiplicatis additionibus successive, pars olei non benedicti sit major, non verificatur, quod ea pars, quæ sufficiat pro totius anni decursu sit minor; quin potius verificatur, quod sit major.

470. Secundò perpenduntur ea verba Ritualis: *Neque aliud benedictum haberi queat.* Nam si certum est, quod oleum non benedictum participat benedictionem à benedicto, licet perveniat tandem ad majorem quantitatem olei non benedicti ex pluribus additionibus successivis; quare præcepit *Paulus V.* quod non fiat additio, si aliud benedictum haberi potest? Hæc enim verba videntur eo respicere, quod non sit omnino certum, quod oleum non benedictum participet benedictionem à benedicto; & quod solum toleretur immixtio non benedicti, quia ea pars minor non benedicti non nocet majori parti benedicti. Et ideo *in cap. Quod in dubijs. §. 1. de consecrat.* non dicitur, quod non consecratum participat consecrationem à consecrato; sed *nec negamus, quin oleum non consecratum consecrato possit oleo commisceri.*

471. Deinde hæc secunda opinio eo etiam nititur fundamento, quod si multo major quantitas olei non benedicti superadderetur tota simul oleo benedicto, illa major quantitas non participaret benedictionem, ut fatentur Authores oppositæ opinionis; imo illud parum olei benedicti, utpote enormiter læsum, amitteret benedictionem; sicut si vas aquæ benedictæ mitteretur in stagnum, amitteret benedictionem. Tum sic. Videtur parum interesse, quod major pars olei non benedicti infundatur in oleum benedictum, tota simul, vel per partes successivè: si ergo per partes successivè superaddatur de facto multo major quantitas olei non benedicti, oleum benedictum, utpote enormiter læsum per partes successivè superadditas, amittet benedictionem, aut saltem remanebit materia dubia Sacramenti.

472. Et ita hanc secundam sententiam propugnant *Melchior Zambrano in tract. de casibus occurrentibus in articulo mortis cap. 5. dub. 5. num. 3.* ubi ait: *Ad hoc quo oleum maneat benedictum requiritur, ut quantitas olei in principio benedicta, sit major tota quantitate non benedicta superaddita, modo simul, modo successivè, vel varijs vicibus fiat talis additio.* idem tradit *P. Quintanaduennas de Sacrament. tract. 5. singulari 1. num. 4. P. Thomas Tamburinus lib. 6. de Sacrament. Extremæ Unctionis cap. 1. §. 1. num. 2. Et P. Georg. Govatus in experientijs Theol. Sacramentalibus tract. 8. casu 21. num. 786.* quamvis oppositam opinionem censeat probabiliorem, dicit tamen, istam esse probabilem, & tutiorem, & affert verba *Iacobi Marchantij in resolut. Pastor. tract. 6 de Sacrament. cap 4.* fine: *Obsecro Episcopos Reverendissimos Dominos meos, & Patres cum omni humilitate, ut majore in quantitate oleum Sacrum distribuant, maximè infirmorum, ne incauta mixtione materia reddi possit dubia.*

473. Ex quibus omnibus videtur inferri, quod si hæc materia manet intra terminos probabilitatis, derelinquenda est praxis antiqua hujus Diœcesis Hispalensis de superaddendo sæpius oleo non benedicto, singulis vicibus in minori quantitate, sed ex quibus per anni decursum resultat, major quantitas non

non benedicti, & amplectenda est via tutior benedicendi multo majorem quantitatem, quæ sufficiat pro majore parte anni; ita ut tota quantitas superaddita, pluribus vicibus successive in minori, sit etiam minor respectu totius olei consecrati.

474. Multi viri docti consulti sunt circa hanc quæstionem. Et aliqui contendunt, hanc quæstionem non manere intra terminos meræ probabilitatis, sed debere reputari certam eam sententiam, quæ affirmat posse repetitis vicibus superaddi oleum non consecratum, dummodo singulis vicibus fiat in minori quantitate. Id conantur suadere ex praxi fere universali, quæ videtur facere certitudinem moralem.

475. Etenim in fere omnibus Synodis Diœcesanis Hispaniæ præcipitur hæc praxis, ex qua per successivas additiones resultat in decursu anni multo major pars olei non benedicti, quam benedicti. In Synodo *Hispalensi* anni 1604. sub D. *Ferdinando Ninno de Guevara, Cardinali Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, & Archiepiscopo Hispalensi tit. de Sacra Unctione cap.* 2. sic statuitur: *Tengan cuenta los Curas conrenovar el Oleo Cathecumenorum, & infirmorum, y el Crisma amenudo, y siempre en menor cantidad de la que tiene, echando menos azeite, que ay Oleo.* Quod sic fideliter vertitur in latinum Sermonem (Curam habeant Parochi renovandi Oleum Cathecumenorum, & infirmorum, & Chrisma frequenter, & semper in minori quantitate, ita, ut infundatur minor pars olei non benedicti, quam est oleum benedictum.) Quæ verba desumpta sunt ex Synodo antecedenti sub *D. Roderico de Castro, Cardinali, & Archiepiscopo Hispalensi.*

476. Idem statuit eodem tenore verborum Synodus *Granatensis* anni 1572. sub *D. Petro Guerrero*, Archiepiscopo Granatensi, qui adfuit Concilio Tridentino apud *Antonium de Quintanaduennas tom. 1. Singularium, tract. 5 singular. 1.* Eodem modo id statuit Synodus *Toletana* ann. 1660. sub *D. Balthasar de Moscoso, Cardinali, & Archiepiscopo Toletano lib. 1. tit. 7. constitut. 4.* Eodem modo Synodus *Abulensis* ann. 1617. *sub D. Francisco Gamarra lib. 1. tit. 7. constitut. 3.* Item Synodus *Ovetensis*, an. 1607. *sub D. Ioanne Alvarez de Caldas, Episcopo Ovetensi lib. 1. tit. 2. de Sacrament num. 47.* Item Synodus *Albarracinensis*, ann. 1604. *sub D. Fr. Andrea Valaguer, Episcopo Albarracinensi tit. 7. §. 12.* Item Synodus *Salmatiocensis lib. 1. tit. 7. constitut. 6.* Item Synodus *Malacitana*, ann. 1671. *sub D. Fr. Alphonso à S. Thoma, Episcopo Malacitano lib. 2. tit. 7. §. 1. num. 9.* Item Synodus tertia *Limensis* an. 1588. *sub B. Toribio Alphonso Mogrovejo Episcopo Limensi cap. 6.*

477. Item Synodus *Canariensis* an. 1629. *sub D. Christophoro de la Camara, & Murga, Episcopo Canariensi constitut 6. cap. 3.*

478. Synodus *Valentina*, an. 1657. sub *D. Fr. Petro de Urbina, Archiepiscopo Valentiæ tit. 7. constitut. 3.* licet dicat, admiscendum esse oleum non benedictum in minori quantitate, non exprimit an, singulis vicibus sit in minori, an debeat esse in minori tota quantitas successive superaddenda. Item Synodus *Cordubensis*, ann. 1662. sub *D. Francisco de Alarcon, Episcopo Cordubensi lib. 1. tit. 5. cap. 1. §. 4.* loquens de ampullis retinentibus oleum sacrum, ait: *Tlas ceben los Rectores, y Curas, advirtiendo, sea mas el oleo*

consagrado, que el azeyte, que annadieren. Ubi videtur afferere, quod tota quantitas successivè superaddenda, sit minor oleo benedicto. Etquidem hæ duæ Synodi non omninò clarè loquuntur circa præsentem difficultatem; fortasse quia cum novissimæ sint, & hæc difficultas de quantitate olei superaddenda his annis cœperit ventilari, Synodalibus viris indecisam relinquere difficultatem placuit.

479. *Antoninus Diana part. 9. resolut. 44.* ait, opinionem, quæ requirit, minorem esse totam quantitatem olei non benedicti successivè immittendi, esse contra praxim, & usum fere omnium Ecclesiarum.

480. Sed quod maximè suffragatur huic praxi, & usui communi immittendi successivè partes singulatim minores olei non benedicti, est textus Concilii Provincialis Mediolanensis quarti (cujus authoritas magna est in Ecclesia) celebrati anno 1576. sub *S. Carolo Borromæo, part. 2. sub tit. Quæ ad Sacramentalia, vel ad Sacramenta &c.* in hæc verba: *Sacro oleo deficiente, si tempus non patitur, ut aliundè haberi possit, illa ratio ineatur canone præscripta, ut cum oleo consecrato misceatur non consecratum. Id vero non consecratum guttatim ita infundatur, ut semper quod infunditur, minus sit oleo consecrato, quod vel exiguum in vase reliquum est.*

481. In quibus verbis aliqua adhuc notanda videntur. Primo, ea dictio *guttatim*, quæ videtur eò respicere, ne per plures admixtiones resultet major quantitas olei non benedicti. Secundo, quod non requirit, ut sæpius renovetur oleum per admixtionem olei non benedicti, sicut requirunt Diœcesanæ Synodi præcitatæ; sed solum quod renovetur guttatim, si defecerit oleum, nec tempus patiatur, aliundè afferri. Tertiò, quia viderentur otiosè posita ea verba, *si tempus non patiatur, ut aliundè haberi possit*, si oleum non benedictum superadditum participat benedictionem ab oleo benedicto. Nam si eam participat, ad quid opus est, ut aliundè afferatur?

482. Propter hæc omnia post consultationem doctissimorum virorum, adhuc manet perplexa difficultas. Si enim retinemus usum pristinum renovandi sæpius oleum benedictum per plures admixtiones nō benedicti, videmur sequi sententiam probabilem circa valorem Sacramenti tutiore relicta contra decretum Sacræ Congregationis. Si autem velimus consecrare tantumdem olei, quantum sufficiat ad majorem partem omnium Ecclesiarum hujus Diœcesis, multæ difficultates oriuntur, nam præter difficultatem deserendi morem antiquissimum, non modica invenitur difficultas in fabrefaciendis multis vasibus argenteis, & in afferendis illis ad Altare, quæ ad tantam olei quantitatem omnino sunt necessaria.

483. Quare precor Eminentias Vestras ut pro rei gravitate decidant primo: quid in praxi servandum sit quoad continuationem veteris consuetudinis? Secundo an censendum sit, esse certum valorem Sacramenti, quando oleum benedictū per plurimas additiones minimas successivas remanet in minori quantitate, quàm est quantitas olei non benedicti.

Quid responderit Sacra Congregatio?

484. Illustrissimus D. Archiepiscopus Hispalensis accepit declarationem authenticam hujus dubij subscriptam à *Francisco Richardo* Sanctæ Romanæ, & Universalis Inquisitionis Notario, & sigillo Sacræ Congregationis Universalis Inquisitionis munitam, quam in præsenti præ manibus habeo, & est tenoris sequentis.

Emi-

Eminentissimi, & Reverendissimi Signori.

DEterminandosi nel decreto di cotesta Sacra Congregatione fatto Soto li 2. Marzo 1679. sopra la condanna di 65. propositioni, che circa il valore de Sacramenti non si debba seguire l' opinione probabile, lasciata la piu sicura. Et essendo opinione controversa tra Theologi, se per supplire all' Olio santo, che mancasse, sia lecito aggiongerne del non benedeto in piu volte, purche l'aggiunto considerato separatamente, & in omni aggiunta sia in minor quantita dell'olio sancto, benche considerate tutte le aggiunte insieme, fosse maggiore; di qui è nato dubio nella Diœcesi di Sevilla, nella quale por la sua vastita, è impratticabile benedire tant oglio, che basti senza l' aggiunta; se sia lecito fare desta aggiunta all' olio Sancto, peresservi molti Theologi, che tengano l' opinione negativa per piu secura. Onde por haver la risolutione di tal dubio, l' Arcivescovo di Sevilla devotissimo oratore fece porgere all'EE. VV. un memoriale consultivo, nel quale si deducevano le opinioni de Theologi sopra questo punto. Ma non havendo sin hora habuta la dichiaratione, supplica percio l'EE. VV. degnarsi di dar glela per sicurezza è quiete della conscienza propria, è del suo grege. Usches.

Feria quarta die 23. Septembris 1682. in Generali Congregatione S. Officij habita in Conventu S. Mariæ super Minerva coram Eminentissimis, & Reverendissimis Dominis S. R. E. Cardinalibus in tota Republica Christiana contra hæreticam pravitatem Generalibus Inquisitoribus à S. Sede Apostolica specialiter deputatis.

Lecto supradicto memoriali, Eminentissimi, & Reverendissimi Domini Cardinales Inquisitores prædicti decreverunt in casu proposito, *Posse.*

Franciscus Richardus, Sanctæ Romanæ, & Universalis Inquisitionis Notarius.

Et quia interrogatio proposita Sacræ Congregationi proximè relata facta est idiomate Italico, placuit eam in latinum sermonē fideliter transferre, quæ sic habetur.

486. Eminentissimi, & Reverendissimi Domini. Cum statutū fuerit decreto istius Sacræ Congregationis dato die 2. Martij 1679. super damnatione sexaginta quinq; propositionum circa valorem Sacramenti non debere deduci ad praxim opinionem probabilem relicta tutiori; & cum sit opinio controversa inter Theologos, an ad supplendum oleum benedictum, quod deficeret, sit licitū adjungere non benedictum pluribus vicibus, taliter quod oleum adjunctum consideratum separatim, & in unaquaque admixtione sit in minori quantitate, quam oleum benedictum, quamvis consideratis omnibus additionibus simul, fiat major quantitas non benedicti; hinc natum est dubium in Diœcesi Hispalensi, in qua propter ejus Diœcesis amplitudinem est impracticabile benedicere tantum oleum, quod sufficiat sine additione non benedicti, an sit licitum facere præfatam additionem ad oleum benedictum; cum sint multi Theologi, qui opinionem negativam censeant tutiorem. Quare ut habeatur resolutio hujus dubii Archiepiscopus Hispalensis devotissimus orator fecit porrigi Eminentiis vestris libellum consultivum, in quo referebantur opiniones Theologorum super hoc dubio. Sed quia non habuit adhuc ejus declarationem, ideo orat Eminentias Vestras, ut dignentur eam sibi notam facere pro securitate, & quiete conscientiæ propriæ, & gregis sibi cōmissi.

EX

EX DICTIS colligitur resolutio practica.

487. Ex qua declaratione constat, certum esse debere, quoad praxim, Sacramentum extremæ Unctionis licitè, & validè conferri, etiam si oleum non benedictum superaddatur sæpius, dummodo singulis vicibus fiat admixtio in minori quantitate non benedicti. Qua in re videtur facere certitudinem praxis antiqua Ecclesiarum, & declaratio Sacræ Congregationis.

488. Et quidem licet hæc declaratio non prodeat immediatè à Romano Pontifice; tamen cum Pontifex dederit Sacræ Congregationi facultatem hæc, & similia dubia; & ejusmodi declarationes fiant ex matura deliberatione, & consilio doctissimorum virorum, habent magnam authoritatem, & conferunt omnimodam securitatem ad rectè, & honestè operandum.

489. Et quamvis Sacra Congregatio videatur respondisse solum ad primum interrogationem, An scilicet possint eæ plures additiones fieri successivè olei non benedicti, declarantes, *Posse*; ex ea autem responsione satis clarè colligitur responsio ad secundam: nam ex eo quod possint fieri illæ additiones olei in administratione Sacramenti, clarè infertur Sacramentum evadere certo validum.

490. Ad argumenta autem oppositæ sententiæ facile responderi potest. Ad primum desumptum ex Rituali *Pauli V.* dicendum est, in illis verbis: *Modico oleo non benedicto in minori quantitate, quæ sufficiens esset pro totius anni decursu*, non præcipere Pontificem, quod ea additio fiat semel tantum; neque eam, quæ per plures mixtiones superadditur, totam simul consideratam esse debere minorem quantitate olei prius benedicti, sed solum esse minorem, quæ hic, & nunc superadditur, sive semel, sive sæpius.

491. Ad id quod additur circa ea verba: *Neque aliud benedictum haberi queat*, scilicet si verum est, quod oleum non benedictum participat benedictionem à benedicto; quid necesse est, quærere oleum benedictum, cum sufficiat facere additionem non benedicti? Respondeo has additiones olei non benedicti fieri solum, quando necessitas postulat, est enim congruentius, quod totum oleum sit ab initio benedictum. Nulla ergo necessitas est ejus additionis, quando habetur oleum ab initio benedictum.

492. Ad secundum argumentum respondeo, admittendo, quod si ab initio infunderetur in oleum benedictum major quantitas olei non benedicti, amitteretur benedictio. Quando autem fit mixtio per plures additiones successivas minores, non amittitur benedictio; quin potius, cum fit prima additio minor, hæc participat benedictionem, & tota illa mixtio manet undequaque benedicta, unde fit, quod cum advenit secunda additio, ita denuo participat benedictionem à tota quantitate antecedenti, quæ tota jam erat benedicta.

ARTICULUS II.

Quæstiones aliæ circa Sacramentum Extremæ Unctionis.

SUMMARIUM.

babilem, & in praxi subire damnationem. n. 499.

493. Inquiritur secundo, an Chrisma sit materia hujus Sacramenti tuta in praxi? Materiam remotam hujus Sacramenti esse oleum ab Episcopo benedictum constat ex Concilio Tridentino, & Florentino. Est tamen aliquorum opinio, quos refert P. *Castro Palao tom. 4. tract. 26. disp. unic. punct. 2. num. 5.* etiam Chrisma quod ex oleo, & balsamo conficitur, esse posse materiam hujus Sacramenti. Sed opposita opinio affirmat futurum esse invalidum id Sacramentum, si assumatur Chrisma pro materia ejus, ut tradunt *P. Valencia, Cardinalis Bellarminus, Bonacina, & Barbosa,* quos refert, & sequitur *P. Castro Palao citatus.*

494. Dicendum ergo est, illam primam opinionem esse in speculatione probabilem; in praxi vero subjacere huic damnationi: quia sequitur opinionem minus tutam circa valorem huius Sacramenti cum hoc tamen stat, quod deficiente prædicto oleo infirmorum debeat substitui Chrisma: nam incasu necessitatis quando non datur medium certum, assumendum est medium probabile.

495. Inquiritur tertio. An subjaceat huic damnationi opinio asserens non requiri unctionem quinque sensuum atque adeo posse fieri in unico & in qualibet parte corporis. Ita enim videntur docere *Scotus, Adrianus, Ioannes de Medina,* ut refert P. *Castro Palao tom. 4. tract. 26. disp. unic. punct. 3. num. 4.* & Doctores Lovanienses cum subscriptione Archiepiscopi Melchiniensis, & Decani universitatis, & professorum Theologiæ, ut refert *P. Suarez tom. 4. in 3. part. disp. 41. sect. 3. fine.*

496. Opposita sententia docet, non esse validum Sacramentum, aut saltem esse dubium valorem ejus, nisi ungantur omnia organa quinque sensuum. Et ideo non posse aliter ministrari. Ita P. *Suarez tom. 4. in 3. part. disp. 43. sect. 2. num. 3. & apud ipsum D. Thomas, D. Bonaventura, Richardus, Paludanus, Major, Supplementum Gabrielis, & Sotus. Idem docet P. Castro Palao proxime citatus num. 6. &* apud ipsum *Enriquez, Bellarminus, Valencia, Coninck, Layman, & Bonacina.*

497. Hinc infertur, quod prima opinio, quamvis in speculatione sit probabilis, in praxi tamen subjacet huic damnationi. Quia est opinio minus tuta, & versatur circa valorem Sacramenti, exponitque illud periculo frustrationis. Cum hoc tamen stat, quod si moribundus jamjam acturus animam, non potest recipere omnes quinque unctiones, possit ei ministrari unica unctio, ita ut forma mentionem faciat omniũ quinque sensuum: quia quando non est medium certum, usurpandum est medium probabile in casu necessitatis.

ARTICVLVS III.

De Sacramento Ordinis.

SVMMARIVM.

An ad consecrationem Episcopi requirantur tres Episcopi jure divino? Et refertur opinio affirmans. n. 498.

Refertur opinio negans. n. 499.

An hac opinio negans subjaceat damnationi? n. 501.

Ostenditur hanc opinionem negantem esse certam n. 542.

Referuntur opiniones, quæ excludunt à materia consecrationis Episcopalis aliquas actiones. n. 503.

Hæ omnes opiniones in speculatione sunt probabiles; in praxi vero subjiciuntur damnationi. n. 504.

An in ordine Sacro requiratur tactus physicus? Et referuntur duæ opiniones oppositæ. n. 505.

Opinio negans est minus tuta, & in praxi subjicitur damnationi. n. 507.

498. INquiritur primò circa ordinem Episcopatus (qui est complementum Ordinis Sacerdotalis) an subjaceat huic damnationi opinio docens, non requiri tres Episcopos ad consecrationem Episcopi; sunt enim duæ opiniones oppositæ. Prima docet, tres Episcopos requiri jure Divino, ita ut aliter facta consecratio sit invalida. *Ita Card. Bellarminus, P. Vasquez, P. Bernal, P. Coninck, Marchinus, Cajetanus, & Isambertus*, quos refert *Diana tom. 12. tract. 1. resolut. 28.* Item *P. Castro Palao tom. 4. tract. 27. disp. unic. punct. 14. num. 13.* & apud ipsum *Comitolus, Marcus Antonius Genuensis, & Barbosa*.

499. Secunda opinio propugnat, validam esse consecrationem Episcopi factam ab uno dumtaxat Episcopo cum duobus Abbatibus infulatis, vel dignitatibus, vel Canonicis, atque adeò licitè fieri posse saltem ex dispensatione Summi Pontificis. Ita *P. Granado, P. Valencia, P. Layman, Vgolinus, & Focius, P. Thomas Sanchez, & Aversa*, quos refert, & sequitur *Diana tom. 12. tract. 1. resol. 27. & 29.* imo, & *P. Vasquez*, quem alii sequuntur, quamvis doceat jure Divino requiri tres Episcopos, simul affirmat, posse ex dispensatione Pontificis ab uno dumtaxat fieri consecrationem.

500. Jam verò videbitur alicui dicendum, hanc secundam opinionem subjacere huic damnationi; quia hæc secunda opinio, quæ dicit valere consecrationem ab uno dumtaxat Episcopo factam, est minus tuta, & versatur circa valorem Sacramenti.

501. Ego tamen censeo, non subjacere damnationi eam sententiam: nam licet in speculatione videatur esse dumtaxat probabilis; ea tamen in praxi est omninò certa. Nam multi Romani Pontifices concesserunt, quod pro necessitate temporum ab uno dumtaxat Episcopo fieret Episcopi consecratio. *Sanctus Gregorius Magnus* indulsit *Augustino Episcopo*, ut ipse solus consecraret Episcopos in Anglia. Idem indulsit *Gregorius XIII.* Patriarchæ Ethiopiæ, referente *P. Enriquez*, & *Beatus Pius V.* ita concessit fieri apud Indos, teste *Machado*, ut ego ipse ex *Caramuele* retuli *in 1. part. Crist. Theol. disp. 15. cap. 2. art. 7. num. 127. & P. Enriquez lib. 10. de Ordine cap. 24.* testatur, id ipsum indultum sæpè esse in India, & Japonia, & *Machado tom. 2. lib. 4. part. 6. tract. 2. document. 9. num. 4. testatur*, id privilegium concessum fuisse pro Indiarum Provinciis.

502. Et, ut etiam retuli ex *Caramuele*, electus Episcopus de Assumpta ad Provinciam Paraquay pertinente, licentiam à *SS. D. N.* obtinuit, ut ab uno Episcopo consecraretur. Concessa fuit hæc licentia; sed ante quam ad præfati electi perveniret notitiam, ille à quodam Episcopo, assistentibus Canonicis, fuit consecratus. Et Sacra Congregatio die 15. Decembris anni 1657. declaravit: *Consecrationem Episcopi Paraquayensis, quantum spectat ad Sacramentum, & impressionem characteris, fuisse validam, quantum vero spectat ad licitam, &c.* Quam declarationem confirmavit *Alexander VII.* die 16. Februarii anni 1658. per litteras Apostolicas in forma Brevis. Ex quibus patet, jam non posse dubitari de certitudine hujus sententiæ, quod valet

let consecratio Episcopi facta ab uno dumtaxat Episcopo ex dispensatione Romani Pontificis; cum Magister communis Ecclesiæ id ita declaraverit.

503. Inquiritur secundò, an opiniones, quæ excludunt à materia consecrationis Episcopalis aliquas actiones, quas aliæ opiniones admittunt tamquam necessarias ad valorem consecrationis Episcopalis, subjaceant huic damnationi? Et quidem *Diana part. 12. tract. 1. resolut. 12.* & aliis sex subsequentibus, refert septem opiniones circa materiam Ordinis Episcopalis. Primam Isamberti, qui requirit pro materia impositionem manuum trium Episcoporum super caput Ordinandi; item unctionem capitis, & manuum ab Episcopo consecratore faciendam; item traditionem Baculi Pastoralis, annuli, & Libri Evangeliorum. Secundam *Martini Fornarij*, qui requirit pro materia manuum impositionem, traditionem Libri Evangeliorum, & unctionem capitis. Tertiam *Francisci Sylvij* requirentis pro materia solam unctionem manuum. Quartam *Guillelmi Merceri* asserentis, materiam hujus consecrationis esse unctionem capitis, & manuum, & item impositionem manuum. Quintam *Francisci Hallier* requirentis pro materia manuum impositionem, & traditionem Evangeliorum. Sextam quam sequitur *P. Dicastillo ex Bartholomaeo Fumo, & D. Antonino*, asserens materiam præfatæ consecrationis esse impositionem manuum, & simul impositionem libri Evangeliorum super cervicem, & scapulas electi. Septimam *Bellarmini, Vasqij, Coninck, Enriquez, Bernal, Laymani, & Petri Soto* asserentium, totam materiam Ordinis Episcopalis esse impositionem manuum Episcopalium.

504. Dicendum ergo est, has omnes opiniones in speculatione esse probabiles, quia omnes optimis rationibus fulciũtur. In praxi verò subjici huic damnationi eas opiniones, quæ excludunt, & asserunt, licitè excludi posse eas actiones, quæ probabiliter requiruntur. Cum enim constet in praxi sequendam esse opinionem, quæ circa valorem Sacramenti tutior est, & revera tutius sit omnes eas actiones exercere, quam aliquam earum omittere; opinio, quæ docuerit aliquam earum omitti posse, est minus tuta, atque adeo huic damnationi subjecta.

505. Inquiritur tertiò, An opinio docens, in ordine sacro non requiri tactum physicum materiæ remotæ Sacramenti, sed sufficere tactum moralem, huic damnationi subjiciatur? Et quidem prima sententia docet, non esse necessarium eum contactum physicum: quam propugnant *B. Albertus Magnus, Armilla, Victoria, Vasquez, Cajetanus, & Layman*, ut refert *P. Castro Palao t. 4. tra. 27. di. unic pun. 4. n. 21.*

506. Secunda opinio asserit, eum contactum physicum esse necessarium ad valorem Sacramenti. Ita *P. Castro Palao citatus num. 22.* & apud ipsum *D. Thomas, Valencia, Sa, Coninck, & Bonacina.*

507. Dicendum ergo est ad præfatam quæstionem, primam opinionem speculativè sumptam esse valdè probabilem; in praxi tamen subjici huic damnationi, quia est opinio minus tuta circa valorem Sacramenti. Nam si coram Deo vera est opposita sententia, Sacramentum frustratur. Si autem adhibeatur contactus physicus, nihil fit contra valorem Sacramenti.

508. Inquiritur quartò, an sit aliqua opinio circa materiam ordinationis Diaconi, quæ huic damnationi subjiciatur? Pro quo supponendum est, esse triplicem opinionem circa talem materiam. Prima docet, solam impositionem manuum Episcopi esse materiam talis Sacramenti. Pro qua stant *Durandus, & S. Bonaventura* relati à *P. Castro*

Palao tom. 4. tract. 27. disp. unic. punct. 4. num. 9.

509. Secunda opinio docet, tam manuum impositionem, quam traditionem libri Evangeliorum esse materiam ejus Sacramenti, Ita *Hosius, Petrus de Soto, Card. Bellarmin. P. Enriquez, P. Coninck, & P. Layman relati ab eodem Castro Palao* ibidem.

510. Tertia opinio docet, solam traditionem Libri Evangeliorum esse materiam hujus Ordinis. Ita *P. Castro Palao citatus num.* 10. & apud ipsum *P. Vasquez. P. Valencia, Bonacina*, & est communis sententia Theologorum. Dicendum ergo est, primam & tertiam sententiam in speculatione esse probabiles; at verò si quoad praxim dicant esse licitum Diaconum Ordinari vel cum sola impositione manuum, vel cum sola traditione libri Evangeliorum, subjiciuntur huic damnationi; quia tutius est pro valore Sacramenti præstare utrumque, nam si alterum deficiat, fortasse Sacramentum erit nullum.

511. Inquiritur quintò, An circa materiam Ordinationis Subdiaconi sit aliqua opinio, quæ subjiciatur huic damnationi? Et negative respondetur. Nam quamvis *Vigerius* relatus ab eodem *Castro Palao num.* 12. dixerit materiam Subdiaconatus esse traditionem libri Epistolarum; hæc tamen opinio ab omnibus rejicitur. Quare secunda sententia omninò tenenda tamquam tutissima docet materiam Subdiaconatus esse traditionem calicis vacui cum patena vacua. Ita *S. Thomas, Richardus, Paludanus, Durandus, Sotus, Major, P. Vasquez, P. Valencia, P. Layman, & Bonacina*, quos refert, & sequitur *P. Castro Palao citatus num.* 13. affirmans, hanc esse *communem sententiam, & omnino certam.* Quare cum prima opinio rejiciatur ab omnibus, hæc secunda manet tamquam omninò tuta.

512. Inquiritur sextò, an subjiciatur huic damnationi ea opinio, quam docet *P. Granado 3. part. controv. 9. tract. 5. disp. 9.* Scilicet si sit opinio probabilis, licet minus tuta, circa valorem Diaconatus, Subdiaconatus, & Ordinum minorum, non debere iterari sub conditione ejusmodi Ordinem, licet iterari debeat sub conditione Presbyteratus collatus cum opinione minus tuta. Ratio dubitandi est, quia ex hac sententia videtur inferri, licitum esse in illis Ordinibus, præter Presbyteratum uti opinione minus tuta.

513. Sed dicendum est, eam opinionem non subjici huic damnationi. Quia *P. Granado* nec dicit, nec ex ejus doctrina infertur, licitum esse uti opinione minus tuta in collatione eorum Ordinum; quin potius affirmat, peccare lethaliter eos, qui Diaconatum, Subdiaconatum, vel minores Ordines suscipit sub opinione probabili minus tuta. Solum ergo affirmat, non esse obligationem iterandi illos sub conditione. Cujus rei rationem tradit *P. Granado* his verbis: (Quia isti Ordines non sunt ita necessarii, ut per Sacerdotalem potestatem suppleri non possint muneta, propter quæ instituti sunt, & præterea non habent annexum aliquem actum absolutè necessarium ad salutem fidelium, aut defectu cujus proveniat Ecclesiæ notabile detrimentum. Cum ergo aliundè homo sit ordinatus juxta probabilem opinionem, ac proindè prudenter possit sibi persuadere, Ordinem esse validum, non est cur ad illius iterationem obligetur.) Cum hoc enim bene componitur id, quod affirmat ipse Author, scilicet illicitum esse conferre Sacramentum cum opinione minus tuta. Et cum de hoc dumtaxat loquatur propositio damnata, & sententia hujus authoris quoad hoc punctum sit conformis decreto, non est cur subjiciatur ei damnationi. Ex quo patet ad rationem dubitandi.

CA-

CAPUT VIII.

An sint aliquæ opiniones minus tutæ circa valorem Sacramenti Matrimonij, quæ huic damnationi subjiciantur?

ARTICULUS I.

Prænotantur aliqua.

SUMMARIUM.

Damnationi subjacet opinio docens Matrimonium posse fieri cum valore solum probabili. n. 514.
Sed non subjacet, si inveniatur principium, quod reddat certum valorem. n. 515.
Nulla sunt matrimonia mere probabilia. n. 516. remissivè.
Non sunt materia hujus damnationis ea, quæ spectant ad matrimonium jam contractum; sed solum, ea quæ ad contrahendum. n. 517.
Quid aliqui afferant circa intelligentiam hujus damnationis? n. 518.

514 PRæmitto primò tamquam certum, subjacere huic damnationi opinionem, quæ docuerit, licitè fieri matrimonium, quando ejus valor fuerit tantum probabilis, relicta opinione tutiori, quæ negat valorem ejus matrimonii; scilicet dum non invenitur aliud principium, neque directum, neque reflexum, ex quo reddatur omninò certus valor matrimonii. Hoc enim clarissimè infertur ex hoc decreto *Innocentij XI.* in damnatione primæ propositionis.

515 Præmitto secundò, si inventum fuerit aliquod principium certum directum, vel reflexum, quod non obstante varietate opinionum oppositarum, reddat omninò certum valorem matrimonii, in tali casu opinio, quæ docet, licitè celebrari posse matrimonium, non subjacet huic damnationi. Quia hæc damnatio solum damnat doctrinam, quæ Sacramentum exponat frustrationi; si autem est doctrina, quæ astruat principium directum, vel reflexum, undè valor Sacramenti reddatur certus, talis doctrina non exponit Sacramentum frustrationi.

516 Præmitto tertiò, me docuisse *in 1. part. Crist. Theol. disp. 19.* nulla esse matrimonia merè probabilia, à quibus liceat recedere prætextu probabilitatis quoad alteram, vel quoad utramque partem, affirmativam, & negativam. Quod ibi latissimè ostendi demonstrans, omnia matrimonia, vel esse certò valida, vel certò invalida, cum aliquibus limitationibus, & explicationibus ibi traditis. Quia ex indissolubilitate matrimonii oritur, quod conjuges obligent omnimodè suam libertatem ad illud perpetuò retinendum: & cum probabilitas ex se det libertatem sequendi opinionem probabilem, etiam hanc libertatem obstringunt conjuges, quia se obligant ad perpetuam cohabitationem, quantum possunt se obligare. Et sicut in quolibet contractu potest quis se obligare ad cedendum qualibet probabilitate, quæ sibi suffragetur; ita de facto in Matrimonio ad hoc se obligant conjuges propter dicta.

517 Præmitto quartò non esse materiam hujus damnationis ea, quæ spectant ad matrimonium jam contractum; sed solum ea, quæ spectant ad matrimonium contrahendum. Nam cum Decretum dicat, non esse licitum eligere opinionem minus tutam circa valorem, & tendat in eum finem, ne confectio Sacramenti exponatur frustrationi; & Matrimonium jam contractum est, quasi non esset, & quoad hanc materiam debet sequi normam matrimonii contrahendi.

518 *Filguera* in sua lucerna in expositione hujus

hujus primæ propositionis *concl.* 5. affirmat, (licitum esse sequi opinionem probabilem, relicta tutiore, circa Sacramenti valorem, in rebus, quæ non sunt de jure Divino, sed tantum Ecclesiastico, ut contingit in matrimonio) &c. oppositam partem propugnat *Mag. Hozes in explicatione hujus* 1. *propositionis num.* 31.

ARTICULUS II.

Deducitur quid faciendum sit in probabilitate facti circa valorem matrimonij?

SUMMARIUM.

In quæstione facti ex testimoniis adversis æqualibus necessario resultat dubium. n. 519.
Quinque modis habere se possunt rationes probabiles in ordine ad certitudinem, probabilitatem & dubitationem. n. 520. & seqq.
Cum probabilitate facti de existentia impedimenti non licet contrahere. n. 522. & seqq.
Cum sola probabilitate facti de carentia impedimenti non licet contrahere. n. 524.
Quando in quæstione facti ex probabilibus adversis resultat purum dubium invincibile, licet contrahere; non sic si sit vincibile. n. 525.
Qui contrahit cum dubio vincibili exponit Sacramentum frustrationi. n. 526.
Cum impedimentum est invincibiliter dubium, standum est pro libertate. n. 527.
Non tamen si sit præsumptio pro existentia impedimenti. n. 528.

519. IN quæstione facti, quando utrimque sunt testimonia, quorum quodlibet seorsim affert probabilitatem, non resultare veram probabilitatem in alterutra parte contradictionis, sed necessario resultare dubium, clarissimè ostendi *in* 1. *part. Cris. Theol. disp.* 6. *cap.* 6. *& in* 3. *part. disp.* 55. *num.* 24. *& disp.* 56. *cap.* 16. *art.* 1. *num.* 813. *& seq. & cap.* 21. *art.* 2. *num.* 1251. *& seqq.*

520. Deinde quinque modis contingere potest, quod se habeat rationes probabiles primo ita vt fundamenta, quæ seorsim sunt probabilia simul considerata faciant certitudinem moralem de existentia impedimenti dirimentis. Secundo vt similiter considerata faciant certitudinem moralem de carentia impedimenti. Et in his duobus modis nulla est difficultas: nam ubi certum est impedimentum, graviter illicitum est contrahere. Item ubi certa moraliter est carentia impedimenti, licitum est absque dubio, contrahere matrimonium.

521. Tertio potest resultare mera probabilitas de existentia impedimenti. Quartò potest resultare mera probabilitas de carentia impedimenti. Quinto potest resultare purum dubium sine eo, quod mens judicis possit in alterutram partem flecti, concurrentibus utrimque æqualibus conjecturis. Exponendum ergo est, quid in his tribus casibus fieri debeat in quæstione facti.

522. Sit prima conclusio Qui habet probabilitatem facti de impedimento dirimenti, nullam autem probabilitatem de carentia illius, non potest contrahere matrimonium licitè. Et ratio est: nam juxta hanc damnationem primæ propositionis in eo casu non eligitur id, quod tutius est quin imò Sacramentum exponitur frustrationi; nam eo ipso quod probabile sit, adesse impedimentum dirimens, probabile etiam erit, quod matrimonium

nium erit nullum. Aliunde autem non apparet principium certum directum, aut reflexum, ex quo possit reddi certus valor matrimonij. Quod amplius constabit in solutione objectionum.

523. Et confirmatur *ex cap. inquisitioni. de sent. excommunicat.* ubi definit Pontifex, eum, qui habet credulitatem probabilem, & discretam de impedimento dirimenti, non posse petere debitum, & loquitur in casu, in quo jam matrimonium est contractum. Ex quo manifestè infertur, quod si quis vellet contrahere matrimonium cum ea credulitate probabili de existentia impedimenti dirimentis, non autem de carentia illius, valor matrimonii non esset certus; ergo qui sic vult contrahere matrimonium, peccat, dum vult exponere Sacramentum frustrationi.

524. Sit secunda conclusio. Qui habet meram probabilitatem facti de carentia impedimenti dirimentis, nullam autem certitudinem, graviter delinquit contrahendo matrimonium. Ratio est eadem. Non enim sequitur, quod tutius est, & Sacramentum exponit frustrationi; neque in eo apparet principium aliquod, unde reddatur certus valor Matrimonij.

525. Sit tertia conclusio. Quando in quæstione facti ex conjecturis utrimque probabilibus resultat purum dubium, si hoc dubium est vincibile, non licet contrahere matrimonium, donec vincatur dubium ut stet certitudo pro carentia impedimenti. Si verò resultet purum dubium omnino invincibile, non obstat impedimentum contrahendo matrimonio.

526. Prima pars conclusionis est certa. Nam si quis contrahat matrimonium cum eo dubio vincibili, exponit frustrationi Sacramentum; potest enim contingere, quod facta debita diligentia, clarius, & certius appareat existentia impedimenti dirimentis.

527. Secunda etiam pars conclusionis videtur certa. Nam dum impedimentum dirimens est in statu puri dubii invincibilis, illud non impedire, nec dirimere, quia standum est pro libertate, cum communi sententia docet *P. Thom. Sanch. lib. 8. de Matrim. disp. 6. num. 18.*

528. Quod si in tali dubio sit præsumptio pro impedimenti existentia, & nulla sit præsumptio pro carentia impedimenti, jam iste casus pertinet ad primam conclusionem: quia datur probabilitas pro existentia impedimenti, non autem pro carentia ejus.

ARTICVLVS III.

Dari principium certum, ex quo reddatur certus valor matrimonii celebrati sub vera probabilitate juris.

SVMMARIVM.

Statuitur conclusio. n. 529.
Duplex genus opinionum. Et de quo earum loquatur conclusio. n. 530.
Sub opinione juris recepta ut probabili redditur certus valor matrimonij. n. 531.
Et quid de cognatione spirituali, quando fit Baptismus sine solemnitate, aut necessitate? Ibid.

Et

529. Quarta conclusio. Quando est vera probabilitas juris circa valorem matrimonii, saltem in ijs, quæ pendent ex jure humano Ecclesiastico, valor Matrimonii fit omnino certus ex varijs capitibus. Dixi: *Saltem in ijs, quæ pendent ex jure humano Ecclesiastico*. Nam circa ea, quæ pendent ex jure Divino, & naturali, dicam postea.

530. Dixi, *sub vera probabilitate*: nam, ut notavi in superioribus, est duplex genus opinionum, quæ inter probabiles recenseri solent. Primum est earum opinionum, quæ licet non propugnentur ab omnibus, tamen ab omnibus recipiuntur tamquam probabiles. Et ejusdem generis sunt illæ opiniones, quæ inferuntur evidenter ex opinionibus sic receptis. Alterum genus opinionum est earum, de quarum probabilitate dubitant viri sapientes, & illis resistunt tamquam parum securis: & hę sunt opiniones, de quibus loquitur decretum in damnatione tertiæ propositionis; quæ dicuntur esse tenuiter probabiles: & hæ sunt, quas doctores non admittunt ut probabiles, dicentes, talem opinionem vel *reyciendam esse*, vel *non esse admittendam*, vel *carere fundamento*, vel *deserendam esse* aut *esse parum tutam*, aut *male audire apud Theologos*, & similia. Hæ enim eo ipso quod sapientes non fidunt probabilitati earum, non sunt in possessione probabilitatis; quinimò contra illarum probabilitatem insurgit præsumptio, & ideo illas esse dubiæ probabilitatis, dicendum est, ut tradidi *in 3. part. Crist. Theol. tract.* 4. Similiter opiniones sunt dubiæ probabilitatis, quæ sunt contra stylum curiæ; item illæ, quæ repetitis vicibus rejiciuntur à Sacra Rota Romana, vel semper exulant à Tribunalibus Ecclesiasticis.

531. Assero ergo quando circa valorem matrimonij sunt opiniones vere probabiles, id est quæ communiter admittuntur à Doctoribus tamquam probabiles, versaturque circa valorem contractus pendentem à jure humano; tunc Ecclesia approbat prædictum valorem, ex quo resultat certitudo valoris matrimonij Exempli gratia Esse patrinum in Baptismo est impedimentum dirimens propter cognationem spiritualem Et ita patrinus nequit contrahere matrimonium validum cum matre paptizati iam vidua Est opinio probabilis, & communiter admissa tamquam probabilis id non intelligi, quando sine solemnitate fit baptismus ob necessitatem, & periculum vitæ infantis baptizandi; de quo videndus est P. *Thom. Sanch. lib. 7. de Matrim disp. 62. num.* 14. Assero ergo, esse certo validum Matrimo-

trimonium illius Patrini initum cum matre baptizati in tali casu necessitatis; quia Ecclesia tacitè approbat matrimonium contractum sub ea opinione, quæ admittitur communiter tamquam verè probabilis.

532. Similiter est opinio recepta, probabilis, quæ docet, quando matrimonium contractum est in facie Ecclesiæ coram Parocho, & testibus, & postea advertitur impedimentum dirimens occultum, & tunc matrimonium (obtenta dispensatione) debet denuò contrahi, posse illud denuo contrahi sine Parocho, & testibus. De quo videndus est *P. Thomas Sanchez lib. 2. de Matrim. disp. 37. num. 3.* Quam opinionem assero tacite approbari ab Ecclesia.

533. Econtra verò (ut exemplum afferant opinionis non receptæ communiter ut probabilis, quam ideo dicendum est non approbari tacitè ab Ecclesia) est opinio, quæ recensetur ab aliquibus inter probabiles, quod ubi petitur à Romano Pontifice dispensatio, ut consanguinei contrahant, tacita tamen copula, quæ prius intercessit, dispensatio est valida, & consequenter valet matrimonium virtute ejus dispensationis contractum. Assero ergo, hanc opinionem non approbari ab Ecclesia, quia non admittitur ut practicè probabilis, & non solum à Doctoribus, sed etiam ab omnibus Tribunalibus Ecclesiasticis rejicitur; & est contra stylum Curiæ, qui habet vim legis *ex cap. Quam gravi. de crimine falsi.* Quomodo enim credemus, approbari ab Ecclesia opinionem, cui ipsa Ecclesia resistit modo dicto. Quarè hæc opinio, quamvis sit speculativè probabilis, non licet eam ad praxim deducere, quia ex una parte est opinio versans circa valorem Sacramenti, illaque minus tuta; ex alia vero non habet tacitam approbationem Ecclesiæ, quin potius manifestam resistentiam.

534. Quod autem matrimonium initum sub opinione recepta tamquam probabili habeat certum suum valorem, & sine periculo frustrationis, docent illi omnes Doctores, qui ex una parte propugnant, opiniones probabiles circa valorem Sacramenti non posse deduci ad praxim, relictis tutioribus; & ex alia docent, in matrimonio posse practicari opiniones verè probabiles circa valorem illius: censent ergo, matrimonium non exponi frustrationi per hoc, quod celebretur sub opinione verè probabili; supponentes, cum illa opinione vere probabili conjungi principium certum, unde valor Sacramenti fiat omnino certus. Hi sunt *P. Thom. Sanch.* qui *lib. 1. Sum. cap. 9.* propugnat, non posse deduci ad praxim opinionem minus tutam circa valorem Sacramenti; & in libris de Matrimonio docet quam plurimas opiniones optimis fundamentis innixas, quæ versantur circa valorem Sacramenti, quæ ex se præcisè non sunt tutiores, supponendo, quod ex alio capite fiunt omninò tutæ, & sub illis remanet certus matrimonii valor. *Et lib. 8. de Matrim. disp. 6. num. 18.* ait: *Quando res non esset vere dubia, sed essent opiniones, quibusdam asserentibus, id esse impedimentum, alijs verò negantibus; si opinio negans esset vere probabilis, quamvis affirmans esset probabilior, posset ille sequens opinionem probabilem inire id matrimonium absque aliqua dispensatione.* Ubi satis expresse denotat, non posse deduci ad praxim pro valore matrimonii opiniones qualicunque prædictas probabilitate; sed quæ tutioris sint ex certitudine probabilitatis.

535. Sic etiam *P. Suarez tom. 3. in 3. part. q. 67. art. 8. in Comment. dub. ult.* loquens de cognatione spirituali Patrini, ait, non contrahi in baptismo, qui fit in necessitate absque solemnitate, cum hæc opinio non sit tutior pro Sacramento Matrimonii; qui

prius docuerat, in Sacramentis semper tutiorem esse eligendam circa valorem. Quod etiam notare poteris in pluribus aliis Doctoribus qui utrumque docent, & tutiorem eligendam circa valorem Sacramenti; & posse in Matrimonio practicari opiniones quascumque verè probabiles.

536 Sed præcipuè *Diana* id expressit circa Matrimonium, *4. part. tract. 4. resol. 4.* illis verbis (Aliæ vero res sunt, quarum veritas à Summo Pontifice determinata existit, v. g. quod talis Confessarius habeat jurisdictionem, vel non... vel quod hic, vel *talis contractus sit Matrimonium, vel non...* Harum igitur veritas in indivisibili non consistit, sed juxta opinionum varietatem multiplicatur. Unde quando opinio probabilis adest circa earum valorem, tunc in ædificationem Ecclesiæ Summus Pontifex *illam approbat*, & Ecclesia tacitè in his casibus præbet jurisdictionem; aliàs nimis conscientiæ gravarentur.)

537. Dices. Quod Ecclesia tacitè approbet, vel est dumtaxat probabile, vel est omninò certum? Si primum dicatur, jam opinio probabilis de valore matrimonij fulcita approbatione etiam probabili non potest dare valorem omninò certum Sacramento. Si vero dicatur esse omninò certum, quod Ecclesia tacitè approbat; opus est ostendere principium, ex quo id fiat certum.

538. Respondeo, propter hoc argumentum semper desiderasse me, quod Authores, qui dicunt Ecclesiam tacitè approbare in ordine ad praxim has opiniones in iis, quæ dependent ab ipsa Ecclesia, designarent principium, si. e radicem, unde certa fieret hæc Ecclesiæ approbatio. Quare in præsenti conabor ostendere certitudinem hujus veritatis de approbatione expressa, vel tacita contractus matrimonialis initi sub opinione verè probabili circa ea, quæ sunt juris Ecclesiastici.

539. Et ante omnia præmittendum est, quod huic assertioni non obstat objectio, quod Ecclesia non habet potestatem immutandi materias, neque formas Sacramentorum; atque adeò non posse Ecclesiam immutare naturam contractus matrimonialis. Id, inquam, non obstat: nam Christus D. non decrevit, quinam contractus matrimoniales debeant esse validi; qui non: sed contractus matrimoniales validos Fidelium elevavit ad rationem Sacramenti. Unde prius debet præsupponi, contractum esse validum, ut dicatur induere rationem Sacramenti. Quare dum Ecclesia irritat aliquem contractum matrimonialem (qualiter irritavit Tridentinum illum, qui fit sine Parocho, & testibus; & qualiter irritat eos omnes, quibus imposuit impedimenta dirimentia) non mutat materiam, neque formam Sacramenti; quia contractus, qui præsupponitur invalidus, numquam pertinuit ad materiam, neque ad formam Sacramenti. Et qui fuerit certò validus, certum est, illum pertinere ad essentiam Sacramenti. Si ergo ostenderimus principium certum, unde certus fiat valor contractus initi secundum opinionem verè probabilem; eodem modo reddetur certus valor Sacramenti. Ad statuendum ergo hoc principium assumemus aliqua, quæ certa admittuntur ab omnibus, & ab ipsa Ecclesia, ex quibus resultet, non mera probabilitas, sed certitudo pro valore matrimonij.

ARTICULUS IV.

Prima probatio à consuetudine Ecclesiastica.

SUMMARIUM.

Quomodo consuetudo habeat vim abrogandi leges humanas certas, aut probabiles? n. 540.
Quomodo etiam interpretetur leges? n. 541.
Quam antiquum sit in Ecclesia decidere lites su-

per

per valore matrimonij ex opinione probabili? n. 542.

Et quomodo sic etiam procedat Sacra Rota Romana? n. 543.

Consuetudo desumpta à Tribunalibus, quomodo habeat vim legis? n. 545.

Quam usitatum sit consulere circa valorem matrimonij juxta opiniones probabiles? n. 546.

An opinio recepta ab antiquo tempore ut probabilis assimiletur consuetudini? n. 547.

Praeferendam esse opinionem, pro qua stat consuetudo. n. 548.

Consuetudo desumpta ex opinione probabili majorem vim habet in ijs, quae pertinent ad jurisdictionem. n. 549.

540. SI ostenderimus, esse consuetudinem Ecclesiasticam antiquissimam celebrandi contractum matrimonialem sub opinione verè probabili de carentia impedimenti dirimentis, saltem juris humani, fiet manifestum talem consuetudinem Ecclesiasticam esse sufficiens principium, ex quo maneat certus valor contractus matrimonialis. Patet istud assertum. Nam sicut consuetudo rationibalis, & praescripta habet vim abrogandi legem humanam certam, *ex cap. Cum tanto de consuet* Ita etiam habet vim abrogandi leges humanas dubias, aut probabiles de impedimentis dirimentibus, in quantum necessarium fuerit eas abrogare: id autem praestat consuetudo (si haec datur) celebrandi matrimonium sub opinione probabili de carentia impedimenti dirimentis ex jure humano.

541. Praeterea sicut consuetudo interpretatur quaslibet leges. *ex cap. Cum dilectus, de consuetudine*, illis verbis: *Consuetudo est optima legum interpres*; Ita etiam haec consuetudo (si datur) interpretatur leges Ecclesiasticas de impedimentis dirimentibus: ita ut hae leges non habeant majorem vim obligandi, quam ut colligitur ex ipsa consuetudine. Ubi notandum est, quod late ostendi *in 2. part. Crist. Theolog. disp. 33. cap. 4. num. 20. & seqq.* (Quando lata est lex, & de intelligentia illius dubitatur, ita standum esse consuetudini versanti in materia ejus legis, ac si lex exprimeret illam ipsâ interpretationē, quā dat cōsuetudo, unde fit, quod haec interpretatio, quā dat consuetudo, non est interpretatio conjecturalis, aut probabilis, sed interpretatio authētica, utpote habens vim legis, ut exprimuntur clarius *in l. Nam Imperator. ff. de legib.*) ita scripsi *eo num 20. lex autem: Nam Imperator.* sic decernit: *In ambiguitatibus, quae ex legibus proficiscuntur, consuetudinem, aut rerum perpetuò similiter judicatarum authoritatem vim legis obtinere debere.* Si ergo interpretatio legis, quam dat consuetudo habet vim legis; ita etiam haec consuetudo (si datur) de intelligentia impedimentorum dirimentium debet habere vim legis.

542. Quod autem re ipsa detur in Ecclesia haec consuetudo, sic ostenditur primo. Etenim antiquissimū est in Ecclesia, quod motis litibus super valore matrimonij recurratur ad judices Ecclesiasticos, qui saepissimè decreverunt, matrimonia, super quibus lis movebatur, esse valida; ita quidem factum est, & ita semper fiet: atqui impossibile est, quod Iudices semper habeant sententias evidentes, ex quibus eliciant judicium pro valore Matrimonij; quis enim est Iudex ita illustratus, qui pro qua vis lite decidenda inveniat sententias evidentes: Quin potius cum inveniunt opiniones probabiles pro parte affirmativa, & pro parte negativa valoris, judicant pro valore secundum meliorem, & melius fundatam opinionem. Quid ergo est hoc nisi consuetudo antiquissima judicandi pro valore matrimonij ex opinionibus, vere probabilibus. Ergo haec consuetudo adjuncta opinioni probabili extrahit valorem à pro-

probabilitate ad certitudinem, eodem modo ac si lex adjungeretur opinioni probabili, præcipiens talem opinionem observari.

543. Ostenditur secundò. Nam Sacra Rota Romana in decisionibus suis datis pro valore matrimonij vtitur opinionibus probabilibus. Enim vero opinio multorum est, metum reverentialem dirimere matrimonium tamen opinio opposita & si sit multo probabilior non videtur esse omnino evidens, cum habeat contra se opinionem multorum & gravium doctorum. Igitur Sacra Rota Romana in quadam decisione Trullensi Matrimonij (quam affert *Diana in fine partis* 11.) in judicio contradictorio decidit pro valore matrimonii celebrati inter D. Carolum Principis Vallemontani filium primogenitum, & D. Nicoleá Henrici Lotharingiæ Ducis filiam. Ad cujus matrimonii valorem declarandum utitur Sacra Rota ea opinione probabiliori, *in §. Et quidem* illis verbis: *Solius metus reverentialis nulla ad effectum, de quo agitur, sit habenda ratio, nisi sit qualificatus minis, & verberibus, vel gravioribus circumstantijs.* Et deinde refert Authores huius opinionis, & inter alios P. *Thomam Sanchez lib 4. disp. 6. num* 7. In ijs autem, quæ semel dicidit, Sacra Rota semper persistit: & ideo ibidem citantur aliæ decisiones ejusdem Rotæ. Ergo consuetudo est Sacræ Rotæ decidere pro valore matrimonij juxta opiniones probabiles.

544. Eadem Sacra Rota Romana in quadam decisione Neapolitana matrimonij data die 13 Martij ann. 1651. quam affert *Diana in fine partis* 10. declarat validum matrimonium inter D. Ioannam Mariam de Xart, & D. Michaelem Vaex, Ducem de Casamissima. Ubi pro nullitate allegabatur, quod testes non fuerint specialiter ad eum contractum vocati, neque rogati; item quod contrahentes non fuerint à Parocho interrogati; præterea quod Parochus invitus adfuerit matrimonio, imo & quod intermisso Missæ Sacrificio recesserit ab altari, eo quod nollet præstare assensum tali matrimonio; circa quæ omnia non desunt opiniones doctorum pro nullitate matrimonij: & Sacra Rota in ea decisione stat pro valore matrimonij juxta opiniones oppositas, quæ suffragantur valori ejus. Et citat Authores hujus partis faventis valori; & alias decisiones ejusdem Rotæ pro ejsdem opinionibus favorabilibus valori.

545. Ostenditur tertio. Quia ea lex *Nam Imperator.* proximè relata affirmat, habere vim legis non solum quamcumque *consuetudinem* (scilicet rationabilem, & præscriptam) sed etiam *rerum perpetuo similiter judicatarum authoritatem*: Consuetudo enim, quæ desumitur à tribunalibus sic perpetuo judicantibus, habet firmiorem authoritatem. Cum ergo tribunalia Ecclesiastica consueverint judicare de valore matrimonij ex opinionibus verè probabilibus, dicendum est, esse consuetudinem firmissimam pro valore matrimonii ex opinionibus probabilibus contracti.

546. Ostenditur quarto. Nam ab antiquo tempore usitatum est, viros sapientes consulere circa valorem matrimonij juxta opiniones receptas tamquam verè probabiles: ergo negari non potest, esse talem consuetudinem inter Fideles consulendi circa valorem matrimonij juxta opiniones receptas tamquam probabiles.

547. Confirmatur. Nam, ut optimè observavit noster *Archiepiscopus Hispalensis Petrus de Tapia tom. 1. Cat. moral. lib. 1. quæst. 8. art. 11. §. 3. nu. 9.* opiniones, quæ ab antiquo tempore sunt receptæ tamquam probabiles, assimilantur consuetudini, illis verbis: *Longi temporis comprobatio* (opinionis) *assimilatur consuetudini & traditioni, quæ in moralibus est magni ponderis probatio.* Ergo saltem illæ opiniones,

niones, quæ à longo tempore sunt receptæ tamquam probabiles circa valorem matrimonij, æquivalent consuetudini; quia ipso longo usu comprobatæ inducere videntur rationem consuetudinis; cum nihil aliud sit consuetudo, nisi usus longo tempore comprobatus.

548. Confirmatur secundò ijs omnibus, quæ tradunt jurisprudentes de consuetudine in controversiis, in quibus sunt opiniones probabiles pro utraque parte. Nam *Cardinalis Dominicus Thuscus tom. 2. verb. Consuetudo conclus. 911. & 912.* concludit circa opiniones controversas, eam sequendam esse, pro qua stat consuetudo, pro qua citat *Federicum de Senis consil. 217. vers. Post istas*, cujus conclusionis congerit plurima exempla. Ex quo fit, opinionem probabilem à probabilitate transire ad certitudinem moralem vi consuetudinis. Sicut enim, si lex præcipiat, talem opinionem amplectendam esse jam praxis talis opinionis, transit à probabilitate ad certitudinem obligationis; ita similiter dicendum est, quando consuetudo talis est, ut habeat vim legis.

549. Hæc assertio de consuetudine celebrandi matrimonia juxta opinionem probabilem receptam ut talem, habet majorem vim in ijs, quæ pertinent ad iurisdictionem v. g. parochi, & Vicarij Episcopi ad assistendũ matrimonio; quia consuetudo dat jurisdictionem, ut constat ex ijs, quæ dixi supra.

ARTICULUS V.

Secunda probatio ex responsione, quam dedit SS. D. Urbanus VIII.

SUMMARIUM.

Refertur controversia orta ex difficultatibus Matrimoniorum, quæ contrahere deberent infideles conversi ad fidem. n. 551.

Refertur consultatio Ioannis de Lugo, qua consuluit de his Urbanum VIII n. 552.

Quid Urbanus responderit. n. 553.

Quomodo ex responsione Urbani constet valorem Matrimonij esse certum celebrati juxta opinionem vere probabilem. n. 554.

550. MAgna videtur esse confirmatio hujus doctrinæ responsio SS. D. *Urbani VIII. pro matrimoniis Indorum Neophytorum, quam refert P. Nicolaus del Techo in Historia Paraquariæ impressa Leodij an. 1673. lib. 10. cap. 15.* ubi sic narrat.

551. (Guaranæ gentis primores solebant tot pellices alere, quot eorum libido, & authoritas à popularibus suis impetrabat: nec aliud erat majus capescendæ religionis nostræ impedimentum, quam cum monerentur unica uxore Christianos ex lege Divina contentos esse debere. Accessit huic obstaculo nimia quorumdam Sociorum religiositas, eiusmodi homines ad primam uxorem adigere volentium. Alij dempto scrupulo religionem Christianam ineuntibus quamcumque vellent, ex pellicibus pro uxore permittebant. Ob earum opinionum diversitatem inde natam quod Doctores scholastici de ea re inter se dissentiant, ad summum legum interpretem recursum est, & *Ioannes de Lugo* postmodum Cardinalis rem totam his verbis *Urbano VIII. Pontifici Maximo* exposuit.

Sanctissime Pater.

552. IN Provincia, & Regno Paraquariæ in India Occidentali maxima difficultas suboritur in conversione infidelium ad fidem nostram, quando aliqui ex ministris volunt illos cogere ad recipiendum, & retinendum primam conjugem, quem in infidelitate habuerunt: gens quippe ex innata barbarie passim conjunges (si vere conjuges dicendi sunt) dimittunt, non aliter, quam nostri

nostri famulas, vel famulos: & hoc solum quia conjux infirmatur, nec coquere cibos potest, aut vestes consuere, vel domus curam habere, vel quia jam senescit. Imo frequenter non unam solum uxorem accipiunt, sed simul cum ea omnes ejus filias, vel sorores, si quas habet: ex quibus posteà donat amicis aliquam vel famulo in gratiam obsequii, quam posteà repetit, si famulus discedat. Aliis sola loci mutatio causa est deserendi conjugem, ne eam secum ferant. Itaque plerique putant, non esse saltem communiter apud illos verum matrimonium, sed concubinatum; atque ideo permittunt, quod conjugem baptizatum accipiant, quando ad fidem convertuntur. Alii tamen scrupulum habent, & cogunt eos ad repetendum primum conjugem, ex quo magna incommoda sequuntur. Primò, quod multi hoc terrore Baptismum aversantur. Secundò, quod mentiuntur dicentes se nullum alium conjugem habuisse, & mala fide cum alio contrahunt. Tertiò, quod fingunt se repetere primam uxorem, sed revera aliam habent nec de prima curant. Quartò, quod frequenter difficillimum est primam agnoscere, quia vix recordantur in tanta multitudine, quæ fuerit prima, & illa inventa oportet rursum inquirere, an illa prius habuisset viros, & rursum de iis viris, an prius alias habuissent. His accedit, quod frequenter in iis conjugis non utantur signo aliquo externo speciali diverso ab eo quo concubinam ad hebdomadam, vel mensem accipiunt; quarè sæpè non invenitur signum externum expressivum consensus ad Matrimonium requisiti. Unde attenta eorum praxi, & consuetudine, multi pii, & docti viri putant communiter, non fieri apud ipsos verum contractum Matrimonii. Cæterum ad tollendos scrupulos, & dubia, & ad hoc gravissimum impedimentum auferendum illius gentis conversionis ad fidem, à Sanctitate Vestra humiliter petitur, ut quandoquidem juxta Doctorum virorum doctrinam Sedes Apostolica ex gravi causa potest aliquando Matrimonium infidelium dissolvere, prout Sanctitas Vestra declaravit in *Brevi* suo expedito die vigesima Octobris anno 1626. & rursus in alio simili die decima septima Septembris anno 1627. his verbis: *Nos attendentes hujusmodi infidelium Matrimonia non ita censeri, quin necessitate suadente dissolvi possint, &c.* Et quidem in hoc gravissimæ causæ sunt, imò necessitas ad conversionem illorum infidelium; dignetur Sanctitas Vestra ex benignitate Apostolica concedere Provinciali Societatis JESU facultatem, ut ipse, & ij ex Societate, quibus ipse conversionem gentis demandaverit, & communicandum censuerit, possit, occurrente casu, & facto examine, & manente dubio de valore prius Matrimonii in infidelitate facti, vel magna difficultate inveniendi veritatem, vel magna difficultate repetendi primum conjugem jam dimissum, possint, inquam, ad conversionem faciliorem reddendam, vel ad conversorum manutentionem in fide, & obedientia legum Ecclesiasticarum, dispensare cum ejusmodi conversis, ut possint post baptismum contrahere verum matrimonium in facie Ecclesiæ. Hoc enim modo Sanctitas vestra in fidelibus illis aditum ad Ecclesiam patefaciet, quem dæmon occludere conatur, Prout de Vestræ Sanctitatis benignitate sperare lubet, quam Deus) &c.

553. *Urbanus VIII.* in dicto Sapientium virorum super ea re consulto, pronunciavit, non videri sibi, speciali sua dispensatione opus esse, sed ubi Doctorum sententiæ *Utrimque probabiles* intercederent, *sequerentur opiniones pro conditione locorum, ac hominũ Barbaris favorabiliores*, salva interim utriusq; partis authoritate, sinerent *doctis hominibus sentiendi liber-*

libertatem. Constans igitur Sociorum plerorumque in his terris degentium opinio praxi confirmata fuit, horum Barbarorum Matrimonia ob rationes supra relatas nulla esse, & posse Barbaros ad fidem conversos, quamcumque baptizatam, rejectis aliis, in conjugem sumere. Quamquam eam semper adhibuere cautelam, quam rei gravitas postulabat.) Huc usque P. *Nicolaus del Techo in sua Historia*.

554. Ex quo *Urbani VIII*. responso clarè infertur, licitum esse, quod in matrimoniis contrahendis possint deduci ad praxim opiniones ijs barbaris favorabiliores, quæ, si favorabiliores sunt, utique sunt minus tutæ. Manent tamen omninò tutæ ex principiis certis, quæ superadduntur. Quomodo ergò hoc responsum *Urbani* concilietur cum damnatione hujus primæ propositionis, ex dictis, & ex dicendis facile est intelligere. Ex dictis quidem. Nam cum detur consuetudo ineundi matrimonium, & judicandi de valore illius juxta opinionem verè probabilem, & communiter receptam ut talem, quæ consuetudo habet vim legis, inde est, quod talis consuetudo habeat vim reddendi certum valorem matrimonii.

555. Item ex constitutionibus Ecclesiæ causa matrimonii est favorabilis. Nam si dicamus, Ecclesiam favere velle matrimoniis non solum contractis, sed etiam contrahendis: & ex dispositione Ecclesiæ ea impedimenta non dirimire; quando pro utraque parte est vera probabilitas; id benè componitur, quod Sacramentum non exponitur frustrationi. Talis enim Ecclesiæ dispositio faciet, contractum esse certò validum, & praxim omninò tutam.

Tertia probatio ex eo quod causa matrimonij ex dispositione Ecclesiæ sit favorabilis.

SUMMARIUM.

Causa matrimonij est favorabilis. n. 556.
Causa favorabilis est amplianda. n. 557.
Causa favorabilis amplianda est ad casus dubios. n. 558.
Etiam ad dubios positivè. n. 559.
An opinio unius singularis Doctoris prævaleat in causa favorabili? n. 560.
Quomodo in varietate opinionum ea quæ favorabilis est, maneat certa quoad praxim. n. 561.
Quomodo valor Matrimonij maneat certus, quando contrahitur juxta opinionem probabilem? n. 562.
Quomodo in dubio in causa favorabili opinio adversa sit rejicienda? n. 563.
Matrimonium certò validum in ratione contractus, etiam est certo validum in ratione Sacramenti. n. 564.
Confirmatio ex cap. final. de sententia, & re judicata, n. 565.

556. PRobatur tertiò nostra conclusio. Nam in Sacris Canonibus causa Matrimonialis est favorabilis. Ut patet ex *cap. fin. de sent. & re iudicat*. Ubi dicitur: *Duobus Iudicibus, ut accepimus, diversas sententias proferentibus si ex jurisdictione ordinaria processerunt, tenet pro reo, non pro Actore sententia, nisi in causa favorabili, puta Matrimonio, libertate, dote seu testamento, pro ipso* (actore) *fuerit promulgata*. Et *cap. Ex litteris de Probat*. deciditur inter probationes æquales, judicem stare debere pro reo, *Præter quam in liberali causa*. Ubi glossa *verb. Liberali*. ait: *In causa Matrimoniali*. Et ita docet P. *Thomas Sanchez lib. 1. de Matrimon. disp. 18. num. 5.* & apud ipsum *Ioannes Andr. Ostiensis, Antonius, Ancharranus, Henricus, Alexander de Nevo, Præpositus, Cardinalis, Abbas, Alciatus, Angel. Sylvest.*

Tabie-

Tabiena, Armilla, Menochius, Brunellus, Alexander Carrerius, Antonius Cucus, Ungarellus, Maschardus.

557. Materiam favorabilem latissimè interpretandam esse, & ampliandam constat *ex Regul. 15. de Regul. Iuris in 6.* ubi præscribitur, odia esse restringenda, & favores ampliandos. Et ita tradunt omnes communiter juris interpretes, ac Theologi omnes.

558. Præterea materiam favorabilem ampliandam esse, & extendendam ad casus dubios, omnes similiter Theologi, & juris interpretes affirmant. Et ratio est clara. Nam ad casus certos extenditur tam materia odiosa, quam favorabilis; unde si hæc ampliatur, & illa restringitur; id non debet esse in ordine ad casus certò comprehensos, sed in ordine ad illos, de quibus dubitatur. De quo videndus est *P. Thomas Sanch. lib. 8. de Matrim. disp. 2. & lib. 4. Summ. cap. 44. num. 3.*

559. Non solum amplianda est materia favorabilis ad casus dubios negativè, id est, ad eos, qui levi, vel nullo fundamento nituntur, sed etiam ad casus dubios positivè, id est, quorum dubium procedit ex varietate opinionum probabilium. Quod latè *ostendi in 1. part. Crit. Theolog. disp. 17. cap. 2.* ubi (in materia immunitatis Ecclesiasticæ, quæ favorabilis est) plures Doctores, citatis eorum verbis, allegavi, nempe *Suarium lib. 4. contra Regem Angliæ cap. 34. num. 4. & tom. 2. de Religione tract. 6. de Voto lib. 6. cap. 26. num. 6. P. Thom. Sanchez lib. 4. Summ. cap. 44. n. 3. & lib. 8. de Matrim. disp. 2. num. 1. & lib. 4. Summ. cap. 40. n. 26. & tom. 1. Consilior. lib. 2. cap. 4. dub. 55. n. 31. Antonium Diana part. 6. tract. 1. resolut. 30. fin.* ubi pro eadem sententia citat *Alexandrum Sperellum, Carolum Maranta, Farinacium, & Giurbam.* Quod etiam fusius docuit ipse *Diana part. 5. tract. 1. resolut. 23.* ubi præter allegatos citat *Ioannem Sousam, & Rotam Romanam in una Veneta census anni 1606. & 1. part. tract. 2. resolut. 65.* ubi *pro eadem allegat Felinum, Decianum, Hondedeum, Velletum, & Mainardum. Ibidem etiam citavi Valenzuelam adversus Venetos part. 1. num. 43. & Thomam del Bene tom. 2. cap. 16. dub. 9. sect. 14. num. 12. Antonium Sousam in Bullam Cœnæ disp. 76. n. 5.* ubi citat *Ostiensem, & Andream in cap. Rursus,* Qui clerici, vel voventes, & *Felinum in cap. 1. de Constitutionibus, & Martham de jurisdict. 4. part. centur. 2. casu 164. num. 1.* citavi etiam *P. Pellizarium tom. 2. tract. 8. cap. n. 142. & P. Fagundez lib. 4. de Iust. cap. 10. num. 10. P. Baldellum tom. 1. lib. 5. disp. 39. n. 1.*

560. Quod adeò verum est, ut quando agitur causa de valore Matrimonii, quia hæc est favorabilis, opinio unius singularis Doctoris probabili ratione innitentis, stans pro valore præferenda est sententia plurimorum, nisi textu aperto, aut ratione evidenti innitantur. Ita enim docet *P. Thom. Sanchez lib. 1. de Matrim. disp. 18. n. 7.* & apud ipsum *Ostiensis, Ioannes Andreas, Antonius, Anchartanus, Enricus, Nevo, Præpositus, Felinus, Decius, Barbatia, Veroius, Rosella, Antonius Cuccus, & Navarrus.* Et observat *P. Thomas Sanchez*, id in utroque foro intelligendum esse. Et præter citatos idem tradit *P. Castro Palao tom. 1. tract. 1. disp. 2. punct. 1. & apud ipsum Maschardus, & Villalobos. Et hoc totum tradidi ea disp. 17. citata cap. 5. num. 41.*

561. Hinc fit, quod quando est varietas opinionum, & supervenit regula de favore ampliando, ita amplectenda est opinio, quæ favet matrimonio, immunitati, & cuicumque materiæ favorabili, ut remaneat omninò certa quoad praxim ex præfata Regula de favore ampliando: & opinio adversa matrimonio maneat quoad praxim improbabilis. Quæ assertio ex dictis evidens est.

562. Ex dictis constat, dicendum esse, quo-

quoties Matrimonium contrahitur juxta opinionem verè probabilem, valorem matrimonii manere certum. Etenim causa favorabilis certissimè ampliatur ad casus dubios, etiam si dubium procedat ex varietate opinionum, ut constat ex proximè dictis; sed quando est opinio probabilis pro valore Matrimonii, & alia probabilis pro nullitate, est dubium ortum ex varietate opinionum, & matrimoniū est causa favorabilis: ergo causa est matrimonii certissimè amplianda ad casum, in quo est opinio probabilis pro valore, & alia opposita pro nullitate. Et quid est, quod causa matrimonii certissimè amplietur ad casum, in quo est opinio pro valore, nisi quod valor maneat omninò certus. Nam cum dispositio juris faciat decisionem certam, inde est, quod *Regula* 15. de favore ampliando, faciat decisionem certam de valore matrimonii, utpotè materiæ favorabilis.

563. Confirmatur primò. In dubio juris ex *Regul.* 15. de favore ampliando, opinio favorabilis est amplectenda, & opinio opposita rejicienda: sed si opinio adversa est probabilis, non est rejicienda, nisi propter decisionem certam in contrarium: ergo resultat dispositio certa contra nullitatem matrimonii, & pro valore ejus.

564. Confirmatur secundò. Nam ubi contractus matrimonii est certò validus, in ratione Sacramenti est certò validus: sed ubi est dubium juris de impedimento dirimenti, etiam ortum ex varietate opinionum, contractus Matrimonii in ratione contractus est certò validus: ergo etiam in ratione Sacramenti. Probatur minor. Est enim inter jurisprudentes velut axioma multis textibus confirmatum, in dubio juris semper standum esse pro valore actus. Videantur P. *Thomas Sanchez lib.* 3. *de Matrimon. disp.* 35. *num.* 19. *& aliis in locis, & Antonius Gomez in legem* 42. *Tauri. num.* 3. *&* 4. ergo in quolibet dubio juris contractus Matrimonii censendus est certò, & evidenter validus.

565. Confirmatur tertiò. Nam *in cap. finali supra relato de sent. & re judicat.* statuit Pontifex, duobus judicibus diversas sententias proferentibus ortas ex jurisdictione ordinaria, tenet sententia pro valore matrimonii. Ubi supponit Pontifex, ex illis duabus sententiis non esse unam evidenter justam, & alteram evidenter iniquam; nam si tales forent non pro causa favorabili standum esset; sed pro jure evidenti. Supponit ergo Pontifex, utramque sententiam esse probabilem, & probabiliter, atque prudenter latam. Tum sic: quamvis utraque sententia sit probabilis, Pontifex decidit, præferendam esse eam, quæ versatur circa valorem Matrimonii, & quamlibet materiam favorabilem: ergo ex decisione Pontificis materia favorabilis, atque adeo valor Matrimonii, extenditur non solum ad causam utrimque dubiam, sed etiam ad causam probabilem. Vide multa alia argumenta, quæ pro hac assertione instruxi *in* 1. *part. Crist. Theol. disp.* 17. *& disp.* 19. *cap.* 7.

ARTICVLVS VII.

Praeoccupatur responsio, qua exhiberi potest duplici argumento facto, & confutatur.

SVMMARIVM.

An regula de favore ampliando intelligatur solum de contracto, non autem de contrahendo. n. 566. & seqq.

Sententia data pro valore Matrimonij contracti eadem debet esse pro valore contrahendi sub eisdem circumstantijs. n. 568.

Quam sententiam dedit Sacra Rota pro valore Matrimonij coram Parocho invito, eamdem daret, si lis moveretur de contrahendo. n. 569.

Item quam dedit de valore Matrimonij contracti cum metu reverentiali, eamdem daret ante contractum. n. 570.

Responsio Urbani VIII. circa Matrimonia infidelium, qui convertuntur, loquitur de contrahendis. n. 571.

Consuetudo fert, ut judex proferat sententiam pro valore Matrimonij contrahendi juxta opinionem probabilem. n. 572.

Ubi dubitatur de valore dispensationis ante contractum, non semper habet Iudex opinionem evidentem. n. 573.

Ubi contractus, postquam factus est, evadit validus, in ipso fieri est validus. n. 574.

Contractus, qui in fieri fuit invalidus, non est: unde revalidetur, si sint eadem circumstantia. n. 575.

Non componuntur hæc duo, & quod matrimonium in fieri exponatur frustrationi, & quod jam contractum sit certo validum. n. 576.

Impedimentum, quod non dirimit Matrimonium contractum, non dirimit contrahendũ. n. 577.

Quæ dicta sunt de impedimento dirimenti, dicenda sunt de dispensatione, proportione servata. n. 578.

566. AD argumentum supra factum de consuetudine contrahendi matrimonium ex opinione verè probabili; & ad proximè factum ex Regula de favore ampliando, respondebit aliquis, utroque argumento probari intentum de Matrimonio contracto, secus de contrahendo. Cēsura autem hujus primæ propositionis præscribens in Matrimonio, sicut in cæteris Sacramentis, non esse utendum opinione probabili, relicta tutiori, non habet locum in matrimonio jam contracto, sed in contrahendo, sive in ipso fieri celebrationis Matrimonij.

567. Hæc tamen responsio confutatur primo. Et supponamus, esse opinionem communiter receptam tamquam probabilem de nullitate talis impedimenti dirimentis; cum sit etiam opinio probabilis opposita de existentia talis impedimenti. Supponamus etiã, quod super Matrimonio jam contracto movetur lis ex tali impedimento coram judice Ecclesiastico; & quod hic censens probabiliorem opinionem de nullitate impedimenti declaravit Matrimonium esse validum.

568 Tum sic: inintelligibile est, quod sententia declaratoria valoris Matrimonij jam contracti, si eadem & in eisdem circumstantiis ferretur à judice ante contractum, dicenda esset continere errorem. Nondum eædem sunt circumstantiæ; idem debet esse, judicium de valore. Si autem non liceret judici uti opinione illa probabili ante contractum, erraret Judex, dum illa uteretur.

569. Quod argumentum ut dilucidius procedat, exemplis confirmandum est. Primo. Nam (ut supra retuli *art.* 4.) Sacra Rota in quadam Neapolitana Matrimonij declaravit, validum fuisse illud Matrimonium, licet Parochus adfuerit invitus; quamvis sit opinio aliquorum doctorum (quam refert *P. Thomas Sanch. lib. 3. de Matrim. disp. 39. num. 7.*) esse invalidum Matrimonium, cui assistit Parochus invitus. Inquiro ergo, si ante Matrimonium contractum, deberet Sacra Rota decidere, an validum futurum esset Matrimonium, cui assisteret Parochus invitus; quid respondere deberet? Sane cum non solum in ita, sed in multis aliis decisionibus ibidem citatis Sacra Rota deciderit, esse veram opinionem de valore Matrimonij coram Parocho invito, incredibile est, quod aliter deciderit, ante contractum. Si ergo eodem modo decideret ante contractum, id quidem provenit, ex eo quod opinio probabilis de valore sit certa, tum ex consuetudine, quam ostendimus

mus

mus *art.* 4. Tum ex Regula de favore ampliando, ut diximus *art.* 6.

570. Secundum exemplum est id, quod retuli *art.* 4. ex Sacra Rota Romana, quæ in quadam Trulensi Matrimonij decidit, illud Matrimonium fuisse validum, non obstante quod allegebatur ex adverso metus reverentialis in uno contrahentium. Et quamvis sit opinio multorum (quos citat *P. Thom. Sanch. lib.* 4. *de Matrimon. disp.* 6. *à num.* 4.) sufficere solum metum reverentialem ad annullandum matrimonium; ex opposita opinione Sacra Rota decidit validum. Est autem mihi incredibile, quod si ante Matrimonium contractū interrogaretur Sacra Rota, (An si illud Matrimonium contraheretur, evaderet validū?) responsura sit aliter, ac decidit circa Matrimonium jam contractum. Quarè certitudo, quæ illi opinioni probabili accrescit circa Matrimonium contractum, tum ex regula de favore ampliando, tum etiam ex responsione *Urbani VIII. relata art.* 5. eodem modo accrescit illi opinioni probabili circa matrimonium contrahendum.

571. Confutatur secundò. Nam responsio *Urbani VIII. relata artic.* 5. expressè suadet, ut pro Matrimoniis infidelium, qui convertuntur ad Fidem, contrahendis, eligantur opiniones probabiles eis Matrimoniis favorabiliores: ergo is favor Matrimonij non solum est pro Matrimonijs contractis, sed etiam pro contrahendis.

572. Confutatur tertiò eadem responsio. Nam ante contractum Matrimonium occurrere solent Judici Ecclesiastico graves difficultates circa valorem dispensationis præviè requisitæ, aut commissionis dispensandi, quam dat Pontifex Vicario Generali Episcopi. Tum sic. A valore dispensationis circa impedimentum dirimens pendet valor Matrimonij, si enim Breve Pontificium est subreptitium, Matrimonium virtute ejus dispensationis celebratum, est nullum: & tamen consuetudo recepta fert, quod ferat sententiam Judex Ecclesiasticus ex opinione probabili, ut quotidiè experimur: ergo datur consuetudo, quod Judex Ecclesiasticus ferat sententiam circa valorem Matrimonij ex opinione probabili.

573. Confirmatur. Esset enim onus intolerabile judici Ecclesiastico, quod in causa, in qua dubitatur de valore dispensationis, deberet invenire semper sententiam evidentem, ex cujus directione causam decidat; aut debeat decidere semper pro nullitate dispensationis, quantumvis pro ejus valore detur opinio recepta communiter tamquam probabilis, quæ ut suppono, debet esse probabilior juxta damnationem secundæ propositionis factam in hoc decreto. Et fortasse propter hanc difficultatem impulsi sunt judices Ecclesiastici eam consuetudinem inducere judicandi pro valore dispensationum juxta opiniones taliter probabiles.

574. Confutatur quartò. Nam qui facit contractum, qui, postquam factus est, evadit validus, in ipso fieri facit contractum validū: sed Matrimonium contractum juxta opinionem verè probabilem, postquam contractum est, est validum, & per sententiam judicialem (saltem ultimam latam in Sacra Rota) declaratur validum; ita ut resultet certitudo moralis de valore, ut patet in exemplis positis *in* 1. *argumento*: ergo in ipso fieri facit contractum Matrimonialem validum. Consequentia legitimè infertur; & minor patet ex dictis. Major autem constat ex eo, quod implicatio est in terminis, quod contractus in fieri non sit validus, & postea reddatur validus sine nova dispensatione.

575. Confirmatur primò. Nam contractus, qui in fieri fuit invalidus, nullum

 aliud

aliud habet principium, unde revalidetur si concurrant eædē circumstantiæ. Loquimur enim in hypothesi, in qua nō est habita denuo dispensatio. Ergo si jam contractum est validum, etiam in ipso fieri fuit validum

576. Confirmatur secundo. Nam hæc duo incompossibilia sunt, & quod conjuges contrahentes secundum opinionem probabiliorem, & minus tutam, exponant Sacramentum frustrationi; & quod Matrimonium ipsum jam contractum censeatur certo validum; hæc enim duo opponuntur sicut contingenter verum, & certum: sed Matrimonium jam contractum: juxta eam opinionem probabiliorem censetur certo validum, & tale esse declaratur à Sacra Rota, ut in exemplis supra relatis; ergo cum hoc incompossibile est quod Matrimonium in fieri, dum contrahitur secundum eam opinionem probabiliorem, exponatur frustrationi. Omitto multas alias confirmationes, quæ efformari possunt juxta regulas artis syllogisticæ.

577. Confutatur quinto. Id, quod non est impedimentum dirimens respectu Matrimonii jam contracti, non potest esse impedimentum dirimens respectu Matrimonij contrahendi, juxta versiculum apud omnes celebratum, illum quidem postremum inter versiculos de impedimentis, scilicet: *Hac socianda vetant connubia, facta retractant*. Id, quod etiā constat ex communi sententia omniū Theologorum, & jurisprudentium: sed ex constitutionibus Ecclesiæ, in quibus statuntur favores esse ampliandos, & causam Matrimonialem esse favorabilem, infertur, quod in dubio invincibili proveniente ex varietate opinionum circa impedimentum dirimens, jus Ecclesiasticum aufert (saltem virtualiter) impedimentum illud dubium aut probabile in Matrimonio jam contracto: ergo eodem modo aufert illud in Matrimonio contrahendo, aut in fieri; alioquin diversa essent impedimenta pro Matrimonio contracto, & pro contrahendo.

578. Idem, quod diximus de varietate opinionum circa impedimentum dirimentis jure Ecclesiastico, dicendum etiam est, quando adest varietas opinionum, verè probabilium circa valorem dispensationis in impedimento dirimenti certō. Quia cū Ecclesia intendat favere Matrimonio in illis, in quibus potest, & ea dispensatio pertineat ad potestatē Ecclesiæ, in tali dubio positivo invincibili ejus dispensationis certū esse debet, quod favore Matrimonij standū sit pro valore dispensationis, maximè attenta vi consuetudinis præscriptæ, de qua locuti sumus *art. 3*.

ARTICULUS VIII.

Precluditur responsio alterius instantia.

SUMMARIUM.

Ratio dubitandi ex titulo possessionis. n. 579.
Matrimonium ex sola possessione non declaratur validum, sed manutenetur. n. 580;
Possessio habet locum etiam in odiosis. n. 581.
Item affert præsumptionem pro valore matrimonij, non certitudinem. n. 582.
Possessio non est sufficiens ad ferendam sententiam in articulo proprietatis. n. 583.

579. Fortasse replicabit aliquis verū esse, quod eodē judicio censenda sunt Matrimonium contractum, & contrahendum, dum in contracto non attenditur denuò alia circumstantia, ratione cujus aliter censetur de Matrimonio contracto, ac de contrahendo. Hęc autem circumstantia est possessio, aut quasi possessio, ex regula generali, quod in dubio melior est conditio possidentis. Unde fit, quod in matrimonio contra-

trahendo non detur ea possessio, & illa inveniatur in matrimonio jam contracto in dubio standum sit pro contracto, & non pro contrahendo.

580. Hæc tamen responsio refellitur primo. Nam ex sola possessione matrimonium non redditur, nec declaratur validum, sed manutenetur: atqui matrimonium celebratũ juxta opinionem probabilem à Sacra Rota declaratur validum; nempè celebratum ex solo metu reverentiali, aut coram Parocho invito, ut constat ab exemplis supra relatis: ergo non declaratur validum propter possessionem, sed propter rationes supra ponderatas

581. Refellitur secundò. Nam possessio habet locum tam in odiosis, quam in favorabilibus: ergo cum Ecclesia declarat, matrimonium esse favorabile; & ratione hujus favoris Iudices ferunt sententiam pro valore matrimonij, aliquod amplius concedunt matrimonio, præter jus possessionis. Sed hoc amplius non potest esse aliud, nisi quod ex regula de favore ampliando censeatur certò validum, & si celebratum juxta opinionem verè probabilem: ergo ex favore, & non ex possessione censetur certò validum.

582. Refellitur tertiò. Nam hæc quasi possessio solum affert præsumptionem pro valore matrimonij, & consequenter solum superaddit quoddam genus probabilitatis pro valore: si ergo ex hac sola probabilitate (dato, & non concesso) Matrimonium contractum declaratur validum; quarè etiam propter probabilitatem veram opinionis, quamvis deficiat, aut non attendatur hæc præsumptio possessionis, non sufficiet ad declarandum valorem Matrimonij in ipso fieri, maximè accedente regula de favore ampliando, & consuetudine præscripta.

583. Refellitur quartò. Nam possessio non est sufficiens ad ferendam sententiam in articulo proprietatis: at quando movetur lis circa valorem Matrimonij, movetur circa articulum proprietatis: ergo possessio non est sufficiens ad ferendam sententiam circa valorẽ Matrimonij. Cũ ergo Sacra Rota declaret validum Matrimonium celebratum juxta opinionem verè probabilem, non autem evidẽtem, ut in exemplis *art.* 4. propositis, & indè maneat moraliter certum, id Matrimoniũ esse validum, & ex sola possessione non sit certò validum, fit Matrimonium contractum non declarari validum ex sola possessione, sed ex aliis capitibus supra traditis.

ARTICULUS IX.

An doctrina tradita intelligenda etiam sit in dubio positivo circa impedimenta jure Divino, aut naturali dirimentia? Circa quam quæstionem præmittuntur aliqua.

SUMMARIUM.

Ratio dubitandi. n. 585.

Quid sit dubium negativum, & quid positivum? n. 586.

Cum motivo probabili potest componi dubium, non vero cum assensu probabili. n. 587.

Motivum probabile non cogit intellectum ad assensum. n. 588.

Intellectus non potest assentiri objecto propter motivum probabile, nisi accedat inclinatio voluntatis. n. 589.

Quid sit dubium vincibile; quid invincibile? Et quid sit dubium practicum, quid speculativum? n. 590.

584. Hucusque locuti sumus de certitudine valoris Matrimonij in dubio positivo orto ex varietate opinionum circa impedimenta dirimentia jure humano. Restat modo eamdem quæstionem instituere in casibus, quibus in dubium ex varietate opinionum procedit circa impedimenta

menta jure Divino, aut naturali præscripta.

585. Et fortaſſè videbitur alicui, eam doctrinam benè intelligi circa impedimenta inducta jure Ecclesiastico, circa quæ Princeps Ecclesiasticus potest disponere pro suo arbitrio; cæterum circa impedimenta, quæ dirimunt jure naturali, & Divino, etiamsi sit varietas opinionum circa illa, videtur difficilè intelligere, quomodo possit Ecclesia disponere?

586. Pro cujus rei claritate, præmittendum est primò, dubium aliud esse negativum, & aliud positivum. Dubium negativum est, cum nulla ratio alicujus momenti apparet ex alterutra parte contradictionis, v.g. cum dubito, an crines Adami fuerint rubri, neque pro parte affirmativa, neque pro negativa invenio rationem assentiendi, tunc habeo dubium negativum. Dubium positivum est, quod oritur ex varietate opinionum probabilium utrimque pugnantium.

587. Huic explicationi de quidditate dubii positivi, & negativi, quæ communis est Theologis, & Philosophis, adversatur *Caramuel in Theol. fundament. num. 1885. ut retuli in 1. part. Crit. Theolog. disp. 6. cap. 5.* qui existimat, ubi adsunt rationes probabiles, non posse dari dubitationem, sed solam probabilitatem. Quantam passus fuerit æquivocationem, ibi ostendi. Etenim cum assensu probabili componi non potest dubitatio; quia dubitatio est suspensio assensus in utramque partem contradictionis, assensus autem, & suspensio assensus non sunt compossibiles. Potest autem dubitatio requiri inter motiva utrimque probabilia; quod contra *Caramuelem* multis demonstrationibus ostendi *cap. 5. citat.*

588. Et modò breviter probatur ex ibi dictis. Primò. Nam motivum probabile non cogit intellectum ad assensum: ergò intellectus positus inter motiva probabilia duplicis opinionis oppositæ liber, & expeditus manet ad assentiendum alterutri: potest ergo suspendere assensum ad utramque partem, atque adeò dubitare.

589. Secundò. Non potest intellectus assentiri objecto propter motivum probabile, nisi accedat inclinatio voluntatis; ut ipse *Caramuel* cum communi sententia admittit: ergo si voluntas in neutram partem inclinet, non dabitur assensus intellectualis; atque adeo intellectus suspendet assensum in utramque partem: id autem est dubitare: ergo inter utrumque motivum probabile, potest dari dubitatio.

590. Deindè dubium positivum (sicut & negativum) aliud est vincibile, quando scilicet est spes perveniendi ad certitudinem; & aliud invincibile, quando adhibita diligentia debita non potest perveniri ad certitudinem. Propterea dubium positivum aliud est practicum nempè quando dubito, an re ipsa peccabo exercens hanc actionem; aliud speculativum, quando scilicet dubitatur de actione secundum se, v.g. an sit licita, an illicita, non deliberando, an hic, & nunc peccabo illam exercens. Quæ omnia oportet mente retinere, ut clarius percipiantur, quæ in

in hoc capite differenda sunt.

ARTICVLVS X.

Præmittitur, quid possit Princeps *Laicus, & Ecclesiasticus in dubio circa valorem contractus.*

SVMMARIVM.

Proponitur, & explicatur quæstio. n. 591.

Potest Respublica decernere valorem contractus, qui probabiliter censetur ab ipso fuisse prohibitus. n. 592.

In dubio positivo circa jus naturale potest Respublica decernere pro valore contractus n. 593.

In dubio invincibili de honestate actionis, si Superior imperat, subditus parere tenetur. n. 594.

Et id ostenditur ex S. Augustino. n. 595.

Item ex S. Bernardo. n. 596.

Et ex S. Ignatio n. 597.

Et ex communi Theologorum. n. 598.

Quando Superior præcipit, quod est probabiliter licitum, subditus parere tenetur. n 599.

Item in dubio positivo n. 600.

Quomodo ex his inferatur, posse Rempublicam civilem decernere valorem contractuum? n. 601.

Et quomodo non solum id possit fieri per legem, sed etiam per consuetudinem? n. 602.

Eamdem potestatem habet Ecclesia circa contractum Matrimonialem. n. 603.

Et quam certum sit, habere eam potestatem n. 604.

In dubio positivo (etiam circa jus naturale) habet Ecclesia potestatem decernendi valorem Matrimonij. n. 605.

Nec minorem potestatem habet Ecclesia circa valorem contractus Matrimonialis, quam Respublica circa reliquos contractus. Ibidem.

Idque posse Ecclesiam, duplici modo explicatur. n. 607. & seqq.

Objectio solvitur. n. 610.

591. PRæmittenda est etiam quæstio in titulo proposita, ut majori cum claritate procedatur in quæstione præcipua. Est ergo quæstio præsens, An in dubio positivo (orto ex varietate opinionum probabilium oppositarum) speculativo invincibili de bonitate morali contractus (qui continetur intra sphœram suæ potestatis) possit Respublica civilis decernere valorem talis contractus? Dixi *positivo*; quia loquimur in præsenti de dubio orto ex varietate opinionum probabilium. Dixi *speculativo*; quia cum dubio practico nemini licet operari. Et nota, dubium esse practicum, dũ dubitatur de probabilitate opinionis, ut latè tradidi in 3. p. C. T

disp.

disp. 56. cap. 9. art. 3. num. 598. Dixi *invincibili*; quia dum vincibile est, instat obligatio quærendi certitudinem, ut quis rectè operetur.

592. Et siquidem varietas opinionum versetur circa aliquam prohibitionem juris humani, ita ut sint opiniones oppositæ, quarum una asserat, contractum esse invalidum ex prohibitione humana, altera verò contradicat, manifestum est, posse Rempublicam civilem decernere valorem talis contractus. Si enim potest contra certam prohibitionem humanam præcipere, cur non poterit contra probabilem?

593. Quare tota difficultas est, quando est varietas opinionum probabilium, quarum una affirmat contractum esse prohibitum, sive invalidum jure naturali; altera verò negat; an in hoc dubio possit Respublica civilis decernere valorem talis contractus. In qua quæstione assero, posse utique Rempublicam civilem. Et licet non inveniam expressum hujus conclusionis suffragium apud Authores; ex communi tamen eorum doctrina, conclusio manifestè probatur.

594. Etenim in dubio speculativo invincibili de honestate actionis, si Superior præcipiat talem actionem, tenetur subditus parere: ergo in eo casu Superior habet jus imperandi. Consequentia est evidens. Nam ubi Superior non habet jus imperandi, implicat quod subditus habeat debitum parendi, ut ex terminis notum est. Quod si subditus habet debitum parendi, implicat, quod Superior non habeat jus imperandi.

595. Antecedens censeo esse omninò certum. Tum quia Authores refragantes loquuntur de dubio practico, cum quo nunquam licet operari, & ideo non refragantur nostræ sententiæ, quæ loquitur de dubio speculativo. Tum etiam; quia hæc est expressa sententia *S. Augustini* (ut tradidi *in 3. part. Crist. Theol. disp. 55. cap. 7. art. 3. num. 353.*) *lib. 22. contra Faustum cap. 74. & refertur cap. Quid culpatur. 23. quæst. 1.* ubi docet, debere subditum obedire, quando non est certum id, quod præcipitur esse peccatum. Ait enim: *Rectè potest, illo jubente, bellare, si vice pacis ordinem servans; quod sibi jubetur, vel non esse contra Dei præceptum, certum est; vel utrum sit, certum non est.* Unde sic fit evidens consequentia. Subditus debet obedire, quando non est certum, utrum res præcepta sit peccatum: sed in hoc dubio orto ex varietate opinionum probabilium, non est certum, rem præceptam esse peccatum: ergo in tali dubio subditus debet obedire.

596. Idem, & eisdem terminis tradit *S. Bernardus lib. de Precep. & disp. cap. 9.* his verbis: *Quidquid vice Dei præcipit homo, quod non sit tamen certum displicere Deo, haud secus omninò accipiendum est, quam si præcipiat Deus.* Sed in hoc dubio, non est certum, rem præceptam displicere Deo: ergo in hoc dubio non aliter accipiendum est, ac si præcipiat Deus.

597. Eamdem doctrinam sæpius tradidit *S. Patriarcha noster Ignatius in Epistola de virtute obedientiæ, & in Constitutionibus*: ex quibus multos textus proposui *in 3. part. Crist. Theol. disp. 56. cap. 7. art. 3.*

598. Et hæc est communis doctrina Theologorum, & jurisprudentum, quam optimè promovet *P. Thomas Sanchez lib. 6. Summæ cap. 3. num 3.* & apud ipsum *S. Bonaventura, S. Antoninus, Paludanus, Cathusianus, Alensis, Major, Gabriel, Rosella, Angelus, Sylvester, Tabiena, Armilla, Cajetanus, Victoria, Sotus, Corduba, Medina, Toletus, Bannez, Azor, Molina, Valentia, Navarra, Petr. de Ledesma, Sa, Rodriguez, Antonius Paez, Sayrus.* Et ex jurisprudentibus *Glossa cap. Delicta, de Majorit. & obed.*

obed.& in cap. Ad aures, de temp. ordinand. & in cap. Ex tenore. de sent. Excom. & in cap. Quid culpatur. 23. q. 1. & in cap. Nervi dist. 13. Item Innocentius, Ioan Andreas, Ostiensis, Baldus, Abbas, Alex. de Nevo, Ballamera, Henr. Ant. Archid. Navar. Ant. Cucus, Tapia, & Covar. Idem docet *P. Suarez. 2. 2. t. 3. disp. 13. de bello sect. 6. concl. 3. P. Castro Palao tom. 1. tract. 1. disp. 2. punct. 8.*

599. Argumentum autem evidens pro conclusione dupliciter potest efformari. Uno modo, quatenus res præcepta est probabiliter licita; altero modo, quatenus ex varietate opinionum res præcepta est in æquilibrio dubitationis. Et quidem primo modo *in 1. part. Crist. Theol. disp. 16. cap. 4.* clarissime ostendi, quando Superior præcipit, quod est probabiliter licitum, debere subditum parere. Tenetur enim obedire, quando id, quod præcipit, est evidenter licitum: sed quod est probabiliter licitum, ex dictamine reflexo est evidenter licitum: ergo quando est probabiliter licitum, tenetur subditus obedire. Loquimur autem de eo, quod est probabiliter licitum tam ex parte præcepti, quam ex parte materiæ præceptæ; & concurrentibus cæteris conditionibus ad præceptum requisitis. Vide hæc omnia latius discussa *in eo cap. 4.*

600. Altero modo, scilicet quatenus ex varietate opinionum invicem adversantium oritur dubitatio, an res præcepta sit licita; desumitur argumentum ex possessione suæ potestatis, quam habet Superior, ratione cujus habet jus imperandi, nam dubitatio superveniens non potest eum arcere à sua possessione. Nam in dubiis semper est melior conditio possidentis. Quod argumentum solidissime urget *P. Thomas Sanch. ubi supra & lib. 1. Sum. cap. 10. à num. 13.* Potest etiam desumi argumentum ex altera regula, quod in dubiis tutior pars est eligenda. Et ideo *P. Suarez* ubi supra ita probat: *Nam in dubijs tutior pars est eligenda: cum autem Princeps possideat jus suum, tutius est illi obedire.*

601. Ex quibus omnibus fit, Rempublicam civilem habere jus imperandi, quando datur dubium positivum ortum ex varietate opinionum verè probabilium, illud quidem speculativum, & invincibile, per quod dubitatur, an actio sit licita, an illicita, etiamsi dubitatio procedat de jure naturali, scilicet in materia contenta intra sphœram suæ jurisdictionis. Cum ergo Respublica eamdem potestatem habeat circa valorem contractuum, ac circa decernenda reliqua, quæ expediunt utilitati publicæ; fit irrefragabile, in hoc dubio positivo posse decernere valorem contractuum.

602. Id autem non solum potest præstare Respublica per legem, aut decretum, sed etiam per consuetudinem tacitè approbatam. Nam si moribus civium introductus sit contractus, de cujus justitia sint opiniones invicem adversantes, verè tamen probabiles, & diuturna consuetudine admittantur in tribunalibus tales contractus tamquam validi; ex tali consuetudine sint certò validi: quia tacitè approbantur à Republica.

603. Id, quod diximus de potestate Reipublicæ sæcularis, dicendum etiam est de potestate Reipublicæ Ecclesiasticæ. Nemini enim dubium esse potest, Ecclesiam habere potestatem circa valorem contractus Matrimonialis eodem modo, ac Respublica civilis habet circa valorem aliorũ contractuũ.

604. Quod autem Ecclesia habeat potestatem irritandi contractum matrimonialem inter fideles, quando ita expedit, constat manifestè ex *Concilio Tridentino. sess. 24. cap. 1. de Matrimon.* irritavit enim contractum Matrimonialẽ, cui non adsũt Parochus, & duo alii testes. De qua Ecclesiæ potestate agit sapientissimè

tissimè *P. Thomas Sanch. lib. 3. de Matrim. disp. 4.*

605. Quod autem Ecclesia in hoc dubio positivo speculativo invincibili (etiam si versetur dubium circa jus naturale) habeat potestatem decernendi validum esse Matrimonium, clare constat ex supradictis. Primo etenim non habet minorem potestatem Ecclesia circa contractum Matrimonialem, quã Respublica civilis habet potestatem decernendi valorem contractuum, intercedente huiusmodi dubio: ergo Ecclesia habet potestatem decernendi valorem contractus Matrimonialis in simili dubio.

606. Secundò. Nam in ejusmodi dubio, eo ipso, quod subditus parere tenetur Superior Ecclesiasticus habet jus imperandi, & consequenter habet jus decernendi valorem contractuum, qui continetur intra sphœram suæ jurisdictionis, qualis est contractus matrimonialis. Vide hoc argumentum latius propositum *supra num. 594.*

607. Idque potest dupliciter. Primò, insistendo opinioni verè probabili, quæ doceat, talem contractum esse justum, & licitum contra opinionem adversam etiam probabilem. Nam eo ipso, quod opinioni probabili adjungit præceptum suum, jam non est solum probabile, sed omninò certum, quod adsit obligatio. Nam opinio verè probabilis facit, quod res præcepta sit ex dictamine reflexo evidenter licita, & præceptum illi opinioni subjunctum facit, quod ea actio sit obligatoria; & si Ecclesia decernat de valore, sit valida.

608. Secundò. Id potest Ecclesia, persistendo in dubio positivo speculativo invincibili orto ex varietate opinionum adversarum; eo modo, quo diximus in argumento secundo proximè facto.

609. Dices. Videtur difficile intelligere, quomodo Princeps possit præcipere, quod contractus sit validus. Quod fiat hoc, vel illud, potest præcipere: atqui quod contractus sit validus, quid diversum est ab hoc, quod fiat hoc, vel illud.

610. Respondeo, imponere obligationem utrique contrahenti standi contractui pertinet ad Superiorem legitimum, ut ex terminis constat: hoc autem idem est ac decernere contractum esse validum.

ARTICULUS XI.

Resolvitur, in dubio positivo circa impedimenta jure divino, & naturali dirimentia, certum esse valorem matrimonij ex dispositione juris Ecclesiastici.

SUMMARIUM.

Prima probatio ex responsione Urbani VIII. n. 612.

Secunda ex eo, quod jure Ecclesiastico Matrimonia sunt favorabilia, etiam in dubio juris naturalis. n. 613.

Tertia ex consuetudine decidendi lites de valore Matrimonij juxta opiniones. n. 614.

Occurritur objectioni. n. 616. & seqq.

611. Cum in articulo præcedenti statuerimus, Ecclesiam habere potestatem decernendi valorem contractus Matrimonialis in tali dubio positivo invincibili, etiam versante circa jus Divinum, & naturale; restat modo videre, an, & quomodo Ecclesia id statuerit? Asserimusque, id ita ab Ecclesia statutum: quidquid sit, an id sit statutum tacitè, an expressè. Et quidem uno modo ratione dubitationis; altero modo ratione opinionis verè probabilis.

612. Probatur primò assertio. Nam responsio data ab *Urbano VIII.* in consultatione circa matrimonia Infidelium, qui conversi ad fidem baptizantur, fuit in dubio circa impedimenta jure Divino naturali inducta; nempè

nempè an matrimonia eorum Infidelium essent valida, an invalida; item an possint accipere quamlibet ex pluribus uxorem ex baptizatis cum ipso, an primam, &c. quæ dubia versantur, non circa ea, quæ jure humano statuta sunt, sed circa ea, quæ jure divino. Et tamen *Urbanus* respondet, Matrimonia contrahenda regulari debere per opiniones probabiles favorabiliores eis barbaris hominibus: ergo etiam quando dubium versatur circa impedimenta dirimentia ex jure naturali, & Divino, licitum est uti opinione verè probabili, ex mente *Urbani VIII*. Si autem Matrimonium in hoc dubio celebratum juxta opinionem verè probabilem, non esset certò validum, perperam dixisset Pontifex, quod deberet celebrari iuxta opiniones probabiles favorabiliores; si enim ea matrimonia non essent certò valida, manerent exposita frustrationi; quod autem Pontifex consultus in re tam gravi decreverit, Matrimonia fieri, quæ remanerent exposita frustrationi, nefas est credere.

613. Probatur secundo. Nam ut constat ex *art.6*. Ecclesia statuit, Matrimonia esse favorabilia, atque adeò ejusmodi favorem extendendum esse ad casus dubios (sive negativè, sive positivè) Deinde Ecclesia id statuit universaliter, & sine distinctione valoris, qui pendet à jure humano, & ejus, qui pendet à jure divino. Cum ergo constet ex articulo præcedenti, quod Ecclesia possit disponere circa valorem Matrimonij, etiam quando est dubium invincibile de jure Divino, & statuerit, quod in omni dubio judicandum est pro valore Matrimonij; constat, id intelligendum esse, etiam quando dubium invincibile est de jure Divino. Quare ex dispositione Ecclesiæ in tali dubio redditur certus valor Matrimonij.

614. Probatur tertio. Nam ex dictis *art*. 4. est consuetudo rationabilis, & præscripta decidendi dubia, & lites de valore Matrimonij juxta opiniones verè probabiles, & receptas; in quo nulla est diversitas, sive dubium sit de impedimentis jure humano præscriptis, sive de ijs, quæ sunt juris Divini. Cum ergo ea consuetudo habeat vim legis Ecclesiasticæ, indè clarè colligitur, vi ejus consuetudinis Ecclesiam statuisse modo dicto, talia Matrimonia in eo dubio esse valida.

615. Dices. Quando impedimentum dirimens est omnino dubium, sive dubitetur de impedimento ex jure divino, sive ex humano, id impedimentum non attenditur, sed licitum est celebrare id Matrimonium sine periculo frustrationis, ut docet *P. Thom. Sanch lib. 8. de Matrim. disp. 6 num. 15*. Idque provenit ex ipsa rei natura, quia impedimentum omninò dubium ex natura sua est, quasi non esset. Ergo frustra laboravimus in eo, quod Ecclesia sic disposuerit.

616. Respondetur primo, omittendo totum id, quod contendit antecedens; id enim nihil obstat nostræ conclusioni. Nam quæ jure naturæ obligant, possunt denuo præcipi ab Ecclesia.

617. Respondetur Secundò, id principiũ, quod impedimentum dubiũ non obstat Matrimonio, habere suas limitationes, nempè quandò in dubio facti est præsumptio pro una parte, & non pro alia; & alias, quas *loco cit*. proponit *P. Thom. Sanch*. ideo recurrimus ad dispositionem Ecclesiæ, quæ videtur universalior, & certior.

ARTICULUS XII.

Occurritur objectionibus.

SUMMARIUM.

Potest celebrari Matrimonium juxta opinionem probabilem minus tutam, si addatur

618. MAg. Hozes, qui, ut supra retuli, censet, subjici huic damnationi sententiam asserentem, posse celebrari Matrimonium juxta opinionem probabilem minus tutam, sic objicit primo. Hæc damnatio est universalis de omnibus Ministris Sacramentorum, ne administrent ex opinione probabili, relicta tutiori; sed conjuges sunt Ministri hujus Sacramenti: ergo non licet illis administrare Sacramentum Matrimonij juxta opinionem probabilem, relicta tutiori.

619. Respondeo distinguendo Majorem: ne administrent ex opinione probabili, relicta tutiori, (si non superaddatur alia circumstantia, quæ transferat praxim à probabilitate ad certitudinem) concedo; (si superaddatur talis circumstantia,) nego. Quæ distinctio constat ex dictis.

620. Objicit secundo. Si contrahitur Matrimonium inter consanguineos cum dispensatione, circa cuius valorem sunt opiniones vtrimque probabiles; magna inde incommoda sequuntur. Nam sic poterunt ex probabilitate contrariæ opinionis recedere à Matrimonio, etiam post diuturnam cohabitationem. Ergo.

621. Respondeo negando antecedens Nam Matrimonium celebratum juxta opinionem probabilem est omnino indissolubile; neque in vim opinionis oppositæ possunt coniuges recedere à Matrimonio. Nam vt latissime ostendi *in 1. part. Cris. Theol. disp.* 19. ex ipsa natura indissolubilitatis Matrimonij coniuges ita stricte se obligant ad permanenduum in matrimonio, vt cedant iure probabilitatis, quo se possent tueri contra permanentiam Matrimonij. Et ratio est: quia se obligant quantum stricte possunt: cum ergo possint cedere eo jure, quod dat probabilitas; vtique ita se obligant cedendo eo jure.

622. Itaque cum celebrant Matrimonium juxta opinionem probabilem (alias minus tutam) ex parte conjugum manet Matrimonium omnino indissolubile, quia cedunt quolibet jure probabilitatis. Ex parte vero Ecclesiæ manet etiam indissolubile: quia Ecclesia in huiusmodi dubijs imponit conjugibus obligationem standi contractui Matrimoniali; quod nihil aliud est, quam decernere eum contractum esse certo validum

623. Objicit tertio Quidam consanguinei in gradu consaguinitatis duplicato obtinuerunt dispensationem à Romano Pontifice, tacita ea circumstantia gradus duplicati & cum sit opinio probabilis aliquorum asserentium, eam dispensationem esse validam, & sufficientem, neque requiri, quod explicetur ea circumstantia gradus duplicati; tamen Vicarius Generalis, cui commissa est potestas dispensandi cum illis, noluit judicare juxta eam opinionem. Et viri docti censuerunt, rectè judicasse Vicarium Generalem. Sed quarè censuerunt, rectè judicasse, nisi quia hæc erat opinio probabilis minus tuta, secundum

dum quam si judicaret, exponeretur frustrationi Sacramentum Matrimonij: ergo etiam in Sacramento Matrimonij non licet uti opinione probabili minus tuta, relicta tutiori.

624. Respondeo, doctrinam traditam de valore contractus Matrimonialis celebrati juxta opinionem vere probabilem intelligi de opinione communiter recepta tamquam probabili; non autem de ea, quæ talis non est, ut expresse notavi *art.* 3. Ea autem opinio de valore dispensationis in impedimento consanguinitatis, tacita circumstantia gradus duplicati, non est communiter recepta tamquam probabilis. Primo. Nam Sacra Rota Romana eam opinionem rejicit sequens oppositam; ut patet ex ejus decisionibus novissimis *vol 3. lib. 1. decis.* 117. *num.* 2. & *lib.* 2. *decis.* 70. *num.* 1. illa autem opinio, quam Sacra Rota Romana rejicit, non potest dici, esse communiter receptam. Imo verò juxtà legem *Nam Imperator. ff de legib.* relatam *art.* 4. *Rerum perpetuò similiter judicatarum authoritas vim legis obtinere debet*, quæ sunt verba formalia ejus legis.

625. Secundò, nam viri docti communiter rejiciunt praxim ejus opinionis, tamquam dubiæ probabilitatis: eo quod certum sit, consanguinitatem in gradu duplicato esse majorem conjunctionem sanguinis; quam in gradu simplici; & dispensantem in minori conjunctione, non eo ipso dispensare in majori.

626. Instabis. In dubio juris favendum est Matrimonio, sive contracto, sive contrahendo: ergo multo magis, quando est opinio favorabilis, quamvis non sit communiter recepta. Probatur consequentia: nam melior est conditio opinionis fundatæ in aliquo fundamento rationabili, quamvis non valdè efficaci, quam merum dubium, destitutum utrimque ratione probabili.

627. Respondeo, concesso antecedenti, negando consequentiam. Nam ubi opinio est dubiæ probabilitatis, opposita est certa quoad praxim; quia certum est, non licere deducere ad praxim opinionem dubiæ probabilitatis, quæ non differt à dubio practico, in quo tutior pars semper est eligenda. Quando ergo opinio est practicè certa, jam Matrimonium non versatur in dubio, in quo illi est favendum. Ad probationem consequentiæ negatur assumptum, propter proximè dicta.

628. Objicies quartò. In probabilitate facti de carentia impedimenti dirimentis non licet contrahere Matrimonium, ut dictum manet supra *art.* 2. ergo neque in probabilitate juris. Vel si in hac licet, cur etiam non licebit in probabilitate facti?

629. *Art.* 2. dixi, ideo in probabilitate facti non licere, quia ibi non ostenditur principium certum, undè reddatur certus valor contractus Matrimonialis. Id autem explico prius exemplo, & deinde ratione. Exemplum est in casu, qui frequenter occurrere solet, & paucis ab hinc diebus versabatur in Tribunali D. Archiepiscopi Hispalensis. Vir quidam deferebat puellam, ut hæc acciperet ab Episcopo Sacramentum Confirmationis, deferebat autem eo animo, ut esset Patrinus puellæ. Contingit autem, ut accedente puella ad Episcopum, vir ille remanserit aliquantò distans, ita ... illam non tenuerit. Postea eam puellam jam adultam ducere voluit vir ille, qui reputabatur Patrinus illius ex fama, & existimatione communi. Adiit Iudicem pro facultate ducendi illam, allegans, esse opinionem receptam tamquam probabilem, non esse impedimentum dirimens, si is, qui dicitur Patrinus, non teneat physicè, & realiter eum, qui baptizatur, aut confirmatur. Decrevit Iudex admittere illum ad Matrimonium, quod expetebat, si probaret factum, scilicet

non tenuisse immediatè puellam in confirmatione. Probabat factum semiplenè (quæ erat probabilitas facti) & cum non probaverat plenè, non data est ei facultas ad Matrimonium: sed obstrinxit illum Judex, ut afferret dispensationem à Sede Apostolica. In quo casu recto judicio processit Judex.

630. Ecce in hoc casu admittitur ad valorem certum Matrimonii opinio illa, quæ est communiter recepta, ut probabilis, per quam certus reddebatur valor Matrimonii, ut satis superque probatum manet. Et tamen judicatum est, & rectè, non sufficere probabilitatem facti, per quam probabile erat, non tenuisse physicè in Confirmatione puellam; debebat enim esse certum per probationem plenam.

631. Et ratio est: nam consuetudo Tribunalium admittit opiniones probabiles receptas ut tales, pro valore certò contractus Matrimonialis; non autem admittit probabilitatem facti, aut semiplenam probationem, quia ad id non se extendit consuetudo Tribunalium. Et meritò: quia cum dubitatur de contracto impedimento, vel debet constare judici illud esse contractum; vel materia debet reduci ad purum dubium invincibile ex utraque parte: cujus ratio esse videtur: quia ut judex decernat unam partem litis, necessarium est, quod cognoscat factum ipsum: isti autem necessitati cognoscendi correspondet certitudo, non probabilitas.

632. Verum quidem est, si in foro interno dumtaxat hæc materia procederet, & vir ille certus esset: se non tenuisse physicè puellam in confirmatione, posse illam ducere. Si tamen haberet solam probabilitatem facti, neque in foro interno posset: quia quoad hoc eodem modo se habet forum internum, & externum.

Et hinc patet responsio ad objectionem.

ARTICULUS XIII.

Variæ quæstiones discutiuntur circa materiam hujus damnationis prò Sacramento Matrimonij.

633. Quamvis ex præfatis principiis satis constet, contractum Matrimonialem celebratum juxta opinionem verè probabilem esse certò validum, & indissolubilem; expediens judicavi, aliquas in particulari quæstiones discutere de celebratione contractus Matrimonialis initi juxta opinionem probabilem; tum quia oportet discernere, an opiniones probabiles versantes in his quæstionibus sint ex iis, quæ receptæ sunt tanquam probabiles; tum quia oportet scire, an etiam independenter à prætactis principiis, certus sit valor eorum contractuum.

QVÆSTIO I.

An in terminis hujus decreti licitum sit contrahere Matrimonium cum sola dispensatione Episcopi circa impedimentum dirimens in casu necessitatis?

SUMMARIUM.

Quam recepta sit inter Doctores opinio affirmativa? n. 634.

An adversetur damnationi hujus primæ propositionis? Et proponitur ratio dubitandi. n. 635.

Non subjacet huic damnationi, & referuntur Authores. n. 636. & seqq.

Ex principiis proximè prætactis salva manet ea opinio. n. 639.

Etiam independenter ab illis salva manet. n. 640.

Certitudo practica ejus opinionis fundatur in consuetudine. n. 641.

Authores, qui deponunt de tali consuetudine. n. 643. & seqq.

Ex Pyrrho Corrado præcipuè probatur ea consuetudo. n. 647. & seqq.

Certitudo ejus opinionis roboratur ex vi, quam habet consuetudo interpretandi legem. n. 650.

Item ex epikeia, & referuntur Authores illam testantes. n. 651. & seqq.

Quando judicium omnium prudentum facit certitudinem moralem. n. 659.

Qui Authores affirment, hanc doctrinam esse certam in praxi. n. 660.

634. EX ijs quæ docui *in 3. part. Crif. Theolog. disp. 79.* constat, quam recepta sit inter Doctores opinio docens, posse Episcopum dispensare in impedimento dirimenti in casu urgentis necessitatis, præcipuè pro bono animæ, quando scilicet non datur aditus ad Romanum Pontificem, vel est periculum in mora; idque non solum in Matrimonio contracto, sed etiam in contrahendo. Pro qua sententia stant fere omnes Doctores Theologi, & jurisprudentes, ut constat *ex disp. 79. cit. cap. 1.*

635. Sed ecce argumentum, quo tota hæc doctrina videtur dissolvi, & corruere. Etenim illicitum est in administratione, aut susceptione Sacramenti eligere opinionem minus tutam circa valorem, relicta tutiori: sed præfata opinio, quæ dicit, in casu necessitatis licitum esse contrahere Matrimonium cum sola dispensatione Episcopi, est opinio minus tuta, & versatur circa valorem Sacramenti; & si coram Deo falsa est, Sacramentum frustratur: ergo illicitum est uti hac opinione; atque adeo illa quoad praxim subjacet huic damnationi.

636. Nihilominus tamen dicendum est, eam opinionem non subjacere huic damnationi, sed licitè posse deduci ad praxim. Pro hac sententia citare licet eos Authores, qui ex una parte docent illicitum esse conficere Sacramentũ cum opinione probabili minus tuta, & ex alia parte docẽt, posse licitè celebrari Matrimoniũ in eo casu cum sola dispẽsatione Episcopi. *Ita P. Suar. qui tom. 3. in 3. p. disp. 16. sect.*

sect. 2. & disp. 21. sect. 4. ait, illicitum esse administrare Sacramentum juxta opinionem minus tutam; *lib. 6. de legib. cap. 14. num. 10.* affirmat universaliter posse Episcopum dispensare in legibus Pontificiis in casu urgentis necessitatis; in qua universali doctrina continetur assertio de potestate Episcopi ad dispensandum in impedimentis dirimentibus in eo casu.

637. *P. Vasquez 1. 2. disp. 63 cap. 3.* docet illicitum esse, confici Sacramentum juxta opinionem minus tutam, & *1. 2. disp. 178 cap. 2. num. 16.* affirmat posse Episcopum dispensare in impedimento dirimenti in eo casu necessitatis; & consequenter licitè posse celebrari Matrimonium cum ea sola dispensatione.

638. *Illustrissimus Petrus de Tapia tom. 1. Caten. Moral. lib. 1. quæst. 8. art. 20. num. 2.* docet, illicitum esse ministrare Sacramentum juxta opinionem minus tutam; & *lib. 4. quæst. 20. art. 5. num. 9. & 10. affirmat*, posse dispensare Episcopum in impedimento dirimenti in casu urgentis necessitatis. Quæ assertionum simultas communis est plurimis aliis Doctoribus.

639. Et si quidem discurramus ex prætactis principiis, in hac sententia de potestate Episcopi ad eos casus urgentissimæ necessitatis, invenietur, quidquid requiritur, ut in ea habeat locum doctrina tradicta. Est enim certus valor contractus Matrimonialis celebratus juxta opinionem probabilem, quando opinio est communiter recepta tamquam probabilis; sic se habet hæc opinio, ut constat ex innumeris Authoribus, quos citavi *in 3. part. Crist. Theol. disp. 79.* ergo juxta doctrinam traditam, valor contractus Matrimonialis celebrati ex directione hujus opinionis, omninò certus evadit.

640. Si autem discurrere velimus independenter ab eis principiis prætactis, & solum juxta merita ejus sententiæ de potestate Episcopi in his casibus, probatur assertio. Nam hæc doctrina de potestate Episcopi ad dispensandum in impedimentis dirimentibus in præfato casu necessitatis censetur moraliter certa. Nam qui attente perpenderit ea octo fundamenta, quæ in ea *disp. 79. cap. 2.* proposui, hanc moralem certitudinem planè comperiet. Quorum aliqua hic repetenda sunt, ea scilicet, quæ magis eam certitudinem promovent.

641. Et primò quidem accipe hunc syllogismum: Consuetudo dat jurisdictionem: sed est consuetudo, quod Episcopi in talibus casibus dispensent: ergo in Episcopis datur hæc jurisdictio ad dispensandum in talibus casibus. Si præmissæ sunt certæ, consequens evadere certum necesse est; quia legitimè illatum ex præmissis.

642. Major tam certa est, quam est certum, ita decidi *in cap. Cum contingat. de foro compet. & cap. Romana de sent. Excomm. in 6. verbis supra relatis cap. 5. art. 6. & cap. Romana. de foro compet. in 6. & cap. Vt litigantes. de officio Ordinarij, & cap. Dudum. §. licet. de Electione.* Et glossa communiter recepta in dictum *cap. Cum contingat*, quæ ait: *Nota quod consuetudo dat jurisdictionem*, & idem repetit Glossa in *Romana de sent. Excom. in 6.*

643. Minor etiam debet esse certa: quia cum existentia consuetudinis sit res facti, ea plenè probatur per testes idoneos, & omni exceptione majores. Quod autem talis consuetudo detur, testatur *P. Suarez lib. 6. de leg. cap. 14. num. 10.* ubi agens in hoc casu de potestate Episcopi ad dispensandum in lege Superioris, ait: (Quibus omnibus addenda est *consuetudo*, quæ est optima legum interpres, & ad jurisdictionem adquirendam sufficit.) *P. Thomas Sanch. lib. 2. de Matrimon. disp. 40. num.*

num. 3. agens de hoc casu ait: (*Praxisque ita recepit,* ut testantur *Navarrus, & Manuel proximè citati.*) & *Leander à SS. Sacram. tom. 2. de Sacrament. tract. 9. disp. 24. quæst. 8.* ait: (Sic *Navarrus in Manuali cap. 22. num. 85.* dicens id *in praxi* receptum esse *P. Castro Palao tom. 5. disp. 4. punct. ultim. §. 1. num. 7.* ait: (Præcipuè cum ipse Pontifex ignorare non possit, *passim Episcopos hac facultate uti.*) *P. Rebellus part. 2. de Iust. lib. 3. quæst. 5. n. 20.* postquam citavit Authores pro hac sententia, ait: (Idē *praxis* videtur habere; quod etiam si de jure communi non habeatur; efficax tamen ratio est rationabilis epikeia, quod non debet sibi Papa dispensationem reservare in tanto periculo animarum.) *Basilius Ponze lib. 8. de Matrim. cap. 13. num. 2.* cum citasset *Gabrielem Vasquez,* & Rebellum; addit: (Qui etiam *consuetudine* receptum esse testantur.)

644. *P. Vasquez 1. 2. tom. 2. disp 178. cap. 2. num 15.* ait: (Præterea sequitur, Principem inferiorem legislatore, non posse in lege lata à Supremo dispensatore dispensare. *Ex consuetudine* tamen receptum esse, ut in impedimento Matrimonij, post contractum Matrimonium bona fide, si non pateat aditus ad Pontificem, vel propter pauperiem impeditus sit, qui contraxit, dispenset Episcopus, docet *Sotus lib. 1. de Iust. quæst. 7. art. 3.* Ante contractum verò Matrimonium, non item; quia ante contractum non sequerentur incommoda, quæ post contractum sequentur.. alias verò poterit ex voluntate præsumpta Pontificis, ne sequantur incommoda, & dāna, quæ diximus, id facere.) Et quamvis apponat discrimen inter contractum, & contrahendum, non opponitur nostræ sententiæ, quæ asserit, posse etiam ante cotractum, si eadem incommoda sequantur ante contractum quæ sequi solent post contractum.

645. *P. Gaspar Hurtado de Matrimon. disp. 26. diffic. 2. num. 7.* loquens de potestate Episcopi in hoc casu, ait: (Quod jam videtur *certum* postquam Pontifici constat, id *fieri ab Episcopis* in dictis casibus pro foro conscientiæ; quia id sua taciturnitate approbare præsumitur.) subjungitque, idem fieri posse ante contractum Matrimonium, si occurrat eadem necessitas.

646. De eadem praxi, & consuetudine contestatur *P. Salas disp. 20. de legib. sect. 3. n. 27. ut refert Bonacina disp. 1. de legib. quæst. 2. punct. 1. num. 19.*

647. Sed hujus consuetudinis testis inter omnes locupletissimus est *Pyrrhus Corradus,* eo quod in libro, qui inscribitur *Praxis dispensationum Apostolicarum,* solerti diligentia investigavit, & tradidit omnem praxim, & consuetudinem circa hanc materiam dispensationum; quarum scientiam obtinuit per diuturnam experientiam, ut constat ex procemio ejus libri, ubi inter alia sic scribit: *Ea, quæ diutina Curiæ experientia didici, profero in medium.*

648. Hic ergo *Author lib. 8. cap. 4. num. 40.* hanc praxim, & consuetudinem testatur his verbis. (Quinimo ait idem *Sanch. disp. 40.* posse Episcopum, non modo dispensare in ipso impedimento dirimente, quando Matrimonium est contractum, ut nos supra diximus, verum etiam ante contractum: hoc quidem summa ratione; quia cum in utroque casu, militet eadem ratio, debet esse eadem juris dispositio. l. *Si postulaverit. §. ratio. ff. de adult.* l. *illud. vers. sed magis. ff. de aquil. & utroque modo, fuit pluries id positum in praxi:*) Et post pauca (omnes autem DD. contrariam sententiam mordicus defendentes, ostendunt, eos nondum id habuisse in facti contingentia; ac proinde, nescio quomodo se gessissent, si casus ipse eis evenisset) Et *num. 41.* sic ait: (Nec inter alia me latet, certioratum

Bb alias

alias de hac re ab Episcopo *Asten* extitisse Cardinalem Cusentin. Prodatarium tunc *Sixti* V., postquam idem Episcopus, urgente sibi oblata causa in casu proposito dispensaverat, propterea idem Cardinalis, facto prius verbo cum Summo Pontifice, eidem Episcopo rescripsit, sibi licuisse sic in huiusmodi casu dispensare, eumque prudenter egisse, stante asserta necessitate ut ego audivi à *bon. mem. Läberto Vrsino*, eximio Abbreviatore Majoris præsidëtiæ; ita etiam docet *Zerol. in praxi Episcop. verbo, Dispensatio* §. *Ad quintum*, qui testatur de communi ex *Navarr. cap. 22. num 85. Sot. 4. senten. dist. 37. quæst. unic. art. 2. Sylv. eod. verbo. § 9. Armill. simili verbo. num 19. & ait* ibi idem, *Zerol.* quod dum ille haberet hunc casum, ita sibi fuit ab urbe responsum ac pluries per plures Episcopos ita *practicatum* extitisse, non ignoramus.)

649. Cum ergo tot sint Authores de ea consuetudine contestantes constat talem consuetudinem esse plene probatam, atque adeo moraliter certã. Et cum certum sit, quod consuetudo det jurisdictionem, relinquitur certum, quod Episcopus habet jurisdictionem ad dispensandum in tali casu urgentissimæ necessitatis pro salute animarum. Unde consequenter fit, quod qui in tali casu ineunt Matrimonium cum tali Episcopi dispensatione, non eligunt opinionem probabilem relicta tutiori, sed sententiam moraliter certam atque adeo non opponuntur huic Decreto *Innocentij XI*. Et licet verum sit, quod aliqui ex his Authoribus contestantibus de tali consuetudine loquantur de dispensatione post contractum Matrimonium; ea tamen dispensatio est ad illud contrahendum, quia quamvis tale Matrimonium dicatur contractum, revera est contrahendum, quia Matrimonium invalidum propter impedimentum dirimens, debet denuò contrahi, ut subsistat: & si eadem urgentia necessitatis contingat in contrahendo, eadem est ratio ad dispensandum.

650. Secundò colligitur alio modo eadem certitudo hujus potestatis in Episcopo ex consuetudine relata. Nam *in cap. Cum dilectus. de consuetudin.* dicitur: *Consuetudo est optima legum interpres.* Et ut ostendi *in part. 2. Cris. Theol. disp. 23. cap. 4. art. 1.* ex hoc textu constat, quando lata est lex, & de intelligentia illius dubitatur, ita standum esse consuetudini versanti in materia ejus legis, ac si lex exprimeret illam ipsam interpretationem, quam dat consuetudo. Unde fit, quod hæc interpretatio, quam dat consuetudo, non est interpretatio conjecturalis, & probabilis, sed interpretatio authentica, utpote habens vim legis, ut exprimitur clarius *in leg. Nam Imperator. ff. de legib.* ubi dicitur, quod in ambiguitatibus, quæ ex legibus proficiscuntur, consuetudo vim legis obtinere debet. Cum ergo certo constet de tali consuetudine, dicendum est, eam esse optimam interpretem legis Pontificiæ reservantis sibi dispensationem impedimenti dirimentis; atque adeo præfatam consuetudinem habere vim legis. Et cum lex faciat certitudinem obligationis, aut potestatis concessæ, eandem vim habere debet præfata consuetudo.

651. Tertiò eadem certitudo hujus sententiæ constat ex eo, quod illa fundatur *in epikeia, ut ostendi in 3. part Cris. Theol. disp. 79. cap. 2. num. 14. & seqq.* Et quidem *epikeia* est legitima, quando certum moraliter est, non esse intentionem Superioris comprehendere sub lege sua aliquem casum, ut docent *S. Thomas, Cajetanus, P. Suarez, P. Vasquez, Illustrissimus Tapia*, & communiter Theologi, quos retuli ibidem *num. 15.* Atqui Authores communiter tamquam certum supponunt, non esse intentionis Summi Pontificis reser-

reser-

reservare dispensationem impedimenti dirimentis in extrema necessitate animarum. Et ideò *P. Suarez lib. 6. de legib. cap.* 14. *num.* 10. ait: (Addendum est, etiam intelligi hanc potestatem concessam in casibus extraordinariis, quando necessitas revera magna est, & est periculum in mora, vel impotentia adeundi Pontificem: tunc enim ex rationabili interpretatione voluntatis Pontificis censetur Episcopus habere potestatem dispensandi.) Et immediatè citat pro hoc dicto quam plures Doctores, imò & Rotam *decis. 262. in noviss.*

652. *P. Thomas Sanchez lib. 2. de Matrim. disp.* 40. *num.* 3. ait: (Reservatio hæc fit ob charitatẽ, bonãq; Reipublicæ gubernationẽ: esset autẽ cõtra charitatẽ, & suavẽ ecclesiæ gubernationẽ in casu tantæ necessitatis, quando aliter scandala, & peccata vitari non possunt, manerentque homines remedio destituti, reservationem intelligi: ergo in eo casu intelligenda non est.)

653 *P. Ægidius de Coninck de Matrim. disp.* 33. *dub.* 3. *num.* 32. ait: (Incredibile est, Pontificem hanc dispensationem velle in tali casu sibi reservari cum gravissimo animarum periculo. Et confirmatur: quia cum multi celebres Doctores hoc teneant, ac publicè in lectionibus, ac libris editis doceant, ita ut omninò incredibile sit, Pontificem hoc latere, merito præsumitur, tacitè id approbare.) Et nota eam vocem *incredibile*, quæ certitudinem importat.

654. *Illustrissimus Tapia tom. 1. Caten. Moral. lib. 4. de legib. quæst.* 20. *art.* 5. *num.* 9. loquens de hoc casu ait: (Tunc Episcopus potest dispensare in lege Pontificis: quia id exigit æquitas juris, bonum commune, & prudens regimen.)

655. *Bonacina de Matrimon. quæst.* 3. *punct.* 15. *num.* 4. ait loquens de hoc casu necessitatis. (Ratio est, quia non est credibile Summum Pontificem velle reservare sibi dispensationem in casu tantæ necessitatis, & cum tanto periculo animarum.) Et nota id verbum, *Non est credibile*, id est, credi nequit, seu pro certo haberi, quinimò inter incredibilia in gubernatione Summi Pastoris æstimandum. Quod plusquam probabilitatem importat.

656. *P. Castro Palao* ubi supra hujus conclusionis rationem reddit sic: (Quia cum hæc facultas dispensandi animarum bono maximè expediat, non est verosimile, Episcopis denegatam esse à Pontifice.) Notandum est id verbum: *Non est verosimile*, per quod excluditur probabilitas oppositi judicij, atque adeo firmatur certitudo.

657. *Et P. Rebellus* verbis supra relatis expressè agnoscit fundamentum hujus potestatis Episcopi esse epikeiam. Hæc autem importat certitudinem, ut constat ex dictis.

658. *Augustino Barbosa* ubi supra ait. (quia non est cercibile, Summum Pontificem velle reservare sibi dispensationem in casu tantæ necessitatis, & cum tanto periculo animarum) Et notandum est id verbum: *Non est credibile*, eodem modo, ac supra. Quo eodem modo plures alij authores loquuntur.

659. Et confirmatur hoc argumentum eodem tenore, quo illud confirmavi *in disp.* 79. *citata n.* 16. Etenim rectè censere, an hæc sit intentio Legislatoris, an alia, maximè pendet à judicio prudentum. Constat autem *ex 1 part. Crit. Theol. disp.* 12. in ijs; quæ omnino pendent à judicio prudentum, judicium omnium, aut ferè omnium prudentum facere certitudinem Moralem. Cum ergo sit sententia ferè omnium Doctorum, non esse intentio-

nem Pontificis, reservare uni sibi potestatem dispensandi in illis casibus urgentis necessitatis, idque maximè pendeat à judicio prudentum; censendum est certum moraliter, quod non sit intentio Pontificis illam sibi sic reservare pro illis casibus. Ex quibus omnibus constat, hunc esse casum Epikeiæ, quæ certitudinem importat, ut constat ex dictis. *Legat*, qui velit, ea octo fundamenta, quæ proposui pro hac assertione in ea *disp. 79.* citata. Nam omnibus illis perpensis non poterit non invenire certitudinem moralem quam affirmamus.

660. Et ideo multi Doctores eam doctrinam esse certam expresserunt. Nam P. *Gaspar Hurtado* verbis supra relatis ait: *Quod iam videtur certum &c.* Et *Rebellus supra citatus* dicit, id posse Episcopos per epikeiam, quæ ut constat ex dictis certitudinem importat. Et *Basilius ponze supra relatus* cum retulisset opinionem *Nicolai Garcia* asserentis, non posse dispensare Episcopum nisi necessitas sit publica subjungit (sed errat valde: ut constat ex his, quæ dixi supra) Neque enim potest affirmare, oppositam opinionem esse errorem, nisi censendo suam sententiam esse certam.

661. Ex quibus omnibus constat doctrinam hanc in praxi non subiacere huic damnationi, quia qui hanc sententiam deducit ad praxim, non eligit opinionem minus tutam circa valorem Sacramenti, sed sententiam omnino tutam, & moraliter certam.

QVÆSTIO II.

An subjiciatur huic damnationi opinio asserens, Matrimonium invalidum posse revalidari sine Parocho, & testibus.

SUMMARIUM.

Opinio negans tutior. n. 663.

Opinio affirmans, quæ videtur minus tuta. n. 664.

Hæc opinio affirmans, non subjicitur damnationi; quia à principiis intrinsecis certa est, & in praxi tuta. n. 665.

Ex ratione finali Decreti Tridentini ea est tuta. n. 666.

Item ex declaratione Pij V. & Sacræ Congregationis, & praxi Sacræ Pœnitentiariæ. n. 667. & seqq.

662. Hanc quæstionem optimè tractat *P. Thomas Sanchez lib. 2. de Matrim. disp. 36.* Et illam quidem procedere circa valorem Sacramenti, Matrimonij; certum est *ex Concil. Trident. sess. 24. cap. 1. de Reformat. Matrim.* declarante, irritum esse hujusmodi contractum celebratum absque Parocho, & testibus.

663. Prima ergo sententia, quæ dici potest tutior propugnat, Matrimonium coram Parocho, & testibus celebratum, si inveniatur postea esse nullum, habita dispensatione celebrandum iterum esse coram parocho, & testibus, etiamsi impedimentum sit omnino occultum, ita ut sine illis remanet invalidum Ita apud *P. Thomam Sanchez citatum tenent Gutierrez, palacios, Matienzo, perez, Bartholomæus de Ledesma, & VeraCruz.*

664. Secunda sententia è regione opposita (quæ videtur esse minus tuta) docet: si post contractum Matrimonium coram Parocho, & testibus, inveniatur esse nullum, propter impedimentum dirimens omnino occultum, & sine periculo publicitatis, posse revalidari solo mutuo consensu, & sine Parocho, & testibus. Ita apud ipsum *Thomam Sanchez, Navarrus, Enriquez, Pedraza, Cucus, Palacios* (qui videtur sibi contrarius) *Petrus de Ledesma, Ludovicus Lopez, Emanuel Rodriguez, Capuas Philiarchus & Vega.* Cum ergo hæc secunda sententia videatur esse minus tuta, & procedat circa valorem Sacramenti, subjici videtur huic damnationi.

665. Sed

665. Sed dicendum est, illam non subjici. Et quidem juxta doctrinam traditam *art. 3. & seqq.* id constat. Addo tamen, conclusionem esse veram independenter ab ea doctrina. Ratio est: quia quamvis sint aliqui Authores pro parte opposita; adhuc ista secunda sententia est certa à principiis intrinsecis; atque adeo non est minus tuta, sed omninò tuta, & reddens contractum, & Sacramentum certo validum.

666. Primo. Nam ex ipso textu Tridentini constat, non esse intentionem illius, comprehendere hunc casum. Circa quod audiendus est *P. Thomas Sanchez ibidem num. 3.* (*Ratio finalis Decreti Tridentini sess. 24. de Matrim. cap. 1.* statuentis, ut matrimonium coram Parocho, & testibus celebretur, ea fuit, ut constat ex ejus procemio, ut vitentur gravia peccata ex clandestinis nuptiis consurgentia, maximè eorum, qui clam cum una contrahunt, eaque relicta, aliud publicum Matrimonium ineunt, cui malo nequibat Ecclesia mederi, cum ipsi de priore Matrimonio minimè constaret. Sed hæc ratio non se extendit ad hunc casum, cum prius Matrimonium invalidum, in foro Ecclesiæ validum, & publicum fuerit (ejus enim nullitas, & impedimentum occulta sunt) & subinde si aliud Matrimonium inire vellent, impedirentur ab Ecclesia credente, Matrimonium illud publicum validum fuisse: ergo decretum Tridentini numquam hunc casum comprehendit.) Cujus syllogismi omnes tres propositiones sunt certæ. Nam major constat ex procemio Decreti; & minor ex ipsa comprehensione terminorum; & consequentia obligat. Videantur alia fundamenta apud præfatum *P. Thomam Sanchez*; quæ omnia moralem certitudinem important à principiis intrinsecis.

667. Secundò. Quia, ut refert *Navarrus ibidem citatus, Pius V.* declaravit, ita esse prædicandum; & Sacram Pœnitentiariam ea declaratione frequenter uti. Et *P. Enriquez lib. 11. de Matrim. cap. 3. num. 6. & in Commentar. lit. L.* refert, idem censuisse consultos Episcopos. *Covarrubias, Guerrero, & Blancor* qui interfuêre Tridentino. Et *Petrus de Ledesma de Matrimon. quæst. 45. art. 5. dub penult.* affirmat sic declarasse Cardinales. Et *P. Rebellus de Iust. part. 2. lib. 2. quæst. 9. num. 5.* refert eam declarationem Cardinalium.

668. Præterea id constat ex praxi Sacræ Pœnitentiariæ. Nam apud *Marcum Paulum Leonem* in praxi ad litteras majoris Pœnitentiariæ, quarum titulus est: *Pro eo, qui Matrimonium in facie Ecclesiæ contraxit cum muliere, cujus Sororem prius carnaliter cognoverat.* Et in præfatis litteris propè finem dicitur: (Cum eodem latore, ut dicta muliere de nullitate prioris consensus *certiora*, sed *ita cautè*, ut latoris delictum nusquam detegatur, Matrimonium cum eadem, & uterque inter se de novo, *Secretè ad evitanda scandala*, præmissis non obstantibus contrahere, &c. dispenses.) Ubi notanda sunt ea verba, *secretè ad evitanda scandala*, quæ denotant revalidandum esse Matrimonium sine publicitate Parochi, & testium. Et ideo *Marcus Paulus Leo in notis ad has litteras verb. Matrimonium. f. 177.* ait. (Adverbium vero illud *secretè* limitat modum contrahendi de novo, & excludit alias solemnes publicitates, hoc est, præsentiam *Parochi, & testium*, ac publicationes.) Ex quibus omnibus fit, hanc sententiam posse tuto deduci ad praxim, neque subjacere huic damnationi.

QUÆSTIO III.

An subjiciatur huic damnationi opinio asserens, Matrimonium invalidum posse revalidari, etiamsi alter conjux sit inscius nullitatis.

SUMMARIUM.

Exponitur hypothesis, in qua versatur quæstio. n. 669.

Prima sententia affirmativa proponitur, & casus urgentis necessitatis. n. 670.

Secunda sententia negans. n. 671.

Prima opinio, si loquatur extra casum extremæ necessitatis, subjacet damnationi. n. 673.

Quia est parum probabilis. n. 674.

Et quia oppositum constat ex praxi Sacræ Pœnitentiariæ. n. 675.

Non est necesse, quod alter conjux fiat conscius impedimenti in specie n. 676.

Pro casu extremæ necessitatis ea opinio non subjacet damnationi. n. 677.

Quæ solent esse indecentia respectu Sacramentorum, extrema necessitas facit, quod non sint talia. n. 678.

Praxis servanda in hac extrema necessitate. n. 680.

669. Frequenter contingere solet cum Matrimonium contractum sit bona fide ab utroque conjuge, postea unum ex eis conscium fieri impedimenti dirimentis, & obtenta secreto dispensatione velle revalidare Matrimonium. Circa quem casum inquiritur, an ut revalidetur, necesse sit, quod alter conjux, qui erat ignarus impedimenti, certior fiat de nullitate præcedenti.

670. In quo prima sententia docet, id non esse necessarium, præcipuè si timeatur scandalum. Hanc sententiam tuentur *Cajetanus*, *Sotus, Vera Cruz, Capua*, *Bartholomæus à Ledesma, Matienzo, Pedraza*, *Ludovicus Lopez*, *Corduba, Petrus de Ledesma, Enriquez*, *Manuel Rodriguez, & Angelus*, quos refert *P. Thomas Sanchez lib. 2. de Matrimon. disp. 36. num. 2.* quorum varia fundamenta ibidem affert. Sed quod magis urget in hac materia, est extrema necessitas, quæ solet concurrere, si fœmina revelet viro, se ante Matrimonium habuisse copulam cum fratre ejusdem viri; ex quo monita est à confessario de nullitate sui Matrimonii, si enim id revelet, exponitur periculo occisionis, aut perpetuæ inimicitiæ.

671. Secunda sententia docet, omninò esse necessarium ad revalidandum Matrimonium, quod alter conjux conscius fiat de nullitate Matrimonii. Ita apud præfatum *Thomam Sanch. cit. tuentur Innocentius, Ostiensis*, *Ioannes Andreas, Antonius, Ancharranus*, *Cardinalis, Enriquez, Alexander de Nevo, Præpositus, Scotus, Abulensis, Enricus, Loazes*, *Villalobos*, *Covarrubias, Richardus, Gabriel, Gothfredus*, *Rosella, Sylvester, Tabiena, Navarrus*, *Gregorius Lopez, Antonius Cucus, Perez, Adrianus, Viguerius, Vera Cruz, Angles*, *Petrus de Ledesma*, *Philiarcus, & alij.* Et maximè nititur hæc sententia in eo, quod hæc ignorantia impedimenti, & nullitatis est error circa substantiam contractus, & dans causam contractui. Et hanc secundam sententiam tenet *P. Thomas Sanch. citatus.*

672. Modò ergo inquiritur an prima sententia, quæ minus tuta est, & procedit circa valorem Matrimonii, possit licitè deduci ad praxim, vel potiùs maneat subjecta huic damnationi?

673. Dicendum est primò. Si hæc opinio loquatur extra casum extremæ necessitatis, ea quidem subjacet huic damnationi quoad praxim. Et ratio est. Nam licet dixerimus, Matrimonium celebratum juxtà opinionē probabilem esse omni ex parte indissolubile, & certò validum; id tamen expresse diximus habere locum, quando opinio est communiter recepta tamquam probabilis, non verò quan-

do

do est tenuis, aut dubiæ probabilitatis: atqui hæc opinio est tenuis, & dubiæ probabilitatis: ergo Matrimonium celebratum juxta illam, non est certò validum.

674. Probatur minor primò. Nam *P. Thomas Sanchez lib. 2. de Matrimon. disp. 26. num. 7.* sic differit: Nec in hoc casu potest tuta conscientia amplecti prior opinio, nimirum ut dissimulanter tecto impedimento conscius conjux ignoranti persuadeat, ut illum habeat in conjugem. Quia illa prior opinio est parum probabilis, habetque contra se rationes urgentissimas: quare illa uti, ubi gravissima necessitas minimè cogit, excusari à culpa lethali nequit.

675. Secundò. Nam in dispensationibus, quas Sacra Pœnitentiaria concedit pro his casibus, expresè ponit hanc conditionem, ut conjux ignarus impedimenti, fiat conscius illius, ut patet ex formula, quæ reperitur apud *P. Marcum Paulum Leonem in praxi ad litteras majoris Pœnitentiariæ part. 2 pag. 171.* ut patet ex illis verbis formulæ: *Cum eodem latore, ut dicta muliere de nullitate prioris consensus certiorata...dispenses.* Quo eodem modo conceditur facultas dispensandi in aliquibus hujusmodi impedimentis Commissario generali Cruciatæ, ut refert *P. Thomas Sanchez proxime citatus.* Vide etiam responsum *Clementis VIII. apud Basilium Ponze lib. 4. de Matrimon. cap. 25. num. 5.* eodem modo respondentem. Ex quò constat illam opinionem non esse receptam in praxi.

676. Notandum tamen est, non esse necessarium, quod conjux ignarus impedimenti, præcipuè si sit ex delicto, conscius fiat ipsius impedimenti in specie, sed sufficit, quod certior fiat de nullitate: quare conjux conscius poterit dicere ignoranti, se non habuisse consensum tempore celebrationis; cum revera consensus habitus eo tempore non fuerit validus. Et ita in formula dispensationis, quam dat Sacer Pœnitentiarius, dicitur: *Cum eodem latore, ut dicta muliere de nullitate prioris consensus certiorata, sed ita cautè, ut latoris delictum nusquam detegatur...dispenses.*

677. Dicendum est secundò, in casu extremæ necessitatis, in quo fœmina periclitaretur de vita, & non inveniretur via secura faciendi certiorem virum de nullitate Matrimonii, licitum esse eligere eam primam opinionem, & adhibere cautelam, ut alter conjux quamvis inscius nullitatis renovaret consensum. Ratio est: tum quia hæc damnatio non videtur comprehendere extremam necessitatem.

678. Tum quia extrema necessitas facit, ut quæ in communibus circumstantiis sunt indecentia respectu Sacramentorum, in hac circumstantia non sint talia. Sic indecens esset, & magna irreverentia irrogaretur Sacramento, si quis baptizaret in lixivio, quando esset copia aquæ naturalis, & tamen hac deficiente, & in extrema necessitate, nulla fit irreverentia Sacramento. Quia cum Sacramenta instituta sint pro salute animarum, potius cedit quasi in obsequium Sacramenti, quando istud applicatur pro salute animi ex opinione probabili minus tuta, quando ex hac pendet salus animarum, ut in extrema necessitate. Tum etiam. Nam ut proposui *in 1. part. Cris Theol. disp. 9. cap. 8. num. 133. ex mente P. Thomæ Sanchez, Navarri, & Soti*, in extrema necessitate sufficit tenuis probabilitas: quod quomodo sit intelligendum, & quomodo ex ipsa extrema necessitate probabilitas non maneat tenuis, *explicui in 3 part. Cris. Theolog. disp. 79. cap 2. num. 20.* & explicabo inferius in expositione tertiæ propositionis damnatæ. Ex quibus fit, in periculo extremæ necessitatis licitū esse uti ea prima opinione minus tuta;

&

& extremam necessitatem facere,ne illa sit irreverentia contra Sacramentum. Et hinc patet ad objectionem pro prima sententia propositam. Utramque conclusionem à nobis hic traditam tradit P. *Thomas Sanchez in disp. cit. num. 7.*

679. Idem *Doctor in disp. proxime citata num. 5.* ait, rectè revalidari Matrimonium, si conjux impedimenti conscius peteret ab alio sic ; (Me ita diligis, ut si non esset inter nos Matrimonium, denuò contraheres ; ac *ex nunc* vis me in conjugem , ac si non fuisset validum matrimonium inter nos prius contractum?) & respondeat alter: (Ita volo.) Et qui interrogavit, dicat, se idem : (Data opera dixi, *Volo ut ex nunc*: quia non sat esset , *si non consisteret inter nos Matrimonium, denuo contraherem*, quia non est consensus de præsenti hic & nunc contrahendi, qualis ad Matrimonium requiritur. Rationem reddit : quia novus ille consensus conditionatè adhibitus, procedit ex cognitione æquivalenti scientiæ nullitatis Matrimonii. In isto enim casu vult conjux inscius contrahere denuò Matrimonium sub ea conditione, si prius Matrimonium irritum fuit.

680. Sed quia variæ circumstantiæ concurrere solent, in quibus gravissima necessitas obstringit ad non revelandum impedimentum alteri conjugi P. *Thomas Sanchez* addit aliquas cautelas practicas, cum quibus Matrimonium revalidari potest. Prima est, si conjux conscius impedimenti dicat , se non habuisse consensum , quando contraxit Matrimonium. In quo non mentitur : quia prior ille consensus ratione impedimenti fuit nullus. Quæ cautela non raro prodesse poterit.

681. Sed quia in aliquibus viris ex hac cautela potest oriri temeraria aliqua suspicio, unde grande malum immineret fœminæ , propterea idem P. *Thom. Sanchez num. 8.* subjungit, quod si tale periculum immineret , posset deduci ad praxim ea opinio, juxta ea , quæ diximus in conclusione secunda. Deinde *num. 9.* subjungit ultimam conclusionem, asserendo, quando neque hic consensus à marito inscio posset extorqueri, quia non vult respondere, ex alia parte petit debitum ab uxore , ipsaque sine scandalo subterfugere nequit, potest absque verbis denuò Matrimonium illud consistere, copula illa affectu maritali habita ex parte sua , nam ex parte alterius, cum putet esse Matrimonium , constat eo affectu haberi ; quod locum habet etiamsi alter conjux ignoret prius Matrimonium fuisse invalidum. Hujus conclusionis rationem reddit: quia & si ea opinio extra casum necessitatis parum probabilitatis habeat, accedente tamen gravissima necessitate , præcipuè favore animæ, accrescit illi major probabilitas, *Ut ostendimus in conclusione secunda.*

682. Neque obstat, quod in contrarium affert *Basilius Ponze lib. 4. de Matrimon. cap. 25. num. 7.* scilicet si opposita opinio revera probabilis est in praxi, etiam extra casum necessitatis, poterit conjux illa uti. Sed id non urget: quia id, quod est indecens Sacramento extra casum necessitatis, facit, quod illa actio non sit indecens , maximè cum sit pro bono animæ.

DISERTATIO III.

An judex teneatur sequi opinionem probabiliorem ad normam censuræ contra propositionem secundam fulminatæ ?

CAPUT I.

Sensus propositionis secundæ damnatæ, & solida fundamenta damnationis.

SUM-

SUMMARIUM.

Refertur propositio damnata. n. 1.

Non est sensus decreti, quod semper debeat Iudex invenire probabiliorem. n. 2.

In quæstione facti certum est apud omnes, Iudicem sequi debere partem probabiliorem. n. 3.

Primum argumentum ex contractu cum Republica. n. 5.

Secundum ex eo, quod Iudex tenetur præstare munus suum meliori modo, quo possit. n. 6.

Tertium ex pravitate consequentiæ Authorum partis oppositæ. n. 7.

1. PRopositio secunda, quam damnat *Innocentius XI.* in hoc decreto, hæc est: *Probabiliter existimo, Iudicem posse judicare juxta opinionem etiam minus probabilem.* Ubi apertè damnat Pontifex assertionem, qua ea opinio dicitur probabilis. Quibus verbis manifestè declarat, illam esse improbabilem, aut saltem non esse probabilem.

2. Quare mihi ipsi gratulor, quod *in 1. parte Crist. Theol. disp. 15 cap. 15.* eisdem terminis tradiderim eamdem sententiam, quam promovet hoc decretum. Docui enim tamquam certum, numquam posse judicem sequi opinionem minus probabilem in sententia ferenda. Est autem advertendum non esse sensum hujus decreti, quod judex semper debeat invenire opinionem probabiliorem; aliquando enim id erit impossibile judici censenti utramque opinionem oppositam esse paris probabilitatis. Sed sensus est, quod quæstione diligenter examinata si invenerit unam partem esse probabiliorem, non possit sententiam ferre secundum minùs probabilem. Nota etiam, quod non solum damnat Pontifex opinionem, quæ dicit, Judicem posse dicere jus minùs probabile, sed etiam opinionem, quæ dicit, id esse probabile.

3. Et cum in judicio quæstio possit esse duplex, alia facti, & alia juris; de utraque debet intelligi hæc damnatio. Et quidem *in 1. part. Crist. Theol. disp. 6. cap. 6. num. 85.* asserui, omnes Doctores tamquam certum supponere, in quæstione de facto non posse judicem sequi minorem probabilitatem, imo neque æqualem pro una parte, utpotè quæ dubium generat, sed semper stare debere pro majore probabilitate. Sed quod id ita dixerim, me arguit *Filguera in expositione secunda propositionis.* §. *Plura tamen.* ex eo, quod ipse invenit duos scriptores, qui dixerunt, posse judicem sequi partem minùs probabilem in quæstione facti. Sed debuit advertere, cum omnes aut fere omnes Authores aliquam assertionem tueantur tamquam certam, unum vel alterum authorem non reputari; maximè, si nulla urgenti ratione muniti cæteris opponantur. Quarè iterum repeto, omnes id tamquam certum supponere.

4. In quæstione autem juris non posse Judicem ferre sententiam secundum opinionem minus probabilem, in eo *cap. 15. art. 1. & 2.* duobus argumentis probavi, quæ mihi videntur moraliter certa, & quæ sufficienter excludunt probabilitatem partis oppositæ.

5. Primum argumentum desumitur ex contractu, quem init Judex cum Republica administrandi justitiam meliori modo, quo possit, & in majorem utilitatem Reipublicæ. Videatur hoc argumentum *art. 2.* late propositum.

6. Secundum argumentum desumitur ex eo, quod cum quis promittit præstare munus suum meliori modo, quo possit, in ordine ad utilitatem publicam, abdicat à se libertatem sequendi opinionem probabilem, quæ ei utilitati publicæ sit adversa. Quod qua ratione conveniat judici, *art. 2.* latè monstratur, tùm ratione, tùm exemplis. Sic enim œconomus, qui stipendio conductus à Petro administrat rem familiarem Petri, adquam

Joannes habet jus probabile, tenetur administrare illam in favorem Petri, & non potest in favorem Ioannis: nam ex contractu inito cum Petro cedit libertati sequendi illam probabilitatem, quæ suffragatur Ioanni. *Relege totum argumentum in eo art. 2. citato.*

7. Et præter hæc duo argumenta aliud etiam proposui, præcipuè *num. 607. & num. 626.* desumptum ex eo, quod sit prava consequentia, quâ authores oppositæ partis nituntur, dum dicunt. (Quilibet prudenter operatur, dum sequitur opinionem probabilem: ergo Judex prudenter operatur, dum judicat secundum opinionem probabilem. Sed minus probabilis verè est probabilis: ergo Judex prudenter operatur, dum judicat secundum opinionem minus probabilem) Et ego inquiro ab oppositæ partis defensoribus, quomodo respondendum sit huic argumento post hanc damnationem? Et sicut respondendum est post illam, pravam esse eam consequentiam; ita ego ante illam loco citato demonstravi, eam esse pravam consequentiam, quia arguit à propositione directa ad reflexam. Nam licet probabilis sit hæc propositio directa: *Hæc domus est Petri*, ad quam domum Joannes habet jus probabilius; ex illa propositione directa malè infertur hæc propositio reflexa, *Iudex potest sequi opinionem probabilem, quæ suffragatur Petro*, quia ea propositio reflexa habet novum objectum ratione cujus limitatur ea probabilitas ex contractu Iudicis cum Republica. Vide etiã, quæ *dixi disp. 15. cap. 4. art. 2.*

CAPUT II.

An juxta hoc decretum Iudex sequi debeat eam opinionem, quæ probabilior est ab extrinseco, an quæ ab intrinseco?

ARTICULUS I.

Quinque conclusionibus deciditur quæstio.

SUMMARIUM.

Quæ sit opinio probabilior ab intrinseco, & quæ ab extrinseco? n. 9.

Si judex formet Iudicium certum de probabilioritate unius partis, non potest sequi oppositam, quamvis hæc multitudine, & præstantia Authorum prævaleat. n. 10.

Si non formet judicium certum de probabilioritate intrinseca, debet etiam attendere ad extrinsecam. n. 11.

Si judex inveniat minorem probabilitatem extrinsecam, & majorem intrinsecam, debet sequi potius intrinsecam, quam extrinsecã. n. 12.

An si judex sit certus, suam opinionem esse probabiliorem possit sequi minus probabilem quavis usu receptã? n. 13.

In materia juris humani dupliciter intelligi potest, quod opinio usu recepta sit præferenda à Iudice. n. 14. & seqq.

8. IN hac quæstione *Filguera in expositione secunda propositionis* §. *Ergo.* affirmat, Iudicem teneri ad sequendam opinionem ab intrinseco probabiliorem, relicta probabiliore extrinsecè. Addit tamen §. *Circa.* etiã post hoc decretum posse Iudicem ferre sententiam juxta opinionem magis receptam, quamvis minus probabilem. Sed hæc res majori eget indagine.

9. Et quidem probabilior ab intrinseco dicitur ea opinio, quæ urgentioribus rationibus fulcitur, sive petitis à ratione naturali, sive Theologica, sive à Constitutionibus Principis, aut alio capite æquivalenti. Probabilior ab extrinseco dicitur illa quæ majori nititur authoritate virorum sapientum. Hæc autem major authoritas non debet desumi à majori numero Authorum, sed à majori præstantia doctrinæ eorum, & à methodo discurrendi cum luculentiori discussione rationum. Et ideo *Navarrus in Sum. lat. cap. 27. numero 289.* ait, communiorem, atque adeò

adeò probabiliorem ab extrinseco esse opinionem sex Doctorum ex professo rem tractantium; præ opinione quinquaginta Authorum, sola ferè priorum authoritate nitentium. Quod latè tradidi *in 1. part. Crif. Theol disp. 11. cap. 2. art. 4. ex P. Thoma Sanchez, Navarro, Soto, Arriaga, Petro Hurtado, Castro Palao, Ioanne Sancio, Azor, Menochio, Alciato, & Caramuele. Et in eadem disp.* ostendi, non dare authoritatem opinionibus, nisi Authores sint omni exceptione majores. *Vide etiam, quæ tradidi in 3. part. Crif. Theol. disp. 57.*

10. Et primo quidem si Iudex formet judicium certum de jure huius partis, vel de probabilitate illius, sive id sibi proponatur ut certum moraliter, non potest judicare secundum oppositam opinionem, quantumvis multitudine, & præstantia Authorum ea opposita opinio prævaleat. Quia contra certitudinem nulla prævalet authoritas, nulla probabilitas; ut planè demonstravi *in 1. part. Crif. Theol. disp. 4. num. 6. & disp. 11. cap. 4. num. 106. & 3. part. disp. 55. num. 2. & disp. 56. cap. 11. num 657.* Etenim Author non habet authoritatem in eo, quod ignorat; sed si una pars est omninò certa, & Author docet oppositam, tunc Author ignorat principium certum, undè illa redditur certa: ergo talis author in eo non habet authoritatem. Vide reliqua hujus inconcussæ conclusionis fundamenta in locis citatis.

11. Secundò, si probabilioritas intrinseca ita sibi proponatur, ut non sit omninò certum, quod illa sit opinio probabilior ab intrinseco; tunc debet coadjuvare judicium probabilioritate extrinsecâ; & si probabilioritatem intrinsecam, & extrinsecam unius partis, quasi in una lance stateræ appensam, videat prævalere alterius partis probabilitati; tunc debet judicare secundum eam probabilioritatem, quæ ita sibi proponitur. Pontifex enim non loquitur specialiter de ista intrinseca, neque de illa extrinseca, sed de illa probabilioritate, quæ omnibus pensatis prævalet.

12. Tertiò contingere potest, quod Iudex inveniat pro sua opinione in quam inclinat, minorem probabilitatem extrinsecam, sed solidiora, & efficaciora fundamenta. Et in tali casu assentior ei assertioni, quod Judex debet potius gubernari probabilioritate intrinseca, quam extrinseca. Quia ad inclinandum intellectum ad unam partem, magis impellunt fundamenta intrinseca, quam dicta sapientium, si vir doctus scit perpendere fundamenta. Quod si Judex nesciat perpendere fundamenta, vel parum fidat proprio judicio, tunc poterit præcipuè attendere probabilioritati extrinsecæ, modo supra explicato, non tam attendendo ad numerum Authorum, quam ad præstantiam doctrinæ eorum.

13. Quartò id, quod addit *Filguera*, posse Judicem, relicta probabiliore, sequi opinionem minus probabilem, si hæc sit usu recepta, minimè approbo. Si enim quæstio sit juris naturalis, qualis esse solet in materia Restitutionis, imò & in multis materiis justitię, & Judici proponatur ut certum absque ulla formidine, suam sententiam esse veram, non potest se accommodare opinioni oppositæ, quantumvis usu receptæ. Quia ut supra dixi remissivè contra certitudinem nulla est probabilitas. Quod si responderit, se non loqui de propositione certa, sed de probabiliori; ideo sequentem conclusionem superaddo.

14. Quintò. In materia juris humani difficile est intelligere, quod opinio usu recepta sit præferenda opinioni probabiliori; & præterea censeo id esse expresse contra decretum. Et quidem duplici modo potest

intelligi quod *opinio sit usu recepta*. Primò, quatenus praxi, & moribus civium recepta est. Et hoc modo semper est probabilior, & quandoque omninò certa: nam consuetudo præscripta habet vim abrogandi legem: & vim interpretandi legem authenticè, imò & inducendi novam obligationem eo modo, quo dixi *in 2. part. Crit. Theol. disp. 23.* Cum ergo jus humanum his tribus modis cedat consuetudini, ita in materia juris humani non potest non prævalere, & ad ferendum judicium de praxi inducere certitudinem, vel probabilioritatem.

14. Secundo modo potest intelligi, quod *opinio sit usu recepta*, quatenus licet operatio ipsa non nitatur consuetudine, in tribunali tamen est consuetudine receptum, quod feratur sententia juxta talem opinionem. Et eodem modo necesse est, quod talis opinio reputetur certa, vel probabilior. Et quidem *in Cri. Theol. d. 12. c. 6.* quod invenies in Additionibus positis in *fine 2. partis n. 26.* ostendi, quâ ratione verum est axioma inter jurisprudentes vulgatum, nempe quod *Opinio communis habenda est pro lege*; quatenus intelligentia legis humanæ pendet maximè ab interpretatione omnium, aut ferè omnium sapientum. Nam quæstiones in materia legis humanæ ut in plurimum pendent vel à sensu verborum legis, vel à sensu, in quo lex intellecta est à populo, & ad praxim deducta: in utroque autem communis omnium, aut ferè omnium opinio facit certitudinem. Et siquidem loquamur de sensu verborum legis, is pendet omnino à significatione verborum: in ista autem sententiâ fere omnium facere evidentiam moralem, constat ex dictis ea *disp. 12. cap. 4.* Circa sensum autem, in quo lex intellecta, & recepta est à populo, ipsa praxis; & consuetudo decernit, quomodò practicè lex intelligenda sit. Cujus testes plenissimè probantes talem praxim sunt sapientes, concorditer, & ferè sine contradictione talem praxim tacitè, aut virtualiter affirmantes: maximè cum quæstio de praxi, & consuetudine populi sit quæstio facti, in qua testes sine contradictione aut continui contradictione affirmantes faciunt plenam probationem. Quæ omnia latius tradidi in citato loco Additionũ.

16. Hinc fit, quam difficilè intelligatur, quod opinio usu recepta, sive in populo, sive in tribunali, sit minus probabilis; quia cum multi Judices ex consilio virorum sapientum á multis retro annis ita legem intellexerint, sive quoad praxim populi, censendum est eos judices, & jurisconsultos facere certitudinẽ, aut probabilioritatem.

17. Neque obstat quod in alio tribunali judicetur secundum oppositam opinionem: nam diversa consuetudo in diverso populo facit diversum jus.

ARTICULUS II.

An Iudex judicium de probabilioritate possit subjicere judicio aliorum?

SUMMARIUM.

Cum judex habet certitudinem de probabilioritate suæ opinionis, non potest subjicere judicium suum alieno. n. 18.

Cum Iudex non est certus, sed opinatur, opinionem suam esse probabiliorem, potest judicium suum subjicere alieno. n. 19.

18. QUæstio est, an cum ad unam sententiam concurrunt plures judices v.g. in Cancellaria Granatensi, aut Pinciana, possit unus, qui suam opinionẽ putat probabiliorem, subjicere judicium suũ judicio aliorum Judicum? In qua quæstione dicendum est primo. Si præfatus Judex habeat certitudinem moralem, quod sua opinio est probabilior (quæ certitudo rarissimè contingit

tingit) tunc non potest subjicere judicium suum alieno. Patet assertio: quia dum certus est de probabilioritate suæ opinionis, certus est de obligatione judicandi secundum illam propter censuram hujus decreti: sed qui certus est de sua obligatione, & non se conformat illi, delinquit: ergo ille Iudex, si aliter fert sententiam, delinquit.

19. Dicendum est secundò, si suam opinionem putat probabiliorem, & probabilioritas non proponitur illi, ut certa (quod plerumque contingit) posse præfatum judicem, audientem fundamenta partis oppositæ, subjicere judicium suum judicio alieno, censens propter authoritatem aliorum Judicum; illorum opinionem esse probabiliorem. Et ratio est: quia ubi non cogit evidentia veri, potest quis existimare judicium alterius esse melius, & probabiliùs: ergo ubi non cogit evidentia de probabilioritate, poterit quis existimare, judicium aliorum de illa esse melius, & probabilius. Et hanc utramque conclusionem videtur tradidisse *Raymundus Lumbier 3. tom. Summ. in expositione hujus secundæ propositionis num.* 1732.

ARTICULUS III.

An debeat parere Iudex Inferior, si Superior præcipiat, ut dicat jus secundum minus probabilem?

SUMMARIUM.

Proponitur ratio dubitandi. n. 20.

Si judex inferior certus est de probabilioritate suæ opinionis, non potest obedire Superiori, ut judicet secundum minus probabilem. n. 21.

Si judex inferior cum formidine censeat, suam opinionem esse probabiliorem, & Superior censeat, oppositam esse probabiliorem, inferior debet judicare secundum opinionem Superioris. n. 23.

Quid si Superior censeat, suam opinionem esse minùs probabilem? n. 24.

20. PRæsens quæstio est, an si Judex Superior præcipiat Judici inferiori, v.g. Episcopus suo Vicario generali, ut sententiam ferat secundum opinionem, quam Judex inferior censet minus probabilem, possit, aut debeat prædictus Judex inferior obtemperare Superiori. Et quidem ex doctrina generali, quam tradidi *in 1. part. Crist. Theol. disp. 16. cap. 4. & in 3. part. disp. 56. cap. 7. art. 3.* oritur ratio dubitandi. Nam quando subditus judicat suam opinionem probabiliorem circa honestatem rei præceptæ, & Prælatus præcipit secundum opinionem probabilem oppositam, potest, & debet subditus obedire: quia tenetur obedire, ubi non cernitur manifestè peccatum: ergo poterit, & debebit Judex inferior, licet sua opinio sit probabilior, accommodare se opinioni Superioris præcipientis.

21. Dicendum est primo, si Iudex inferior formet judicium omninò certum, quo censeat suam opinionem esse probabiliorem; nec debet, nec potest obtemperare Superiori, ferendo sententiam secundum opinionem minus probabilem sui Superioris. Demonstratur. Eatenùs subditus censens suam opinionem probabiliorem potest, & debet obedire Prælato præcipienti secundum opinionem probabilem de honestate operationis, quatenus in eo non cernitur manifeste peccatum; sed in hoc casu si Judex inferior ferat sententiam secundum opinionem minus probabilem, in eo cernitur manifestè peccatum: ergo nec debet nec potest obedire.

22. Minor patet. Tunc enim cernitur manifestè peccatum in operatione, quando id, quod reducitur ad praxim, est certo peccatum; & ei, qui operatur, proponitur ut certa ea malitia: sed in hoc casu ex hac declaratione

tione Pontificis, quod Iudex ferat sententiam secundum opinionem minus probabilem, ex se est certò peccatum; & id proponitur Iudici inferiori, ut certum; quia format judicium certum, & absque formidine, quod sua opinio est probabilior: ergo in ea prolatione sententiæ secundum opinionem minùs probabilem, cernitur manifestè peccatum.

23. Dicendum est secundò. Si Iudex inferior censeat cum formidine, & sine certitudine, suam opinionem esse probabiliorem; Iudex autem Superior censeat suam oppositam esse probabiliorem, tenetur ille obtemperare, & ferre sententiam secundum opinionem Superioris. Ratio est: nam ut dixi *in locis citatis 1. & 3. part. Crif. Theolog.* ubi non cernitur manifestè peccatum, tenetur subditus obedire Superiori, sive sit in materia dubia, sive sive in materia probabili.

24. Dicendum est tertiò. Si Iudex Superior censeat, suam opinionem esse minus probabilem, atque adeo opinionem oppositam Iudicis inferioris probabiliorem; & præcipiat Iudici inferiori, eo non obstante, ut ferat sententiam juxta opinionem minùs probabilem talis Superioris, non tenetur, nec potest Judex inferior obtemperare, nisi Judex inferior censeat probabiliorem, quam superior censet minùs probabilem. Ratio est: quia Superior judicans suam opinionem minùs probabilem, peccat id præcipiendo: nam ex hac declaratione Pontificis id est manifestè peccatum; & consequenter non habet jurisdictionem ad id præcipiendum: quia ejus jurisdictio non extenditur ad præcipiendum id, quod sine peccato exerceri non potest. Ex quo manifestè infertur, quod subditus nec tenetur, nec potest obedire, utpotè in materia, quæ sine peccato exerceri non potest.

25. Dixi, *Nisi Iudex inferior censeat probabiliorem, quam Superior censet minus probabilem.* Id quod intelligendum est, non solum, quia in judicando debet sequi opinionem probabiliorem juxta hanc declarationem *Innocentij XI.* sed etiam novo titulo, scilicet quia præceptum Superioris urget: quia quamvis ipse Superior peccat id præcipiendo, habet tamen jus præcipiendi id, quod sine peccato potest exerceri. Quandò autem Judex inferior censet probabiliorem, quam Superior judicat minùs probabilem, rem præcipit, quæ sine peccato potest exerceri. Et ex dictis constat ad rationem dubitandi initio articuli propositam.

CAPUT III.

An in criminalibus possit, aut debeat Iudex sententiam ferre pro reo juxta opinionem minus probabilem?

SUMMARIUM.

Proponitur opinio aliorum. n. 26.

An laborent in æquivoco Authores ejus opinionis? n. 27. & seqq.

Pro æquivocatione tollenda distinguere oportet opinionem directam à reflexa. n. 31.

Etiam in causis criminalibus Iudex debet judicare secundum opinionem probabiliorem. Ibidem.

26. IN hac quæstione *Raymundus Lumbier tom. 3. Summa in expositione hujus secundæ propositionis num. 1731. & Emmanuel de Filguera in Lucerna Decretali in expositione hujus secundæ propositionis* §. *Imo* affirmant, in criminalibus posse, & debere judicem sequi opinionem minùs probabilem, quando hæc est in favorem rei; censent autem, hanc resolutionem non opponi huic decreto *Innocentij XI.* Primò (ait *Lumbier*) *ex Regula 11. de Regul. jur. in 6. Cum sunt partium jura obscura, reo favendum est potius, quam actori.* Secundò (ait *Filgue-*

Filguera) (Cum non sit præsumendum, Sedem Apostolicam velle quempiam pœnis addici, cujus facinora non sint omninò certa : nam reus est in possessione suæ innocentiæ.) &c. Et ante hoc decretum scribentes, idem docent *Antonius Diana in Addit. 3. partis resolut. 13. & apud ipsum Sayrus, Salon, Pharaonius, Alphonsus de Leone, Merolla, Salas, Villalobos, & Moure.*

27. Sed censeo, eos scriptores in æquivoco laborare, dum dicunt, Judicem posse in criminalibus, relicta probabiliori opinione, sequi minùs probabilem favorabilem reo. Quod sic ostendo. Ista conclusio, (Quod Iudex debet sequi in criminalibus opinionem favorabilem reo, quantumvis minus probabilem,) vel est certa, vel probabilior, vel minùs probabilis. Si dicant, eam conclusionem esse minùs probabilem, infero : ergo isti scriptores docent nos advertenter doctrinam minùs probabilem. Quis autem est Author, qui suam doctrinam non dicat probabiliorem opposita? Quæ cum sit minùs probabilis, incurret damnationem hujus decreti.

28. Sed quia hoc respondere non possunt, quia pluris facere debent suam conclusionem; respondebunt, illam esse certam, aut saltem probabiliorem. Infero: Quomodo ergò dicunt, tunc non procedere judicem secundum opinionem probabiliorem, si probabilius est, quod judex debet judicare secundum opinionem reo favorabiliorem? Quomodo id ponitur tanquam exceptio à doctrina generali, quod judex semper debet dicere jus probabilius?

29. Secundò. Ideo, juxta *Lumbierium*, potest judex in criminalibus sequi opinionem minùs probabilem; quia juxta Regulam 11. *de Regul. jur. in 6.* cum partium jura sunt obscura, reo favendum est potiùs, quam actori; sed hæc regula intelligitur non solum de criminalibus, sed etiam de civilibus: ergo etiam in civilibus poterit, & debebit judex sequi opinionem minùs probabilem.

30. Minor constat, tum ex communi sententia interpretum juris; tum etiam *ex cap. fin. de sent. & re jud.* ubi dicitur; *Tenet pro reo, non pro Actore sententia, nisi in causa favorabili, puta Matrimonio, libertate, dote, &c.* Ex quibus verbis constat, non agi de solis criminalibus.

31. Pro qua æquivocatione tollenda, distinguenda est propositio directa à reflexa : ita ut quamvis judex in criminalibus possit sequi opinionē directā minùs probabilē, reflexa tamē, in qua consistit ultimū judicium, sit certa, vel probabilior v.g. est quæstio, an judex condemnans reum pœna capitali, teneatur admittere appellationem? Da ergo, quod opinio asserens, teneri judicem admittere appellationem, sit minùs probabilis. In hoc casu distingue has duas propositiones; primam directam: *Iudex tenetur admittere appellationem in causa capitali.* Secundam reflexam: *Hæc opinio, quod Iudex tenetur admittere appellationem in causa capitali, est reo favorabilis; & ideo ad praxim deducenda.* Et quamvis prima sit minùs probabilis; secunda, in qua consistit ultimum judicium, est certa, vel probabilior. Et ita sustinendum est etiam in causis criminalibus amplectendam esse decisionem hujus decreti de obligatione judicis, dicendi jus probabiliùs.

CAPUT IV.

An Iudex possit ferre sententiam secundum opinionem minus probabilem pro eo, qui possidet?

SUMMARIUM.

Modus dicendi Filgueræ proponitur. n. 32.

Impropriè dicitur, quod ratione possessionis possit Iudex sequi minùs probabilem. n. 33.

Arti-

Articulus proprietatis, & articulus possessionis sunt diversi. n. 34.
Alia est possessio facti; & alia juris. Et quid utraque sit? n. 35. & 36.
Qui habet jus retinendi ratione possessionis legitimæ, non potest esse probabile, quod ille debeat restituere ratione proprietatis probabilis. n. 37.
Quomodo in articulo proprietatis debet Iudex decernere secundum jus probabilius? n. 38.
Quomodo, probata legitima possessione, non possit Iudex decernere secundum opinionem probabiliorem de proprietate. n. 39.
Quid debeat facere Iudex, cum possessio est probabiliter legitima? n. 40.

32. Filguera *in expositione hujus secundæ propositionis* §. *Si autem*, docet posse Judicem sequi opinionem minùs probabilem in hoc casu, in hæc verba: (Si autem pars habeat pro se opinionem probabiliorem, & altera tantum probabilem simul cum possessione legitima, tenetur Judex sententiam ferre in favorem partis possidentis. Nam hoc non est judicare juxta opinionem probabilem, probabiliori relicta, eo quod excessus, quem habet opinio probabilior respectu probabilis, confunditur, & absolvetur per legitimam possessionem, quæ quidem est maximæ considerationis, quia semper est melior possidentis conditio.) Et subjungit varios textus pro ea assertione. Et quidem de re non dissentio; sed modum explicandi non sequor.

33. Melius ergò explicari existimo, si dicatur, si Petrus coram Judice sistitur, ut restituat hæreditatem, & ipse plenè probet possessionem legitimam hæreditatis, non posse Judicem spoliare illum hæreditate propter opinionem probabilem de proprietate Joannis, etiamsi ea opinio sit magis probabilis; sed debere manutenere Petrum in sua possessione: quia jus possessionis, tamquam jus certum retinendi, non potest infringi sola probabilitate proprietatis Joannis. Et ideo Judex in hoc casu non solum non procederet juxta opinionem minus probabilem, neque solum secundum probabiliorem, sed secundum opinionem omninò certam de jure, quod habet Petrus ratione possessionis legitimæ, ne spolietur.

34. De hac materia *late egi in 1. part. Crist. Theol. disp. 16. cap. 8.* Et ex ibi dictis præmitto primò, esse duos articulos diversos in judicio, articulum proprietatis, & articulum possessionis legitimæ. Nam articulus proprietatis est circa dominium rei, aut quasi dominium, quod distingui à possessione evidens est; cum plerumque reperiatur in subjecto dominium, absque possessione, & è converso.

35. Præmitto secundò, possessionem aliam esse facti, & aliam juris. Possessio facti est ipsa rei apprehensio, qua ratione fur dicitur possidere rem furto ablatam. Possessio juris definitur à Iurisprudentibus esse *jus insistendi rei non prohibitæ possideri*; diciturque possessio legitima, quia leges statuerunt aliqua requisita, quibus vestita possessio dat possidenti jus retinendi.

36. Præmitto tertiò, hoc jus retinendi esse omninò certum, utpotè à legibus clarè, & & expressè constitutum, *ut latè ostendi ibidem art. 4.* ex communi omnium, aut ferè omnium doctorum, & argumentis moraliter demonstrativis.

37. Præmitto quartò, id, quod etiam docui *ibid. art. 5.* scilicet implicare contradictionem, quod cum Petrus habet jus certum retinendi rem ratione possessionis legitimæ, possit esse probabile, quod illam debet restituere Ioanni ratione proprietatis, quæ probabiliter huic competit. Quia si certum est, quod potest retinere rem, est certò falsum, quod non potest illam retinere: ergò non potest esse probabile: quod debet restituere

tuere illam, sive quod idem est, quod non potest illam retinere: cum implicet contradictionem, quod eadem propositio sit certo falsa, & probabilis. Vide in loco citato hoc argumentum latius propositum, & multis confirmatum.

38. His præmissis, sit prima conclusio. Quando in judicio versatur articulus proprietatis sine plena probatione possessionis legitimæ, potest, & debet Iudex rem decernere secundum opinionem probabiliorem de proprietate, & sine attentione ad possessionem. Patet: quia Iudex debet procedere juxta allegata, & probata; cum ergo non sit probata possessio legitima, debet jus dicere eodem modo, ac si pro neutra parte esset possessio.

39. Sit secunda conclusio. Si una pars probaverit plenè possessionem legitimam, & altera pars habeat solum proprietatem probabilem, aut probabiliorem, & uterque articulus versetur in eo judicio, non potest Iudex jus dicere pro parte non possidente, quamvis habeat proprietatem probabiliorem Ratio est: quia tunc Iudex debet jus dicere secundum sententiam certam: est enim certum, quod ille, qui plenè probavit possessionem legitimam, non potest spoliari propter opinionem probabilem de proprietate, ut constat *ex præmisso* 4. Si autem Iudex censuerit à principiis intrinsecis, proprietatem partis non possidentis esse certam, poterit, & debebit jus dicere pro parte non possidente: quia contra proprietatem certam nulla prævalet alterius possessio.

40. Sit tertia conclusio. Si in judicio controvertatur uterque articulus possessionis, & proprietatis, & possessio sit solum probabiliter legitima, tunc potest, & debet Iudex jus dicere secundum opinionem probabiliorem de proprietate; nec tenetur stare præcisè possessioni. Et quidem possessio legitima aliquādo subsistit in sola probabilitate, vel quia deficit juris adminiculum juxta opinionem probabilem, vel quia est probabile, legem resistere possessioni. Iam vero patet conclusio. Quia ubi possessio non est omninò certa, & proprietas alterius est probabilis, Iudex debet perpendere rationes utrinsque articuli, & stare pro jure probabiliori.

41. An Autem satius sit incipere causam à possessione, an à proprietate, *vide quæ dixi in ea disp. 16. cap. 1. art. 6. à num. 193.*

CAPUT V.

An judex circa valorem Sacramenti debeat sequi opinionem minus probabilem, si illa sit tutior?

NON EGET SUMMARIO.

42. Casus iste potest frequenter occurrere, in quo Iudex debeat ferre sententiam circa valorem Sacramenti. Inquiritur ergo, an possit ferre sententiam, non secundum opinionem probabiliorem, sed secundum minus probabilem, si ista est tutior. Et ratio dubitandi est: quia fidelis volens recipere Sacramentum, non potest sequi opinionem probabiliorem, sed sequi debet minus probabilem circa valorem Sacramenti, si hæc minus probabilis est tutior, ut constat ex hoc decreto *Innocentii XI.* ergo Iudex eodem modo debet judicare circa valorem ejus Sacramenti; quia Iudex debet judicare secundum legem, qua tenetur pars litigans.

43. Dicendum tamen est, etiam in hoc casu Iudicem debere judicare secundum opinionem probabiliorem, vel secundum sententiam omninò certam. Patet assertio. Quia licet opinio, quæ versatur circa valorem, & est tutior, sit minus probabilis, tamen ultimū judiciū in hac materia, est omninò certum.

Etenim ex hoc decreto Inocentij certum est, quod debemus sequi in collatione Sacramentorum opinionem tutiorem, etiam si sit minus probabilis: ergo Iudex in tali casu iudicans secundum eam opinionem tutiorem, judicat quidem secundum sententiam certam.

44. Confirmatur. Nam opinio tutior in collatione Sacramentorum, quamvis formaliter, & immediatè sit minus probabilis, tamen ex dictamine reflexo, quod est judiciũ ultimum quoad praxin, manet omninò certa: quia certum est, illam quamvis minus probabilem practicandam esse; sed judex circa valorem Sacramenti debet habere hoc judicium ultimum reflexum, & secundum illud judicare: ergò tenetur judicare in hoc casu secundum sententiam certam, ne dum probabiliorem. Et hic patet ad rationem dubitandi.

CAPUT IV.

An judex Ecclesiasticus inferat violentiam, quando judicat secundùm opinionem minus probabilem.

SUMMARIUM.

Iudices regij non possunt removere violentiam Ecclesiastici de jure, sed dumtaxat de facto. n. 45.

Quando est probabile, quod Ecclesiasticus *protulit sententiam rectam, quamvis Iudices Regij habeant probabilitatem de opposito, iniquè agunt impediendo executionem.* n. 46.

Cum Iudex Ecclesiasticus non vult admittere appellationem, ductus opinione, qua evidenter est minus probabilis, violentiã infert. n. 47. & 48.

Quando non est evidens, præfatam opinionem esse minùs probabilem, & si videatur Iudicibus Regijs minus probabilis, Ecclesiasticus non infert violentiam, & peccant Iudices laici impediendo executionem. n. 49.

Cum causa est spiritualis, iniquè agunt Iudices Regij decernendo, illam esse laicalem. n. 51.

Si certum esse laicalem, Ecclesiasticus infert violentiam intendens arcere ab illa Iudicem laicum. n. 52.

Quomodo non inferat violentiam, non minus probabile est, quod causa est spiritualis. n. 53. & seqq.

45. De hac materia *latè egi in 1. part. Crist. Theol. disp. 45. art. 5.* Et ex ibi traditis quæstionem hanc facilè expediam. Pro cujus rei claritate præmitto primo licitum esse Iudicibus Regiis, non de jure, sed dumtaxat de facto, removere violentiam Iudicis Ecclesiastici; eo modo quo admittitur à Sacra Rota Romana in decisione Oscensi canonicatus, quam refert *Diana part. 5. ad finem. Cujus verba retuli in eo art. 5. citato.*

46. Præmitto secundo id, quod ibidem docui *num. 652.* Scilicet, quando vere probabile est, quod Iudex Ecclesiasticus hic & nunc rectam profert sententiam, quamvis Iudicibus Regijs videatur probabile, quod sententia non est recta, inique agunt Iudices, dum prætextu violentiæ conantur impedire executionem. Et ratio ibidem tradita convincit. Nam implicat contradictionem, quod quis operetur probabiliter, & inferat violentiam: si enim infert violentiam non operatur probabiliter; est enim improbabile, quod liceat inferre violentiam. Ex quo metaphysica evidentia constat, eum, qui operatur probabiliter, non inferre violentiam.

47. Est ergo quæstio præsens, an si Iudex Ecclesiasticus in ferenda sententia sequatur opinionem minus probabilem, quæ tamen sit vere probabilis, inferat violentiam, & possint Iudices Regij de facto, quamvis non de jure, amovere eam violentiam. v. g. Præcipit Iudex Ecclesiasticus Clerico, ut restituat aliquam pecuniæ quantitatem sub excommunicatione latæ sententiæ; iste appellat

lat Superiorem. Et quia forte est quæstio controversa, an in talibus circumstantijs possit Iudex urgere ad executionem, remota appellatione, in qua quæstione est varietas opinionum; & opinio, quæ docet, non debere admitti appellationem, est minus probabilis; & adhuc Iudex ecclesiasticus non vult admittere appellationem, juxta eam opinionem minus proba bilem; quæritur an Iudex in hoc casu inferat violentiam, & Iudices Regij possint illam de facto coercere:

48. Sit prima conclusio. Si sit certum, & evidens (quod numquã, aut raro eveniet) illam opinionem, secundum quam Iudex Ecclesiasticus urget ad executionem, remota appellatione esse minus probabilem; Iudex infert violentiam, neque errant Iudices Regij, dum censent, eam esse violentiam. Probatur: Tunc enim Iudex infert violentiam, quando fert sententiam contra jus, & fas; sed in hoc casu ita procedit Iudex Ecclesiasticus: ergo infert violentiam. probatur minor: ex hoc decreto *Innocentij XI.* constat, iudicem illicite ferre sententiam, si ferat secundum opinionem minus probabilem; sed procedere contra hoc decretum est procedere contra ius & fas: ergo in hoc casu ita procedit.

49. Sit secunda conclusio. Quando non est evidens, opinionem, secundum quam procedit Iudex Ecclesiasticus, esse minus probabilem, etiam si minus probabilis videatur aliquibus jurisperitis, aut cõsiliarijs regis tunc non potest censeri, quod infert violentiam. Patet conclusio. Quia nõ censetur violentia, nisi iniuria sit evidẽs; sed in hoc casu nõ est evidens: ergo nõ est cẽlenda violentia. Patet minor; quia tota violentia reducitur ad hoc, quod Iudex non sequatur opinionem probabiliorem in sententia lata: sed non est evidens, quod illa opinio, à qua declinat sententia Judicis Ecclesiastici, si propabilior, atque adeo non est evidens, illum non sequi opinionem probabiliorem; ergo in eo casu non datur injuria evidens.

50. Confirmatur. Quia si propter probabilioritatem opinionis, quæ non est evidenter talis, impediri posset executio Iudicis Ecclesiastici, cum unusquisque suam propriam opinionem censeat probabiliorem; maxima vexatio immineret Iudicibus Ecclesiasticis, dum illis una pars videtur probabilior, & Iudicibus Regijs videtur etiam probabilior opposita; si ideo vellent impedire executionem Iudicis Ecclesiastici. Quare, & si non de jure, sed solum de facto velint impedire, iniquè, & Sacrilegè operabuntur contra immunitatem Ecclesiasticam.

51. Alius articulus violentiæ intentari solet contra Iudicem Ecclesiasticum, quando scilicet arguitur, quod causa, circa quam intẽdit cognoscere, sit laicalis, & quæ ad eius tribunal non spectat. Et quidem cum causa est spiritualis, & ad huc auditores Regij decernunt (quod vulgo dicitur) *Auto de legos*, id est, causam esse laicalem, iniquè, & sacrilegè procedunt, mittentes falcem in causam spiritualem, circa quam nulla gaudent jurisdictione ut clare docui *in eo art. 5. cit.*

52. Deinde si certum est, causam esse laicalem, sine dubio infert violentiam Iudex Ecclesiasticus, dùm intendit arcere ab illa Iudicem laicum, & eam sibi arrogare. Quare in tali casu non peccant auditores Regij, si de facto impediant Iudicem Ecclesiasticum à cognitione causæ evidenter laicalis.

53. Sit tertia conclusio. Si est verè probabile, quod causa est spiritualis, licet sit minus probabile, & Iudex Ecclesiasticus cognoscit de illa, non infert violentiam. Probatur. Si propter aliquid inferret violentiam, maxime quia opinio de qualita-

Joannes habet jus probabile, tenetur administrare illam in favorem Petri, & non potest in favorem Ioannis: nam ex contractu inito cum Petro cedit libertati sequendi illam probabilitatem, quæ suffragatur Ioanni. *Relege totum argumentum in eo art. 2. citato.*

7. Et præter hæc duo argumenta aliud etiam proposui, præcipuè *num. 607. & num. 626.* desumptum ex eo, quod sit prava consequentia, quâ authores oppositæ partis nituntur, dum dicunt. (Quilibet prudenter operatur, dum sequitur opinionem probabilem: ergo Judex prudenter operatur, dum judicat secundum opinionem probabilem. Sed minus probabilis verè est probabilis: ergo Judex prudenter operatur, dum judicat secundum opinionem minus probabilem) Et ego inquiro ab oppositæ partis defensoribus, quomodo respondendum sit huic argumento post hanc damnationem? Et sicut respondendum est post illam, pravam esse eam consequentiam; ita ego ante illam loco citato demonstravi, eam esse pravam consequentiam, quia arguit à propositione directa ad reflexam. Nam licet probabilis sit hæc propositio directa: *Hæc domus est Petri*, ad quam domum Joannes habet jus probabilius; ex illa propositione directa malè infertur hæc propositio reflexa, *Iudex potest sequi opinionem probabilem, quæ suffragatur Petro*, quia ea propositio reflexa habet novum objectum ratione cujus limitatur ea probabilitas ex contractu Iudicis cum Republica. Vide etiã, quæ *dixi disp. 15. cap. 4. art. 2.*

CAPUT II.

An juxta hoc decretum Iudex sequi debeat eam opinionem, quæ probabilior est ab extrinseco, an quæ ab intrinseco?

ARTICULUS I.

Quinque conclusionibus deciditur quæstio.

SUMMARIUM.

Quæ sit opinio probabilior ab intrinseco, & quæ ab extrinseco? n. 9.

Si judex formet Iudicium certum de probabilioritate unius partis, non potest sequi oppositam, quamvis hac multitudine, & præstantia Authorum prævaleat. n. 10.

Si non formet judicium certum de probabilioritate intrinseca, debet etiam attendere ad extrinsecam. n. 11.

Si judex inveniat minorem probabilitatem extrinsecam, & majorem intrinsecam, debet sequi potius intrinsecam, quam extrinsecã. n. 12.

An si judex sit certus, suam opinionem esse probabiliorem possit sequi minus probabilem quavis usu receptã? n. 13.

In materia juris humani dupliciter intelligi potest, quod opinio usu recepta sit præferenda à Iudice. n. 14. & seqq.

8. IN hac quæstione *Filguera in expositione secundæ propositionis* §. *Ergo.* affirmat, Judicem teneri ad sequendam opinionem ab intrinseco probabiliorem, relicta probabiliore extrinsecè. Addit tamen §. *Circa.* etiã post hoc decretum posse Iudicem ferre sententiam juxta opinionem magis receptam, quamvis minus probabilem. Sed hæc res majori eget indagine.

9. Et quidem probabilior ab intrinseco dicitur ea opinio, quæ urgentioribus rationibus fulcitur, sive petitis à ratione naturali, sive Theologica, sive à Constitutionibus Principis, aut alio capite æquivalenti. Probabilior ab extrinseco dicitur illa quæ majori nititur authoritate virorum sapientum. Hæc autem major authoritas non debet desumi à majori numero Authorum, sed à majori præstantia doctrinæ eorum, & à methodo discurrendi cum luculentiori discussione rationum. Et ideo *Navarrus in Sum. lat. cap. 27. numero 289.* ait, communiorem, atque adeò

adeò probabiliorem ab extrinseco esse opinionem sex Doctorum ex professo rem tractantium, præ opinione quinquaginta Authorum, sola ferè priorum authoritate nitentium. Quod latè tradidi *in 1. part. Crif. Theol disp. 11. cap. 2. art. 4. ex P. Thoma Sanchez, Navarro, Soto, Arriaga, Petro Hurtado, Castro Palao, Ioanne Sancio, Azor, Menochio, Alciato, & Caramuele. Et in eadem disp.* ostendi, non dare authoritatem opinionibus, nisi Authores sint omni exceptione majores. *Vide etiam, quæ tradidi in 3. part. Crif. Theol. disp. 57.*

10. Et primo quidem si Iudex formet judicium certum de jure huius partis, vel de probabilitate illius, sive id sibi proponatur ut certum moraliter, non potest judicare secundum oppositam opinionem, quantumvis multitudine, & præstantia Authorum ea opposita opinio prævaleat. Quia contra certitudinem nulla prævalet authoritas, nulla probabilitas; ut planè demonstravi *in 1. part. Crif. Theol. disp. 4. num. 6. & disp. 11. cap. 4. num. 106. & 3. part. disp. 55. num. 2. & disp. 56. cap. 11. num 657.* Etenim Author non habet authoritatem in eo, quod ignorat; sed si una pars est omninò certa, & Author docet oppositam, tunc Author ignorat principium certum, undè illa redditur certa: ergo talis author in eo non habet authoritatem. Vide reliqua hujus inconcussæ conclusionis fundamenta in locis citatis.

11. Secundò, si probabilioritas intrinseca ita sibi proponatur, ut non sit omninò certum, quod illa sit opinio probabilior ab intrinseco, tunc debet coadjuvare judicium probabilioritate extrinsecâ; & si probabilioritatem intrinsecam, & extrinsecam unius partis, quasi in una lance statera appensam, videat prævalere alterius partis probabilitati; tunc debet judicare secundum eam probabilioritatem, quæ ita sibi proponitur. Pontifex enim non loquitur specialiter de ista intrinseca, neque de illa extrinseca, sed de illa probabilioritate, quæ omnibus pensatis prævalet.

12. Tertiò contingere potest, quod Iudex inveniat pro sua opinione in quam inclinat, minorem probabilitatem extrinsecam, sed solidiora, & efficaciora fundamenta. Et in tali casu assentior ei assertioni, quod Judex debet potius gubernari probabilioritate intrinseca, quam extrinseca. Quia ad inclinandum intellectum ad unam partem, magis impellunt fundamenta intrinseca, quam dicta sapientium, si vir doctus scit perpendere fundamenta. Quod si Judex nesciat perpendere fundamenta, vel parum fidat proprio judicio, tunc poterit præcipuè attendere probabilioritati extrinsecæ, modo supra explicato, non tam attendendo ad numerum Authorum, quam ad præstantiam doctrinæ eorum.

13. Quartò id, quod addit *Filguera*, posse Judicem, relicta probabiliore, sequi opinionem minus probabilem, si hæc sit usu recepta, minimè approbo. Si enim quæstio sit juris naturalis, qualis esse solet in materia Restitutionis, imò & in multis materiis justitię, & Judici proponatur ut certum absque ulla formidine, suam sententiam esse veram, non potest se accommodare opinioni oppositæ, quantumvis usu receptæ. Quia ut supra dixi remissivè, contra certitudinem nulla est probabilitas. Quod si responderit, se non loqui de propositione certa, sed de probabiliori; ideo sequentem conclusionem superaddo.

14. Quintò. In materia juris humani difficile est intelligere, quod opinio usu recepta sit præferenda opinioni probabiliori; & præterea censeo id esse expresse contra decretum. Et quidem duplici modo potest

intelligi quod *opinio sit usu recepta*. Primò, quatenus praxi, & moribus civium recepta est. Et hoc modo semper est probabilior, & quandoque omninò certa: nam consuetudo præscripta habet vim abrogandi legem: & vim interpretandi legem authenticè, imò & inducendi novam obligationem eo modo, quo dixi *in 2. part. Cris. Theol. disp. 23.* Cum ergo jus humanum his tribus modis cedat consuetudini, ita in materia juris humani non potest non prævalere, & ad ferendum judicium de praxi inducere certitudinem, vel probabilioritatem.

14. Secundo modo potest intelligi, quod *opinio sit usu recepta*, quatenus licet operatio ipsa non nitatur consuetudine, in tribunali tamen est consuetudine receptum, quod feratur sententia juxta talem opinionem. Et eodem modo necesse est, quod talis opinio reputetur certa, vel probabilior. Et quidem *in Cri. Theol. d. 12. c. 6.* quod invenies in Additionibus positis in *fine 2. partis n. 26.* ostendi, quâ ratione verum est axioma inter jurisprudentes vulgatum, nempe quod *Opinio communis habenda est pro lege*; quatenus intelligentia legis humanæ pendet maximè ab interpretatione omnium, aut ferè omnium sapientum. Nam quæstiones in materia legis humanæ ut in plurimum pendent vel à sensu verborum legis, vel à sensu, in quo lex intellecta est à populo, & ad praxim deducta: in utroque autem communis omnium, aut ferè omnium opinio facit certitudinem. Et siquidem loquamur de sensu verborum legis, is pendet omnino à significatione verborum: in ista autem sententiâ fere omnium facere evidentiam moralem, constat ex dictis ea *disp. 12. cap. 4.* Circa sensum autem, in quo lex intellecta, & recepta est à populo, ipsa praxis; & consuetudo decernit, quomodò practicè lex intelligenda sit. Cujus testes plenissimè probantes talem praxim sunt sapientes, concorditer, & ferè sine contradictione talem praxim tacitè, aut virtualiter affirmantes: maximè cum quæstio de praxi, & consuetudine populi sit quæstio facti, in qua testes sine contradictione aut continui contradictione affirmantes faciunt plenam probationem. Quæ omnia latius tradidi in citato loco Additionũ.

16. Hinc fit, quam difficilè intelligatur, quod opinio usu recepta, sive in populo, sive in tribunali, sit minus probabilis: quia cum multi Judices ex consilio virorum sapientum á multis retro annis ita legem intellexerint, sive quoad praxim populi, censendum est eos judices, & jurisconsultos facere certitudinẽ, aut probabilioritatem.

17. Neque obstat quod in alio tribunali judicetur secundum oppositam opinionem: nam diversa consuetudo in diverso populo facit diversum jus.

ARTICULUS II.

An Iudex judicium de probabilioritate possit subjicere judicio aliorum?

SUMMARIUM.

Cum judex habet certitudinem de probabilioritate sua opinionis, non potest subjicere judicium suum alieno. n. 18.

Cum Iudex non est certus, sed opinatur, opinionem suam esse probabiliorem, potest judicium suum subjicere alieno. n. 19.

18. QUæstio est, an cum ad unam sententiam concurrunt plures judices v. g. in Cancellaria Granatensi, aut Pinciana, possit unus, qui suam opinionẽ putat probabiliorem, subjicere judicium suũ judicio aliorum Judicum? In qua quæstione dicendum est primo. Si præfatus Judex habeat certitudinem moralem, quod sua opinio est probabilior (quæ certitudo rarissimè contingit

tingit) tunc non potest subjicere judicium suum alieno. Patet assertio: quia dum certus est de probabilioritate suæ opinionis, certus est de obligatione judicandi secundum illam propter censuram hujus decreti: sed qui certus est de sua obligatione, & non se conformat illi, delinquit: ergo ille Iudex, si aliter fert sententiam, delinquit.

19. Dicendum est secundò, si suam opinionem putat probabiliorem, & probabilioritas non proponitur illi, ut certa (quod plerumque contingit) posse præfatum judicem, audientem fundamenta partis oppositæ, subjicere judicium suum judicio alieno, censens propter authoritatem aliorum Judicum; illorum opinionem esse probabiliorem. Et ratio est: quia ubi non cogit evidentia veri, potest quis existimare judicium alterius esse melius, & probabiliùs: ergo ubi non cogit evidentia de probabilioritate, poterit quis existimare, judicium aliorum de illa esse melius, & probabilius. Et hanc utramque conclusionem videtur tradidisse *Raymundus Lumbier 3. tom. Summ. in expositione hujus secundæ propositionis num.* 1732.

ARTICULUS III.

An debeat parere Iudex Inferior, si Superior præcipiat, ut dicat jus secundum minus probabilem?

SUMMARIUM.

Proponitur ratio dubitandi. n. 20.

Si judex inferior certus est de probabilioritate suæ opinionis, non potest obedire Superiori, ut judicet secundum minus probabilem. n. 21.

Si judex inferior cum formidine censeat, suam opinionem esse probabiliorem, & Superior censeat, oppositam esse probabiliorem, inferior debet judicare secundum opinionem Superioris. n. 23.

Quid si Superior censeat, suam opinionem esse minùs probabilem? n. 24.

20. PRæsens quæstio est, an si Judex Superior præcipiat Judici inferiori, v. g. Episcopus suo Vicario generali, ut sententiam ferat secundum opinionem, quam Judex inferior censet minus probabilem, possit, aut debeat prædictus Judex inferior obtemperare Superiori. Et quidem ex doctrina generali, quam tradidi *in 1. part. Crist. Theol. disp. 16. cap. 4. & in 3. part. disp. 56. cap. 7. art. 3.* oritur ratio dubitandi. Nam quando subditus judicat suam opinionem probabiliorem circa honestatem rei præceptæ, & Prælatus præcipit secundum opinionem probabilem oppositam, potest, & debet subditus obedire: quia tenetur obedire, ubi non cernitur manifestè peccatum: ergo poterit, & debebit Judex inferior, licet sua opinio sit probabilior, accommodare se opinioni Superioris præcipientis.

21. Dicendum est primo, si Iudex inferior formet judicium omninò certum, quo censeat suam opinionem esse probabiliorem; nec debet, nec potest obtemperare Superiori, ferendo sententiam secundum opinionem minus probabilem sui Superioris. Demonstratur. Eatenùs subditus censens suam opinionem probabiliorem potest, & debet obedire Prælato præcipienti secundum opinionem probabilem de honestate operationis, quatenus in eo non cernitur manifeste peccatum; sed in hoc casu si Judex inferior ferat sententiam secundum opinionem minus probabilem, in eo cernitur manifestè peccatum: ergo nec debet nec potest obedire.

22. Minor patet. Tunc enim cernitur manifestè peccatum in operatione, quando id, quod reducitur ad praxim, est certo peccatum; & ei, qui operatur, proponitur ut certa ea malitia: sed in hoc casu ex hac declaratione

tione Pontificis, quod Iudex ferat sententiam secundum opinionem minus probabilem, ex se est certò peccatum; & id proponitur Iudici inferiori, ut certum; quia format judicium certum, & absque formidine, quod sua opinio est probabilior: ergo in ea prolatione sententiæ secundum opinionem minùs probabilem, cernitur manifestè peccatum.

23. Dicendum est secundò. Si Iudex inferior censeat cum formidine, & sine certitudine, suam opinionem esse probabiliorem; Iudex autem Superior censeat suam oppositam esse probabiliorem, tenetur ille obtemperare, & ferre sententiam secundum opinionem Superioris. Ratio est: nam ut dixi *in locis citatis 1. & 3. part. Crys. Theolog.* ubi non cernitur manifestè peccatum, tenetur subditus obedire Superiori, sive sit in materia dubia, sive sive in materia probabili.

24. Dicendum est tertiò. Si Iudex Superior censeat, suam opinionem esse minus probabilem, atque adeo opinionem oppositam Iudicis inferioris probabiliorem; & præcipiat Iudici inferiori, eo non obstante, ut ferat sententiam juxta opinionem minùs probabilem talis Superioris, non tenetur, nec potest Judex inferior obtemperare, nisi Judex inferior censeat probabiliorem, quam superior censet minùs probabilem. Ratio est: quia Superior judicans suam opinionem minùs probabilem, peccat id præcipiendo: nam ex hac declaratione Pontificis id est manifestè peccatum; & consequenter non habet jurisdictionem ad id præcipiendum: quia ejus jurisdictio non extenditur ad præcipiendum id, quod sine peccato exerceri non potest. Ex quo manifestè infertur, quod subditus nec tenetur, nec potest obedire, utpotè in materia, quæ sine peccato exerceri non potest.

25. Dixi, *Nisi Iudex inferior censeat probabiliorem, quam Superior censet minus probabilem.* Id quod intelligendum est, non solum, quia in judicando debet sequi opinionem probabiliorem juxta hanc declarationem *Innocentij XI.* sed etiam novo titulo, scilicet quia præceptum Superioris urget: quia quamvis ipse Superior peccat id præcipiendo, habet tamen jus præcipiendi id, quod sine peccato potest exerceri. Quandò autem Judex inferior censet probabiliorem, quam Superior judicat minùs probabilem, rem præcipit, quæ sine peccato potest exerceri. Et ex dictis constat ad rationem dubitandi initio articuli propositam.

CAPUT III.

An in criminalibus possit, aut debeat Iudex sententiam ferre pro reo juxta opinionem minus probabilem?

SUMMARIUM.

Proponitur opinio aliorum. n. 26.

An laborent in æquivoco Authores ejus opinionis? n. 27. & seqq.

Pro æquivocatione tollenda distinguere oportet opinionem directam à reflexa. n. 31.

Etiam in caussis criminalibus Iudex debet judicare secundum opinionem probabiliorem. Ibidem.

26. IN hac quæstione *Raymundus Lumbier tom. 3. Summa in expositione hujus secundæ propositionis num. 1731. & Emmanuel de Filguera in Lucerna Decretali in expositione hujus secunda propositionis §. Imo* affirmant, in criminalibus posse, & debere judicem sequi opinionem minùs probabilem, quando hæc est in favorem rei; censent autem, hanc resolutionem non opponi huic decreto *Innocentij XI.* Primò (ait *Lumbier*) *ex Regula 11. de Regul. jur. in 6. Cum sunt partium jura obscura, reo favendum est potius, quam actori.* Secundò (ait *Filgue-*

Filguera) (Cum non sit præsumendum, Sedem Apostolicam velle quempiam pœnis addici, cujus facinora non sint omninò certa: nam reus est in possessione suæ innocentiæ.) &c. Et ante hoc decretum scribentes, idem docent *Antonius Diana in Addit. 3. partis resolut. 13. & apud ipsum Sayrus, Salon, Pharaonius, Alphonsus de Leone, Merolla, Salas, Villalobos, & Moure.*

27. Sed censeo, eos scriptores in æquivoco laborare, dum dicunt, Judicem posse in criminalibus, relicta probabiliori opinione, sequi minùs probabilem favorabilem reo. Quod sic ostendo. Ista conclusio, (Quod Iudex debet sequi in criminalibus opinionem favorabilem reo, quantumvis minùs probabilem,) vel est certa, vel probabilior, vel minùs probabilis. Si dicant, eam conclusionem esse minùs probabilem, infero: ergo isti scriptores docent nos advertenter doctrinam minùs probabilem. Quis autem est Author, qui suam doctrinam non dicat probabiliorem opposita? Quæ cum sit minùs probabilis, incurret damnationem hujus decreti.

28. Sed quia hoc respondere non possunt, quia pluris facere debent suam conclusionem; respondebunt, illam esse certam, aut saltem probabiliorem. Infero: Quomodo ergò dicunt, tunc non procedere judicem secundum opinionem probabiliorem, si probabilius est, quod judex debet judicare secundum opinionem reo favorabiliorem? Quomodo id ponitur tamquam exceptio à doctrina generali, quod judex semper debet dicere jus probabilius?

29. Secundò. Ideo, juxta *Lumbierium*, potest judex in criminalibus sequi opinionem minùs probabilem; quia juxta Regulam 11. *de Regul. jur. in 6.* cum partium jura sint obscura, reo favendum est potiùs, quam actori: sed hæc regula intelligitur non solum de criminalibus, sed etiam de civilibus: ergo etiam in civilibus poterit, & debebit judex sequi opinionem minùs probabilem.

30. Minor constat, tum ex communi sententia interpretum juris; tum etiam *ex cap. fin. de sent. & re jud.* ubi dicitur; *Tenet pro reo, non pro Actore sententia, nisi in causa favorabili, puta Matrimonio, libertate, dote, &c.* Ex quibus verbis constat, non agi de solis criminalibus.

31. Pro qua æquivocatione tollenda, distinguenda est propositio directa à reflexa: ita ut quamvis judex in criminalibus possit sequi opinionē directā minùs probabilē, reflexa tamē, in qua consistit ultimū judicium, sit certa, vel probabilior v.g. est quæstio, an judex condemnans reum pœna capitali, teneatur admittere appellationem? Da ergo, quod opinio asserens, teneri judicem admittere appellationem, sit minùs probabilis. In hoc casu distingue has duas propositiones; primam directam: *Iudex tenetur admittere appellationem in causa capitali.* Secundam reflexam: *Hæc opinio, quod Iudex tenetur admittere appellationem in causa capitali, est reo favorabilis; & ideo ad praxim deducenda.* Et quamvis prima sit minùs probabilis; secunda, in qua consistit ultimum judicium, est certa, vel probabilior. Et ita sustinendum est etiam in causis criminalibus amplectendam esse decisionem hujus decreti de obligatione judicis, dicendi jus probabiliùs.

CAPUT IV.

An Iudex possit ferre sententiam secundum opinionem minus probabilem pro eo, qui possidet?

SUMMARIUM.

Modus dicendi Filgueræ proponitur. n. 32.
Impropriè dicitur, quod ratione possessionis possit Iudex sequi minùs probabilem. n. 33.

Arti-

Articulus proprietatis, & articulus possessionis sunt diversi. n. 34.
Alia est possessio facti; & alia juris. Et quid utraque sit? n. 35. & 36.
Qui habet jus retinendi ratione possessionis legitima, non potest esse probabile, quod ille debeat restituere ratione proprietatis probabilis. n. 37.
Quomodo in articulo proprietatis debet Iudex decernere secundum jus probabilius? n. 38.
Quomodo, probata legitima possessione, non possit Iudex decernere secundum opinionem probabiliorem de proprietate. n. 39.
Quid debeat facere Iudex, cum possessio est probabiliter legitima? n. 40.

32. Fulguera *in expositione hujus secunda propositionis* §. *Si autem*, docet posse Judicem sequi opinionem minùs probabilem in hoc casu, in hæc verba: (Si autem pars habeat pro se opinionem probabiliorem, & altera tantum probabilem simul cum possessione legitima, tenetur Judex sententiam ferre in favorem partis possidentis. Nam hoc non est judicare juxta opinionem probabilem, probabiliori relicta, eo quod excessus, quem habet opinio probabilior respectu probabilis, confunditur, & absolvetur per legitimam possessionem, quæ quidem est maximæ considerationis, quia semper est melior possidentis conditio.) Et subjungit varios textus pro ea assertione. Et quidem de re non dissentio; sed modum explicandi non sequor.

33. Melius ergò explicari existimo, si dicatur, si Petrus coram judice sistitur, ut restituat hæreditatem, & ipse plenè probet possessionem legitimam hæreditatis, non posse Judicem spoliare illum hæreditate propter opinionem probabilem de proprietate Joannis, etiamsi ea opinio sit magis probabilis; sed debere manutenere Petrum in sua possessione: quia jus possessionis, tamquam jus certum retinendi, non potest infringi sola probabilitate proprietatis Joannis. Et ideo judex in hoc casu non solum non procederet juxta opinionem minus probabilem, neque solum secundum probabiliorem, sed secundum opinionem omninò certam de jure, quod habet Petrus ratione possessionis legitimæ, ne spolietur.

34. De hac materia *late egi in 1. part. Crist. Theol. disp. 16. cap. 8.* Et ex ibi dictis præmitto primo, esse duos articulos diversos in judicio, articulum proprietatis, & articulum possessionis legitimæ. Nam articulus proprietatis est circa dominium rei, aut quasi dominium, quod distingui à possessione evidens est; cum plerumque reperiatur in subjecto dominium, absque possessione, & è converso.

35. Præmitto secundò, possessionem aliam esse facti, & aliam juris. Possessio facti est ipsa rei apprehensio, qua ratione fur dicitur possidere rem furto ablatam. Possessio juris definitur à Iurisprudentibus esse *jus insistendi rei non prohibita possideri*: diciturque possessio legitima, quia leges statuerunt aliqua requisita, quibus vestita possessio dat possidenti jus retinendi.

36. Præmitto tertiò, hoc jus retinendi esse omninò certum, utpotè à legibus clarè, & & expresè constitutum, *ut latè ostendi ibidem art. 4.* ex communi omnium, aut ferè omnium doctorum, & argumentis moraliter demonstrativis.

37. Præmitto quartò, id, quod etiam docui *ibid. art. 5.* scilicet implicare contradictionem, quod cum Petrus habet jus certum retinendi rem ratione possessionis legitimæ, possit esse probabile, quod illam debet restituere Ioanni ratione proprietatis, quæ probabiliter huic competit. Quia si certum est, quod potest retinere rem, est certò falsum, quod non potest illam retinere: ergò non potest esse probabile: quod debet restituere

tuere

tuere illam, sive quod idem est, quod non potest illam retinere: cum implicet contradictionem, quod eadem propositio sit certo falsa, & probabilis. Vide in loco citato hoc argumentum latius propositum, & multis confirmatum.

38. His præmissis, sit prima conclusio. Quando in judicio versatur articulus proprietatis sine plena probatione possessionis legitimæ, potest, & debet Iudex rem decernere secundum opinionem probabiliorem de proprietate, & sine attentione ad possessionem. Patet: quia Iudex debet procedere juxta allegata, & probata; cum ergo non sit probata possessio legitima, debet jus dicere eodem modo, ac si pro neutra parte esset possessio.

39. Sit secunda conclusio. Si una pars probaverit plenè possessionem legitimam, & altera pars habeat solum proprietatem probabilem, aut probabiliorem, & uterque articulus versetur in eo judicio, non potest Iudex jus dicere pro parte non possidente, quamvis habeat proprietatem probabiliorem Ratio est: quia tunc Iudex debet jus dicere secundum sententiam certam: est enim certum, quod ille, qui plenè probavit possessionem legitimam, non potest spoliari propter opinionem probabilem de proprietate, ut constat *ex præmisso* 4. Si autem Iudex censuerit à principiis intrinsecis, proprietatem partis non possidentis esse certam, poterit, & debebit jus dicere pro parte non possidente: quia contra proprietatem certam nulla prævalet alterius possessio.

40. Sit tertia conclusio. Si in judicio controvertatur uterque articulus possessionis, & proprietatis, & possessio sit solum probabiliter legitima, tunc potest, & debet Iudex jus dicere secundum opinionem probabiliorem de proprietate; nec tenetur stare præcisè possessioni. Et quidem possessio legitima aliquando subsistit in sola probabilitate, vel quia deficit juris adminiculum juxta opinionem probabilem, vel quia est probabile, legem resistere possessioni. Iam vero patet conclusio. Quia ubi possessio non est omninò certa, & proprietas alterius est probabilis, Iudex debet perpendere rationes utrinsque articuli, & stare pro jure probabiliori.

41. An Autem satius sit incipere causam à possessione, an à proprietate, *vide quæ dixi in ea disp. 16. cap. 1. art. 6. à num. 193.*

CAPUT V.

An judex circa valorem Sacramenti debeat sequi opinionem minus probabilem, si illa sit tutior?

NON EGET SUMMARIO.

42. Casus iste potest frequenter occurrere, in quo Iudex debeat ferre sententiam circa valorem Sacramenti. Inquiritur ergo, an possit ferre sententiam, non secundum opinionem probabiliorem, sed secundum minus probabilem, si ista est tutior. Et ratio dubitandi est: quia fidelis volens recipere Sacramentum, non potest sequi opinionem probabiliorem, sed sequi debet minus probabilem circa valorem Sacramenti, si hæc minus probabilis est tutior, ut constat ex hoc decreto I*nnocentii XI.* ergo Iudex eodem modo debet judicare circa valorem ejus Sacramenti; quia Iudex debet judicare secundum legem, qua tenetur pars litigans.

43. Dicendum tamen est, etiam in hoc casu Iudicem debere judicare secundum opinionem probabiliorem, vel secundum sententiam omninò certam. Patet assertio. Quia licet opinio, quæ versatur circa valorem, & est tutior, sit minus probabilis, tamen ultimũ judiciũ in hac materia, est omninò certum.

lat Superiorem. Et quia forte est quæstio controversa, an in talibus circumstantijs possit Iudex urgere ad executionem, remota appellatione, in qua quæstione est varietas opinionum; & opinio, quæ docet, non debere admitti appellationem, est minus probabilis; & adhuc Iudex ecclesiasticus non vult admittere appellationem, juxta eam opinionem minus proba bilem; quæritur an Iudex in hoc casu inferat violentiam, & Iudices Regij possint illam de facto coercere:

48. Sit prima conclusio. Si sit certum, & evidens (quod numquã, aut raro eveniet) illam opinionem, secundum quam Iudex Ecclesiasticus urget ad executionem, remota appellatione esse minus probabilem; Iudex infert violentiam, neque errant Iudices Regij, dum censent, eam esse violentiam. Probatur: Tunc enim Iudex infert violentiam, quando fert sententiam contra jus, & fas; sed in hoc casu ita procedit Iudex Ecclesiasticus: ergo infert violentiam. probatur minor: ex hoc decreto *Innocentij XI.* constat, iudicem illicite ferre sententiam, si ferat secundum opinionem minus probabilem; sed procedere contra hoc decretum est procedere contra ius & fas: ergo in hoc casu ita procedis.

49. Sit secunda conclusio. Quando non est evidens, opinionem, secundum quam procedit Iudex Ecclesiasticus, esse minus probabilem, etiam si minus probabilis videatur aliquibus jurisperitis, aut cõsiliarijs Regis tunc non potest censeri, quod infert violentiam. Patet conclusio. Quia nõ censetur violentia, nisi injuria sit evidẽs; sed in hoc casu nõ est evidens: ergo nõ est cẽsenda violentia. Patet minor: quia tota violentia reducitur ad hoc, quod Iudex non sequatur opinionem probabiliorem in sententia lata: sed non est evidens, quod illa opinio, à qua declinat sententia Judicis Ecclesiastici, si propabilior, atque adeo non est evidens, illum non sequi opinionem probabiliorem; ergo in eo casu non datur injuria evidens.

50. Confirmatur. Quia si propter probabilioritatem opinionis, quæ non est evidenter talis, impediri posset executio Iudicis Ecclesiastici, cum unusquisque suam propriam opinionem censeat probabiliorem; maxima vexatio immineret Iudicibus Ecclesiasticis, dum illis una pars videtur probabilior, & Iudicibus Regijs videtur etiam probabilior opposita; si ideo vellent impedire executionem Iudicis Ecclesiastici. Quare, & si non de jure, sed solum de facto velint impedire, iniquè, & Sacrilegè operabuntur contra immunitatem Ecclesiasticam.

51. Alius articulus violentiæ intentari solet contra Iudicem Ecclesiasticum, quando scilicet arguitur, quod causa, circa quam intẽdit cognoscere, sit laicalis, & quæ ad eius tribunal non spectat. Et quidem cum causa est spiritualis, & ad huc auditores Regij decernunt (quod vulgo dicitur) *Auto de legos*, id est, causam esse laicalem, iniquè, & sacrilegè procedunt, mittentes falcem in causam spiritualem, circa quam nulla gaudent jurisdictione ut clare docui *in eo art. § cit.*

52. Deinde si certum est, causam esse laicalem, sine dubio infert violentiam Iudex Ecclesiasticus, dùm intendit arcere ab illa Iudicem laicum, & eam sibi arrogare. Quare in tali casu non peccant auditores Regij, si de facto impediant Iudicem Ecclesiasticum à cognitione causæ evidenter laicalis.

53. Sit tertia conclusio. Si est vere probabile, quod causa est spiritualis, licet sit minus probabile, & Iudex Ecclesiasticus cognoscit de illa, non infert violentiam. Probatur. Si propter aliquid inferret violentiam, maxime quia opinio de qualita-

te causæ, circa quam cognoscit Ecclesiasticus, est minus probabilis; atque adeo resisteret huic decerto *Innocentij XI*: sed hoc non obstat ad cognoscendum de illa: ergo non infert violentiam. Probatur minor: nam ex hoc decreto solum constat, iniquum esse ferre sententiam juxta opinionem minus probabilem, sed quod Iudex Ecclesiasticus cognoscat de causa, quæ minus probabiliter est spiritualis non est ferre sententiam juxta opinionem minus probabilem; sunt enim res valde diversæ, cognoscere de aliqua causa, & ferre sententiam: ergo in cognoscendo de tali causa non resistit huic decreto, atque adeo illud non obstat huic cognitioni causæ. Itaque si Iudex Ecclesiasticus cognoscit de causa, quæ ex opinione vere probabili, licet minus probabili, est Ecclesiastica, & spiritualis, & dum fert sententiam circa illam, procedit secundum opinionem probabiliorem quoad jus Litigantium, nullo modo resistit huic decreto, atque adeo nullam infert violentiam.

54. Confirmatur ex supradictis. Non enim intercedit violentia ubi injuria non est evidens: sed in eo quod Iudex arroget sibi eam causam, non invenitur injuria evidens; cum vere probabile sit, eam causam pertinere ad Iudicem Ecclesiasticum: ergo nulla intercedit violentia.

55. Dices. Cum Iudex Ecclesiasticus in tali casu cognoscit de causa probabiliter spirituali, & in illa fert sententiam, verificatur quod in illa sententia ferenda procedit secundum opinionem minus probabilem; quia illa sententia, quam fert, involvit cognitionem causæ: ergo si cognitio causæ fit secundum opinionem minus probabilem, etiam sententia fertur juxta opinionem minus probabilem; atque adeo sic resistitur huic decreto

56. Respondetur. Hoc decretum non intendere, quod Iudex sequatur opinionem probabiliorē in ea quæstione; an nō causa pertineat ad ipsum Iudicem; sed solum, quod attendantur probabiliora merita causæ in sententia ferenda: Quando ergo dicitur verificari, quod Iudex in sententia ferenda procedit juxta opinionem minus probabilem, distinguendum est: quia non procedit secundum opinionem minus probabilem quoad mirita causæ, cum in his procedat secundūm probabiliorem; procedit vero secundum opinionem minus probabilem quoad hoc quod pertineat, vel non pertineat ad ipsum ea causa. Cum autem dicitur, quod cognitio causæ includitur in ipsa sententia lata, cum eadem distinctione admittendum est.

57. Aliud est, si Fiscalis sæcularis, aut similis Actor disceptaret coram Episcopo, an ea causa esset spiritualis an laicalis. Tunc enim Iudex Ecclesiasticus debet ferre sententiam de eo articulo secundum opinionem probabiliorem.

CAPUT VII.

An judex in ferenda sententia interlocutoria debeat sequi opinionem probabiliorem?

NON EGET SUMMARIO.

58. UT judex ferat sententiam in aliqua lite, præcedunt multi actus præparatorij, v.g. examinare testes, accipere Confessionem rei, citare Actorem, concedere terminum temporis ad probationes, & multi alij. Quæritur ergo, an ex vi hujus damnationis, teneatur, Iudex eligere opinionem probabiliorem, non solum ad ferendam sententiam præcipuam causæ, sed etiam ad ferendam sententiam in illis actibus præparatoriis, qui interlocutorij appellantur.

59. *Mag.*

59. *Mag. Hozes in explicatione huius ſecundæ propoſitionis num. 5.* cenſet, hanc damnationem non loqui, niſi de potiſſima ſententia, non vero de deciſionibus interlocutorijs; ſubjungit tamen, quòd quando pronunciat ſententiam interlocutoriam juxta opinionem minus probabilem in præjudicium unius partis, peccat, quamvis hoc non contineatur in damnatione huius ſecundæ propoſitionis.

60. Sed hic dicendi modus non placet. In primis enim ſupponi debet, cum actus interlocutorius dicitur eſſe in præjudicium partis, non debere intelligi de præjudicio ſeu injuria evidenti; nam ad hanc inferendam nulla poteſt eſſe opinio probabilis. Senſus ergo debet eſſe, an quando Titius habet jus probabilius, ut cõcedatur ei terminus tẽporis quẽ poſtulat, contradicente Sempronio, poſſit Iudex ſtare pro Sempronio juxta opinionem minus probabilem, ſine eo quod talis ſententia interlocutoria ſit contra hoc decretum In qua quæſtione videtur hic Scriptor aſſerere, id non eſſe contra hoc decretum *Innocentij XI.*; & tamen peccare Iudicem, quia decernit in præjudicium Sempronij

61. Sed hæc duo invicem repugnant. Nam ſi hoc decretum non comprehendit deciſiones interlocutorias judicium de iſtis manebit ſecundum priſtinum ſtatum opinionum: ſi ergo dicitur, fuiſſe probabile ſaltem ab extrinſeco, ante hoc decretum, quod Iudex poſſit ferre ſententiam præcipuam ſecundum opinionem minus probabilem, à fortiori dicendum eſt, probabile fuiſſe, quod Iudex poſſet ferre ſententiam interlocutoriam ſecundum jus minus probabile in præjudicium probabile Sempronij: ergo ſi tunc id erat probabile, & ideo non peccabat Iudex ferendo ſententiam interlocutoriam ſecundum jus minus probabile in præiudicium Sempronij, neque modo poſt decretum peccabit.

62. Dicendum ergo eſt, hoc decreto comprehendi deciſiones interlocutorias Iudicis, in quibus agitur de præjudicio partis, ſive in quibus litigatur de jure partiũ. Et ita ſi Titius habet jus probabilius, ut concedatur ei triminus temporis, quem poſtulat contradicente Sempronio, contra hoc decretum procedet Iudex negando ei talem terminum. Secus in illis præparatorijs actibus, qui non ſunt in præiudicium probabile partium.

63. probatur aſſertio. Nullum enim eſt verbum in hac damnatione, quæ illam limitet ad ſolã ſententiam potiſſimam cauſæ, ut clarè cõſtat ex illis verbis, *Iudicẽ poſſe iudicare juxta opinionem etiam minus probabilem*; id autem verbum judicare univerſaliſſimum eſt ad decidendum quamcumque litem, aut quemcumque litis articulum, ſuper quo eſt controverſia partium.

64. Confirmatur. Hæc enim damnatio eo reſpicit, ut ſemper Iudex ſuffragetur juri meliori, & probabiliori partis alterutrius: ſed in actibus interlocutorijs poteſt inveniri ius melius, & probabilius unius partis: ergo etiã in his debet intelligi hæc damnatio.

DISERTATIO IV.

An licitum ſit ſequi in praxi opinionem tenuiter probabilem?

CAPUT I.

Opinio damnata proponitur; & an per illam damnetur doctrina de opinione minus probabili ſequenda.

SUMMARIUM.

Qui ſenſerint, hic damnari electionem opinionis minus probabilis? n. 2.

Poteſt opinio eſſe valde probabilis, & minus probabilis, quam oppoſita. n. 3.

intelligi quod *opinio sit usu recepta*. Primò, quatenus praxi, & moribus civium recepta est. Et hoc modo semper est probabilior, & quandoque omninò certa: nam consuetudo præscripta habet vim abrogandi legem: & vim interpretandi legem authenticè, imò & inducendi novam obligationem eo modo, quo dixi *in 2. part. Cris. Theol. disp. 23.* Cum ergo jus humanum his tribus modis cedat consuetudini, ita in materia juris humani non potest non prævalere, & ad ferendum judicium de praxi inducere certitudinem, vel probabilioritatem.

14. Secundo modo potest intelligi, quod *opinio sit usu recepta*, quatenus licet operatio ipsa non nitatur consuetudine, in tribunali tamen est consuetudine receptum, quod feratur sententia juxta talem opinionem. Et eodem modo necesse est, quod talis opinio reputetur certa, vel probabilior. Et quidem *in Cri. Theol. d. 12. c. 6.* quod invenies in Additionibus positis in *fine 2. partis n. 26.* ostendi, quâ ratione verum est axioma inter jurisprudentes vulgatum, nempe quod *Opinio communis habenda est pro lege*; quatenus intelligentia legis humanæ pendet maximè ab interpretatione omnium, aut ferè omnium sapientum. Nam quæstiones in materia legis humanæ ut in plurimum pendent vel à sensu verborum legis, vel à sensu, in quo lex intellecta est à populo, & ad praxim deducta: in utroque autem communis omnium, aut ferè omnium opinio facit certitudinem. Et siquidem loquamur de sensu verborum legis, is pendet omnino à significatione verborum: in ista autem sententiâ fere omnium facere evidentiam moralem, constat ex dictis ea *disp. 12. cap. 4.* Circa sensum autem, in quo lex intellecta, & recepta est à populo, ipsa praxis; & consuetudo decernit, quomodò practicè lex intelligenda sit. Cujus testes plenissimè probantes talem praxim sunt sapientes, concorditer, & ferè sine contradictione talem praxim tacitè, aut virtualiter affirmantes: maximè cum quæstio de praxi, & consuetudine populi sit quæstio facti, in qua testes sine contradictione aut continui contradictione affirmantes faciunt plenam probationem. Quæ omnia latius tradidi in citato loco Additionū.

16. Hinc fit, quam difficilè intelligatur, quod opinio usu recepta, sive in populo, sive in tribunali, sit minus probabilis: quia cum multi Judices ex consilio virorum sapientum á multis retro annis ita legem intellexerint, sive quoad praxim populi, censendum est eos judices, & jurisconsultos facere certitudinē, aut probabilioritatem.

17. Neque obstat quod in alio tribunali judicetur secundum oppositam opinionem: nam diversa consuetudo in diverso populo facit diversum jus.

ARTICULUS II.

An Iudex judicium de probabilioritate possit subjicere judicio aliorum?

SUMMARIUM.

Cum judex habet certitudinem de probabilioritate suæ opinionis, non potest subjicere judicium suum alieno. n. 18.

Cum Iudex non est certus, sed opinatur, opinionem suam esse probabiliorem, potest judicium suum subjicere alieno. n. 19.

18. Quæstio est, an cum ad unam sententiam concurrunt plures judices v.g. in Cancellaria Granatensi, aut Pinciana, possit unus, qui suam opinionē putat probabiliorem, subjicere judicium suū judicio aliorum Judicum? In qua quæstione dicendum est primo. Si præfatus Judex habeat certitudinem moralem, quod sua opinio est probabilior (quæ certitudo rarissimè contingit

tingit) tunc non potest subjicere judicium suum alieno. Patet assertio: quia dum certus est de probabilioritate suæ opinionis, certus est de obligatione judicandi secundum illam propter censuram hujus decreti: sed qui certus est de sua obligatione, & non se conformat illi, delinquit: ergo ille Iudex, si aliter fert sententiam, delinquit.

19. Dicendum est secundò, si suam opinionem putat probabiliorem, & probabilioritas non proponitur illi, ut certa (quod plerumque contingit) posse præfatum judicem, audientem fundamenta partis oppositæ, subjicere judicium suum judicio alieno, censens propter authoritatem aliorum Judicum; illorum opinionem esse probabiliorem. Et ratio est: quia ubi non cogit evidentia veri, potest quis existimare judicium alterius esse melius, & probabilius: ergo ubi non cogit evidentia de probabilioritate, poterit quis existimare, judicium aliorum de illa esse melius, & probabilius. Et hanc utramque conclusionem videtur tradidisse *Raymundus Lumbier 3. tom. Summ. in expositione hujus secundæ propositionis num.* 1732.

ARTICULUS III.

An debeat parere Iudex Inferior, si Superior præcipiat, ut dicat jus secundum minus probabilem?

SUMMARIUM.

Proponitur ratio dubitandi. n. 20.

Si judex inferior certus est de probabilioritate sua opinionis, non potest obedire Superiori, ut judicet secundum minus probabilem. n. 21.

Si judex inferior cum formidine censeat, suam opinionem esse probabiliorem, & Superior censeat, oppositam esse probabiliorem, inferior debet judicare secundum opinionem Superioris. n. 23.

Quid si Superior censeat, suam opinionem esse minùs probabilem? n. 24.

20. PRæsens quæstio est, an si Judex Superior præcipiat Judici inferiori, v.g. Episcopus suo Vicario generali, ut sententiam ferat secundum opinionem, quam Judex inferior censet minus probabilem, possit, aut debeat prædictus Judex inferior obtemperare Superiori. Et quidem ex doctrina generali, quam tradidi *in 1. part. Crist. Theol. disp.* 16. *cap.* 4. *& in* 3. *part. disp.* 56. *cap.* 7. *art.* 3. oritur ratio dubitandi. Nam quando subditus judicat suam opinionem probabiliorem circa honestatem rei præceptæ, & Prælatus præcipit secundum opinionem probabilem oppositam, potest, & debet subditus obedire: quia tenetur obedire, ubi non cernitur manifestè peccatum: ergo poterit, & debebit Judex inferior, licet sua opinio sit probabilior, accommodare se opinioni Superioris præcipientis.

21. Dicendum est primo, si Iudex inferior formet judicium omninò certum, quo censeat suam opinionem esse probabiliorem; nec debet, nec potest obtemperare Superiori, ferendo sententiam secundum opinionem minus probabilem sui Superioris. Demonstratur. Eatenùs subditus censens suam opinionem probabiliorem potest, & debet obedire Prælato præcipienti secundum opinionem probabilem de honestate operationis, quatenus in eo non cernitur manifeste peccatum; sed in hoc casu si Judex inferior ferat sententiam secundum opinionem minus probabilem, in eo cernitur manifestè peccatum: ergo nec debet nec potest obedire.

22. Minor patet. Tunc enim cernitur manifestè peccatum in operatione, quando id, quod reducitur ad praxim, est certo peccatum; & ei, qui operatur, proponitur ut certa ea malitia: sed in hoc casu ex hac declara-

 tione

tione Pontificis, quod Iudex ferat sententiam secundum opinionem minus probabilem, ex se est certò peccatum; & id proponitur Iudici inferiori, ut certum; quia format judicium certum, & absque formidine, quod sua opinio est probabilior: ergo in ea prolatione sententiæ secundum opinionem minùs probabilem, cernitur manifestè peccatum.

23. Dicendum est secundò. Si Iudex inferior censeat cum formidine, & sine certitudine, suam opinionem esse probabiliorem; Iudex autem Superior censeat suam oppositam esse probabiliorem, tenetur ille obtemperare, & ferre sententiam secundum opinionem Superioris. Ratio est: nam ut dixi *in locis citatis 1. & 3. part. Crist. Theolog.* ubi non cernitur manifestè peccatum, tenetur subditus obedire Superiori, sive sit in materia dubia, sive sive in materia probabili.

24. Dicendum est tertiò. Si Iudex Superior censeat, suam opinionem esse minus probabilem, atque adeo opinionem oppositam Iudicis inferioris probabiliorem; & præcipiat Iudici inferiori, eo non obstante, ut ferat sententiam juxta opinionem minùs probabilem talis Superioris, non tenetur, nec potest Judex inferior obtemperare, nisi Judex inferior censeat probabiliorem, quam superior censet minùs probabilem. Ratio est: quia Superior judicans suam opinionem minùs probabilem, peccat id præcipiendo: nam ex hac declaratione Pontificis id est manifestè peccatum; & consequenter non habet jurisdictionem ad id præcipiendum: quia ejus jurisdictio non extenditur ad præcipiendum id, quod sine peccato exerceri non potest. Ex quo manifestè infertur, quod subditus nec tenetur, nec potest obedire, utpotè in materia, quæ sine peccato exerceri non potest.

25. Dixi, *Nisi Iudex inferior censeat probabiliorem, quam Superior censet minus probabilem.* Id quod intelligendum est, non solum, quia in judicando debet sequi opinionem probabiliorem juxta hanc declarationem *Innocentij XI.* sed etiam novo titulo, scilicet quia præceptum Superioris urget: quia quamvis ipse Superior peccat id præcipiendo, habet tamen jus præcipiendi id, quod sine peccato potest exerceri. Quandò autem Judex inferior censet probabiliorem, quam Superior judicat minùs probabilem, rem præcipit, quæ sine peccato potest exerceri. Et ex dictis constat ad rationem dubitandi initio articuli propositam.

CAPUT III.

An in criminalibus possit, aut debeat Iudex sententiam ferre pro reo juxta opinionem minus probabilem?

SUMMARIUM.

Proponitur opinio aliorum. n. 26.

An laborent in æquivoco Authores ejus opinionis? n. 27. & seqq.

Pro æquivocatione tollenda distinguere oportet opinionem directam à reflexa. n. 31.

Etiam in causis criminalibus Iudex debet judicare secundum opinionem probabiliorem. Ibidem.

26. IN hac quæstione *Raymundus Lumbier tom. 3. Summa in expositione hujus secundæ propositionis num. 1731. & Emmanuel de Filguera in Lucerna Decretali in expositione hujus secundæ propositionis* §. *Imo* affirmant, in criminalibus posse, & debere judicem sequi opinionem minùs probabilem, quando hæc est in favorem rei; censent autem, hanc resolutionem non opponi huic decreto *Innocentij XI.* Primò (ait *Lumbier*) *ex Regula 11. de Regul. jur. in 6. Cum sunt partium jura obscura, reo favendum est potius, quam actori.* Secundò (ait *Filgue-*

Filguera) (Cum non sit præsumendum, Sedem Apostolicam velle quempiam pœnis addici, cujus facinora non sint omninò certa : nam reus est in possessione suæ innocentiæ.) &c. Et ante hoc decretum scribentes, idem docent *Antonius Diana in Addit. 3. partis resolut. 13. & apud ipsum Sayrus, Salon, Pharaonius, Alphonsus de Leone, Merolla, Salas, Villalobos, & Moure.*

27. Sed censeo, eos scriptores in æquivoco laborare, dum dicunt, Judicem posse in criminalibus, relicta probabiliori opinione, sequi minùs probabilem favorabilem reo. Quod sic ostendo. Ista conclusio, (Quod Iudex debet sequi in criminalibus opinionem favorabilem reo, quantumvis minùs probabilem,) vel est certa, vel probabilior, vel minùs probabilis. Si dicant, eam conclusionem esse minùs probabilem, infero : ergo isti scriptores docent nos advertenter doctrinam minùs probabilem. Quis autem est Author, qui suam doctrinam non dicat probabiliorem opposita? Quæ cum sit minùs probabilis, incurret damnationem hujus decreti.

28. Sed quia hoc respondere non possunt, quia pluris facere debent suam conclusionem; respondebunt, illam esse certam, aut saltem probabiliorem. Infero: Quomodo ergò dicunt, tunc non procedere judicem secundum opinionem probabiliorem, si probabilius est, quod judex debet judicare secundum opinionem reo favorabiliorem? Quomodo id ponitur tamquam exceptio à doctrina generali, quod judex semper debet dicere jus probabilius?

29. Secundò. Ideo, juxta *Lumbierium*, potest judex in criminalibus sequi opinionem minùs probabilem; quia juxta Regulam 11. *de Regul. jur. in 6.* cum partium jura sunt obscura, reo favendum est potiùs, quam actori; sed hæc regula intelligitur non solum de criminalibus, sed etiam de civilibus: ergo etiam in civilibus poterit, & debebit judex sequi opinionem minùs probabilem.

30. Minor constat, tum ex communi sententia interpretum juris; tum etiam *ex cap. fin. de sent. & re jud* ubi dicitur; *Tenet pro reo, non pro Actore sententia, nisi in causa favorabili, puta Matrimonio, libertate, dote, &c.* Ex quibus verbis constat, non agi de solis criminalibus.

31. Pro qua æquivocatione tollenda, distinguenda est propositio directa à reflexa : ita ut quamvis judex in criminalibus possit sequi opinionē directā minùs probabilē, reflexa tamē, in qua consistit ultimū judicium, sit certa, vel probabilior v.g. est quæstio, an judex condemnans reum pœna capitali, teneatur admittere appellationem? Da ergo, quod opinio asserens, teneri judicem admittere appellationem, sit minùs probabilis. In hoc casu distingue has duas propositiones: primam directam: *Iudex tenetur admittere appellationem in causa capitali.* Secundam reflexam: *Hac opinio, quod Iudex tenetur admittere appellationem in causa capitali, est reo favorabilis, & ideo ad praxim deducenda.* Et quamvis prima sit minùs probabilis; secunda, in qua consistit ultimum judicium, est certa, vel probabilior. Et ita sustinendum est etiam in causis criminalibus amplectendam esse decisionem hujus decreti de obligatione judicis, dicendi jus probabiliùs.

CAPUT IV.

An Iudex possit ferre sententiam secundum opinionem minus probabilem pro eo, qui possidet?

SUMMARIUM.

Modus dicendi Filguera proponitur. n. 32.

Impropriè dicitur, quod ratione possessionis possit Iudex sequi minùs probabilem. n. 33.

Arti-

32. Filguera *in expositione hujus secundæ propositionis §. Si autem*, docet posse Judicem sequi opinionem minùs probabilem in hoc casu, in hæc verba: (Si autem pars habeat pro se opinionem probabiliorem, & altera tantum probabilem simul cum possessione legitima, tenetur Judex sententiam ferre in favorem partis possidentis. Nam hoc non est judicare juxta opinionem probabilem, probabiliori relicta, eo quod excessus, quem habet opinio probabilior respectu probabilis, confunditur, & absolvetur per legitimam possessionem, quæ quidem est maximæ considerationis, quia semper est melior possidentis conditio.) Et subjungit varios textus pro ea assertione. Et quidem de re non dissentio; sed modum explicandi non sequor.

33. Melius ergò explicari existimo, si dicatur, si Petrus coram Judice sistitur, ut restituat hæreditatem, & ipse plenè probet possessionem legitimam hæreditatis, non posse Judicem spoliare illum hæreditate propter opinionem probabilem de proprietate Joannis, etiamsi ea opinio sit magis probabilis; sed debere manutenere Petrum in sua possessione: quia jus possessionis, tamquam jus certum retinendi, non potest infringi sola probabilitate proprietatis Joannis. Et ideo Judex in hoc casu non solum non procederet juxta opinionem minus probabilem, neque solum secundum probabiliorem, sed secundum opinionem omninò certam de jure, quod habet Petrus ratione possessionis legitimæ, ne spolietur.

34. De hac materia *late egi in 1. part. Crist. Theol. disp. 16. cap. 8.* Et ex ibi dictis præmitto primo, esse duos articulos diversos in judicio, articulum proprietatis, & articulum possessionis legitimæ. Nam articulus proprietatis est circa dominium rei, aut quasi dominium, quod distingui à possessione evidens est; cum plerumque reperiatur in subjecto dominium, absque possessione, & è converso.

35. Præmitto secundò, possessionem aliam esse facti, & aliam juris. Possessio facti est ipsa rei apprehensio, qua ratione fur dicitur possidere rem furto ablatam. Possessio juris definitur à Iurisprudentibus esse *jus insistendi rei non prohibitæ possideri*: diciturque possessio legitima, quia leges statuerunt aliqua requisita, quibus vestita possessio dat possidenti jus retinendi.

36. Præmitto tertiò, hoc jus retinendi esse omninò certum, utpotè à legibus clarè, & & expresè constitutum, *ut latè ostendi ibidem art. 4.* ex communi omnium, aut ferè omnium doctorum, & argumentis moraliter demonstrativis.

37. Præmitto quartò, id, quod etiam docui *ibid. art. 5.* scilicet implicare contradictionem, quod cum Petrus habet jus certum retinendi rem ratione possessionis legitimæ, possit esse probabile, quod illam debet restituere Ioanni ratione proprietatis, quæ probabiliter huic competit. Quia si certum est, quod potest retinere rem, est certò falsum, quod non potest illam retinere: ergò non potest esse probabile: quod debet restituere

tuere illam, sive quod idem est, quod non potest illam retinere: cum implicet contradictionem, quod eadem propositio sit certo falsa, & probabilis. Vide in loco citato hoc argumentum latius propositum, & multis confirmatum.

38. His præmissis, sit prima conclusio. Quando in judicio versatur articulus proprietatis sine plena probatione possessionis legitimæ, potest, & debet Iudex rem decernere secundum opinionem probabiliorem de proprietate, & sine attentione ad possessionem. Patet: quia Iudex debet procedere juxta allegata, & probata; cum ergo non sit probata possessio legitima, debet jus dicere eodem modo, ac si pro neutra parte esset possessio.

39. Sit secunda conclusio. Si una pars probaverit plenè possessionem legitimam, & altera pars habeat solum proprietatem probabilem, aut probabiliorem, & uterque articulus versetur in eo judicio, non potest Iudex jus dicere pro parte non possidente, quamvis habeat proprietatem probabiliorem. Ratio est: quia tunc Iudex debet jus dicere secundum sententiam certam: est enim certum, quod ille, qui plenè probavit possessionem legitimam, non potest spoliari propter opinionem probabilem de proprietate, ut constat *ex præmisso* 4. Si autem Iudex censuerit à principiis intrinsecis, proprietatem partis non possidentis esse certam, poterit, & debebit jus dicere pro parte non possidente: quia contra proprietatem certam nulla prævalet alterius possessio.

40. Sit tertia conclusio. Si in judicio controvertatur uterque articulus possessionis, & proprietatis, & possessio sit solum probabiliter legitima, tunc potest, & debet Iudex jus dicere secundum opinionem probabiliorem de proprietate; nec tenetur stare præcisè possessioni. Et quidem possessio legitima aliquando subsistit in sola probabilitate, vel quia deficit juris adminiculum juxta opinionem probabilem, vel quia est probabile, legem resistere possessioni. Iam vero patet conclusio. Quia ubi possessio non est omninò certa, & proprietas alterius est probabilis, Iudex debet perpendere rationes utrinsque articuli, & stare pro jure probabiliori.

41. An autem satius sit incipere causam à possessione, an à proprietate, *vide quæ dixi in ea disp. 16. cap. 1. art. 6. à num. 193.*

CAPUT V.

An judex circa valorem Sacramenti debeat sequi opinionem minus probabilem, si illa sit tutior?

NON EGET SUMMARIO.

42. Casus iste potest frequenter occurrere, in quo Iudex debeat ferre sententiam circa valorem Sacramenti. Inquiritur ergo, an possit ferre sententiam, non secundum opinionem probabiliorem, sed secundum minus probabilem, si ista est tutior. Et ratio dubitandi est: quia fidelis volens recipere Sacramentum, non potest sequi opinionem probabiliorem, sed sequi debet minus probabilem circa valorem Sacramenti, si hæc minus probabilis est tutior, ut constat ex hoc decreto *Innocentii XI.* ergo Iudex eodem modo debet judicare circa valorem ejus Sacramenti; quia Iudex debet judicare secundum legem, qua tenetur pars litigans.

43. Dicendum tamen est, etiam in hoc casu Iudicem debere judicare secundum opinionem probabiliorem, vel secundum sententiam omninò certam. Patet assertio. Quia licet opinio, quæ versatur circa valorem, & est tutior, sit minus probabilis, tamen ultimũ judiciũ in hac materia, est omninò certum.

lat Superiorem. Et quia forte est quæstio controversa, an in talibus circumstantijs possit Iudex urgere ad executionem, remota appellatione, in qua quæstione est varietas opinionum; & opinio, quæ docet, non debere admitti appellationem, est minus probabilis; & adhuc Iudex Ecclesiasticus non vult admittere appellationem, juxta eam opinionem minus probabilem; quæritur an Iudex in hoc casu inferat violentiam, & Iudices Regij possint illam de facto coercere:

48. Sit prima conclusio. Si sit certum, & evidens (quod numquã, aut raro eveniet) illam opinionem, secundum quam Iudex Ecclesiasticus urget ad executionem, remota appellatione esse minus probabilem; Iudex infert violentiam, neque errant Iudices Regij, dum censent, eam esse violentiam. Probatur: Tunc enim Iudex infert violentiam, quando fert sententiam contra jus, & fas; sed in hoc casu ita procedit Iudex Ecclesiasticus: ergo infert violentiam. Probatur minor: ex hoc decreto *Innocentij XI.* constat, iudicem illicite ferre sententiam, si ferat secundum opinionem minus probabilem; sed procedere contra hoc decretum est procedere contra ius & fas: ergo in hoc casu ita procedit.

49. Sit secunda conclusio. Quando non est evidens, opinionem, secundum quam procedit Iudex Ecclesiasticus, esse minus probabilem, etiam si minus probabilis videatur aliquibus jurisperitis, aut cõsiliarijs Regis tunc non potest censeri, quod infert violentiam. Patet conclusio. Quia nõ censetur violentia, nisi iniuria sit evidẽs; sed in hoc casu nõ est evidens: ergo nõ est cẽsenda violentia. Patet minor: quia tota violentia reducitur ad hoc, quod Iudex non sequatur opinionem probabiliorem in sententia lata: sed non est evidens, quod illa opinio, à qua declinat sententia Judicis Ecclesiastici, si probabilior, atque adeo non est evidens, illum non sequi opinionem probabiliorem: ergo in eo casu, non datur injuria evidens.

50. Confirmatur. Quia si propter probabilioritatem opinionis, quæ non est evidenter talis, impediri posset executio Iudicis Ecclesiastici, cum unusquisque suam propriam opinionem censeat probabiliorem; maxima vexatio immineret Iudicibus Ecclesiasticis, dum illis una pars videtur probabilior, & Iudicibus Regijs videtur etiam probabilior opposita; si ideo vellent impedire executionem Iudicis Ecclesiastici. Quare, & si non de jure, sed solum de facto velint impedire, iniquè, & Sacrilegè operabuntur contra immunitatem Ecclesiasticam.

51. Alius articulus violentiæ intentari solet contra Iudicem Ecclesiasticum, quando scilicet arguitur, quod causa, circa quam intẽdit cognoscere, sit laicalis, & quæ ad ejus tribunal non spectat. Et quidem cum causa est spiritualis, & ad huc auditores Regij decernunt (quod vulgo dicitur) *Auto de legos*, id est, causam esse laicalem, iniquè, & sacrilegè procedunt, mittentes falcem in causam spiritualem, circa quam nulla gaudent jurisdictione ut clare docui *in eo art. 5. cit.*

52. Deinde si certum est, causam esse laicalem, sine dubio infert violentiam Iudex Ecclesiasticus, dùm intendit arcere ab illa Iudicem laicum, & eam sibi arrogare. Quare in tali casu non peccant auditores Regij, si de facto impediant Iudicem Ecclesiasticum à cognitione causæ evidenter laicalis.

53. Sit tertia conclusio. Si est verè probabile, quod causa est spiritualis, licet sit minus probabile, & Iudex Ecclesiasticus cognoscit de illa, non infert violentiam. Probatur. Si propter aliquid inferret violentiam, maxime quia opinio de qualita-

59. *Mag. Hozes in explicatione huius secundæ propositionis num. 5.* censet, hanc damnationem non loqui, nisi de potissima sententia, non vero de decisionibus interlocutorijs; subjungit tamen, quod quando pronunciat sententiam interlocutoriam juxta opinionem minus probabilem in præjudicium unius partis, peccat, quamvis hoc non contineatur in damnatione huius secundæ propositionis.

60. Sed hic dicendi modus non placet. In primis enim supponi debet, cum actus interlocutorius dicitur esse in præjudicium partis, non debere intelligi de præjudicio seu injuria evidenti; nam ad hanc inferendam nulla potest esse opinio probabilis. Sensus ergo debet esse, an quando Titius habet jus probabilius, ut cōcedatur ei terminus tēporis quē postulat, contradicente Sempronio, possit Iudex stare pro Sempronio juxta opinionem minus probabilem, sine eo quod talis sententia interlocutoria sit contra hoc decretum In qua quæstione videtur hic Scriptor asserere, id non esse contra hoc decretum *Innocentij* XI.; & tamen peccare Iudicem, quia decernit in præjudicium Sempronij

61. Sed hæc duo invicem repugnant. Nam si hoc decretum non comprehendit decisiones interlocutorias judicium de istis manebit secundum pristinum statum opinionum: si ergo dicitur, fuisse probabile saltem ab extrinseco, ante hoc decretum, quod Iudex posisit ferre sententiam præcipuam secundum opinionem minus probabilem, à fortiori dicendum est, probabile fuisse, quod Iudex posset ferre sententiam interlocutoriam secundum jus minus probabile in præjudicium um probabile Sempronij: ergo si tunc id erat probabile, & ideo non peccabat Iudex ferendo sententiam interlocutoriam secundum jus minus probabile in præiudicium Sempronij, neque modo post decretum peccabit.

62. Dicendum ergo est, hoc decreto comprehendi decisiones interlocutorias Iudicis, in quibus agitur de præjudicio partis, sive in quibus litigatur de jure partiū. Et ita si Titius habet jus probabilius, ut concedatur ei triminus temporis, quem postulat contradicente Sempronio, contra hoc decretum procedet Iudex negando ei talem terminum. Secus in illis præparatoriis actibus, qui non sunt in præiudicium probabile partium.

63. probatur assertio. Nullum enim est verbum in hac damnatione, quæ illam limitet ad solā sententiam potissimam causæ, ut clarè cōstat ex illis verbis, *Iudicē posse iudicare juxta opinionem etiam minus probabilem*, id autem verbum judicare universalissimum est ad decidendum quamcumque litem, aut quemcumque litis articulum, super quo est controversia partium.

64. Confirmatur. Hæc enim damnatio eo respicit, ut semper Iudex suffragetur juri meliori, & probabiliori partis alterutrius: sed in actibus interlocutorijs potest inveniri ius melius, & probabilius unius partis: ergo etiā in his debet intelligi hæc damnatio.

DISERTATIO IV.

An licitum sit sequi in praxi opinionem tenuiter probabilem?

CAPUT I.

Opinio damnata proponitur; & an per illam damnetur doctrina de opinione minus probabili sequenda.

SUMMARIUM.

Qui senserint, hic damnari electionem opinionis minus probabilis? n. 2.

Potest opinio esse valde probabilis, & minus probabilis, quam opposita. n. 3.

 Ex

quia non sunt practicè probabiles: ergo non damnantur opiniones verè probabiles, quãvis sint minus probabiles oppositis.

5. Convincitur tertiò. Nam si Sacra Congregatio vellet damnare assertum de opinione minus probabili admittenda ad praxim, quanto facilius esset id assertum per suos terminos formales damnare, quam per id circumloquium de tenuiter probabili quæ à probabilitatis finibus non exeat? Signum ergo manifestum est, non fuisse intentionem Sacræ Congregationis damnare praxim opinionis minus probabilis.

6. Confirmatur. Nam loquendo de Judice, clarè expressit damnationem opinionis, quæ asserit, Judicem sequi posse opinionem probabilem. Quam ergo meliorem occasionem habere potuit ad damnandam pro omni casu minorem probabilitatem, si eam damnare vellet?

7. Convincitur quartò. Nam demus esse dubium, an in damnatione hujus tertiæ propositionis includatur damnatio doctrinæ admittentis opinionem minus probabilem ad praxim. Nefas enim est, quod privatus Doctor velit recensere inter propositiones damnatas propositionem, de cujus damnatione dubitatur. In dubio enim nemo damnatur; imo vero in Jure solemne est, in dubio standum esse pro reo.

8. Convincitur quintò. Etenim in dubio nemo potest spoliari sua possessione: sed opinio verè probabilis quæ minus probabilis est & minus tuta (extra materiam valoris Sacramentorum) est in quasi possessione practicabilitatis apud ferè omnes Theologos: ergo ex eo, quod unus vel alter moveat dubium de damnatione illius, non est spolianda sua possessione. Ubi notandum est, quod sæpè inculcavimus, impropriè vocari minus tutam, quia formaliter est tutissima, & solum dicitur materialiter minus tuta, propterea quod exponitur peccato materiali, *ut explicui in 1. & 3. part. Cris. Theologicæ.*

9. Sextò denique convincitur ijs omnibus quibus infra probabo, opinionem probabiliter probabilem non incurrere damnationem hujus tertiæ propositionis.

CAPUT II.

An doctrina de opinione probabili sequenda incurrat hanc damnationem?

SUMMARIUM.

Damnari opiniones probabiliter probabiles aliqui censent. n. 10. & 14.

Argumenta quibus moventur n. 11. & seqq.

10. R*Aymundus Lumbier tom. 3. Summa à num.* 1737. distinguit duplex genus opinionum probabilium; eo quod aliæ sint certo probabiles, & aliæ sint probabiliter probabiles. Nam circa aliquas opiniones formamus judicium certum de probabilitate earum; circa alias vero non possumus formare judicium certum, sed duntaxat probabile de ipsa probabilitate earum, idque asserit tam de probabilitate intrinseca, quam de extrinseca. Quam distinctionem quidam Recentiores prius docuerant. Docet ergo, posse nos uti ad praxim opinione certo probabili; non vero ea, quæ est probabiliter probabilis. Et concludit, in hoc decreto, nomine tenuis probabilitatis intelligi opinionem, quæ non est certo probabilis; sed probabiliter probabilis.

11. Quas vero opiniones contineat hic Author sub nomine probabiliter probabilium, ex ejus argumentis colligitur. Igitur opiniones tenuiter probabiles, de quibus loquitur decretum, esse eas, quæ solum sunt probabiliter probabiles, sic probat primò. Quia

Quia qui operatur ex opinione probabiliter probabili, non reddit se tutum, quod non peccabit, imo re ipsa formidat, an re ipsa peccabit: agnoscensque periculum peccandi, illud amplectitur: ergo illud dictamen conscientiæ non est certum, sed quasi dubium: ergo peccat operando cum eo dubio practico: ergo merito intelligitur damnata ea opinio probabiliter probabilis sub nomine tenuis probabilitatis.

12. Probat secundo illo exemplo Guilielmi Episcopi Parisiensis, cui apparuit quidam Cancellarius Parisiensis affirmans, se in æternum damnatum ex tribus causis; quarum una erat, ut ipse dixit: *Contra sententiam plurimorum de pluralitate beneficiorum, quasi licitè tenendorum, opinionem propriam defensavi; & in hoc me periculo mortalis culpæ commisi.* Sed prius ante mortem suaserat ei prædictus Episcopus, ut unum beneficium retinens reliqua renunciaret: responderatque Cancellarius: *Experiar an sit damnabilis opinio de retentione plurium beneficiorum.* Ex quo colligit *Lumbier*, Cancellarium formidasse de probabilitate opinionis, atque adeo exposuisse se periculo peccandi: id autem est sequi opinionem probabiliter probabilem: ergo peccat, qui talem opinionem sequitur. Alia exempla refert ad idem propositum.

13. Probat tertiò. Nam ut quis non peccet, non sufficit formare judicium probabile, quo probabiliter censeat, se non peccare; sed requiritur judicium certum, quo censeat, se in tali operatione non peccaturum: sed qui sequitur opinionem probabiliter probabilem, non potest certò sibi persuadere, se non peccare; quin potius format judicium solummodo probabile, quod re ipsa non peccabit: ergo qui sequitur opinionem probabiliter probabilem, peccat.

14. Eâdem viâ graditur *Emmanuel de Filguera* in Lucerna decretali in expositione hujus tertiæ propositionis asserens, tenuem probabilitatem consistere in eo, quod opinio sit probabiliter probabilis. Sic enim loquitur: (Opinio probabiliter probabilis habet tenuem probabilitatem respectu opinionis certò probabilis; sicut probabile est, quid tenue respectu certi: ergo tenuis probabilitas cognoscitur in hoc, quod est esse tale probabiliter. Quodnam autem discrimen inter opinionem certò probabilem, & probabiliter probabilem versetur, cur sim aperiam. Nam probabilitas certò probabilis desumitur, quando est intrinseca ex fundamentis, quibus innititur, vel ex Doctoribus, si existat extrinseca, qui eam tuentur, imò & ex contrariis eam probabilem vocantibus. Undè talis opinio certitudinem tribuit sive eam sequenti, sive consulenti, quod sit probabilis: quæ certitudo habetur ex cognitione, qua noscit sequens, aut consulens, certam esse ejus probabilitatem. Alias enim si talem cognitionem non haberet, conscientiam certam non posset efformare, sed dubiam, & omninò formidantem, peccandi periculo expositam, quia nec assensus est prudens, neque electio. Probabilitas probabiliter talis desumitur communiter ex paucis Doctoribus eam opinioni tribuentibus, sed ab aliis plerumque probabilis non censetur. Quare prædictæ opinioni probabiliter tali nefas est adhærere, quia prudenter quis nequit certum dictamen concipere ad operandum, sed solum dubium, insufficiens ad opus licitè exercendum.) Hucusque *Filguera*. Conveniunt ergo *Lumbier*, & *Filguera* in eo, quod damnatæ manent per hoc decretum opiniones, quæ non sunt certo probabiles, sed dumtaxat probabiliter probabiles.

CAPUT III.

Refellitur praecedens dicendi modus.

SUMMARIUM.

*Epithetum tenuis adjunctum probabilitati est additum diminuens.n.*15.

*Hi duo termini Probabilitas tenuis involvunt contradictionem.n.*16.

Non admitto distinctionem probabiliter probabilis, & certò probabilis. Ibid.

*Quomodo repugnet, opinionem probabiliter probabilem esse tenuiter probabilem?n.*17.

*Qui format probabile judicium de probabilitate opinionis, format judicium prudens.n.*18.

*Si duae opiniones oppositae sint probabiliter probabiles, cogemur eligere tutiorem, si vera est sententia adversariorum.n.*19.

*Et quam sit intolerabile onus in hoc casu.n.*20.

*Et quae inde implicatio contradictionis involvatur.n.*21.

*Solvitur objectio.n.*22.

15. PRaemitto primò, cum dicitur *tenuis probabilitas*, illud epithetum *tenuis* esse additum diminuens taliter, quod opinio tenuiter probabilis non potest dici absolutè probabilis, aut verè probabilis. Patet assertum ex similibus. Nam cum quis dicitur habere tenuem prudentiam, non dicitur verè, & absolutè esse vir prudens; imò defectus prudentiae in eo notatur. Et cum quis dicitur habere tenuem scientiam, non potest absolutè dici, esse vir doctus, aut sapiens. Et cum dicimus, aliquem esse tenuiter misericordem erga pauperes, magnum defectum misericordiae in eo notamus.

16. Praemitto secundò, hos duos terminos *tenuem probabilitatem* importare contradictionem, aut contrarietatem inter se. Patet. Nam vera probabilitas est, quae nititur fundamento gravi, & impellente intellectum ad assensum: sed tenuitas quoad probabilitatem dicit tenuitatem, & levitatem fundamenti, atque adeò postulat, fundamentũ non esse grave: ergo hi duo termini *probabilitas*, & *tenuis* opponuntur modo dicto. Ego quidem censeo, difficillimè distingui posse opinionem probabiliter probabilem ab opinione certo probabili. Et ideo, ubi latissimè egi de probabilitate *in* 1. *&* 3. *part. Crisis Theol.* numquam usus sum hac distinctione. Nam apud me solum valet distinctio opinionis verè probabilis, & opinionis dubiè probabilis. Nam opinio dubiae probabilitatis est, cum inter sapientes dubitatur de probabilitate opinionis. Cum autem omnes, aut ferè omnes admittũt opinionem tamquam probabilem, illam dico verè probabilem. Admissa tamen opinione probabiliter probabili, existimo per illam perperam explicari tenuem probabilitatem.

17. Jam verò falsum esse, quod opinio probabiliter probabilis idem sit, quod opinio tenuiter probabilis; & consequenter quod opinio probabiliter probabilis damnata non maneat in hoc decreto, ostenditur primò. Nam cum dicimus, aliquam opinionem esse probabiliter probabilem, tam in primo termino, quam in secundo loquimur de vera, & absoluta probabilitate: atqui repugnat, esse veram, & absolutam probabilitatem, & esse tenuem: ergò repugnat, opinionem probabiliter probabilem esse tenuiter probabilem. Probatur minor. Nam opinio tenuiter probabilis non est absolutè probabilis, sed secundum quid, & cum addito diminuente. Deindè implicat contradictionem, quod judicium reflexum de probabilitate opinionis sit probabile, & sit tenue; cum probabile dicat fundamentum magnum: & tenue dicat fundamentum leve: repugnat ergò, esse verè & absolutè probabilem, & esse tenuiter probabilem.

18. Ostenditur secundo. Nam in practicis *prudenter, & probabiliter* sunt synonima; ergo qui format probabile judiciũ de probabilitate opinionis, format judiciũ prudens: sed qui ex judicio prudenti operatur, recte operatur: ergo qui operatur ex opinione probabiliter probabili, recte operatur. Loquimur autem de probabilitate, quæ absolute, & sine addito diminuente est probabilitas.

19. Ostenditur tertio. Quia plerumque continget, quod feramus judicium dumtaxat probabile de probabilitate duarum opinionum invicem oppositarum. Sicut enim quando una propositio est probabilis, communiter accedit, quod etiam ejus contradictoria sit probabilis, imo & æque probabilis, ita etiam frequentissimum erit, quod quando una propositio fuerit probabiliter probabilis, eius contradictoria sit etiam probabiliter probabilis. Quid ergo tunc faciemus? Numquid non erit necesse in his casibus eligere tutiorem? Nam si sequamur minus tutam, cum juxta adversarios ea sit tenuiter probabilis, jam huic decreto Pontificis refragaremur.

20. Est autem onus intolerabile, quod in his casibus teneamur semper eligere tutiorem. Est enim difficillimum discernere, quænam sit opinio certo probabilis, & quæ probabiliter probabilis. Et quidem multi sunt, non solum mediocriter docti, sed etiam valde docti, qui non audeant se determinare ad electionem opinionis, nisi inveniant Authores probatos ea asserentes expresse, qui scire desiderant. Cum ergo Authores non tractent hoc punctum, an hæc, an illa opinio sint certò probabiles, an probabiliter probabiles; intolerabile erit illis, obligari vel ad discernendum inter certo probabiles, & probabiliter probabiles; vel ad eligendum semper opinionem strictiorem in omnibus casibus.

21. Ostenditur quarto. Implicat enim contradictionem, quod quando ambæ propositiones contradictoriæ sint probabiliter probabiles, teneamur eligere tutiorem. Quod sic demonstro in materijs justitiæ. Opinio probabilis est, quod qui intulit damnum cum solo peccato veniali, v.g. ex defectu plenæ advertentiæ, non tenetur resarcire damnum; & etiam est probabilis, quæ propugnat obligationem resarciendi illud. Demus ergo, ambas propositiones non esse certò probabiles; sed probabiliter probabiles. Tunc sic. Ergo in hoc casu eligenda est opinio tutior. Sed illi damnificatori tutius est resarcire damnum illatum: ergo tenetur solvere. Deinde damnificato tutius est non recipere solutionem damni: ergo tenetur illã non recipere. Ergo ille damnificator tenetur solvere illi, qui non potest recipere solutionem (Quæ est aperta implicatio contradictionis; infertur enim, quod ille damnificator tenetur solvere, & quod non tenetur.

22. Dices, idem argumentum efformari posse quando ambæ opiniones fuerint tenuiter probabiles, tunc enim, quia juxta hoc decretum non possumus sequi opinionem tenuiter probabilem, debebimus eligere tutiorem. Si ergo fiat id argumentum in materia justitiæ, dum ambæ opiniones sibi invicem contradicentes sunt tenuiter probabiles; eodem modo inferretur implicatio contradictionis.

23. Respondeo, impossibile esse, quod in practicis ambæ opiniones sibi invicem contradicentes sint tenuiter probabiles; sed necesse est, quod si una sit tenuiter probabilis, altera sit certa moraliter, aut fere certa. Nam si opinio, quæ negat obligationem aliquam sit tenuiter probabilis, ideo talis est, quia illa obligatio communiter reputatur certa. Quod non accidit in duabus opinionibus sibi invicem

cem contradicentibus probabiliter probabilibus. Sæpe enim obligatio aliqua est in æquilibrio; & ideo circa obligationem aliquam sæpissimè dantur opiniones æque probabiles.

CAPUT IV.

Alia argumenta pro impugnatione eiusdem asserti.

SUMMARIUM.

Quando Theologus consulit opinionem certò probabilem, qui accipit consilium, solum habet opinionem probabiliter probabilem. n. 24.

Ex opinionibus certo probabilibus inferuntur alia probabiliter. Et quid inde pro conclusione? n. 25.

Opinio probabiliter probabilis non generat dubium practicum. n. 27.

Si opinio probabiliter probabilis afferret dubitationem, etiam afferret certo probabilis. n. 29.

Cum assensu probabili non componitur dubitatio. n. 31.

Dilemma pro conclusione. n. 33.

24. Ostenditur quintò. Nam quando Theologus consulitur pro electione opinionis, & ipse consulit opinionem certò probabilem; ille qui audit consilium à Theologo, non format judicium certum de probabilitate opinionis, cum nescit discernere circa fundamenta intrinseca, vel extrinseca ejus opinionis: sed solum format judicium probabile, utpote dumtaxat innixum consilio Theologi: ergo apud illum, qui audit consilium à Theologo ea opinio solum est probabiliter probabilis. Et tamen non est tenuiter probabilis; nam si talis esset, nihil prodesset viro illiterato consulere Theologum: ergo probabiliter probabilis non est tenuiter probabilis.

25. Ostenditur sextò. Sunt enim multæ opiniones, quæ probabiliter inferuntur ex opinionibus certo probabilibus: illæ autem non possunt esse certo probabiles; nam sicut ex præmissis evidentibus, cum bonitas consequentiæ est solum probabilis, non resultat conclusio evidens, sed solum probabilis; ita ex opinione certo probabili, cum bonitate consequentiæ solum probabili; non potest resultare conclusio certo probabilis, sed solum probabiliter probabilis.

26. Neque prodest responderi, quod si bonitas consequentiæ fuerit certò probabilis, opinio illata ex altera certò probabili, evadet conclusio certo probabilis. Non, inquam, id prodest; quia dum bonitas consequentiæ non fuerit evidens, saltem moraliter, non potest participare certitudinem à præmissis; à propositione ergo certo probabili non potest deduci conclusio certo probabilis, nisi bonitas consequentiæ fuerit, non solum certò probabilis, sed in se ipsa certa.

27. Ostenditur septimò. Nam ambo Authores relati nituntur fundamento falso, nempe, quod opinio probabiliter probabilis necessario generat dubium practicum circa operationem. Tum sic argumentor. Opinio probabiliter probabilis non generat dubium practicum circa operationem eliciendam; habet enim rationem probabilem, ex qua dubium prudenter deponat: ergo perperam dicitur, opinionem probabiliter probabilem esse tenuiter probabilem. Antecedens probatur. Nam dubium practicum de rectitudine operationis eliciendæ, in quo tutior pars eligenda sit, tamdiu durat, quamdiu non potest deponi per aliquam rationem probabilem, *ut docuim 3. part. Crisf. Theol. disp. 60. cap. 2. num. 15.* Sic enim ægrotus dum dubi-

dubitat, an die festo teneatur surgere ad audiendam Missam, est in dubio practico, dum Medicus (cuius iudicium solum est probabile respectu ægroti) illi consulit, ne surgat. Sed qui practice dubitat de probabilitate opinionis, & invenit rationem vere probabilem, ut censeat opinionem esse securam, habet jam principium, per quod deponat prudenter dubium: ergo dum format judicium probabile de probabilitate opinionis, inveniens rationem vere probabilem ad illud judicium formandum, habet jam modum, quo tale dubium prudenter deponat. *Vide quæ de hoc argumento dixi in 3. p. Crif. Theol. disp. 56. c. 16. art. 1. a num. 816.*

28. Nec satisfacies, si dicas, deponi dubium practicum ex ratione certo probabili, non autem ex ratione probabiliter probabili. Nam hoc esset, inducere in conscientias hominum ingentem scrupulorum anxietatem, dum non solum petitur, quod in opinionibus controversis inter Authores eligenda sit opinio certo probabilis; sed etiam quod in rationibus probabilibus, quibus homines gubernant suas actiones in dubiis, quæ occurrunt, non sufficiat ratio probabiliter probabilis, sed quærenda sit ratio certò probabilis. Undè ægrotus, qui ex consilio Medici non surgit in die festo ad audiendam Missam; debebit inquirere, an Medicus ille sit peritissimus suæ artis, an mediocriter peritus, ut consideret, an ratio probabilis desumpta ex eo consilio Medici, sit certo probabilis, an probabiliter probabilis. Qui scrupulizandi modus passim occurret in sexcentis aliis, in magnam desolationem conscientiarum.

29. Ostenditur octavo. Si enim opinio probabiliter probabilis secum afferret dubitationem, etiam certò probabilis afferret secum dubitationem: ergo neque certo probabilis posset reduci ad praxim. Antecedens probatur. Nam vel omnis probabilitas affert secum dubitationem, vel solum illam affert probabilitas reflexa? Si primum dicatur, infero: ergo etiam opinio certo probabilis affert secum dubitationem; nam benè valet ab universali affirmativa ad particularem sub universali contentam.

30. Si verò dicas secundum, nempe solam probabilitatem, quæ reflectitur supra probabilitatem afferre dubitationem; contra est: nã id esset, quia ille terminus *certo* aufert dubitationem in opinione certo probabili: sed id est falsum: ergo. Probatur minor: quia is terminus *certo* potest cadere supra dubium; est enim certum, quod ego dubito, an crines Adami fuerint rubri. Si ergo terminus *probabilis* aut *probabiliter* affert dubitationem, certo probabilis afferret certo dubitationem. Sicut quia opinio, probabilis in conceptu suo essentiali affert, quod sit incerta, id est, nec certa nec certo falsa; ideo opinio certo probabilis affert etiam in suo conceptu, esse certum, quod illa sit incerta.

31. Ostenditur nono. *Nam, ut demonstravi in 1. part. Crif. Theolog. disp. 6. cap. 1.* Quamvis possit dari dubitatio inter motiva probabilia invicem adversantia; at cum assensu probabili non componitur dubitatio de eodem objecto, aut de ejus opposito; & implicat contradictionem, quod componantur assensus probabilis, & dubitatio: nam dubitare est suspendere assensum quasi in æquilibrio, ita ut neutri parti præstet assensum: sicut ergo implicat quod intellectus habeat assensum objecto, & simul suspendat assensum; ita implicat, quod habeat assensum probabilem, & & simul habeat dubitationem.

32. Tum sic. Ergo impossibile est, quod tellectus habeat judicium reflexum probabile de probabilitate opinionis A., & quod ha-

habeat dubitationem de probabilitate opinionis A. Hæc consequentia manifestè infertur ex antecedente; sicut ex propositione universali infertur particularis sub eâ contenta. Ergo impossibile est, quod qui habet judiciũ probabile reflexum de probabilitate opinionis, obstringatur ad deferendum in praxi eã opinionem propter dubitationem de probabilitate ejus; cum non possit intellectus capere eam dubitationem simul cum eo judicio probabili. Et quidem illi duo Authores confundunt dubitationem cum formidine, quæ sunt res longè diversæ, & assensus probabilis optimè componitur cũ formidine, nõ autem cum dubitatione, *ut latè ostendi in 3. part. Crit. Theol. disp. 56. cap. 17. art. 5.*

33. Ostenditur decimò. Nam id assertum, quod ambo authores affirmant, nempe opinionem probabiliter probabilem damnari in hoc decreto *Innocentij XI.* sub nomine tenuis probabilitatis, vel est certum, vel dubium, vel probabile? Si dicant, esse certum; contra est: Quomodo enim potest esse certum, quod nititur in mera æquivocatione confundente formidinem cum dubitatione, ut ostensum est? Si dixerint esse dubium, inde evidenter infertur, non debere dici damnatam opinionem probabiliter probabilem; cum ob solum dubium nemo damnandus sit. Si verò dicant, id esse probabile, interrogo, an sit probabiliter probabile, vel certo probab le? Si primum, cum apud ipsos probabiliter probabile involvat dubitationem de probabilitate; ea dubitatio non est sufficiens, ut dicatur absolutè damnata aliqua opinio. Præterquam quod cum ipsi dicant, opinionem probabiliter probabilem manere damnatam, si id eorum assertum est probabiliter probabile, manebit etiam damnatum per hoc decretum. Si verò dicatur id assertum esse certo probabile, adhuc ea probabilitas non sufficit, ut damnata censeatur per hoc decretum *Innocentij*, opinio probabiliter probabilis: nam in dubiis, & probabilibus semper standum est pro reo. Cum ergo hi duo Authores opinionem probabiliter probabilem impetant tamquam ream tenuis probabilitatis, standum est pro opinione probabiliter probabili, dum de damnatione non constat plusquam probabiliter. Præterquam quod non potest esse certò probabile, quod sola æquivocatione fulcitur, per quam formido cum dubitatione confunditur.

CAPUT V.

Quænam sit opinio tenuiter probabilis, quæ in hoc decreto damnatur?

SUMMARIUM.

Opinio tenuiter probabilis est de cujus probabilitate dubitatur; & valde differt ab opinione probabiliter probabili. n. 34.

Opinio tenuiter probabilis eadem est, ac opinio dubia probabilitatis. n. 35. *& quænam sint motiva ad dubitandum de probabilitate?* Ibidem.

Probabilitas dubia involvit dubium practicum. n. 36.

Tenuis probabilitas affert etiam dubium practicum. n. 37.

Prima pars conclusionis probatur. n. 38.

Ostenditur opinionem tenuiter probabilem diversam esse à probabiliter probabili. n. 39.

Exempla opinionum tenuiter probabilium. n. 40. remissivè.

34. Sit conclusio. Opinio tenuiter probabilis, quæ in hoc decreto damnatur, est illa; quæ quamvis habeat probabilitatem apparentem, plures tamen viri sapientes dubitant de eius probabilitate; vel de cujus probabilitate meritò dubitatur: & quæ talis est, nullo modo est probabiliter probabilis, sed dubiè probabilis. In priori parte conclusionis convenio cum *Lumbierio*, &

Filguera citatis, in posteriori autem dissentio quam longissimè ab eis.

35. Ergò juxta priorem partem conclusionis in idem recidit opinio tenuis probabilitatis, & opinio dubiæ probabilitatis, & de hac *latè dixi in 3. part. Crisf Theol. disp. 56. cap. 9. art. 3. ubi num. 599.* proposui motiva, quæ esse solent ad dubitandum rationabiliter de probabilitate opinionis in hæc verba: (Primò dubito de probabilitate opinionis, quando Author, qui illam docet, non est omni exceptione major juxta *dicta disp. 15.* Et ratio, quâ nititur, opinio mihi non satisfacit, nec videtur omninò firma. Secundò. Cum Author unus, vel alter singularem docet opinionem, nec dat rationem, quâ nititur. Tertiò. Cum unus, vel alter docet opinionem, & plures alii dicunt, vel esse improbabilem, vel parum tutam, vel malè audire apud Theologos, vel illam non esse audiendam, aut esse rejiciendam. Quartò. Quando datur principium certum, & dubitatur, an ei repugnet opinio, nec proponatur ratio sufficienter firma ad deponendum dubium. Quintò. Cum dubitatur, an ratio conclusionis sit levis, an gravis, & firma.) Hucusque ibi. Et quoad hoc ultimum, nomine rationis levis, etiam intelligitur ea, quæ sophistica est, vel laborat in æquivoco. Ubi ergo hæc motiva inventa fuerint, dicendum erit, opinionem esse tenuiter probabilem.

36. Deindè de probabilitate dubia (id est, quando dubitatur de probabilitate) dixi ibidem, illam esse dubium practicum, in quo tutior pars amplectenda est ad praxim; ita ut in materia gravi sit peccatum mortale non sequi partem tutiorem. Et ratio est: quia in quolibet dubio de materia practica, dubium est practicum, dum non occurrit ratio probabilis (intrinseca, vel extrinseca) virtute cujus intellectus deponat dubium: si ergò de probabilitate ipsius rationis dubitatur, quomodo virtute talis rationis probabilis deponetur dubium.

37. Similiter ergo de probabilitate tenui discurrendum est, & dicendum, in probabilitate tenui contineri dubium practicum, in quo tutior pars ex obligatione sequenda est in praxi. Nam ipsa tenuitas probabilitatis non est sufficiens ad deponendum dubium, quod occurrit.

38. Ex quibus manifestè patet prior pars conclusionis; nempè opinionem tenuiter probabilem esse illam, de cujus probabilitate multi viri docti dubitant; aut quando de tali probabilitate meritò dubitatur. Tum quia cum non sit tenuiter probabilis ea, quæ est minùs probabilis, & minùs tuta materialiter, neque ea, quæ est probabiliter probabilis, ut ex decursu hujus disertationis constat; nihil aliud restat, in quo possit consistere tenuitas probabilitatis. Tùm etiam quia non potest dici tenuiter probabilis, quæ est certò falsa, vel certò improbabilis; rursum, ut ex hac damnatione constat, non potest dici sufficienter probabilis ad regendam conscientiam: ergo solum potest dici tenuiter probabilis ea, quæ quamvis habeat aliquam probabilitatem apparentem, generat dubium practicum, in quo tutior pars eligenda sit. Ergò tenuiter probabilis dicenda est illa, de cujus probabilitate meritò dubitatur apud sapientes.

39. Secunda pars conclusionis, nempè quod ea opinio, de cujus probabilitate meritò dubitatur, non sit probabiliter probabilis, satis constat *ex dictis cap. 3. & 4.* Et ulterius ostenditur. Nemo enim format judicium probabile de parte minus tuta in eo, circa quod habet dubium practicum, in quo tutior pars sequêda est: sed de probabilitate opinionis tenuiter probabilis habetur dubiũ practicum, in quo tutior pars sequenda est, ut cõstat

constat ex dictis: ergo nemo formare potest judicium probabile de ejus probabilitate. Ergo ea non potest esse probabiliter probabilis.

40. Hujus generis opinionum tenuiter probabilium, quæ, ut satis ostendi, nihil differunt ab opinionibus dubiæ probabilitatis, multa exempla dedi *in part. 3. Crist. Theolog. tract. 4. & in hoc opere disert. 1. cap. 6. Legat qui volet.*

CAPUT VI.

Satisfit argumentis cap. 2. propositis.

SUMMARIUM.

Qui format judicium probabile de probabilitate opinionis, non habet dubiũ practicum de illa, sed potius judicium reflexum certum. n. 41.

Cancellarius ille dubitavit de probabilitate opinionis; & ideo damnatus fuit. n. 42. & 45.

Quare qui sequitur opinionem probabiliter probabilem, non se committat discrimini. Ex S. Thoma n. 43.

Discrimen inter dubitationem, & formidinem. n. 44.

Dum quis sequitur opinionem probabiliter probabilem, ultimum judicium de honestate opinionis non est probabile, sed certum. n. 46.

Tenuis probabilitas non est talis respectivè, sed absolutè. n. 47.

41. AD primum ex *Lumbierio*, contendente, opinionem probabiliter probabilem esse tenuiter probabilem, respondeo negando antecedens, quod qui operatur ex opinione probabiliter probabili, non reddit se tutum à peccato: nam qui format judicium probabile, & prudens de probabilitate opinionis, habet rationem probabilem ad deponendum dubium de ea probabilitate, atque adeo non dubitat practicè de tali probabilitate; & habet tertium aliud judicium, illud quidem reflexum & certum, quod qui operatur ex judicio probabili, & prudenti, rectè operatur, juxta dicta sæpius *in 1. part. Crist. Theol. disp. 15. & in 3. part. disp. 56.* Unde falsum est, quod subjungitur in eo antecedenti, quod tunc formidat, an re ipsa peccabit, nam id judicium tertium reflexum est certum, atque adeo expellit omnem formidinem. *Vide quæ dixi in 3. part. Crist. Theol. disp. 56. cap. 18. num. 975. ex Illustrissim. Archiepisc. Petro de Tapia.* Ex quibus patet, falsas esse consequentias inde deductas.

42. Ad secundum respondeo, si Cancellarius dixit, se esse damnatum, quia contra sententiam plurimorum de illicita retentione plurium Beneficiorum, ad praxim deduxit oppositam opinionem, ita se exponens periculo peccandi; id ita contigit, quia dubitans de probabilitate opinionis incidit in dubium practicum, in quo tutior pars amplectenda est; & cum eam non amplexus fuerit, commisit se periculo peccandi, atque adeo peccavit. *Et constat ex celebri textu S. Thomæ quod lib. 8. art. 13. agens de ea quæstione* (An liceat habere plures præbendas?) *Si manente dubitatione plures præbendas habet, periculo se committit, & sic procul dubio peccat.. Aut ex contrarijs opinionibus in nullam dubitationem adducitur; & sic non committit se discrimini, nec peccat. Vide quæ de hoc late dixi 3. part. Crist. Theolog disp. 56. cap. 17. art. 4. num. 942.*

43. Ex hoc *textu S. Thomæ* evidens argumentum desumitur ad probandum, non peccare eum, qui sequitur opinionem probabiliter probabilem. Nam *juxta S. Thomam, si ex contrarijs opinionibus in nullam dubitationem adducitur, non committit se discrimini, nec peccat.* Sed opinio probabiliter probabilis non adducit necessario in dubitationem; cum afferat rationem probabilem, per quam expellat, & deponat dubitationem: ergò

ergò qui ducitur opinione probabiliter probabili, non committit se discrimini.

44. Et sanè in æquivoco laborant, qui non attendunt ad ingens discrimen, quod datur inter formidinem, & dubitationem. Nam assensus probabilis non est compossibilis cum dubitatione; est autem compossibilis cum formidine. Judicium autem reflexum de probabili opinione sequenda, quæ secum affert formidinem, certum est, & ideo quamvis habeat pro objecto opinionem cum formidine; ipsum autem judicium reflexum nullam habet formidinem.

45. Ergò ad id, quod subjungit objectio, dicendum est, Cancellarium vel dubitasse de probabilitate opinionis, vel non habuisse judicium certum de sequenda licitè opinione probabili: atque adeo formidasse, an re ipsa peccaret. Qui enim caret ultimo judicio certo de rectitudine suæ operationis, exponit se periculo probabili peccandi, *ut latè docui in 1. part. Crif. Theol. disp 56. cap. 18.*

46. Ad tertium constat ex proximè dictis. Cōcedo enim majorem, quod non sufficit judicium, quo quis probabiliter censeat, se non peccaturum, sed requiri, quod ultimum judicium, quo quis judicet, se non peccaturum, exercendo talem actionem, esse certum; & nego minorem, quod dum quis sequitur opinionem probabiliter probabilem, ultimum judicium sit dumtaxat probabile. Nam judicium probabile, quo quis judicat probabiliter, eam opinionem esse probabilem, non est ultimum judicium, quo quis judicat de rectitudine operationis à se eliciendæ. Patet. Nam istæ sunt longe diversæ propositiones: Prima. *Hæc opinio A. est probabilis.* Secunda. *Si sequor hanc opinionem A. rectè operor.* Quarum prima potest esse probabilis, & secunda debet esse certa, ut excludat periculum probabile peccandi. Quod si secunda afferat formidinem, non erit certa, atque adeo non manebit homo securus de rectitudine suæ operationis. *Vide quæ dixi in loco proximè citato.*

47. Ad quartum ex *Filguera* respondeo, tenuem probabilitatem non debere talem censeri respectivè, sed absolutè; & ita quamvis opinio probabiliter probabilis videatur tenuiter probabilis comparativè ad certò probabilem; absolutè tamen non est tenuiter probabilis. Alioquin omnis opinio probabilis esset tenuiter probabilis: quia probabilis respectu certi est aliquid tenuè. Discrimen autem, quod constituit *Filguera* inter opinionem probabiliter probabilem, & certò probabilem, perperam constituitur, eo quod confundit judicium, quod fit de probabilitate opinionis A. & judicium ultimum, quod fit de rectitudine operationis hic & nunc eliciendæ. Etenim postquam homo elicuit judicium probabile de probabilitate opinionis A. mox videns certum esse, quod licitum est sequi veram, & solidam probabilitatem, format judicium ultimum certum de rectitudine operationis à se eliciendæ.

CAPUT VII.

An incurrat hanc damnationem propositio docens, in gravissima necessitate posse nos sequi opinionem tenuiter probabilem? Et quomodo hæc opinio intelligenda sit?

SUMMARIUM.

Hæc propositio non subjacet damnationi. n. 49.

Difficultas de dubio practico in necessitate gravissima. n. 50.

Altera difficultas de casibus, in quibus necessitas gravissima permittit tenuem probabilitatem. n. 51.

Quomodo necessitas gravissima augeat probabilitatem? n. 52.

Quomodo id contingat in Baptismo? n. 53.

Quo-

Quomodo gravis necessitas in multis casibus auferat irreverentiam n. 54.

Quomodo in casu excommunicati necessitas augeat probabilitatem? n. 55.

Alius casus similis in materia Matrimonij. n. 56.

Regula ad cognoscendum, quaenam sit gravis necessitas, in qua liceat uti opinione tenuiter probabili. n. 58.

48. IN 1. *part. Crist. Theol. disp. 9. cap. 8. num. 133.* retuli opinionem docentem, in extrema, aut gravissima necessitate licitum esse uti opinione tenuiter probabili; *& in 3. part. disp. 79. cap. 2. num* 20. usus sum hac sententia ad probationem conclusionis ibi traditae. Quam sententiam docent *Navarrus cap. Inter verba. in 2. edit. coroll 53. num. 135. Sotus de Secr. membr. 3. quaest. 2. conclus 3. P. Thom. Sanchez lib. 2. de Matrim disp. 36. nu.* 8. *& lib. 1. Sum. cap. 9. num. 25.*

49. Quaeritur ergò in praesenti, an haec propositio (quod in gravissima necessitate eligere possimus opinionem tenuiter probabilem,) subeat hanc damnationem? *In 3. part. Crist. Theol. loco proximè citato* hanc dubitationem breviter discussi. Et, ut ibidem notavi, *Emmanuel de Filguera*, me citato, asseruit, hanc opinionem minimè subjacere huic damnationi. Quod optimè probat. Damnatur enim propositio asserens, *generatim* licere uti opinione tenuiter probabili; nostra autem assertio non affirmat, id licere generatim, sed solùm in gravissima necessitate.

50. Restant tamen duae difficultates discutiendae. Prima est. Diximus enim, tenuem probabilitatem esse, cum dubitatur de ipsa probabilitate, quae propterea non potest esse sufficiens ad deponendū dubium; atque adeò dubium est practicum, in quo tutior pars eligenda est: sed neq; in necessitate gravissima possumus operari cum dubio practico: ergò neque in necessitate gravissima possumus uti opinione tenuiter probabili.

51. Secunda difficultas est. Authores, qui concedunt, posse in necessitate gravissima eligi opinionem tenuiter probabilem, dicunt id aliquandò posse admitti. Non enim fieri potest in omnibus praeceptis, maximè juris naturalis, & Divini. Difficultas ergò consistit in tradendo regulam, per quam cognoscatur, quandò liceat in necessitate gravissima uti opinione tenuiter probabili.

52. Pro utraq; ergò difficultate dissolvenda sciendum est; plerumque ipsam necessitatem gravissimam afferre rationem specialem pro augenda probabilitate intrinseca opinionis; ita ut licet rationes opinionis alioqui sint tenues, ipsa gravissima necessitas augeat vim probabilitatis earum. Cujus assertionis multa suppetunt exempla.

53. Primum. Baptizare infantem in materia dubia, puta in lixivio, aut in jusculo, extrà casū necessitatis, est grave piaculū. Si vero infans sit in articulo mortis, neque sit materia certa, ipsa necessitas tanti ponderis est, ut illud reddat licitum.

54. Secundum desumi potest à multis actionibus, quae afferunt irreverentiam rebus sacris, à quibus tamen, si gravis accedat necessitas, haec aufert irreverentiam. Nam currere per Templum est irreverentia; si quis autem currat fugiens Taurum, vel Leonem ingressum in Templum, necessitas ipsa aufert irreverentiam. Magna est etiam irreverentia, quod homo non jejunus accipiat Eucharistiam; si verò intrarent in Ecclesiam Haeretici cum periculo conculcandae Eucharistiae, necessitas efficeret, ne ulla esset irreverentia, quod homo non jejunus consumeret Eucharistiam, si aliàs non inveniretur jejunus.

55. Tertium est, quod suprà proposui *disertatione 2. cap. 5. art.* 8. nempè excom-

municatum, qui satisfecit, & per contritionem ad statum gratiæ pervenit, nec per ipsum stat, quo minus absolvatur, posse in casu gravis necessitatis accipere Sacramentum Pœnitentiæ, quin contraveniatur damnationi primæ propositionis, de non sequenda opinione probabili circa valorem, relicta tutiori. In quo casu gravis necessitatis reddit licitum per suam vim intrinsecam rationis, quod alias esset illicitum. Nam, ut ibidem ostendi, necessitas unius partis, & impossibilitas partis oppositæ sunt relativæ, & invicem connexæ: quare cum præfato excommunicato adsit necessitas gravis recipiendi Sacramentum pœnitentiæ, in eodem genere datur impossibilitas omittendi confessionem. Ex qua necessitate, & impossibilitate fit, quod quamvis ille excommunicatus sequatur opinionem probabilem circa valorem Sacramenti, non tamen sequitur illā relicta tutiori: non enim dicitur relinquere tutiorem, qui habet impossibilitatem illam sequendi; sicut non dicitur relinquere cursum, qui obstrictos vinculis habet pedes. Præter rationem, quæ desumitur ex favore quo Ecclesia favet urgentissimæ necessitati in ordine ad recipienda Sacramenta. *De quo dixi in loco cit.*

56. Ejusdem generis est casus, quem proponit *P. Thomas Sanchez, lib. 2. de Matrimon. loco supra citato.* Afferit enim esse parum probabilem opinionem eorum, qui dicunt, quando contracto Matrimonio unus conjux advertit impedimentum dirimens, posse (obtentâ dispensatione) revalidari Matrimonium, quamvis alter conjux sit inscius impedimenti. Et tamen afferit, illud reipsa posse revalidari ad normam ejus opinionis, scilicet inscio impedimenti altero conjuge, si urgeat gravissima necessitas, qualis esset, si ante contractum Matrimonium fœmina illicitè copulata fuisset cum fratre sui viri, neque inveniri posset modus, quo sine manifestatione proprij delicti posset declarare impedimentum dirimens suo viro, sed esset periculum magni scandali. Ratio autem, quare magna illa necessitas tacendi impedimentum, & impossibilitas illud declarandi faciat, quod possit deduci ad praxim ea opinio parum probabilis, quæ versatur circa valorem & alias est minus tuta, hæc est: Tum quia impossibilitas moralis adeo urgens efficit, quod non possit eligi ad praxim opinio tutior, atque adeo non verificatur, quod eligitur opinio probabilis circa valorem, relicta tutiori, propter dicta. Tum etiam quia cum Matrimonium sit materia favorabilis ex jure Ecclesiastico, videtur Ecclesia velle in tali impossibilitate morali favere Matrimonio, ut revalidetur eo modo, quo non sequantur scandala adeo gravia. Similis etiam est casus, quem proposui *in 3. part. Crif. Theol. loco supra citato.*

57. Hinc facilè est dissolvere utramque difficultatem supra propositam. Ad primam distinguenda est major: nam tenuis probabilitas affert dubium practicum (extra gravissimam necessitatem;) non sic intra illam: quia gravissima necessitas extrahit opinionem à sua tenuitate; & addit probabilitati pondus rationis, vi cujus opinio pro ea necessitate non est tenuiter probabilis, sed potius absolutè probabilis.

58. Ad secundam difficultatem solvendam ea regula tradenda est, tunc licitum esse in gravissima necessitate uti opinione alioqui tenuiter probabili, quando ipsa necessitas affert ab intrinseco pondus rationis, vi cujus opinio pro illo casu necessitatis fiat absolute probabilis, ut in casibus supra memoratis.

DI-

DISERTATIO V.

An infidelis excusetur à peccato infidelitatis, dum Religio Catholica sibi proponitur ut probabilior, & sua secta ut minus probabilis?

CAPUT I.

Proponitur propositio quarta, & investigatur sensus illius?

SUMMARIUM.

Opinio Lumbierij circa sensum propositionis damnatæ. n. 2.

Opinio Filgueræ de sensu ejusdem propositionis. n. 3.

Item opinio Bernardi de Hozes. Ibid.

Non datur in infideli vera probabilitas de sua secta, sed solum apparens. n. 4.

Verus sensus propositionis damnatæ. n. 5.

1. PRopositio quarta inter damnatas *ab Innocentio XI.* hæc est. *Ab infidelitate excusabitur infidelis non credens ductus opinione minus probabili.* Et ut sensus hujus propositionis damnatæ examinetur; & sana doctrina teneatur juxta mentem Romanæ Cathedræ, operæ pretium est discutere, quem sensum illi propositioni attribuant scriptores, qui ejusmodi propositiones damnatas exposuerunt.

2. Igitur *Raymundus Lumbier tom. 3. Sum. Hispaniæ in expositione quartæ propositionis num.* 1766. ait, damnatam manere opinionem, quę docet, non sufficere notitiam probabiliorem de veritate Fidei Catholicæ, ut infidelis maneat obligatus ad credendum; atque adeo ex mente Romanæ Cathedræ infidelis, eo ipso quod sibi proponatur ut probabilior doctrina Ecclesiæ Catholicæ, tenetur præcepto credendi veritates Catholicas. Quandò autem ipse dixit alibi requiri evidentiam credibilitatis mysteriorum Fidei Catholicæ, ad hoc ut infidelis teneatur præcepto credendi mysteria ejusdem Fidei; explicat, per evidentiam credibilitatis, se intelligere evidentiam majoris probabilitatis, & ex hoc capite affirmat, suam sententiam non subjacere huic damnationi. Sed existimo, & ut certum mihi persuadeo, hunc non esse sensum propositionis damnatæ, juxta mentem Romanæ Cathedræ; ut mox videbimus.

3. *Emmanuel de Filguera in expositione hujus quartæ propositionis in fine* illius affirmat, infidelem neque ex probabili, neque ex probabiliore opinione posse credere, aut elicere actum fidei? Et si inquiras, quomodo non excusetur à peccato infidelitatis, dum habet opinionem probabiliorem de veritate Fidei Catholicæ; respondet, ideo non excusari, (quia mysteria Fidei sunt evidenter credibilia; sicque intellectus evidente credibilitate objecti ita ducitur ad assensum, ut prudenter nequeat dubitare, aut formidare de illius veritate.) quasi peccatum infidelitatis detur tunc in infideli, quia cum objectum sit evidenter credibile, infidelis habet solum cognitionem probabilem, aut probabiliorem. Sed revera non attingit scopum, ut ex dicendis constabit.

Mag. Hozes in explicat. prop. 4. n. 5. & 8. aliam subivit semitam. Afferit enim, ubi infidelis habet majorem probabilitatem de fide Catholica, quam de sua secta, licet non possit credere fide supernaturali cum sola opinione probabili; tenetur tamen deserere suam infidelitatem, & implere præceptum negativum, quod obligat semper, & pro semper, & consistit in eo, quod quis non habeat assensum contrarium Fidei; non tamen tenetur statim ad eliciendum actum positivum Fidei, quia iste non componitur cum opinione dumtaxat probabili. Sed neque sic videtur satisfieri difficultati.

 4. Sup-

4. Supponimus autem dari non posse, etiam in infideli veram probabilitatem de veritate sectæ erroneæ: quia contrà certitudinem nulla potest dari vera probabilitas. Nam, *ut dixi in 3. part. Crif. Theol. disp. 55. num 2.* assensus probabilis est incertus, id est, nec certus, nec certo falsus: & propositionis certæ contradictoria est certò falsa. Si ergo daretur assensus vere probabilis de propositione contradictoria veritatis Fidei, quæ certa est, esset certò falsus & non certo falsus: certò falsus, quia contradictoria, quæ opponitur propositioni certæ, est certò falsa; non certò falsus, quia probabilis, de cuius essentia est esse nec certum, nec certò falsum. *Vide in 1. part. Crif. Theolog. disp. 4. num. 6.* probabilitas ergo, quam concedimus in infideli circa veritates Fidei, & errores sectæ, est solum apparens; quatenùs id, quod certum, aut certo falsum est, illi proponitur ut verisimile, & probabile: vel quia non attendit ad rationes evidentes; vel quia nescit ponderare evidentiam illarum.

5. Igitur nullo meliori modo possumus indagare sensum huius quartæ propositionis damnatæ, quam ex verbis Authoris, qui eam propositionem asseruit, nempe *Ioannis Sancij, in selectis disp. 19. num. 7.* ubi sic differit (Sicut in alijs materijs, ubi offensa mortalis intercedere posset, fatentur ipsi, eam non committi ab operante ex opinione minùs probabili, licet res maximi momenti sit, Deum offendere mortaliter, vel non; sic quoque *ab infidelitate excusabitur infidelis non credens ductus ex opinione minus probabili.*) Hucusque *Ioann. Sancius.* Itaque sensus propositionis est quod sicut in aliis materiis, & præceptis excusatur homo à peccato, si sequatur opinionem minus probabilem de non peccato; ita in præcepto credendi veritates Fidei Catholicæ excusabitur infidelis à peccato infidelitatis, si habeat opinionem minus probabilem (scilicet probabilitate apparente) de credibilitate sectæ erroneæ.

CAPUT II.

Legitima probatio falsitatis ejus propositionis damnatæ.

SUMMARIUM.

Discrimen, quod datur inter probabilitatem, quæ versatur in infideli circa mysteria Fidei, & eam, quæ datur in materiis moralibus n. 6.

Probabilitas, quæ datur in infideli circa mysteria Fidei includit ignorantiam vincibilem. n. 7.

Qui habet ignorantiam vincibilem de præcepto, tenetur conari certitudinem, vel sequi strictiorem partem. n. 8.

Ignorantia, quæ invenitur in opinionibus moralibus, est invincibilis. n. 9.

Quomodo infidelis possit præstare majorem diligentiam, ut perveniat ad certitudinem? n. 10.

Dum infidelis præstat debitam diligentiam pro invenienda certitudine non peccat. n. 11.

Quomodo infidelis non excusetur à peccato infidelitatis propter opinionem minus probabilem? n. 14.

An in aliquo casu infidelis habeat probabilitatem circa mysteria Fidei cum ignorantia invincibili? n. 15. & seqq.

Objectio solvitur. n. 20. & 21.

Licet infidelis habeat majorem probabilitatem de sua secta, adhuc non excusatur à peccato infidelitatis. n. 22.

6. Vera hujus rei intelligentia consistit in cognoscendo discrimen, quod intercedit inter probabilitatem, quæ datur circa mysteria Fidei Catholicæ, & eam, quæ datur in aliis materiis moralibus. Hoc autem discrimen est, quod probabilitas, quæ invenitur in reliquis materiis moralibus, includit ignorantiam invincibilem; probabilitas

tas autem apparens, quæ datur in intellectu infidelis circa objecta Fidei Catholicæ, includit ignorantiam, sive incertitudinem vincibilem. Est autem certum apud omnes, quod ignorantia invincibilis excusat à peccato, non autem ignorãtia vincibilis.

7. Quod autem probabilitas, quæ datur in infideli circa mystéria Fidei, includat ignorantiam sive incertitudinem vincibilem, manifestum est. Nam tunc datur ignorantia vincibilis, quando oritur dubitatio, vel formido circà præceptum, circà quod potest adhibere majorem diligentiam, ut perveniat ad certitudinem: sed infidelis habens probabilitatem circa mysteria Fidei dubitat, aut saltem formidat circa ejusmodi mysteria, & potest adhibere majorem diligentiam, ut perveniat ad certitudinem, quam infallibiliter assequetur, si sincero animo quærat veritatem, conferendo cum viris doctrinæ Catholicæ peritis, & exorando Deum: ergo ejusmodi probabilitas includit ignorantiam vincibilem.

8. Itaque cum quis habet ignorantiam vincibilem de aliquo præcepto, tenetur præstare majorem diligentiam, ut perveniat ad certitudinem, vel sequi strictiorem partem: habet enim dubium practicum, quo debet quis vel conari ad certitudinem, vel sequi tutiorem partem. Ita qui dubitat an cras sit dies festus, in quo urgeat præceptum audiendi sacrum, tenetur vel ad procurandam certitudinem obligationis, vel hac non procurata, ad audiendum Sacrum. Sic etiam si in quæstione morali, in qua Theologus habet probabilitatem, daretur spes perveniendi ad certitudinem, non excusaretur à peccato, ex eo quod duceretur eâ opinione probabili. Quia ignorantia, quæ tunc inveniretur in eâ opinione probabili, esset vincibilis. Ideo autem in quæstionibus moralibus licet nobis sequi opinionem minus probabilem, quia post multam discussionem Theologorum, nulla est spes perveniendi ad certitudinem; quare tunc licitum est sequi ductum rationis verè probabilis, & dignæ viro prudenti.

9. Quod autem in prædictis opinionibus moralibus ignorantia, quæ invenitur, sit invincibilis, clarissimè constat ex ijs, quæ *docui in 1. part. Crit. Theol. disp. 15. cap. 3. art. 3. & 4. & cap. 9.* Nam ut constat *ex S. Thoma quod lib. 8. art. 15.* tunc datur error invincibilis excusans à peccato, *quando scilicet procedit ex ignorantia ejus, quod quis scire non potest, vel scire non tenetur.* Quæ sunt *verba S. Thomæ*, quẽ omnes Theologi sequuntur. Cum ergo Theologus in quæstione utrimque probabili non possit scire, quæ pars sit vera, & ex adjuncta ratione probabili sufficienter determinetur intellectus prudens, indè est, quod habeat ignorantiam invincibilem excusantem à peccato.

10 E contra infidelis, qui habet probabilitatem circa mysteria Fidei, potest præstare majorem diligentiam, ut perveniat ad certitudinem, atque adeo ignorantia ejus est vincibilis Et si non præstat eam diligentiam, est culpabilis; quia in re tanti momenti non facit totum id, quod facere potest.

11. Hinc infertur, quod infidelis habens majorem probabilitatem circa mysteria Fidei, & minorem circà objecta suæ sectæ, si tunc præstet omnem debitam diligentiam, pro invenienda certitudine, pro tunc non peccat; ut constat ex dictis.

12. Hæc videtur fuisse mens *P. Thomæ Sanchez lib. 2. Summæ cap. 1. num. 6.* his verbis: *Addo, saltem hac injectura prudens dubium, ut teneatur infidelis indagare veritatem; orationibus lucem à Deo petendo, ne sit deinceps ignorantia culpabilis.*

 13. Dices

13. Dices. Ergò quando infidelis præstat omnem debitam diligentiam pro invenienda certitudine, si pro tunc non peccat, excusabitur pro tunc à peccato infidelitatis ductus ex illa opinione minus probabili de bonitate apparente suæ sectæ erroneæ: ergo jam hæc doctrina coincidit cum hac 4. propositione damnata; atque adeo incurrit damnationem ejus.

14. Respondetur. Tunc quidem excusari à peccato infidelitatis, sed non propter opinionem minus probabilem; sed quia præstat debitam diligentiam, ad quam obligat status dubij practici. Quod clarè cernitur in hoc exemplo. Petrus dubitat, an crastina die urgeat præceptum audiendi Missam, & audit ab uno viro partem negativam obligationis, quod sufficit illi ad habendam pro tunc probabilitatem de non obligatione. Et quidem si non præstat majorem diligentiam ad vincendum dubium, & elicit oppositum non audiendi, manifestum est, quod peccat. Quod si majorem adhibet diligentiam, cum proposito non audiendi, si certo invenerit non urgere præceptum, tunc non peccat. Sed numquid excusatur à peccato propter illam probabilitatem, quam cum formidine hausit ex testimonio illius hominis? Minimè. Excusatur enim, quia præstat debitam diligentiam ad habendam certitudinem de præcepto, ad quam obligat illud dubium practicum.

15. Dices iterum. Quid, si infidelis imbutus opinione minus probabili de rectitudine suæ sectæ, putet invincibiliter se non posse ascendere ad majorem certitudinem? Tunc enim excusabitur à peccato infidelitatis ductus ex sua opinione minus probabili; quod est contra præsens decretum.

16. Respondeo primo, hoc non posse cadere, nisi in stolidissimum, nam vel præstat majorem diligentiam, vel non præstat, pro inquirenda veritate? Si primum, dum præstat illam, quomodo potest putare, quod non potest præstare? Si non præstat, quomodò potest scire, quod sit impossibile ascendere ad majorem certitudinem; cum id aliundè constare non possit, nisi ex ipsa adhibitione majoris, & majoris diligentiæ?

17. Sed quia plurimi infideles sunt stolidissimi, respondeo secundo, etiam hanc ignorantiam esse vincibilem Etenim quando mysteria Fidei proponuntur infideli, Deus immittit illustrationem intellectui, & inspirationem, quæ inclinat voluntatem ad credendum: cum ergo infidelis in his circumstantiis titubet, & formidet circa suam sectam, impossibile est; quod non etiam titubet, & formidet circa eam apprehensionem (quod non potest pervenire ad majorem certitudinem.) cum ipsa titubatio, & formido faciat intellectum esse solicitum de veritate cognoscenda.

18. Dices tertiò. Solum in dubio practico tenemur, vel inquirere certitudinem, vel sequi partem tutiorem; sed ubi datur probabilitas, non datur dubium practicum; hoc enim deponitur per rationem probabilem: ergo iste non est casus dubii practici.

19. Respondetur, quidquid sit de modo loquendi; an ea incertitudo, quæ datur in opinione probabili, sit dubium, nec ne; non potest dubitari, quod quando in opinione probabili datur incertitudo, & simul spes assequendi certitudinem, ea incertitudo est vincibilis; & si non adhibetur diligentia ad assequendam certitudinem, est culpabilis. Opinio probabilis est, quod liceat pictori pingere in die festo, quia probabile est, picturam non esse opus servile. Ideo autem est licitum, quia id est invincibiliter incertum. Nam si esset spes perveniendi ad certitudinem ejus veritatis, & non præstaretur diligentia

gentia ad eam assequendam, non excusaret probabilitas.

20. Dices quartò. Videtur incompossibile cum doctrina tradita, quod infidelis, cui solum probabiliter proponitur mysterium Fidei, teneatur, vel ad credendum, vel ad præstandam majorem diligentiam; quomodo enim potest obligari ad credendum, etiam sub disjuncto, mysterium, quod non proponitur ut certum?

21. Respondeo, quando præceptum ex genere suo obligat sub disjuncto ad unum è duobus, & non potest hic & nunc exequi unum illorum, tenetur homo ad exequendum determinatè illud alterū: v.g. Sacerdos tenetur in die festo, vel celebrare Missam, vel eam audire. Quod si ratione alicujus impedimenti non potest illam celebrare, tenebitur determinatè ad illam audiendam, si ad auditionem non extenditur illud impedimentum. Sic similiter cum infidelis habet eam probabilitatem apparentem de mysteriis Fidei, habet, ut diximus, ignorantiam vincibilem, ex qua oritur dubium practicum: ex hoc autem dubio oritur obligatio vel ad procurandam certitudinem, vel ad eligendum quod tutius est; & consequenter infidelis ex ratione generali dubij practici tenetur vel ad adhibendam diligentiam pro certitudine assequenda, vel ad credēdū si autē hic & nunc nō est possibilitas ad credendū, tenetur determinatè ad præstādam debitam diligentiam; qua adhibita habebit à Deo lumen Fidei, quo possit credere.

22. Infertur etiam ex dictis, quod si infidelis habeat majorem probabilitatem apparentem de rectitudine suæ sectæ erroneæ, & minorem de veritate mysteriorum Fidei, adhuc non excusabitur à peccato infidelitatis, nisi præstet omnem diligentiam, ut perveniat ad certitudinem; neque ex illa majori probabilitate excusabitur. Ratio ex dictis est: nam infidelis positus in conflictu opinionum adversantium in materia, in qua, si præstet debitam diligentiam, potest pervenire ad certitudinem, utique habet ignorantiam vincibilem: ergo si non nitatur vincere illam, peccabit.

CAPUT III.

An incurrat hanc damnationem opinio communis, qua docet, ad assensum Fidei non sufficere probabilioritatem, sed requiri evidentiam credibilitatis?

SUMMARIUM.

Mysteria Fidei sunt evidenter credibilia. n. 23.
Item evidenter credenda. n. 24.
Communis sententia docet, ad conversionem infidelis requiri in eo evidentiam credibilitatis. n. 25.
Quod definiat Pontifex probabilioritatem circa Fidem sufficere, ut infidelis obligetur præcepto credendi, quidam censent. n. 26.
Fundamentum ejus assertionis. n. 27.
Sententia postulans evidentiam credibilitatis, ut infidelis teneatur præcepto credendi, non subjacet huic damnationi. n. 28.
Bene stat requiri evidentiam credibilitatis, & quod ignorantia vincibilis sit culpabilis. Ibid.
Quod opinio docens, infidelem teneri ad credendum cum sola probabilioritate, subjaceat damnationi propositionis 21 n. 30.
Objectio proposita num. 27. solvitur. n. 31.

23. Conveniunt Theologi in eo, quod mysteria Fidei Catholicæ sunt evidenter credibilia, id est evidenter digna, quæ à quolibet viro prudenti credantur. Sunt enim tot, tantaque motiva ad hanc persuasionem promovendam, ut qui eis resistunt, imprudentissimi, & obstinatissimi censendi sint.

24. Cara-

24. *Caramuel* pro subtilitate sui ingenii non est contentus eo termino credibilitatis: quare in *Theolog. intention. lib.* 4. *num.* 1732. præter evidentiam credibilitatis, necessarium esse ducit admittere evidentiam *credenditatis*; id est necessitatis credendi. Quod etiam docuerat *in Theol. fund.* à quo videntur non dissentire reliqui Theologi; nam in explicanda evidentia hujus credibilitatis mysteriorum Fidei, pro necessitate credendi arguunt, Quia cum afferant plurima motiva suadentia veritatem nostræ Fidei Catholicæ; illa quidem cum evidentia sint, saltem moraliter, & necessariam consequentiam importent, fit, eis argumentis evidenter probari, quod necessariò credenda sunt. v.g. In Ecclesia, in qua est omnimoda sanctitas doctrinæ necesse est, quod sit etiam vera fides: erga mysteria ejus Fidei non sunt solum evidenter credibilia, sed etiam evidens est, esse necessariò credenda. *Et ideo S. Thomas* 2. 2. *q.* 1. *art* 5. *ad* 1. indifferenter utitur ijs vocibus *credibilia, & credenda*; illis verbis: *Infideles eorum, quæ sunt Fidei, ignorantiam habent, quia nec vident, nec sciunt ea in se ipsis, ut cognoscant, ea esse credibilia. Sed per hunc modum Fideles habent eorum notitiam, non quasi demonstrativè, sed in quantum per lumen Fidei vident esse credenda. Et P. Suarez de Fide disp.* 4 *sect.* 2. *num.* 7. ait: *Concludo, non solum debere objectum Fidei esse evidenter credibile; verum etiam requiri, quod secundum rationem naturalem tale objectum sit CREDENDUM.*

25. Infidelis ut à sua prava secta convertatur ad veritatem Fidei Catholicæ, communis sentẽt. a Theologorum docet requiri in eo evidentiam credibilitatis; quod præcipuè sustinendum videtur respectu illorum infidelium, qui cum perspicacia intellectus præditi sint, adhærent tenaciter erroribus suæ sectæ. Necesse est enim, quod instructor, vel concionator convincat intellectum infidelis, vel certè quod ex illustratione interna, quam Deus infundit, maneat certus de necessitate credendi objecta Fidei. Et *ita S. Thom. in quæst. cit. art.* 4. *ad* 2. ait: *Non enim crederet, nisi videret, ea esse credenda, vel propter evidentiam signorum, vel propter aliquid hujusmodi.* Quæritur ergo, an hæc sententia Theologorum subjaceat huic damnationi quartæ propositionis.

26. Et quidem *Lumbier citatus cap.* 1. existimat definitum esse ab *Innocentio XI.* probabiliorem opinionem de veritate Catholicæ Fidei sufficere infideli, ut obligatus maneat præcepto credendi; & ideo peccare peccato infidelitatis, si re ipsa non credat.

27. Et videtur suffragari argumentum hoc. Nemo peccat peccato infidelitatis, donec obligetur præcepto credendi, sicut nemo peccat omissione Missæ, nisi obligetur præcepto audiendi Missam: sed infidelis, qui habet opinionem probabiliorem de veritate Fidei Catholicæ, quamvis habeat opinionem minùs probabilem de rectitudine suæ sectæ, juxta damnationem contentam in hoc decreto, si non credat, peccat peccato infidelitatis: ergo infidelis habens talem opinionem probabiliorem, obligatur præceptò credendi; ergò falsum est, & huic damnationi subjectum, quod non obligatur præcepto credendi, nisi habeat evidentiam credibilitatis, vel, ut loquitur *Caramuel* credenditatis.

28. Sit conclusio. Sententia communis, quæ postulat evidentiam credibilitatis, ut infidelis teneatur præcepto determinato credendi, non subjacet huic damnationi. Demonstratur conclusio primò. Hæc sententia communis optimè stat, & componitur cum hac ipsa damnatione: ergò non incurrit damnationem. Consequentia patet: quia quæ sibi contradicunt, non cõponuntur. Pro-

Probatur antecedens; nam optimè stat, quod ad obligationem credendi requiratur ea evidentia credibilitatis, & quod ignorantia vincibilis talis obligationis sit culpabilis. Id enim commune est reliquis præceptis. Nam ut obliget præceptum audiendi Missam, per se requiritur certitudo præcepti; & tamen qui cum ignorantia vincibili omisit auditionem Missæ, peccavit; & ea ignorantia fuit culpabilis, quia vincibilis.

29. Confirmatur. Nam, ut dixi *cap. præced.* vincibilis ignorantia præcepti obligat ad unum ex duobus, vel ad adhibendam solicitè diligentiam pro comperienda veritate; vel ad exequendum materiam præcepti: sed ut *cap. præced.* probavi, infidelis, qui non habet evidentiam credibilitatis, sed solam probabilitatem, habet ignorantiam vincibilem: ergò tenetur ad unum è duobus, vel ad credendum, vel ad præstandam debitam diligentiam pro veritate comperienda: ergò non tenetur determinate ad credendum: ergò solum tenetur determinatè ad credendum, quando absque titubatione, & formidine certus est de tali credibilitate.

30. Demonstratur secundò. Conclusio. Nam opinio, quæ affirmat, infidelem cum sola cognitione probabiliore de revelatione Dei teneri ad credendum assensu supernaturali, subjacet damnationi propositionis 21. quæ ita se habet: *Assensus supernaturalis, & utilis ad salutem stat cum notitia solum probabili revelationis; imò, cum formidine, qua quis formidet, ne non sit locutus* Deus. Etenim notitia probabilior, quam adquirit infidelis, non excedit metas probabilitatis; atque adeò ea notitia est solum probabilis: ergò si in tali casu infidelis tenetur ad credendum fide supernaturali, & re ipsa implet eam obligationem; habebit assensum supernaturalem cum sola notitia probabili revelationis. Imò cum notitia probabilis, aut probabilior non excludat formidinem, poterit habere ejusmodi assensum supernaturalem compositum cum tali formidine. Ecce quomodo ea doctrina *Lumbierij*, & aliorum exposita maneat damnationi propositionis 21. De quo uberius dicam *in disert. 14. ad eam propositionem 21. cap. ult.*

31. Ad objectionem proximè oppositam respondeo ex dictis, non solum peccari contra præceptum Fidei, quando quis habens sufficientem notitiam non credit; sed etiam quando habet ignorantiam vincibilem, & non contendit illam vincere, modo explicato. Quod commune est reliquis præceptis.

CAPUT IV.

Refellitur placitum Filgueræ circa explicationem hujus quartæ propositionis.

SUMMARIUM.

Argumentum Filgueræ contra propositionem damnatam. n. 32.
Discutitur, & impugnatur. n. 33. seq.
Infidelis non peccat in eo, quod mysteria Fidei solum sibi proponantur, ut probabilia. n. 35.
Satisfit argumentum Filgueræ. n. 38.

32. Filguera *in fine expositionis hujus propositionis* probat falsitatem propositionis damnatæ in hæc verba: (Propositionis damnatæ falsitatem sic demonstro: quia objecta, & mysteria Fidei Catholicæ sunt evidenter credibilia, sicque intellectus evidenti credibilitate objecti ita ducitur ad assensum, ut prudenter nequeat dubitare, aut formidare de illius veritate. Sed infidelis ductus opinione minùs probabili, vel probabiliori, non potest non habere formidinem, & incertitudinem necessariò imbi-

imbibitam in quacumque opinione, alioquin non esset opinio: ergo infidelis non credens, prædicta opinione ductus, à peccato infidelitatis non excusabitur Probatur consequentia: nam evidentia credibilitatis se ipsa partem oppositam reddit evidenter incertam, & incredibilem, & per consequens falsam & improbabilem, & sic non poterit actum Fidei supernaturalis elicere ille, cui tamquam probabilis, seu probabilior ipsi fuerit proposita, quare ex hoc capite ad illam amplectendam non tenebitur.) *Hucusque argumentum Filguera.*

33. Sed hæc longè abest à demonstratione; ejus enim consequentia ne probabiliter quidem infertur ex antecedenti. Quod sic ostendo primò. Ideo enim, juxta hunc Authorem, infidelis peccat peccato infidelitatis, quia habet opinionem probabilem, aut probabiliorem de credibilitate veræ fidei, contra evidentiam credibilitatis, quam in se habent Fidei mysteria: sed hæc ratio nullius momenti est: ergo hæc ratio est insufficiens, ut infidelis in hoc casu arguatur de peccato infidelitatis. Major est illius Authoris.

34. Probatur minor. Quòd mysteria Fidei in se sint evidenter credibilia, & ex se reddentia oppositam partem improbabilem, & certo falsam, nihil prodest, ut moveatur intellectus infidelis ad cognitionem evidentem nisi ejus intellectui proponatur ut evidentia; nihil enim prodest, quod Sol in se fulgentissimus existat in nostro hemisphærio, ad hoc ut ego latitans in obscurissimo, & omninò clauso loco sciam, solem esse in nostro hemisphærio: sed in hoc casu non proponitur intellectui infidelis, ut evidens credibilitas Fidei; cum supponamus, ei proponi duntaxat ut probabilem: ergo quod mysteria Fidei in se sint evidenter credibilia, nihil prodest ad hoc, quod iste infidelis in hoc casu peccet peccato infidelitatis.

35. Ostendo secundò. Infidelis non peccat in eo, quod sibi est impossibile: sed infideli, cui solum proponitur ut probabilis, aut probabilior credibilitas mysteriorum Fidei, impossibile est pro eo instanti, quod proponatur ut evidens; ergo infidelis non peccat in eo, quod sibi non proponatur ut evidens: ergo licet in se sint evidenter credibilia mysteria Fidei, non peccat infidelis ex eo capite quod habeat opinionem probabilem credibilitatis, & non evidentem. Major ex terminis patet.

36. Probatur minor. Quia quandò infidelis audit mysteria Fidei, & est in deliberatione, non est illi liberum, quod non occurrant menti ejus difficultates, quarum solutio illum lateat: ergo pro eo instanti non est in potestate ejus, quod illi proponantur mysteria, ut evidenter credibilia: ergò illi impossibile est pro eo instanti, quod proponantur ut evidenter credibilia.

37. Verum quidem est, quod si perseveret, præstando solicitè diligentiam debitam ad assequendam certitudinem, ad illam perveniet; cum Deus infundat illustrationem ad roborandum intellectum, & inspirationem ad invitandam voluntatem. In eo autem instanti, in quo supponimus, illi proponi eam credibilitatem ut merè probabilem, non est sub libertate ejus, quod sibi proponatur ut evidens. Peccat quidem peccato infidelitatis, si non conatur ad habendam certitudinem in re tanti momenti: & si conatur ad illam, excusatur à peccato infidelitatis, non quia ducitur opinione probabili, quæ quidem includit ignorantiam vincibilem, sed quia non præstat diligentiam, ad quam tenetur pro assequenda certitudine; ut constat ex dictis.

38. Ad argumentum *Filgueræ* initio hujus capitis propositum respondeo distinguendo majorem: mysteria Fidei ita sunt evidenter cre-

credibilia, ut intellectus prudentis nequeat dubitare aut formidare de illis, (Si intellectui proponantur ut evidentia,) concedo; (Si proponantur ut merè probabilia,) nego. Cum ergo infideli non proponantur ut evidentia, sed ut merè probabilia, ut casus ipse supponit, non potest esse culpabilis ex eo capite evidentis credibilitatis non adquisitæ. Ad probationem consequentiæ eodem modo distinguendum est antecedens: evidentia credibilitatis se ipsa reddit partem oppositam certò falsam, (Si ut talis proponatur intellectui,) concedo; (Si credibilitas proponatur ut merè probabilis,) nego. Quod satis constat ex dictis.

CAPUT .V.

Quomodo non satisfaciat tertius dicendi modus cap. 1. propositus?

SUMMARIUM.

An ex majore probabilitate veritatis Catholicæ teneatur infidelis deserere suam sectam? n. 39.

Præceptum Fidei negativum obligat ad non formidandum. Et quid indè contra eum dicendi modum? n. 40.

Quando proponitur infideli veritas Catholica ut probabilis, opposita etiam proponitur ut talis. n. 41.

Propositio probabilis affert formidinem actualem. n. 42.

In ea hypothesi habet infidelis formidinem de utraque parte. n. 43.

Infidelis non tenetur deserere suam sectam per credulitatem merè probabilem de falsitate illius. n. 45.

Dum habet meram probabilitatem de veritate fidei, non potest deserere suam sectam per credulitatem certam de illius falsitate. n. 46.

Confirmatio eiusdem argumenti.

39. Tertius modus dicendi relatus *cap. 1. quem defendit Hozes*, est, infidelem, cui proponitur nostra Fides Catholica, ut probabilior quam sua secta, non teneri, nec posse elicere actum positivum Fidei; quia opinio probabilis, aut probabilior, cum afferat formidinem de objecto, non potest componi cum actu positivo Fidei; hic enim actus omninò excludit formidinem: teneri tamen infidelem, statim ac fides Cathol. ei sibi proponitur ut probabilior, deserere infidelitatem suam, & implere præceptum negativum, quod consistit in eo, quod quis non præstet assensum contrarium mysterijs Fidei.

40. Sed hæc duo asserta non bene cohærere, & consequenter non esse conformia huic damnationi, sic ostendo, primò. Nam præceptum negativum ortum ex virtute Fidei non solum obligat ad non contrahendum assensum contrarium mysterijs Fidei, sed etiam ad non habendum dubitationem, neque formidinem: sed dum infidelis habet opinionem probabilem, aut probabiliorem de mysterijs Fidei, non potest teneri ad non formidandum de mysterijs Fidei: ergo dum habet opinionem probabilem, aut probabiliorem de mysterijs Fidei, non tenetur ad implendum præceptum negativum ortum ex virtute Fidei. Consequentia est inevitabilis, & Maior apud omnes Theologos certissima. Nec minùs certa est Minor. Nam dum infideli proponitur veritas Fidei ut merè probabilis, non potest non habere formidinem; quæ opinioni merè probabili annexa est: si autem necesse est, pro illo nunc habere formidinem, quomodò potest obligari ad non habendam illam; cum obligari non possit ad impossibile?

41 Antè secundam demonstrationem præmitto primò, quod quoties una propositio est probabilis, eius contra-

dictoria non pôteſt eſſe certo falſa, ſed neceſſariò debet eſſe probabilis, ſaltem negativè: *ut latè oſtendi in 1. part. Criſ Theol. diſp. 4. num. 6.* Dicitur autem probabilis negativè, quæ non eſt certa, nec certò falſa quamvis careat fundamento gravi. Hinc fit, quod ſi myſteria Fidei proponuntur infideli ut merè probabilia aut probabiliora, enunciato contradictoria veritati eorum myſteriorum debet etiam proponi probabiliter, ſaltem negativè. Et ut in plurimum contingit, quod quando infideli proponitur veritas Fidei ut probabilis, ſua etiam ſecta illi proponitur ut probabilis poſitivè; ſi enim non proponeretur ſua ſecta ut probabilis, nullam haberet difficultatem in eo, quod ſibi proponeretur ut certa veritas Fidei.

42. Præmitto ſecundò, omnem propoſitionem probabilem, ſive cognitionem de objecto probabiliter propoſito (quæ non eſt ſimul conjuncta cum cognitione certa, aut evidenti de eodem objecto) ſemper affert formidinem actualem. Nam ſi illam non haberet, id eſſet aſſentiri firmiter objecto & objectum tamquam certum proponi intellectui.

43. Ex his colligitur, quod infidelis, cui proponitur veritas Fidei ut probabilis, vel ut probabilior; ſua etiam ſecta proponitur ut probabilis, licet etiam ut minus probabilis. Quod ſi habet probabilitatem apparentem de veritate ſuæ ſectæ, habet etiam probabilitatem de falſitate ejuſdem ſectæ. Ex quo tãdem fit, quod illi proponitur ut probabilis tam falſitas, quam veritas ſuæ ſectæ, & quod habet formidinem de utraque.

44. Hinc efformatur ſecundum argumentum. Nam quandò infideli proponitur ut probabilior veritas Catholica, & ut minùs probabilis ſua ſecta; vel tenetur deſerere ſuam ſectam per credulitatem probabilem de falſitate illius; vel per credulitatem firmam & certam de tali falſitate. Quidquid dicatur, repugnat: ergò pro tunc, id eſt, dum perſiſtit eo cognitio merè probabilis, non tenetur deſerere ſuam ſectam, ſed conari ad majorem inveſtigationem, modo explicato.

45. Minor probatur. Nam ſi dicatur primum, nempè quod infidelis tenetur deſerere ſectam ſuam per credulitatem merè probabilem de falſitate illius; id non eſt deſerere illam, quia adhuc formidat dicens: (mea ſecta falſa eſt, ſed poteſt cõtingere, quod non ſit falſa.) Dum ergo non relinquit illam firmiter, dici non poteſt, quod abſolutè illam deſerit, aut quod tenetur quidem majorem diligentiam adhibere ad inveſtigandam veritatem. Quod ſi confiſus ea probabilitate apparente circa veritatem ſuæ ſectæ, nolit adhibere majorem diligentiam, ſed ſic perſiſtere, peccabit graviſſimè, nec per illam probabilitatem excuſabitur à peccato infidelitatis, ut jam dixi.

46. Si verò dicatur ſecundum, quod tenetur deſerere ſectam ſuam per credulitatem certam de falſitate ſuæ ſectæ; id clarius conſtat, eſſe falſum pro eo tunc, in quo perſtat mera probabilitas major de veritate noſtræ Fidei; quia pro tunc habet probabilitatem ſuæ ſectæ, & formidinem de veritate eius: formido autem actualis de veritate ſuæ ſectæ, aut de falſitate illius excludit certitudinem de eodem objecto, ut evidens eſt.

47. Confirmatur. Nam ſi infidelis in ea hypotheſi tenetur deſerere, ſuam ſectam id debet eſſe credendo illam eſſe falſam: ergo vel debet credere ut certum, eam eſſe falſam; vel id debet credere ſolum probabiliter? Si dicas, debere id credere tãquã certum, cõtra eſt: nam in ea hypotheſi nulla cognitio ponitur in eo infideli, niſi probabilis: atqui per

per cognitionem dumtaxat probabilem non potest fieri certus de falsitate suæ sectæ: ergo in ea hypothesi non tenetur pro tunc credere ut certum, eam sectam esse falsam: Si vero dicas, quod tenetur credere dumtaxat probabiliter, suā esse falsam; id non est deserere suam sectam; non enim deserit illam, dum judicat illam esse probabilem.

DISERTATIO VI.

Quo tempore obliget præceptum dilectionis Dei?

CAPUT I.

Referuntur tres propositiones damnatæ, & notantur aliqua.

NON EGET *SUMMARIO.*

1. QUinta propositio ex damnatis, hæc est. **An peccet mortaliter, qui actum dilectionis Dei semel tantum in vita eliceret, condemnare non audemus.** Sexta est. **Probabile est, ne singulis quidem rigorose quinquennijs per se obligare præceptum charitatis erga Deum.** Septima est **Tum solum obligat, quando tenemur justificari, & non habemus aliam viam, quâ justificari possimus.**

2. Damnat ergo Pontifex propositionem, quæ docet, solum esse obligationem gravem eliciendi actum dilectionis Dei semel tantum in vita, & quæ docet, eam non esse condemnandam, scilicet de improbabilitate, aut alia censura Theologica. Item eam, quæ docet tamquam probabile, ne singulis quidem quinquennijs esse obligationem præcepti per se eliciendi actum dilectionis Dei. Et dicit, ***per se***, nam propter aliud præceptum implendum, non negat ea propositio, posse advenire obligationem dilectionis Dei, puta cum quis Minister Ecclesiæ vult conficere Sacramentum. Item damnat eam propositionem, quæ docet, nullam esse obligationem eliciendi actum dilectionis Dei, nisi quando quis tenetur procurare justificationem, & non est aliud medium justificationis, quo possimus gratiam justificationis consequi.

3. *Emmanuel de Filguera septimam propositionem attribuit P. Ioanni Azor tom 1. lib. 9. cap. 4. q. 1.* In quo quidem præfata propositio, *ut jacet*, reperitur; advertendum tamen est, quod ibidem subjungit hæc verba: *Eiusmodi preceptum esse constitutum eo modo, quo diximus esse datum, & impositum divinitus Fidei præceptum, &* Spei. De præcepto autem Fidei hæc verba scripserat *lib. 8. cap. 7. q. 6. Sed quæres, an fidelis, qui est gratia, & charitate Dei præditus, ita præcepto fidei teneatur, ut debeat certo aliquo tempore Fidei actum elicere? Respondeo, actum Fidei esse nobis imperatum à Deo tanquam remedium necessarium ad justificationem impij, tum fidelis, tum infidelis. Et proinde mandatum credendi tunc inducit obligationem, cum impius lege, & præcepto compellitur ad justitiam adipiscendam: qua obtenta præceptum Fidei non habet amplius vim obligandi, ut remedium ad justificationem. Habet tamen ut est præceptum virtutis Theologicæ, quamvis facile non sit, ut ait Bannez 2. 2. quæst. 22. art. 1. dub. 2. designare tempus certum, quo obligat præceptum credendi, ut est actus virtutis. Satis probabiliter dicitur speciale tempus quo quis credere debet, esse quando tentationes insurgunt, quibus tentatur fides hominis. Et idem juris est de præcepto Spei, & charitatis; ita ut certo tempore Fidei actum elicere debeamus &c.* Et postea *quæst. 7.* designat varia tempora, in quibus tenetur Fidelis confiteri Fidem, quæ confessio fieri non potest sine actu interno Fidei.

4 Itaque P. *Azor* in charitate sicut in Fide & Spe, distinguit præceptum charitatis, ut est medium justificationis, & ut est præceptum virtutis Theologicæ. Et ut est medium justificationis, dicit non habere vim obligan-

di, nisi quando quis tenetur ad justitiam adipiscendam. Sed ut est præceptum virtutis Theologicæ, habere vim obligandi, ut certis temporibus eliciatur actus charitatis.

5. Scio in editione *ann. 1600.* deficere ea verba: *Habet tamen, ut est preceptum virtutis Theologica, &c.* Sed habentur in editione *ann.* 1602. qua ego utor. Et ideò excusationem habent, qui eam propositionem attribuunt *P. Azorio.* Hæc ergo septima propositio, in quocumque Authore inveniatur, damnata manet, *ut jacet*; quidquid sit, an attentis aliis verbis habeat, vel non habeat sanum sensum. Cujus rei judicium Sacræ Congregationi subjicio.

6. Notandum etiam est, cum jure Divino non sint determinata tempora, in quibus obligat præceptum diligendi Deum, Theologos abiisse in diversas sententias. Quas, quia breviter refert *P. Tamburinus tom. 1. lib. 2. in Decalog. cap. 3. §. 2. num. 1.* ejus verbis utor: (Primum tempus, quod aliqui assignant, est initium usus rationis. Secundum, finis vitæ. Tertium, tota vita indeterminatè sumpta, ut saltem semel in ea ametur Deus. Quartum, omnes dies festivi, in quibus debemus Deo specialiter vacare. Quintum, tempus, quo adultus suscipit Baptismum. Sextum, tempus quo quis suscipit Eucharistiam. Septimum, quando fortè sumitur martyrium. Octavum, quando magnum à Deo accipis beneficium. Nonum, quando audis aliquem contra Deũ blasphœmantem. Decimum, quando gravi urgeris tentatione, præsertim odij Dei cum periculo consensus, nisi ad Deum per amorem te convertas.)

CAPUT II.

Propria sententia circa punctum quæstionis.

ARTICULUS I.

Quam certum sit, eas tres propositiones damnatas, esse falsas?

NON EGET SUMMARIO.

7. EAs tres propositiones damnatas indè constat manifestè esse rejiciendas tamquam certò falsas; quia ex ipsa dignitate, primatu, & magnitudine præcepti (nam *hoc est maximum, & primum mandatum*) Doctores magni nominis censent, ita obligare, ut non multum temporis differendus sit actus dilectionis Dei super omnia, sed ita ut sit sæpius repetendus non ultrà diuturnum tempus. *Ita P. Suarez. 2. 2 disp. 5. de Charit. sect. 5. qui num. 3.* proposuit multos casus, in quibus obligat præceptum dilectionis Dei propter implendum aliud præceptum, scilicet articulum mortis; item casum in quo minister Sacramenti debet se prius justificare extra confessionem administrandum; item in occasione gravissimæ tentationis, quando existimatur, actum dilectionis Dei fore opportunissimum remedium, &c.

8. Postea verò *num 4 addit*, Præceptum charitatis etiam per se, & independenter ab aliis præceptis habere vim obligandi, ubi subjungit: *Cæterum articulus temporis non tam affirmativè, quam negativè assignari potest, sicut in precepto restitutionis dicitur obligare ad non multum differendam restitutionem, licet non possit assignari primum instans restitutionis.* Nam quamvis hæc dicat de tempore, quo implendum est præceptum charitatis, postquam puer ad usum rationis pervenit; eodem modo intelligendum id est, cum inferius asserit, non multo tempore differendam esse horum actuum repetitionem. Et tandem concludit: *Quantum autem futurum sit hoc tempus (dilectionis) prudentia relinquendum est.* Et ob hanc causam graves Authores hanc obligationem ex-

extenderunt ad singulos dies festos, & ad alios casus, qui tempore non diuturno solent contingere; *ut art. seq. referam.*

ARTICULUS II.

Statuitur conclusio de tempore, quo obligat praeceptum, & duplex praenotatio.

SUMMARIUM.

Praeceptum diligendi Deum per se obligat ad frequentiam actuum. n. 9.

Varij dicendi modi plurium Theologorum in suffragium hujus sententiae. n. 9. & seqq.

Praeceptum per se dilectionis Dei impletur, quamvis eliciatur dilectio propter aliud praeceptū. n. 14.

Idque explicatur exemplis, n. 14. & seqq.

Quo pacto plures excusentur à peccato, qui hanc actuum frequentiam non exercent. n. 18.

9. Dicendum ergo est, praeceptum diligendi Deum per se obligare ad frequens exercitium illius, ita ut non multo tempore differatur. Haec videtur esse mens P. *Suarij proxime citati. Et favet Lumbier tom. 3. Sum. num. 1796. ad hanc 5. prop. & t. 2. Summ. n. 709. verbis referendis differt. 11. cap. 2. art. 2. ad prop. 17.* Favent etiam Doctores, qui casus frequenter occurrentes adstruunt, in quibus obligat praeceptum, sive per se, sive propter aliud. Et in primis hujus sententiae sunt Authores, qui dicunt urgere praeceptum Charitatis singulis diebus festis. Quae sententia non est contemnenda, quia cum ejus Authores censeant obligare ad frequentem repetitionem, & tempus remittendum est ad arbitrium prudentum, videtur prudens temporis designatio ea, quae pro cultu Dei facta est. *Hi sunt Scotus in 4. dist. 27. q. unic. Angelus verb. Feria n. 41. Almainus in 3. dist. 37. q. unic. Gab. ibid. q. unic. art. 3. Tabiena verb. Charitas. q. 20.*

10. Sunt etiam pro hac sententia, qui docent, urgere praeceptum charitatis, cum quis accipit aliquod ingens beneficium à Deo; quod superaddit augmentum frequentiae. Quia lex amicitiae videtur exigere, quod homo benefactorem suum redamet. *Hi sunt Sotus lib. 2. de Iust quaest. 3. art. 10. Medina lib. 1. Sum. cap. 14. §. 2. P. Valencia 2. 2. disp. 3. quaest. 19. punct. 1. casu 4. Card. Toletus lib. 4. Sum. cap. 9. n. 10. quos refert P. Thom. Sanch. lib. 2. in Decalog. cap. 35. n. 9. §. Quartum.*

11. Pro eadem conclusione referendi sunt, qui dicunt, urgere praeceptum charitatis, cum graves tentationes insurgunt, praecipuè odii Dei, aut iracundiae contra Deum, quae in aliquibus solet esse tentatio frequens, praesertim in impatientibus, & iracundis. *Ita P. Thom. Sanch. cit. n. 9. Bonac. tom. 2. disp. 3. punct. 2. num. 2. P. Valencia 2. 2. disp. 2. quaest. 4. punct. 1. P. Petr. Hurt. disp. 74. de Charit. sect. 6. §. 26. Bannez 2. 2. quaest. 22. art. 1. dub. 2. Item Aragon, Petrus de Ledesma, Diana, Villalob. & Trullench, quos refert Leander à SS. Sacram. in Decal. tract. 4. disp. 2. quaest. 24.*

12. Pro eadem citari possunt, qui docent, instare praeceptum charitatis, cum quis audit blasphemiam aut gravem injuriam in Deum. Ex quo etiam augetur obligatio ad repetendos actus dilectionis Dei. Hanc sententiam tuentur *P. Valencia 2. 2. disp. 7. q. 19. punct. 1. cas. 6. Navarrus in Sum cap. 11. num. 3.*

13. Haec omnia complexus est *P. Didacus Alvarez de Paz vir sapientissimus,* qui ferè scholastico more scripsit tomos tres de vita spirituali. *Et tom. 1. lib. 3. cap. 6. §. Sed nemo.* distinguens, quomodo charitas sit finis vitae spiritualis, & quomodo sit praeceptū de ea, de hoc secundo sic differit: *Hoc namq; praeceptum, quoad internū quidē erga Deum amoris affectū, quo scilicet volumus sua bona Deo & ei per omnia placere statuimus, jubet, ut Deum diligamus, quoties tenemur gravia peccata relinquere* (intellige, extra Sacramentū) *& ad Dei amicitiam redire. Cū etiā judicamus, nos sine actuali Dei amore esse casuros, & aliquod grave crimen incursuros. Ac tandem ALIQUANDO INTRA QUEMTIBET* AN-

ANNUM, & cum grave periculum immmet, aut ipse instat mortis articulus.

14. In quo duo animadvertenda sunt. Primum est (quod prosequor ad *prop.* 17.) Præceptum per se dilectionis Dei impleri, quoties quis elicit actum dilectionis Dei in ordine ad implendum aliud præceptum. Quod patet in multis exemplis. Et sufficit unum pro multis. Præceptum eleemosynæ obligat per se ex virtute misericordiæ in gravi, aut extrema necessitate. Titius ergo pressus gravi tentatione blasphemiæ, opem fert Sempronio constituto in extrema necessitate, eo fine, ut liberet eum Deus ab ea tentatione. Itaque implet præceptum fugiẽdi blasphemiam. Numquid non implevit præceptum eleemosynæ, quod per se obligat ex misericordia? Implevit utique. Et ratio est: quia licet per se obliget ex misericordia, non obligat ad hoc, ut qui illud implet, respiciat in suo actu motivum misericordiæ; sed obligat, ut illum actum eliciat, sive is actus procedat ex suo, vel ex alio motivo.

15. Sic etiam contingit in præcepto per se dilectionis. Nam qui elicit hunc actum propter motivum pœnitentiæ, vel propter motivum reddendi se securum à damnatione æterna, implet utique præceptum per se dilectionis Dei. Quia licet hoc præceptum præcipiat per se, independenter ab alio præcepto suum actum: non præcipit, quod talis actus fiat independenter ab alio præcepto. Itaque si hoc præceptum per se, & ratione sui præciperet, quod in quolibet die festo eliceres actum dilectionis Dei; si in die dominica eliceres actum dilectionis Dei propter vitandam aliquam tentationem, utique impleres illud præceptum, quod per se præcipiat dilectionem Dei.

16. Itaque qui tenetur elicere actum dilectionis Dei, quia urget tentatio dilectionis lasciva erga creaturam, cognoscens actum dilectionis Dei esse sibi remedium contra tentationem; si tunc non elicit actum dilectionis Dei, non peccat contra præceptum charitatis erga Deum, sed contra præceptum castitatis. Si verò elicit tunc eum actum dilectionis Dei quo liberatur à tentatione, implet utrumque præceptum charitatis, ex qua tenetur frequenter diligere Deum; & Castitatis, quod tunc urgebat.

17. Sic etiam qui tenetur audire Missam in die festo, & primo mane pressus tentatione luxuriæ cognoscit, sibi esse remedium præsentaneum audire Missam statim. Si tunc non conatur audire Missam, cum possit, violat præceptum castitatis; non autem præceptum audiendi Missam, quam & si non audiat primo mane, potest mox eam audire: si tamen audit illam tunc, implet utrumque præceptum, & audiendi Missam in die festo, & servandi castitatem.

18. Alterum prænotandum est, quod observavit P. *Granado* 2. 2 *controv.* 3 *de Charitat. tract.* 14. scilicet occultum esse, & difficile determinare punctum temporis fixum, & certum, in quo urgeat hoc præceptum charitatis erga Deum: *In qua vix aliquid certi statui potest: quod deserviet, ut facile admittamus invincibilem ignorantiam, quæ excuset à culpa plures, qui hoc præceptum fortasse non implèrunt.* Juxta quam prudentissimam observationem, quando dicimus, præceptum charitatis obligare ad actus dilectionis Dei frequentes; valdè occultum & incertum est determinare instans fixum, in quo instet hoc præceptum; solum enim dicimus violari præceptum, cum multo tempore differtur dilectio Dei, judicio prudentis; & mensis integer videtur mihi multum tempus, ob summam hujus præcepti dignitatem. Excusabuntur tamen plurimi ab hoc peccato, propter ignorantiam, aut inadvertentiam invincibilem.

AR-

ARTICULUS III.

Quam commune sit Fidelibus timoratis elicere actus dilectionis Dei?

SUMMARIUM.

Duplex est affectus charitatis, scilicet afficiens, & efficiens.n.20.

Perfectio charitatis consistit in actu efficiente, non tam in afficiente.n.21.

Qui implet præcepta, quia videt Deo esse placita, elicit actum dilectionis Dei.n 22.

Quam frequenter fideles eliciant actus charitatis n.24.

Qui actus charitatis contineantur in oratione Dominica?n.25.

Qui resistunt tentationibus, ut Deo placeant, eliciunt actum charitatis.n.26.

19. Ante quam adducamus fundamenta pro conclusione stabilita, quod præceptum charitatis obligat ad eliciendum frequenter actus dilectionis Dei; operæ pretium est ostendere, quomodo per hanc conclusionem non imponatur Fidelibus onus importabile, sed potius *jugum suave, & onus leve*; quod quasi insensibiliter portant Fideles timorati, qui conscientiæ suæ non ignave prospiciunt: hi enim multos actus dilectionis Dei eliciunt, quamvis non advertant, eos esse actus charitatis. Qui licet eliciantur in ordine ad alia præcepta implenda, sive ad opera aliarum virtutum exercenda, etiam sufficiunt ad implendum præceptum charitatis erga Deum, juxta supra dicta *articul antecedent.* Et quod Fideles timorati frequenter exerceant actum dilectionis Dei, notarunt *P. Castro Palao tom. 1.tract.6.disp.1.punct. 4.nu. 11.Lorca 2.2.sect.3.disp.58.num.8.& Leander à SS.Sacram.in Decalogo tract.4. disp. 2. quæstion.8.*

20. Pro cujus rei claritate tria observanda sunt. Primùm est, id, quod ex professo tractat *P. Iacobus Alvarez de Pax. tom. 1. de vita spirituali lib. 3.part. 1.cap. 9.* duplicem esse charitatis affectum, scilicet afficientem, & efficientem. Audienda sunt verba hujus sapientissimi viri. *Charitas afficiens est virtus ipsa charitatis, justi animam affectibus amoris inflammans, & ad volendum Deo bona sua, ad gaudendum de perfectionibus Dei, ad desiderandum, ut omnes ei serviant, & Divino subjiciantur imperio, & ad ipsius præsentiam suspirandam, & ad alios similes affectus impellens. Charitas autem efficiens est ipsa etiam charitatis virtus, prout movet ad custodienda mandata, ad complectenda consilia, & ad Divinum placitum exequendum; ita ut supra dulcedinem, & teneritatem amoris, operum efficacitatem habeat, & Dei in omnibus (prout in hac vita possibile est) perficiat voluntatem. Charitatis afficientis vox est: (Sicut desiderat cervus ad fontes aquarum,) &c. (Anima mea desideravit te in nocte.) Charitatis efficientis opus est. Iuravi, & statui custodire judicia justitiæ tuæ.) illud deinde: (Propter verba labiorum tuorum ego custodivi vias duras.) Illa magis ad tempus orationis pertinet: hæc magis ad tempus actionis: illa in desiderijs est; hæc in opere: illa in verbo; ista in vita: illa se amatricem profitetur; ista se amatricem ostendit; quia ut Gregorius ait, Probatio dilectionis exhibitio est operis.*

21. Secundum, quod etiam idem asceticæ vitæ Doctor egregius tradit ibidem, nempè quamvis uterque actus charitatis sit dignitate præstantissimus, tamen perfectionem charitatis non tam in charitate afficiente, quam in charitate efficiente consistere. Ait enim. *Perfectionis ergo natura non in charitate afficiente, sed in efficiente consistit. Nec aliquis perfectus est, quia dulcius ad Deum, & tenerius afficitur, nec quia in fervore orationis majorem suavitatem, aut consolationem percipit; sed quia majore fidelitate, & conatu ex charitate*

mandata universa custodit, purius vivit, & accuratius in omnibus Divinæ se accommodat voluntati. Confirmatque verbis Domini, *Ioan.* 14. *Qui non diligit me, sermones meos non servat.* Et subjungit in explicationem eorum verborum: *Quasi dicat. Parum ad veram dilectionem, atque adeo ad veram perfectionem proderit, quod quis affectibus abundet, si se ipsum non vincat, si noxia non vitet, si suæ saluti proficiat, id est, mandata, & consilia non impleat. Multum vero dilectionis, & perfectionis habet, qui affectibus, & dulcedine carens, præcepta complectitur, Divina jussa custodit, & juxta præscriptum professionis suæ, ab eo, quod Deo placitum est, nulla ratione discedit.* Quam sententiam efficacissimè confirmat egregiis testimoniis *Sanctorum Patrum Bernardi Ambrosij, Augusti ni, Origenis, Clementis Alexandrini, & Ricardi à S. Victore. Et deinde cap.* 10. hanc perfectionem charitatis dividit in primam, mediam, & ultimam. Nam hoc, quod est, velle unire voluntatem suam in omnibus cum Divina, recipit magis & minus.

22. Tertium, esse actum formalem charitatis illum, quo quis vult implere præcepta, aut pia opera facere, quia videt illa esse placita Deo; sive eo fine, ut Deo placeat. Patet ex duobus prioribus prænotatis: nam charitas efficiens ut condistinguitur ab afficiente, nihil aliud est, quam voluntas implendi voluntatem Dei, sive faciendi ea, quæ Deo sunt placita, ut specialiter constat ex prænotatione 2. *Deinde Ioan.* 8. dixit Christus D. *Qui me misit, mecum est, & non reliquit me solum: quia ego, quæ placita sunt ei, facio semper.* Quis autem dubitet hic explicare Christum D. efficaciam suæ charitatis. Et ideo *P. Didacus Alvarez. tom.* 1 *lib.* 3. *cap.* 15. ad ea Christi verba subjungit. *Profectò non relinquuntur soli, qui Christo capiti, & alijs proximis per charitatem perfectam Dei, & proximi adhærent. Inde autem habent, ut quæ, ei placita sunt, faciant semper.* Iuxtà quam sententiam ex charitate habent, quod faciant, quæ Deo sunt placita; quia charitas perfecta eo respicit.

23. Et *Ioan.* 15. ait Christus D. *Manete in dilectione mea.* (scilicet activè, & passivè, sive reciprocè) *si præcepta mea servaveritis, manebitis in dilectione mea.* In quem locum *S. Augustinus* movet eam quæstionem. *Dilectio facit præcepta servare; an præcepta servata faciant dilectionem?* Et immediatè respondet: *Sed quis ambiget, quod dilectio præcedit?* id est, (dilectio facit, præcepta servare,) quod non aliter facit, nisi quatenus dilectio est voluntas implendi voluntatem Dei, & ejus præcepta, scilicet ex affectu ad Deum. *Petrus epist.* 1. *cap.* 1. ait illis verbis: *Animas vestras castificantes in obedientia charitatis.* Hanc enim obedientiam charitatis exercent, qui obediunt Dei mandatis, ut Deo placeant. Ideo *S. Thom.* in hunc locum hæc verba habet, quæ desumpsit ex glossa; *In obedientia charitatis. Glossa. In obediendo Deo ex charitate, servando ejus mandata.*

24. Ex his tribus prænotatis clarè constat, quam commune est fidelibus elicere actus charitatis, præcipuè eius, quam vocamus efficientem, quæ ex genere suo perfectior est, quam afficiens. Nam fideles, qui non moventur hypocrisi, aut alijs respectibus gloriæ inanis, cognoscunt, opera præcepta, & reliqua opera pia, quæ exercent, esse placita Deo; & cum videant, esse placita Deo, & aliundè non moveantur inanis gloriæ respectibus, ferè impossibile videtur, quod ea opera pia, quæ faciunt, sive de præcepto, sive de consilio, non exequantur eo, quod videant esse placita Deo. Undè cum Missam audiunt, concioni adsunt, orationi incumbunt, eleemosynam præbent, videntes, ea opera esse Deo placita, sanè eo fine ea præstant. Operantur ergo ex motivo charitatis erga Deũ, &

& consequenter actus charitatis eliciunt; & sic frequenter præceptum charitatis adimplent. Quin etiam exhortationibus Concionatorum, & Confessariorum, imo & lectione librorum spiritualium ad diligendum Deū frequenter moventur.

25. Ad hæc, ut notavit *Lorca supra citatus*, in duabus petitionibus orationis Dominicæ continetur actus charitatis in Deum: nam eum charitatis actum elicit, qui desiderat sanctificari nomen Dei; item qui desiderat, quod omnes voluntatem Dei faciant in terra sicut fit in Cœlo. Imò est, & alia petitio, quæ includit etiam actum charitatis, scilicet: *Adveniat Regnum tuum*. Nam, istud Regnum est id de quo dixit Christus *regnum Dei intra vos est*, scilicet dilectionis Dei, & reliquarum virtutum. Qui ergo desiderat, nobis advenire Regnum dilectionis Dei, Deum ostenditur diligere, nam, *ut ait S. Gregorius*, Qui desiderat diligere Deum, iam incepit, illum diligere. Qui ergo attentè, & ex affectu dicit orationem Dominicam, utique tres actus charitatis erga Deum elicit. Qui autem recitant officium Canonicum, in eo invenient quam plurimos actus dilectionis Dei, si attētè, & ex affectu recitent.

26. Præterea frequentissimum est inter fideles timoratos, resistere tentationibus, & abstinere à peccatis mortalibus, quia vident graviter displicere Deo. Quid autem est abstinere à peccato mortali, quia Deo displicet, nisi abstinere à peccato ex dilectione Dei? Cum ergo constet, ita commune esse fidelibus elicere frequenter actus charitatis erga Deum, non videbitur onerosum. quod teneamur vi præcepti charitatis ad eliciendos frequenter actus dilectionis Dei

ARTICVLVS IV.

Fundamenta, quibus probatur obligatio eliciendi frequenter actum charitatis.

SVMMARIVM.

Varij textus Sacræ paginæ, n. 27. & seqq.
In textu S. Petri non est consilium, sed præceptum. n. 30.
Charitas est finis omnium Præceptorum n. 31.
Quam difficile est servare præcepta sine frequentia dilectionis Dei. n. 32.
Quam difficile est aggredi media ardua sine efficacia intentionis finis. n. 33.
Textus Sacræ Paginæ, & expositio S. Augustini ad rem nostram. n. 34. & 35.
Quam certum sit, charitatem esse finem omnium Præceptorum. n. 36.
Quomodo dilectio Dei fiat propter implenda præcepta, cum sit finis præceptorum? n. 37. & seq.

27. PRimum desumitur ex Sacra Scriptura. Nam *Deutoronomij cap 6.* dicitur *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota fortitudine tua. Eruntque verba hæc, quæ ego præcipio tibi hodie, in corde tuo: & narrabis ea filiis tuis, & meditaberis in eis sedens in domo tua, & ambulans in itinere, dormiens, atque consurgens.* Quæ omnia denotant continuationem, & frequentiam. Quomodò hæc componuntur cum eo, quod quis toto anno sit oblitus Dei, & eorum, quæ Deo placita sunt?

28. Deinde *Ioannis 15. ait Christus D. Manete in dilectione mea* Ubi *P. Maldonado sic scribit n. 34. Sumitur igitur passivè, Manete in dilectione mea, id est, pergite me diligere, quemadmodum Augustinus, Chrysostomus, Leontius, Theophilatus, Beda, & Rupertus interpretantur.* Id autem verbum, *Manete*, quid aliud significat, nisi perseverantiā & frequētiā in actu dilectionis?

Aut quomodo manet in actu dilectionis, qui toto anno abstinet à dilectione? maximè cum adeò sit facile implere præcepta, eo quod Deo sunt placita; aut in opera pia, quæ facit, illa facere eo fine, ut Deo placeat in eis. Et his consonant verba quæ immediatè subiunguntur. *Si præcepta mea servaveritis, manebitis in dilectione mea* Ubi illa prima dictio *Mea* sumitur formaliter; id est, (si mea præcepta, quia mea sunt, & mihi placita servaveritis, manebitis diligentes me.) Et confirmant hunc sensum verba, quæ immeditate sequuntur: *Sicut & ego patris mei præcepta servavi, & maneo in eius dilectione. Ubi P. Maldonado citatus* notat esse idiotismum Hæbraicæ linguæ ponere *Et*, pro *Quia*; & sensum esse, (Ego patris mei præcepta servavi, quia maneo in eius dilectione.) sive quod idem est, (Quia diligo Patrem; servo præcepta ejus.) Cum ergo Christus D. præcipit manere in dilectione sua, & præcipit permanentiam, sive frequentiam actuum dilectionis; & modum insinuat, quo facilè observentur præcepta sua, nempè præcedente dilectione ejus.

22. Præterea 1. *Petri c. 4.* dicitur: *Mutuam in vobismet ipsis charitatem continuam habentes; quia charitas operit multitudinem peccatorum.* Ubi observandum est, agere *S. Petrum*, quamvis de charitate mutua fraternitatis, de illa tamen charitate supernaturali, quæ habet pro objecto formali motivo ipsum Deum; hæc enim sola est, quæ operit multitudinem peccatorum. Hanc vult *S. Petrus* esse continuam *S. Thomas* hic ait. *Id est, non interruptam.* Intellige moraliter.

30. Dices, hoc potius esse consilium, quam præceptum. Sed contra est: nam id præscribit. *S. Petrus*, non tamquam voluntarium, sed tamquam necessarium: est enim necessarium, & graviter obligatorium quærere modum operiendi multitudinem peccatorum: ergo quando *S. Petrus* in charitate continua constituit modum operandi peccata, præfatam charitatem præscribit, non tamquam voluntariam, sed tamquam necessariam ad operiendam multitudinem peccatorum, id est, in ordine ad hoc, quod remittantur, & in ordine ad hoc, quod vitentur peccata.

31. Probatur secundò ea obligatio eliciendi frequenter actus dilectionis Dei. Pro quo supponendum est, præceptum Charitatis erga Deum esse finem reliquorum præceptorum; & reliqua præcepta esse media ad consequendam charitatem in actu erga Deũ; ut expresse tradit *S. Thomas 2. 2. quæst. 44. art. 1.* Et id manifestum est *ex Epist. 1. ad Timoth. cap. 1.* ubi Paulus ait: *Finis præcepti est charitas de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta.* Quod etiam significat *Regius Psaltes Ps. 118. Omnis consummationis* (id est, perfectionis) *Vidi finem, latum mandatum tuũ nimis.* Ubi juxta *S. Augustinum serm. 2. in Ps. 118.* vocat finem perfectionis mandatum charitatis. Ita enim ait: *Latum mandatum non intelligo, nisi charitatem.* Et mox: *Latum est mandatum charitatis nimis, mandatum illud geminum, quo jubetur Deus, & proximus diligi. Quid autem latius, quam ut ibi pendeat tota lex, & omnes Prophetæ.*

32. Iam verò hinc instruitur argumentum. Difficillimum est, & ideo moraliter impossibile servare multo tempore omnia reliqua præcepta, nisi frequenter eliciat homo actus charitatis erga Deum: sed est gravis obligatio in homine, auferendi talem difficultatem, seu impossibilitatem moralem: ergo est obligatio eliciendi frequenter actus charitatis erga Deum. Major, quæ sola eget probatione, facile probari potest ab experientia, qua videmus, homines, qui non satagunt placere Deo, neque in actibus dilectionis Dei exercentur, in magnam ruere peccatorum abyssum

abyssum. Econtra verò qui frequenter Deum attendunt cum desiderio placendi illi, aut non displicendi, videmus sæpe innoxios longo tempore permanere. Hi enim sunt, qui observant id præceptum Christi D *Manete in dilectione mea*.

33. Sed præcipuè probatur Major à priori ex ipsa ratione finis, quæ competit dilectioni Dei. Etenim difficillimum est aggredi media ardua, quando finis, ad quem ordinantur ea media, tepidè amatur, & raro intenditur, aut appetitur: ita quando Pater mittit filium Romam, ut procuret aliquam dignitatem Ecclesiasticam; si filius tepidè se gerit circa intentionem, & desiderium talis dignitatis difficillimum illi est aggredi tam prolixū iter, & subire labores itineris, & reliqua media assumere: deficiente enim desiderio efficacitalis dignitatis, durissimum sibi videtur talia & tam ardua media executioni mandare. At qui ille, qui toto anno, aut per multum tempus non elicit actūm amoris Dei, tepidè se gerit circa finem, qui est charitas erga Deum: ergo difficillimum est, quod animum erigat ad exequenda reliqua præcepta, quæ sunt media ad talem finem. Ideo homines tam facilè violant reliqua præcepta, quia non curant de fine, scilicet placendi Deo, & adeo tantam inveniunt difficultatem in servandis præceptis, quia negligenter se gerunt circa intentionem finis, nempè charitatis erga Deum.

34. Huc respiciebat *Psaltes Regius ps. 16. ℣. 4* Cum dixit: *Propter verba labiorum tuorum ego custodivi vias duras.* Quem locum P. *Lorinus* sic paraphrasticè explicat: *Difficile sane id, durùmque* (nempè observatio præceptorum) *si natura spectetur innata corruptio. Sed amor me, ac reverentia, Deus, præceptorum, minarum, promissorum tuorum compulit ad ea, quæ dixi cavenda.* Quod didicit *ex S. Augustino serm. 9. de verbis Domini secundum Math.* ubi ait: *Ecce unde illud jugum suave est, & sarcina levis. Et si angusta est paucis eligentibus, facilis tamen omnibus diligentibus. Dicit Psalmista: propter verba labiorum tuorum ego custodivi vias duras. Sed quæ dura sunt laborantibus, eisdem ipsis mitescunt amantibus.* Ecce docet *S. Augustinus*, præcepta esse dura & difficilia, ubi non adest dilectio Dei; & ubi hæc adest, esse facilia, jugum suave, & onus leve. Ubi etiam notabis in eo loco Psalmi, per eam clausulam, *Propter verba labiorum tuorum*, intelligere *Augustinum* præceptum dilectionis Dei.

35. Quod magis explicuit *S. Augustinus lib. de nat. & grat. cap. 69. Quomodo ergo dicitur, propter verba labiorum tuorum ego custodivi vias duras? nisi quia utrumque verum est: Duras sunt timori, leves amori?* Ex quo manifestè deducitur, præcepta sine exercitio dilectionis Dei esse dura, & difficilia; fieri autem levia ex dilectione Dei.

36. Quod autem charitas erga Deum sit finis, ad quem cætera præcepta, reliquaque virtutum opera ordinantur, constat ex dictis *num. 31 & præcipuè ex 1. Epist. ad Thimoth. cap. 1.* Ubi *Paulus* ait: *Finis autem præcepti est charitas, &c.* Et ideo *S. Thom. 2. 2. quæst. 44. art. 1.* sic docuit: *Finis autem spiritualis vitæ est, ut homo uniatur Deo, quod fit per charitatem; & ad hoc ordinantur sicut ad finem omnia, quæ pertinent ad spiritualem vitam. Unde Apostolus dicit 1. ad Thimoth. 1. Finis præcepti est charitas de corde puro, &c.* Et *S. Anselmus in hunc locum Pauli* ait: *Omnis itaquè præcepti finis est charitas, id est, ad charitatem refertur omne præceptum.*

37. Objicies. Propter reliqua præcepta servanda, necessarium est, quod homo frequēter exerceat actus dilectionis Dei: ergò jam non erit obligatoria per se frequentia actuū dile-

dictoria non pōtest esse certo falsa, sed necessariò debet esse probabilis, saltem negativè: *ut latè ostendi in 1. part. Crit. Theol. disp. 4. num. 6.* Dicitur autem probabilis negativè, quæ non est certa, nec certò falsa quamvis careat fundamento gravi. Hinc fit, quod si mysteria Fidei proponuntur infideli ut merè probabilia aut probabiliora, enunciato contradictoria veritati eorum mysteriorum debet etiam proponi probabiliter, saltem negativè. Et ut in plurimum contingit, quod quando infideli proponitur veritas Fidei ut probabilis, sua etiam secta illi proponitur ut probabilis positivè; si enim non proponeretur sua secta ut probabilis, nullam haberet difficultatem in eo, quod sibi proponeretur ut certa veritas Fidei.

42. Præmitto secundò, omnem propositionem probabilem, sive cognitionem de objecto probabiliter proposito (quæ non est simul conjuncta cum cognitione certa, aut evidenti de eodem objecto) semper afferre formidinem actualem. Nam si illam non haberet, id esset assentiri firmiter objecto & objectum tamquam certum proponi intellectui.

43. Ex his colligitur, quod infidelis, cui proponitur veritas Fidei ut probabilis, vel ut probabilior; sua etiam secta proponitur ut probabilis, licet etiam ut minus probabilis. Quod si habet probabilitatem apparentem de veritate suæ sectæ, habet etiam probabilitatem de falsitate ejusdem sectæ. Ex quo tandem fit, quod illi proponitur ut probabilis tam falsitas, quam veritas suæ sectæ, & quod habet formidinem de utraque.

44. Hinc efformatur secundum argumentum. Nam quandò infideli proponitur ut probabilior veritas Catholica, & ut minùs probabilis sua secta; vel tenetur deserere suam sectam per credulitatem probabilem de falsitate illius; vel per credulitatem firmam & certam de tali falsitate. Quidquid dicatur, repugnat: ergò pro tunc, id est, dum persistit eo cognitio merè probabilis, non tenetur deserere suam sectam, sed conari ad majorem investigationem, modo explicato.

45. Minor probatur. Nam si dicatur primum, nempè quod infidelis tenetur deserere sectam suam per credulitatem merè probabilem de falsitate illius; id non est deserere illam, quia adhuc formidat dicens: (mea secta falsa est, sed potest cōtingere, quod non sit falsa.) Dum ergo non relinquit illam firmiter, dici non potest, quod absolutè illam deserit, aut quod tenetur quidem majorem diligentiam adhibere ad investigandam veritatem. Quod si confisus ea probabilitate apparente circa veritatem suæ sectæ, nolit adhibere majorem diligentiam, sed sic persistere, peccabit gravissimè, nec per illam probabilitatem excusabitur à peccato infidelitatis, ut jam dixi.

46. Si verò dicatur secundum, quod tenetur deserere sectam suam per credulitatem certam de falsitate suæ sectæ; id clarius constat, esse falsum pro eo tunc, in quo perstat mera probabilitas major de veritate nostræ Fidei: quia pro tunc habet probabilitatem suæ sectæ, & formidinem de veritate eius: formido autem actualis de veritate suæ sectæ, aut de falsitate illius excludit certitudinem de eodem objecto, ut evidens est.

47. Confirmatur. Nam si infidelis in ea hypothesi tenetur deserere, suam sectam id debet esse credendo illam esse falsam: ergo vel debet credere ut certum, eam esse falsam; vel id debet credere solum probabiliter? Si dicas, debere id credere tāquā certum, cōtra est: nam in ea hypothesi nulla cognitio ponitur in eo infideli, nisi probabilis: atqui per

per cognitionem dumtaxat probabilem non potest fieri certus de falsitate suæ sectæ: ergo in ea hypothesi non tenetur pro tunc credere ut certum, eam sectam esse falsam: Si vero dicas, quod tenetur credere dumtaxat probabiliter, suā esse falsam; id non est deserere suam sectam; non enim deserit illam, dum judicat illam esse probabilem.

DISERTATIO VI.

Quo tempore obliget præceptum dilectionis Dei?

CAPUT I.

Referuntur tres propositiones damnatæ, & notantur aliqua.

NON EGET *SUMMARIO.*

1. QUinta propositio ex damnatis, hæc est. *An peccet mortaliter, qui actum dilectionis Dei semel tantum in vita eliceret, condemnare non audemus.* Sexta est. *Probabile est, ne singulis quidem rigorose quinquennijs per se obligare præceptum charitatis erga Deum.* Septima est *Tum solum obligat, quando tenemur justificari, & non habemus aliam viam, quâ justificari poßimus.*

2. Damnat ergo Pontifex propositionem, quæ docet, solum esse obligationem gravem eliciendi actum dilectionis Dei semel tantum in vita, & quæ docet, eam non esse condemnandam, scilicet de improbabilitate, aut alia censura Theologica. Item eam, quæ docet tamquam probabile, ne singulis quidem quinquennijs esse obligationem præcepti per se eliciendi actum dilectionis Dei. Et dicit, *per se*, nam propter aliud præceptum implendum, non negat ea propositio, posse advenire obligationem dilectionis Dei, puta cum quis Minister Ecclesiæ vult conficere Sacramentum. Item damnat eam propositionem, quæ docet, nullam esse obligationem eliciendi actum dilectionis Dei, nisi quando quis tenetur (procurare justificationem, & non est aliud medium justificationis, quo possimus gratiam justificationis consequi.

3. *Emmanuel de Filguera septimam propositionem attribuit P. Ioanni Azor tom 1. lib. 9. cap. 4. q. 1.* In quo quidem præfata propositio, *ut jacet*, reperitur, advertendum tamen est, quod ibidem subiungit hæc verba: *Eiusmodi præceptum esse constitutum eo modo, quo diximus esse datum, & impositum divinitus Fidei præceptum, &* Spei. De præcepto autem Fidei hæc verba scripserat *lib. 8. cap. 7. q. 6. Sed quæres, an fidelis, qui est gratia, & charitate Dei præditus, ita præcepto fidei teneatur, ut debeat certo aliquo tempore Fidei actum elicere? Respondeo, actum Fidei esse nobis imperatum à Deo tanquam remedium necessarium ad iustificatuonem impij, tum fidelis, tum infidelis. Et proinde mandatum credendi tunc inducit obligationem, cum impius lege, & præcepto compellitur (ad justitiam adipiscendam: qua obtenta præceptum Fidei non habet amplius vim obligandi, ut remedium ad justificationem. Habet tamen ut est præceptum virtutis Theologicæ, quamvis facile non sit, ut ait Bannez 2. 2. quæst. 22. art. 1. dub. 2. designare tempus certum, quo obligat præceptum credendi, ut est actus virtutis. Satis probabiliter dicitur speciale tempus quo quis credere debet, eße quando tentationes insurgunt, quibus tentatur fides hominis. Et idem juris est de præcepto Spei, & charitatis; ita ut certo tempore Fidei actum elicere debeamus &c.* Et postea *quæst. 7.* designat varia tempora, in quibus tenetur Fidelis confiteri Fidem, quæ confessio fieri non potest sine actu interno Fidei.

4 Itaque P. *Azor* in charitate sicut in Fide & Spe, distinguit præceptum charitatis, ut est medium justificationis, & ut est præceptum virtutis Theologicæ. Et ut est medium justificationis, dicit non habere vim obligan-

di, nisi quando quis tenetur ad justitiam adipiscendam. Sed ut est præceptum virtutis Theologicæ, habere vim obligandi, ut certis temporibus eliciatur actus charitatis.

5. Scio in editione *ann.* 1600. deficere ea verba: *Habet tamen, ut est præceptum virtutis Theologicæ, &c.* Sed habentur in editione *ann.* 1602. qua ego utor. Et ideò excusationem habent, qui eam propositionem attribuunt *P. Azorio.* Hæc ergo septima propositio, in quocumque Authore inveniatur, damnata manet, *ut jacet*; quidquid sit, an attentis aliis verbis habeat, vel non habeat sanum sensum. Cujus rei judicium Sacræ Congregationi subjicio.

6. Notandum etiam est, cum jure Divino non sint determinata tempora, in quibus obligat præceptum diligendi Deum, Theologos abiisse in diversas sententias. Quas, quia breviter refert *P. Tamburinus tom. 1. lib. 2. in Decalog. cap. 3. §. 2. num. 1.* ejus verbis utor: (Primum tempus, quod aliqui assignant, est initium usus rationis. Secundum, finis vitæ. Tertium, tota vita indeterminatè sumpta, ut saltem semel in ea ametur Deus. Quartum, omnes dies festivi, in quibus debemus Deo specialiter vacare. Quintum, tempus, quo adultus suscipit Baptismum. Sextum, tempus quo quis suscipit Eucharistiam. Septimum, quando fortè sumitur martyrium. Octavum, quando magnum à Deo accipis beneficium. Nonum, quando audis aliquem contra Deũ blasphœmantem. Decimum, quando gravi urgeris tentatione, præsertim odij Dei cum periculo consensus, nisi ad Deum per amorem te convertas.)

CAPUT II.

Propria sententia circa punctum quæstionis.

ARTICULUS I.

Quàm certum sit, eas tres propositiones damnatas, esse falsas?

NON EGET SUMMARIO.

7. Eas tres propositiones damnatas indè constat manifestè esse rejiciendas tamquam certò falsas; quia ex ipsa dignitate, primatu, & magnitudine præcepti (nam *hoc est maximum, & primum mandatum*) Doctores magni nominis censent, ita obligare, ut non multum temporis differendus sit actus dilectionis Dei super omnia, sed ita ut sit sæpius repetendus non ultrà diuturnum tempus. *Ita P. Suarez 2. 2. disp. 5. de Charit. sect. 5. qui num. 3.* proposuit multos casus, in quibus obligat præceptum dilectionis Dei propter implendum aliud præceptum, scilicet articulum mortis; item casum in quo minister Sacramenti debet se prius justificare extra confessionem administrandum; item in occasione gravissimæ tentationis, quando existimatur, actum dilectionis Dei fore opportunissimum remedium, &c.

8. Postea verò *num 4. addit,* Præceptum charitatis etiam per se, & independenter ab aliis præceptis habere vim obligandi, ubi subjungit: *Cæterum articulus temporis non tam affirmativè, quam negativè assignari potest, sicut in precepto restitutionis dicitur obligare ad non multum differendam restitutionem, licet non possit assignari primum instans restitutionis.* Nam quamvis hæc dicat de tempore, quo implendum est præceptum charitatis, postquam puer ad usum rationis pervenit; eodem modo intelligendum id est, cum inferius afferit, non multo tempore differendam esse horum actuum repetitionem. Et tandem concludit: *Quantum autem futurum sit hoc tempus* (dilectionis) *prudentia relinquendum est.* Et ob hanc causam graves Authores hanc obligationem ex-

extenderunt ad singulos dies festos,& ad alios casus,qui tempore non diuturno solent contingere;*ut art.seq.referam.*

ARTICULUS II.

Statuitur conclusio de tempore, quo obligat præceptum,& duplex prænotatio.

SUMMARIUM.

Præceptum diligendi Deum per se obligat ad frequentiam actuum.n.9.

*Varij dicendi modi plurium Theologorum in suffragium hujus sententiæ.*n. 9..& seqq.

Præceptum per se dilectionis Dei impletur, quavis eliciatur dilectio propter aliud preceptũ. n. 14.

*Idque explicatur exemplis,*n. 14.& seqq.

*Quo pacto plures excusentur à peccato, qui hanc actuum frequentiam non exercent.n.*18.

9. Dicendum ergo est, præceptum diligendi Deum per se obligare ad frequens exercitium illius, ita ut non multo tempore differatur. Hæc videtur esse mens *P. Suarij proxime citati. Et favet Lumbier tom. 3. Sum.num.*1796.*ad hanc* 5.*prop.& t.*2.*Summ. n.*709.*verbis referendis differt.* 11. *cap.* 2.*art.* 2.*ad prop.* 17.Favent etiam Doctores,qui casus frequenter occurrentes adstruunt,in quibus obligat præceptum, sive per se,sive propter aliud. Et in primis hujus sententiæ sunt Authores, qui dicunt urgere præceptum Charitatis singulis diebus festis. Quæ sententia non est contemnenda,quia cum ejus Authores censeant obligare ad frequentem repetitionem,& tempus remittendum est ad arbitrium prudentum,videtur prudens temporis designatio ea,quæ pro cultu Dei facta est. *Hi sunt Scotus in* 4.*dist.*27.*q unic.Angelus verb. Feria n.*41.*Almainus in* 3.*dist.*37.*q.unic. Gab. ibid.q.unic.art.*3.*Tabiena verb. Charitas. q.*20.

10. Sunt etiam pro hac sententia, qui docent,urgere præceptum charitatis, cum quis accipit aliquod ingens beneficium à Deo; quod superaddit augmentum frequentiæ. Quia lex amicitiæ videtur exigere, quod homo benefactorem suum redamet. *Hi sunt Sotus lib.*2.*de Iust quæst.*3.*art.*10. *Medina lib.*1. *Sum.cap.* 14.§.2 *P.Valencia* 2.2.*disp.*3.*quæst.* 19.*punct.*1.*casu* 4 *Card.Toletus lib.*4.*Sum.cap.* 9.*n.*10.*quos refert P.Thom.Sanch.lib.*2.*in Decalog.cap.*35.*n.*9 §.*Quartum.*

11. Pro eadem conclusione referendi sunt, qui dicunt, urgere præceptum charitatis,cum graves tentationes insurgunt, præcipuè odii Dei,aut iracundiæ contra Deum, quæ in aliquibus solet esse tentatio frequens, præsertim in impatientibus,& iracundis. *Ita P. Thom. Sanch.cit.n.*9.*Bonac.tom* 2 *disp.*3.*punct.*2.*num.* 2.*P.Valencia* 2.2.*disp.*2.*quæst.*4. *punct.*1. *P. Petr.Hurt.disp.*74.*de Charit.sect.*6.§.20. *Bannez.* 2.2.*quæst.*22.*art.*1.*dub.* 2. *Item Aragon, Petrus de Ledesma,Diana,Villalob & Trullench, quos refert Leander à SS.Sacram.in Decal.tract.* 4.*disp.*2.*quæst.*24.

12. Pro eadem citari possunt, qui docent, instare præceptum charitatis, cum quis audit blasphemiam aut gravem injuriam in Deum. Ex quo etiam augetur obligatio ad repetendos actus dilectionis Dei. Hanc sententiam tuentur *P.Valencia* 2.2.*disp.*7. *q.* 19. *punct.*1. *cas.*6.*Navarrus in Sum cap.*11.*num.*3.

13. Hæc omnia complexus est *P. Didacus Alvarez de Paz vir sapientissimus,*qui ferè scholastico more scripsit tomos tres de vita spirituali.*Et tom.*1 *lib.*3.*cap.*6.§.*Sed nemo,* distinguens, quomodo charitas sit finis vitæ spiritualis,& quomodo sit præceptũ de ea, de hoc secundo sic disserit: *Hoc namq; præceptum,quoad internũ quidẽ erga Deum amoris affectũ,quo scilicet volumus sua bona Deo & ei per omnia placere statuimus, jubet,ut Deum diligamus, quoties tenemur gravia peccata relinquere*(intellige,extra Sacramentũ)*& ad Dei amicitiam redire.Cũ etiã judicamus,nos sine actuali Dei amore esse casuros,& aliquod grave crimen incursuros. Ac tandem* ALIQUANDO INTRA QUEMLIBET AN-

ANNUM, & cum grave periculum imminet, aut ipse instat mortis articulus.

14. In quo duo animadvertenda sunt. Primum est (quod prosequor ad *prop.* 17.) Præceptum per se dilectionis Dei impleri, quoties quis elicit actum dilectionis Dei in ordine ad implendum aliud præceptum. Quod patet in multis exemplis. Et sufficit unum pro multis. Præceptum eleemosynæ obligat per se ex virtute misericordiæ in gravi, aut extrema necessitate. Titius ergo pressus gravi tentatione blasphemiæ, opem fert Sempronio constituto in extrema necessitate, eo fine, ut liberet eum Deus ab ea tentatione. Itaque implet præceptum fugiẽdi blasphemiam. Numquid non implevit præceptum eleemosynæ, quod per se obligat ex misericordia? Implevit utique. Et ratio est; quia licet per se obliget ex misericordia, non obligat ad hoc, ut qui illud implet, respiciat in suo actu motivum misericordiæ; sed obligat, ut illum actum eliciat, sive is actus procedat ex suo, vel ex alio motivo.

15. Sic etiam contingit in præcepto per se dilectionis. Nam qui elicit hunc actum propter motivum pœnitentiæ, vel propter motivum reddendi se securum à damnatione æterna, implet utique præceptum per se dilectionis Dei. Quia licet hoc præceptum præcipiat per se, independenter ab alio præcepto suum actum: non præcipit, quod talis actus fiat independenter ab alio præcepto. Itaque si hoc præceptum per se, & ratione sui præciperet, quod in quolibet die festo eliceres actum dilectionis Dei; si in die dominica eliceres actum dilectionis Dei propter vitandam aliquam tentationem, utique impleres illud præceptum, quod per se præcipiat dilectionem Dei.

16. Itaque qui tenetur elicere actum dilectionis Dei, quia urget tentatio dilectionis lasciva erga creaturam, cognoscens actum dilectionis Dei esse sibi remedium contra tentationem; si tunc non elicit actum dilectionis Dei, non peccat contra præceptum charitatis erga Deum, sed contra præceptum castitatis. Si verò elicit tunc eum actum dilectionis Dei quo liberatur à tentatione, implet utrumque præceptum charitatis, ex qua tenetur frequenter diligere Deum; & Castitatis, quod tunc urgebat.

17. Sic etiam qui tenetur audire Missam in die festo, & primo mane pressus tentatione luxuriæ cognoscit, sibi esse remedium præsentaneum audire Missam statim. Si tunc non conatur audire Missam, cum possit, violat præceptum castitatis; non autem præceptum audiendi Missam, quam & si non audiat primo mane, potest mox eam audire: si tamen audit illam tunc, implet utrumque præceptum, & audiendi Missam in die festo, & servandi castitatem.

18. Alterum prænotandum est, quod observavit P. *Granado* 2. 2. *controv.* 3 *de Charitat. tract.* 14. scilicet occultum esse, & difficile determinare punctum temporis fixum, & certum, in quo urgeat hoc præceptum charitatis erga Deum: *In qua vix aliquid certi statui potest: quod deserviet, ut facile admittamus invincibilem ignorantiam, quæ excuset à culpa plures, qui hoc præceptum fortasse non implerunt.* Juxta quam prudentissimam observationem, quando dicimus, præceptum charitatis obligare ad actus dilectionis Dei frequentes; valdè occultum & incertum est determinare instans fixum, in quo instet hoc præceptum; solum enim dicimus violari præceptum, cum multo tempore differtur dilectio Dei, judicio prudentis; & mensis integer videtur mihi multum tempus, ob summam hujus præcepti dignitatem. Excusabuntur tamen plurimi ab hoc peccato, propter ignorantiam, aut inadvertentiam invincibilem.

AR-

ARTICULUS III.

Quam commune sit Fidelibus timoratis elicere actus dilectionis Dei?

SUMMARIUM.

Duplex est affectus charitatis, scilicet afficiens, & efficiens. n. 20.

Perfectio charitatis consistit in actu efficiente, non tam in afficiente. n. 21.

Qui implet praecepta, quia videt Deo esse placita, elicit actum dilectionis Dei. n. 22.

Quam frequenter fideles eliciant actus charitatis n. 24.

Qui actus charitatis contineantur in oratione Dominica? n. 25.

Qui resistunt tentationibus, ut Deo placeant, eliciunt actum charitatis. n. 26.

19. Ante quam adducamus fundamenta pro conclusione stabilita, quod praeceptum charitatis obligat ad eliciendum frequenter actus dilectionis Dei; operae pretium est ostendere, quomodo per hanc conclusionem non imponatur Fidelibus onus importabile, sed potius *jugum suave, & onus leve*; quod quasi insensibiliter portant Fideles timorati, qui conscientiae suae non ignave prospiciunt: hi enim multos actus dilectionis Dei eliciunt, quamvis non advertant, eos esse actus charitatis. Qui licet eliciantur in ordine ad alia praecepta implenda, sive ad opera aliarum virtutum exercenda, etiam sufficiunt ad implendum praeceptum charitatis erga Deum, juxta supra dicta *articul. antecedent.* Et quod Fideles timorati frequenter exerceant actum dilectionis Dei, notarunt P. *Castro Palao tom. 1. tract. 6. disp. 1. punct. 4. nu. 11. Lorca 2. 2. sect. 3. disp. 58. num. 8. & Leander à SS. Sacram. in Decalogo tract. 4. disp. 2. quaestion. 8.*

20. Pro cujus rei claritate tria observanda sunt. Primùm est, id, quod ex professo tractat *P. Iacobus Alvarez de Paz. tom. 1. de vita spirituali lib. 3. part. 1. cap. 9.* duplicem esse charitatis affectum, scilicet afficientem, & efficientem. Audienda sunt verba hujus sapientissimi viri. *Charitas afficiens est virtus ipsa charitatis, justi animam affectibus amoris inflammans, & ad volendum Deo bona sua, ad gaudendum de perfectionibus Dei, ad desiderandum, ut omnes ei serviant, & Divino subjiciantur imperio, & ad ipsius praesentiam suspirandam, & ad alios similes affectus impellens. Charitas autem efficiens est ipsa etiam charitatis virtus, prout movet ad custodienda mandata, ad complectenda consilia, & ad Divinum placitum exequendum; ita ut supra dulcedinem, & teneritatem amoris, operum efficacitatem habeat, & Dei in omnibus (prout in hac vita possibile est) perficiat voluntatem. Charitatis afficientis vox est: (Sicut desiderat cervus ad fontes aquarum,) &c. (Anima mea desideravit te in nocte.) Charitatis efficientis opus est. Iuravi, & statui custodire judicia justitiae tuae.) illud deinde: (Propter verba labiorum tuorum ego custodivi vias duras.) Illa magis ad tempus orationis pertinet: haec magis ad tempus actionis; illa in desiderijs est; haec in opere: illa in verbo; ista in vita; illa se amatricem profitetur; ista se amatricem ostendit; quia ut Gregorius ait, Probatio dilectionis exhibitio est operis.*

21. Secundum, quod etiam idem ascelicae vitae Doctor egregius tradit ibidem, nempè quamvis uterque actus charitatis sit dignitate praestantissimus, tamen perfectionem charitatis non tam in charitate afficiente, quam in charitate efficiente consistere. Ait enim. *Perfectionis ergo natura non in charitate afficiente, sed in efficiente consistit. Nec aliquis perfectus est, quia dulcius ad Deum, & tenerius afficitur, nec quia in fervore orationis majorem suavitatem, aut consolationem percipit; sed quia majore fidelitate, & conatu ex charitate*

mandata universa custodit, purius vivit, & accuratius in omnibus Divinæ se accommodat voluntati. Confirmatque verbis Domini, *Ioan.* 14. *Qui non diligit me, sermones meos non servat.* Et subjungit in explicationem eorum verborum: *Quasi dicat. Parum ad veram dilectionem, atque adeo ad veram perfectionem proderit, quod quis affectibus abundet, si se ipsum non vincat, si noxia non vitet, si suæ saluti proficiat, id est, mandata, & consilia non impleat. Multum vero dilectionis, & perfectionis habet, qui affectibus, & dulcedine carens, præcepta complectitur, Divina jussa custodit, & juxta præscriptum professionis suæ, ab eo, quod Deo placitum est, nulla ratione discedit.* Quam sententiam efficacissimè confirmat egregiis testimoniis *Sanctorum Patrum Bernardi Ambrosij, Augustini, Origenis, Clementis Alexandrini, & Ricardi à S. Victore. Et deinde cap.* 10. hanc perfectionem charitatis dividit in primam, mediam, & ultimam. Nam hoc, quod est, velle unire voluntatem suam in omnibus cum Divina, recipit magis & minus.

22. Tertium, esse actum formalem charitatis illum, quo quis vult implere præcepta, aut pia opera facere, quia videt illa esse placita Deo; sive eo fine, ut Deo placeat. Patet ex duobus prioribus prænotatis: nam charitas efficiens ut condistinguitur ab afficiente, nihil aliud est, quam voluntas implendi voluntatem Dei, sive faciendi ea, quæ Deo sunt placita, ut specialiter constat ex prænotatione 2. *Deinde Ioan.* 8. dixit Christus D. *Qui me misit, mecum est, & non reliquit me solum: quia ego, quæ placita sunt ei, facio semper.* Quis autem dubitet hic explicare Christum D. efficaciam suæ charitatis. Et ideo *P. Didacus Alvarez, tom.* 1 *lib.* 3. *cap.* 15. ad ea Christi verba subjungit. *Profectò non relinquuntur soli, qui Christo capiti, & aliis proximis per charitatem perfectam Dei, & proximi adhærent. Inde autem habent, ut quæ, ei placita sunt, faciant semper.* Iuxtà quam sententiam ex charitate habent, quod faciant, quæ Deo sunt placita; quia charitas perfecta eo respicit.

23. Et *Ioan.* 15. ait Christus D. *Manete in dilectione mea.* (scilicet activè, & passivè, sive reciprocè) *si præcepta mea servaveritis, manebitis in dilectione mea.* In quem locum *S. Augustinus* movet eam quæstionem. *Dilectio facit præcepta servare; an præcepta servata faciant dilectionem?* Et immediatè respondet: *Sed quis ambiget, quod dilectio præcedit?* id est, (dilectio facit, præcepta servare,) quod non aliter facit, nisi quatenus dilectio est voluntas implendi voluntatem Dei, & ejus præcepta, scilicet ex affectu ad Deum. *Petrus epist.* 1. *cap.* 1. ait illis verbis: *Animas vestras castificantes in obedientia charitatis.* Hanc enim obedientiam charitatis exercent, qui obediunt Dei mandatis, ut Deo placeant. Ideo *S. Thom.* in hunc locum hæc verba habet, quæ desumpsit ex glossâ: *In obedientia charitatis. Glossa. In obediendo Deo ex charitate, servando ejus mandata.*

24. Ex his tribus prænotatis clarè constat, quam commune est fidelibus elicere actus charitatis, præcipuè eius, quam vocamus efficientem, quæ ex genere suo perfectior est, quam afficiens. Nam fideles, qui non moventur hypocrisi, aut alijs respectibus gloriæ inanis, cognoscunt, opera præcepta, & reliqua opera pia, quæ exercent, esse placita Deo; & cum videant, esse placita Deo, & aliundè non moveantur inanis gloriæ respectibus, ferè impossibile videtur, quod ea opera pia, quæ faciunt, sive de præcepto, sive de consilio, non exequantur eo, quod videant esse placita Deo. Undè cum Missam audiunt, concioni adsunt, orationi incumbunt, eleemosynam præbent, videntes, ea opera esse Deo placita, sanè eo fine ea præstant. Operantur ergo ex motivo charitatis erga Deũ, &

& consequenter actus charitatis eliciunt; & sic frequenter præceptum charitatis adimplent. Quin etiam exhortationibus Concionatorum, & Confessariorum, imo & lectione librorum spiritualium ad diligendum Deũ frequenter moventur.

25. Ad hæc, ut notavit *Lorca supra citatus*, in duabus petitionibus orationis Dominicæ continetur actus charitatis in Deum: nam eum charitatis actum elicit, qui desiderat sanctificari nomen Dei; item qui desiderat, quod omnes voluntatem Dei faciant in terra sicut fit in Cœlo. Imò est, & alia petitio, quæ includit etiam actum charitatis, scilicet: *Adveniat Regnum tuum*. Nam, istud Regnum est id de quo dixit Christus *regnum Dei intra vos est*, scilicet dilectionis Dei, & reliquarum virtutum. Qui ergo desiderat, nobis advenire Regnum dilectionis Dei, Deum ostenditur diligere, nam, *ut ait S. Gregorius*, Qui desiderat diligere Deum, iam incepit, illum diligere. Qui ergo attentè, & ex affectu dicit orationem Dominicam, utique tres actus charitatis erga Deum elicit. Qui autem recitant officium Canonicum, in eo invenient quam plurimos actus dilectionis Dei, si attẽte, & ex affectu recitent.

26. Præterea frequentissimum est inter fideles timoratos, resistere tentationibus, & abstinere à peccatis mortalibus, quia vident graviter displicere Deo. Quid autem est abstinere à peccato mortali, quia Deo displicet, nisi abstinere à peccato ex dilectione Dei? Cum ergo constet, ita commune esse fidelibus elicere frequenter actus charitatis erga Deum, non videbitur onerosum. quod teneamur vi præcepti charitatis ad eliciendos frequenter actus dilectionis Dei

ARTICVLVS IV.

Fundamenta, quibus probatur obligatio eliciendi frequenter actum charitatis.

SVMMARIVM.

Varij textus Sacræ paginæ, n. 27. & seqq.
In textu S. Petri non est consilium, sed præceptum. n. 30.
Charitas est finis omnium Præceptorum n. 31.
Quam difficile est servare præcepta sine frequentia dilectionis Dei. n. 32.
Quam difficile est aggredi media ardua sine efficacia intentionis finis. n. 33.
Textus Sacræ Paginæ, & expositio S. Augustini ad rem nostram. n. 34. & 35.
Quam certum sit, charitatem esse finem omnium Præceptorum. n. 36.
Quomodo dilectio Dei fiat propter implenda præcepta, cum sit finis præceptorum? n. 37. & seq.

27. PRimum desumitur ex Sacra Scriptura. Nam *Deutoronomij cap 6.* dicitur *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota fortitudine tua. Eruntque verba hæc, quæ ego præcipio tibi hodie, in corde tuo: & narrabis ea filiis tuis, & meditaberis in eis sedens in domo tua, & ambulans in itinere, dormiens, atque consurgens.* Quæ omnia denotant continuationem, & frequentiam. Quomodò hæc componuntur cum eo, quod quis toto anno sit oblitus Dei, & eorum, quæ Deo placita sunt?

28. Deinde *Ioannis 15. ait Christus D. Manete in dilectione mea* Ubi *P. Maldonado sic scribit n. 34. Sumitur igitur passivè, Manete in dilectione mea, id est, pergite me diligere, quemadmodum Augustinus, Chrysostomus, Leontius, Theophilatus, Beda, & Rupertus interpretantur.* Id autem verbum, *Manete*, quid aliud significat, nisi perseverantiã & frequẽtiã in actu dilectionis?

abyssum. Econtra verò qui frequenter Deum attendunt cum desiderio placendi illi, aut non displicendi, videmus sæpe innoxios longo tempore permanere. Hi enim sunt, qui observant id præceptum Christi: *Manete in dilectione mea*.

33. Sed præcipuè probatur Major à priori ex ipsa ratione finis, quæ competit dilectioni Dei. Etenim difficillimum est aggredi media ardua, quando finis, ad quem ordinantur ea media, tepidè amatur, & raro intenditur, aut appetitur: ita quando Pater mittit filium Romam, ut procuret aliquam dignitatem Ecclesiasticàm; si filius tepidè se gerit circa intentionem, & desiderium talis dignitatis difficillimum illi est aggredi tam prolixũ iter, & subire labores itineris, & reliqua media assumere: deficiente enim desiderio efficacitalis dignitatis, durissimum sibi videtur talia & tam ardua media executioni mandare. At qui ille, qui toto anno, aut per multum tempus non elicit actũm amoris Dei, tepidè se gerit circa finem, qui est charitas erga Deum: ergo difficillimum est, quod animum erigat ad exequenda reliqua præcepta, quæ sunt media ad talem finem. Ideo homines tam facilè violant reliqua præcepta, quia non curant de fine, scilicet placendi Deo, & adeo tantam inveniunt difficultatem in servandis præceptis, quia negligenter se gerunt circa intentionem finis, nempè charitatis erga Deum.

34. Huc respiciebat *Psaltes Regius ps.* 16. ℣. 4 Cum dixit: *Propter verba labiorum tuorum ego custodivi vias duras.* Quem locum P. *Lorinus* sic paraphrasticè explicat: *Difficile sane id, durumque* (nempè observatio præceptorum) *si natura spectetur innata corruptio. Sed amor me, ac reverentia, Deus, præceptorum, minarum, promissorum tuorum compulit ad ea, quæ dixi cavenda.* Quod didicit *ex S. Augustino serm. 9. de verbis Domini secundum Math.* ubi ait: *Ecce unde illud jugum suave est, & sarcina levis. Et si angusta est paucis eligentibus, facilis tamen omnibus diligentibus. Dicit Psalmista: propter verba labiorum tuorum ego custodivi vias duras. Sed quæ dura sunt laborantibus, eisdem ipsis mitescunt amantibus.* Ecce docet *S. Augustinus*, præcepta esse dura & difficilia, ubi non adest dilectio Dei; & ubi hæc adest, esse facilia, jugum suave, & onus leve. Ubi etiam notabis in eo loco Psalmi, per eam clausulam, *Propter verba labiorum tuorum*, intelligere *Augustinum* præceptum dilectionis Dei.

35. Quod magis explicuit *S. Augustinus lib. de nat. & grat. cap. 69. Quomodo ergo dicitur, propter verba labiorum tuorum ego custodivi vias duras? nisi quia utrumque verum est: Duras sunt timori, leves amori?* Ex quo manifestè deducitur, præcepta sine exercitio dilectionis Dei esse dura, & difficilia; fieri autem levia ex dilectione Dei.

36. Quod autem charitas erga Deum sit finis, ad quem cætera pręcepta, reliquaque virtũtum opera ordinantur, constat ex dictis *num. 31. & præcipuè ex 1. Epist. ad Thimoth. cap. 1.* Ubi *Paulus* ait: *Finis autem præcepti est charitas, &c.* Et ideo *S. Thom. 2. 2. quæst. 44. art. 1.* sic docuit: *Finis autem spiritualis vitæ est, ut homo uniatur Deo, quod fit per charitatem; & ad hoc ordinantur sicut ad finem omnia, quæ pertinent ad spiritualem vitam. Unde Apostolus dicit 1. ad Thimoth. 1. Finis præcepti est charitas de corde puro, &c.* Et *S. Anselmus in hunc locum Pauli* ait: *Omnis itaquè præcepti finis est charitas, id est, ad charitatem refertur omne præceptum.*

37. Objicies. Propter reliqua præcepta servanda, necessarium est, quod homo frequẽter exerceat actus dilectionis Dei: ergò jam non erit obligatoria per se frequentia actuũ dile-

dilectionis Dei, sed propter reliqua præcepta servanda: ergò inutile est hoc argumentum ad probandam obligationem per se eliciendi frequenter actus charitatis erga Deum.

38. Respondeo distinguendo antecedens. Propter reliqua præcepta servanda (tamquam propter finem,) nego; (tamquam propter executionem mediorum, quæ assumuntur firmiùs, cum imperantur ab intentione efficaci finis) concedo. Quæ distinctio clarè constat in qualibet intentione finis, & electionis mediorum. Quis enim dubitet, finem intendi per se & propter se; media autem executioni mandari propter finem? Et tamen quia actus intentionis finis imperat, & impellit ad electionem, & executionem mediorum; qui vult ardenter aggredi executionem mediorum, præceptivè si hæc sint ardua, considerat, quantum intersit consecutio finis, & renovat intentionem ejusdem finis, ut faciliùs & firmiùs moveatur ad exequenda media. Et cum hæc ita sint, non propterea didicimus finem esse propter media, sed renovari intentionem finis, ut firmius ponantur media, ut tandem cum effectu consequamur finem.

39. Ita contigit in eo, qui vult Romam petere ad obtinendam dignitatem, tamquam à se intentam. Qui cum deterretur periculis itineris, & aliis difficultatibus, considerat utilitatem ejus dignitatis, & renovat intentionem illius, ut firmiùs moveatur ad superandas difficultates mediorum, quæ tandem ad dignitatem obtinendam diriguntur. Et ideò quamvis renovetur semel, & iterum intentio, sive desiderium dignitatis in ordine ad superandas ardentiùs difficultates mediorum; non dicitur, quod dignitas appetitur propter media, sed ipsam dignitatem appeti per se, & propter se; & media ipsa propter dignitatem.

40. Eodem modo contingit circa præcepta, & charitatem erga Deum. Nam cum ista Charitas sit finis, & reliqua præcepta sint media, procedit magnoperè, & quandoque necessè est, actum dilectionis Dei repetere, ut homo faciliùs vincat difficultates præceptorum; est enim efficax impulsivum ad vincendas difficultates præceptorum desiderium placendi Deo: sed non propterea actus charitatis erga Deum est medium ad servanda præcepta, propriè loquendo; quia tandem præfata præcepta diriguntur ut media ad dilectionem Dei.

ARTICULUS V.

Observationes aliquæ pro majori claritate doctrinæ traditæ.

SUMMARIUM.

Possunt impleri præcepta sine relatione actuali ad charitatem. n. 41.

Possunt dari opera virtutum moralium supernaturalium sine actuali relatione ad charitatem. n. 42.

Et in quo differant virtutes morales naturales à supernaturalibus. Ibidem.

Actum charitatis eliciunt, qui observant mandata Dei, quia sunt mandata ipsius. n. 43.

Qui diligit proximum, quia præceptum Domini est, elicit actum charitatis. n. 44.

41. Observa primo, licet dicamus, esse necessariam frequentiam actuum dilectionis Dei ad servanda diuturno tempore præcepta, & servandi se securum à violatione præceptorum, non indè rectè inferri, quod numquam possit impleri præceptum, nisi cum formali & actuali relatione ad charitatem erga Deum: potest enim impleri sine illa. Sicut, licet candidatus dignitatis arripiat iter arduum Romam versus, motus ex intentione dignitatis, quam ambit; adhuc potest illud iter aggredi independenter ab ea inten-

intentione. Solum enim dicimus, necessarium esse repetere actus dilectionis Dei, ut per intentionem finis impellatur ad servanda præcepta tamquam media, quamvis hæc possit aliquando implere sine intentione ejus finis. Non tamen potest moraliter omnia implere diuturno tempore, neque vincere difficultates illorum, nisi frequenter eliciat actus dilectionis Dei, sive desiderij placendi Deo.

42. Observa secundò, etiam nostram doctrinam longè abesse ab opinione eorum, qui dicunt, nullum esse opus virtutis moralis supernaturalis, nisi habeat formalem & actualem relationem ad actum dilectionis Dei, sive nisi ab hoc actu imperetur actus virtutis moralis supernaturalis. Etenim, ut optimè disserit *P. Suarez. lib. 2.* de necessitate gratiæ *cap. 16. num. 10.* in hoc differunt virtutes morales naturales à supernaturalibus; quod naturales respiciunt pro motivo honestatem secundum conformitatem ad naturam rationalem, sive ad rationem naturalem; supernaturales verò respiciunt pro motivo honestatem per conformitatem ad naturam rationalem prout illustratam lumine supernaturali. Justus ergò qui patientiam habet, quia lumine fidei supernaturalis cognoscit esse bonam, & honestam; quamvis illam non referat actualiter ad charitatem erga Deum, bonum opus facit, & meritorium æternæ vitæ. Erit autem multò melius, & magis meritorium, si fiat cum relatione actuali ad dilectionem Dei; sive quia fide docetur esse opus Deo placitum; quia sic est actus charitatis, & per illud opus patientiæ relatum actualiter ad placitum, & dilectionem Dei, partim impletur præceptum eliciendi frequenter actum dilectionis Dei.

43. Observa tertio, sicut diximus, elicere actum dilectionis Dei eos, qui observata mandata, ex eo motivo, quia placita sunt Deo sive ut per observationem eorum placeant Deo, ita etiam elicere actum dilectionis Dei eos, qui observant Dei mandata, quia sunt mandata ipsius Dei; nam in hoc quod sint mandata Dei, continetur, quod sint placita, & grata Deo. Ita discipulus ille, quem diligebat IESUS, & qui Iesum diligebat (ut refert *S. Hieronimus in epistolam ad Galatas lib. 5. cap. 6.*) *Nihil aliud per singulas solebat proferre collectas, nisi hoc: (Filioli diligite alterutrum) tandem discipuli, & fratres, qui aderant, tadio affecti, quod eadem semper audirent, dixerunt. (Magister, quarè semper hoc loqueris?) Qui respondit dignam Ioanne sententiam: (Quia præceptum Domini est, & si solum fiat, sufficit.)*

44. Ex quo infertur, quod qui diligit proximum, quia præceptum Domini est; elicit actũ dilectionis Dei; aliàs non dixisset Ioannes: *Et si solum fiat, sufficit*: quia ad perfectionem, quam Ioannes consulebat discipulis, non sufficit dilectio proximi sine dilectione Dei. Sic etiam *art. 4.* notavi circa illa verba, *si precepta mea servaveritis, manebitis in dilectione mea*; in sensu formali ita intelligi posse, (si servaveritis præcepta, quia mea sunt, manebitis in dilectione mea, diligentes me.)

CAPUT III.

Discutitur quæstio appendix, an lapsus in peccatum lethale teneatur statim elicere actum charitatis, si non confitetur illicò?

ARTICULUS I.

Referuntur sententiæ, & nostra proponitur, primaque ejus pars roboratur.

SUMMARIUM.

Dictio (statim) non intelligitur de instanti physico, sed moraliter. n. 45.

Com-

Communis sententia est, peccantem non teneri statim ad contritionem, neque ad suscipiendum Pœnitentiæ Sacramentum. n. 46.

Quatuordecim Authores asserentes teneri statim ad contritionem, vel ad Sacramentum Pœnitentiæ. n. 49.

Media sententia eligitur, quæ habet duas partes. n. 48.

Præceptum contritionis non obligat statim ex generali ratione Pœnitentiæ. n. 49.

Neque ex lege justitiæ. n. 50.

Neque ex lege charitatis. n. 51.

45. CUm dixerimus, omnes Fideles, sive justos, sive peccatores teneri ad alliciendos actus dilectionis Dei; superest inquirere, an qui labitur in peccatum mortale, non solum frequenter teneatur ad prædictum actum charitatis, sed etiam an teneatur statim post peccatum? Quando autem dicitur *statim*, non intelligitur metaphysico & reali, sed practicè & moraliter, id est, ut explicat *P. Suarez citandus*, *Quamprimum post finitum peccatum occurrit, & cogitatio ipsius peccati, aut aliquid, quod sufficienter excitet ad illam practicè habendam, & aliundè sit etiam opportunitas ad exercendam contritionem; quia nimirum nullum necessarium impedimentum intervenit.*

46. Communis est sententia Theologorum, quæ docet, eum, qui labitur in peccatum lethale, non teneri statim ad contritionem perfectam, neque ad suscipiendum Pœnitentiæ Sacramentum. *Ita P. Suarez de Pœnit. disp. 15. sect. 5. & apud ipsum Durandus, Angelus, Ioannes de Medina, Adrianus, Sotus, Canus, & Vigerius. Item Lugo Card. de Pœnitent. disp. 7. sect. 11. P. Castro Palao tom. 4. tract. 23. disp. unic. punct. 20. §. 1. numer. 3. & apud ipsum P. Enriquez, P. Coninck & P. Layman. item P. Vasquez 3. p. q. 86. art. 2. dub. 5. & quam plures alii.*

47. Secunda sententia docet, eum, qui lapsus est in peccatum lethale, teneri statim ad assumendum medium suæ justificationis, vel eliciendo actum contritionis charitate perfectæ, vel ad suscipiendum Sacramentum Pœnitentiæ. *Hi sunt Argentina in 4. dist. 17. art. 4. ad 4. Paludanus ibid. quæst. 1. art. 3. conclus. 2. Alensis 4 part. q. 77. membro 4. art. 1. Major in 4. dist. 17. quæst. 5. & 9. D. Antoninus 3. part. tit. 14. cap. 8. §. 2. Silvester verb. Contritio. num. 4. & Marsilius in 4. q. 12. art. 1 part. 5. & ex parte S. Bonaventura in 4. dist. 17. art. 4. in 2. part. q. 3. Item Cajetanus 2. 2. q. 66. circa 2. & tit. 1. opusc. tract. 17. quos refert P. Suarez citatus, & apud Cardinalem Lugo citatum Guilliełmus Parisiensis tract. de Pœnit. Innocentius in c. Omni utriusque sexus de Pœnitentiis & remiss. Archidiaconus in cap. Ille Rex. de Pœnit. dist. 3. Petrus de Soto lect. 13. de Pœnit. Abulensis lib. 1. Paralip. cap. 16. q. 36.*

48. Mea sententia habet duas partes: prima est, neque ex lege pœnitentiæ, neque ex lege justitiæ, neque ex lege charitatis in Deum, esse obligationem adhibendi medium justificationis statim post peccatum. Secunda pars est, teneri peccatorem, statim ac peccavit lethaliter, ad adhibendum medium suæ justificationis per actum charitatis, vel per confessionem Sacramentalem, scilicet ex lege cavendi à contingentia suæ damnationis æternæ, quæ potest accidere à subitanea & improvisa morte. Et quidem pro prima parte stant Authores primæ sententiæ; & eam egregiè probat *P. Suarez loco cit.*

49. Id præceptum non obligare ex generali ratione virtutis pœnitentiæ, probatur ex eo, quod cum affirmativum sit, non obligat pro omni tempore, sed habet tempus; in quo obliget. Neque est sufficiens fundamentum

ad afferendum, virtutem Pœnitentiæ obligare tamquam negativum ad non retinendum se in eo statu peccati habitualis.

50. Neque id obligare ex lege justitiæ, quamvis dicamus omne peccatum lethale esse formaliter injuriam contra Deum, & continere malitiam injustitiæ; inde probatur. Quia licet ex violatione justitiæ contra hominem oriatur obligatio restituendi statim; est enim obligatio negativa non retinendi rem alienam; ideò id ita contingit, quia proximus cui facta est injuria, patitur detrimentum in bonis suis, dum non fit ei restitutio: atque Deus nullum patitur detrimentum in bonis suis, dum non fit ei restitutio: neque Deus ullum patitur detrimentum in bonis suis, quamvis homo non det eam satisfactionem Pœnitentiæ: ergo lex justitiæ non obligat peccatorem, ad satisfaciendum Deo statim per pœnitentiam.

51. Sed neque tenetur ex lege charitatis, aut amicitiæ erga Deum, ad eliciendum actum dilectionis Dei. Nam lex charitatis erga Deum solum obligat ad ita diligendum Deum, ut hæc dilectio non differatur multo tempore, ut dictum est *cap. 2.* nullum autem est fundamentum ad ponendam obligationem ejus actus dilectionis statim, ac committitur peccatum. Lex autem amicitiæ non obligat me ad procurandum, quod alter diligat me, sed ad hoc, quod ego diligam inimicum. Et ita solum est in peccatore obligatio diligendi Deum, hæc autem, ut dixi, solum obligat ad non differendum multo tempore actum dilectionis Dei. *Videantur P. Suar. & Lugo Card. qui hæc late, & luculenter tractant.*

ARTICVLVS II.

Secunda pars nostræ sententiæ efficaciter roboratur.

SUMMARIUM.

Homo statim, ac labitur in peccatum lethale, tenetur ad ponendum medium suæ justificationis. n. 52. Et duæ notationes circa id Ibidem.

Præceptum Christi est, quod semper vigilemus, & simus parati. n. 53.

Varij textus Evangelij, in quibus id præcipitur. n. 54.

Id non est consilium, sed præceptum, quia injungitur tamquam omnino necessarium. n. 55.

Non est consilium id, quo admonemur de periculo imminente. n. 56.

Non est consilium, sed præceptum id quod proponitur in scriptura sub comminatione damnationis æternæ. n. 57.

Sancti Patres in hoc agnoscunt rationem Præcepti. n. 58. & seqq.

Christus Dominus non loquitur solum in illis verbis de die extremi judicij sed etiam de die mortis ex Sancto Augustino. n. 63.

52. SEcunda pars conclusionis supra propositæ est, hominem statim, ac labitur in peccatum lethale, teneri ad ponendum medium suæ justificationis, vel per contritionem charitate formatam, vel per Sacramentum Pœnitentiæ. Hanc conclusionem propugnant quatuordecim *doctores citati art. 1. pro secunda sententia.* Et meminerit lector illud *statim* intelligendum esse non metaphysicè, sed moraliter, juxta explicationem initio *articuli 1. datam ex P. Suarez.* Meminerit etiam ejus asserti, quod proposui *cap. 2. art. 2 ex P. Granado*, quamvis ad aliud assumptum; in his facilè dari posse ignorantiam, aut inadvertentiam invincibilem, ratione cujus homines excusentur à peccato, cum in hoc aliquam moram habent.

53. Probatur primò conclusio. Christus D. in Evangelio præcepit omnibus hominibus, quod semper vigilent, & sint parati pro expectanda hora mortis, quia

quia nesciunt diem, neque horam: sed vigilare & esse paratum pro expectanda hora mortis, est constituere se in statu justificationis. ergo Christus D. præcepit, quod omnes homines semper sint constituti in statu justificationis. Ergo peccator violat hoc præceptum Christi D. dum lapsus in peccatum lethale non conatur se restituere statui justificationis.

54. Major hujus syllogismi clarissimè constat ex evangelio. *Math. 24. ℣. 41. Vigilate ergo, quia nescitis, quâ horâ Dominus vester venturus sit.* Et ℣. 44. *Ideo & vos estote parati: quia nescitis quâ horâ Filius hominis venturus est. Et cap. 25.* proponit parabolam virginum, quinque prudentū, quæ paratæ erant, & quinque fatuarum, quæ imparatæ: & ℣. 13. subjungit: *Vigilate itaque, quia nescitis diem, neque horam* Et *Marci 13. ℣. 35. Vigilate ergo; (nescitis enim, quando Dominus domûs veniat; sero, an media nocte, an galli cantu, an mane) ne cum venerit repente, inveniat vos dormientes. Quod autem vobis dico, omnibus dico; Vigilate.* Et circa eam clausulam, *inveniat vos dormientes*, sicut dicuntur dormientes, qui sunt in statu peccati lethalis, ita vigilare dicuntur, qui sunt constituti, aut se constituunt in statu justificationis. Et *Luca 12. ℣. 39.* & 40. *Si sciret Pater familias, quâ horâ fur veniret, vigilaret utique. & non fineret perfodi domum suam. Et vos state parati, quia qua hora non putatis, filius hominis veniet.* Et *Luc. 21. ℣. 34. attendite autem vobis, ne forte graventur corda vestra in crapula, & ebrietate, & curis hujus vitæ: & superveniat in vos repentina dies illa.* Quod autem *vigilare* idem sit ac esse præparatum dispositione necessaria ad mortem expressit *S. Gregorius homil. 13. in Evang. & S. Hilarius in cap 24. Math. & omnes passim interpretes.*

55. Dices primò, id non esse præceptum, sed consilium. Hæc tamen responsio videtur mihi improbabilis Primo. Nam consilium est voluntarium, non autem simpliciter necessarium. Sic enim quandó Christus D. consuluit continentiam, non illam injunxit tamquam simpliciter necessariam ad securitatem salutis æternæ; & ideo dixit, *Qui potest capere, capiat.* Cum autem injungit hominibus, ut pro omni hora sint parati, quia nesciunt diem neque horam; id quidem injungit tamquam omninò necessarium ad securitatem salutis æternæ.

56. Secundó. Quia non est consilium, admonere de periculo imminente; Christus autem admonet Fideles, ut caveant à periculo imminente salutis æternæ amittendæ. Et ideo *Luc. 21. ait: Attendite autem vobis, ne forte graventur corda vestra*, &c. *Et superveniat in vos repentina dies illa.* Ubi *Jansenius in concord. cap. 124. ait: Attendite vobis, hoc est, cavete vobis.*

57. Tertiò. Nam ut *observat P. Suarez disp. 1. de Fide sect. 1. num 2. Omnia, quæ in scriptura proponuntur sub comminatione æternæ damnationis, posita sunt sub rigoroso præcepto.* Cum ergo Dominus indixerit nobis vigilantiam, & præparationem, ne fortè *superveniat in vos repentina dies illa*, in qua, sicut virginibus fatuis dicat, *Nescio vos*, quæ quidem est comminatio damnationis æternæ; liquido constat, id non esse solum consilium, sed præceptum.

58. Quartó. Quia Sancti Patres, & interpretes agnoscunt rationem præcepti in illis verbis Domini. *Et ita S. Ambrosius lib. 7. Luc. ad ea verba cap. 11. Beati servi illi, quos cum venerit Dominus, invenerit vigilantes.* Hæc verba habet. *In superioribus vigilare nos voluit, per omnia expectantes momenta Domini Salvatoris adventum: ne dum aliquis remittit, & negligit, & de die in diem opera sua differt; judicij futuri die, vel propria morte præventus, meritum suæ commendationis amittat. Et illa quidem in omnes PRAECEPTI forma generalis.* Et *in cap. 3. Apocal.*

Apocal. ad ea verba, Esto vigilans, & confirma, ait: PRAECIPITUR *igitur huic ut vigilet.*

59. *S. Hieronymus in Michæam cap. 6.* sic ait: *IUBETUR nobis, ut preparati simus ambulare cum Domino Deo nostro; nulla hora dormire, nullo tempore securi esse debemus; sed semper expectare Patrem familias venientem, & diem formidare judicij.* Ubi notandum est verbum. *Iubetur*, quod rigorosum præceptum designat. Item ea verba, *nulla hora dormire*; quod juxta supradicta, idem est, ac *nulla hora in statu peccati mortalis persistere.* Est ergo præceptum Domini, ne ulla hora dormiamus, neque persistamus in statu peccati lethalis, ne superveniat in nos repentina dies illa, quæ damnationi æternæ nos addicat. Ex quibus etiam verbis Hieronymi constat, hoc præceptum obligare pro semper; atque adeo esse præceptum negativum, non perseverandi in statu peccati lethalis; id enim significant ea verba: *nulla hora dormire, nullo tempore securi esse debemus, sed semper expectare, &c.* quæ verba dicuntur à *Hieronymo* pro explicatione præcepti, *quo jubetur nobis, ut præparati simus*, &c.

60. *Theophilactus in cap. 24. Math. ad ea verba. Et vos estote parati; quia qua hora non putatis, &c.* Sic ait: *Vigilare IUBET. & preparari, hoc est habere virtutis opera quasi in thesauro quodam reposita, ut cum venerit Dominus repetens id, quod vult, possimus dare.* Ecce verbum *jubet*, quod præcepti rationem significat. Et *in cap. 13. Marc. ad ea verba, Quæ vobis dico, omnibus dico. Vigilate.* Hæc habet: *Omnibus autem PRAECEPIT Dominus, & his, qui in mundo vivunt, & his, qui successerint.* Et paulo post dicit, eam præparationem continuam pro hora mortis esse, *necessariam*, quæ dictio non denotat rationem consilij, quod voluntarium est, sed rationem præcepti; quod ex necessitate impleri debet. *S. Leo Magnus serm. 8. de jejunio X. mensis, ad illa verba Luc. 21. Attendite autem vobis, ne forte graventur corda vestra.* Ait: *Quod PRAECEPTUM, dilectissimi, ad nos specialius pertinere cognoscimus.*

61. *P. Sebastianus Barradas in cap. 12. Luc. ad ea verba: Si sciret Pater familias*, &c. sic ait: *Quasi dicat Dominus: si Paterfamilias sciret horam, vel vigiliam, qua fur venturus esset, tunc vigilaret, ne spoliaretur. Ita vos si sciretis horam mortis, & judicij, tunc ageretis excubias: at illam ignoratis, ideo omni tempore excubare NECESSE EST.* Et jam *in Theophylacto notavi*, id verbum *Necesse* non rationem consilij, sed præcepti indicare. *Et in cap. 13. Marc. ad ea verba. Ianitori præcepit, ut vigilet.* Notat verbum PRAECEPIT, & sic disserit: Subaudi, *Sic ego in cælum abiturus vobis PRAECIPIO, ut vigiletis. Dixerat, (Vigilate, nescitis enim, quando tempus sit.) subjicit (sicut homo, qui peregrè profectus reliquit domum suam: & janitori præcepit, ut vigilet.) Quasi dicat: Vigilare vobis præcipio, cæterisque omnibus peregrè in cælum profecturus.* Et paulo post subjungit: *Cum igitur illi* (janitori) *Dominus præcepit, ut vigilaret, etiam cæteris PRAECEPIT.* Et *Card. Toletus in cap. 21. Luc. ea verba, Et vos estote parati*, appellat *mandatum* Christi.

62. Pro eodem asserto stant Sancti Patres, dum docent, omnes *debere* vigilare, & esse paratos pro hora mortis incerta. Nam hoc verbum *debere* in materia gravissima, qualis est hæc, rationem præcepti denotat. Unus sit pro multis *S. Augustinus epist. 80. ad Hesychium*; ubi inter multa alia ad hanc rem

conducentia ait: *Vigilare* DEBET *omnis Christianus, ne imparatum inveniat eũ Domini adventus.* Et *Nicolaus de Lyra in cap. 24. Math.* ait: *Quia enim tempus judicij est incertum, ideo semper* DEBEMUS *esse parati.* Et *Ioannes Mariana in cap. 24. Math. num. 43.* ait: *Docet,* DEBERE *homines in singulas horas adventum ejus expectare.* Et eodem modo loquuntur communiter Interpretes.

63. Dices secundò, Christum non loqui in illis textibus de die mortis; sed de die extremi judicij. Sed ad hoc respondet *S. Augustinus epist. 80. ad Hesychium*, in hæc verba: *In quo quemque invenerit suus novissimus dies, in hoc eum comprehendet mundi novissimus dies. Quoniam qualis in die isto quisque moritur, talis in die illo judicabitur. Ad hoc pertinet quod in Evangelio Marci 13. scriptum est. (Vigilate, quia nescitis quando dominus domûs veniat. Quod vobis dico, omnibus dico.) Quibus enim omnibus dicit Dominus, nisi electis, & dilectis suis, ad corpus ejus pertinentibus, quod est Ecclesia? Non solum ergo illis dixit, quibus tunc audientibus loquebatur; sed etiam illis, qui fuerunt post illos, ante nos, & ad nos ipsos, & qui erunt post nos usque ad ejus novissimum adventum. Numquid autem omnes inventurus est dies ille in hac vita, aut quisquam dicturus est, quod ad defunctos etiam pertineat, quod ait: (Vigilate, ne cum repentè venerit, inveniat vos dormientes.) Cur itaque omnibus dicit, quod ad eos solos pertineat, qui tunc erunt, nisi quia eo modo ad omnes pertinet, quomodo dixit? Tunc enim unicuique veniet dies ille, cum venerit ei dies, ut talis hinc exeat, qualis judicandus est illo die. Ac per hoc vigilare debet omnis Christianus; ne imparatum inveniat eum Domini adventus. Imparatum autem inveniet ille dies, quem imparatum invenerit sua vitæ hujus ultimus dies.*

ARTICULUS III.

Alijs argumentis corroboratur assertio.

SUMMARIUM

Roboratur conclusio ex parabola Virginum, quæ vocantur fatuæ, quia imparatæ. n. 64.
Homo tenetur ad reddendam securam suam salutem æternam. Et quid *inde pro conclusione?* n. 66. & seqq.
Idem probatur ex eo, quod Sancti Patres agnoscunt periculum in dilatione Pœnitentiæ. n. 69. & seqq.
Id periculum non est proximum. n. 75.
Qui moritur imparatus, dignus est vituperio. Et quid inde pro conclusione? n. 77.
Idem probatur ex consequentia, quam significant verba Evangelij. n. 78.

64. Probatur secundò, supponendo, in parabola virginum prudentum, & fatuarum (ex quibus illæ, quæ paratæ erant, intraverunt ad nuptias, & quæ imparatæ, invenerunt clausam januam) significari duplex genus hominum, ex quibus alios mors adveniens reperit paratos pro securitate salutis æternæ, alios omninò imparatos. Quinque illæ virgines dicuntur fatuæ, quia non erant paratæ ad nuptias; cum nescirent horam, qua sponsus esset venturus: sed fatui in sacra scriptura dicuntur peccantes: ergò peccaverunt illæ Virgines, quia non se paraverunt ad nuptias, cum nescirent, quâ horâ sponsus esset venturus.

65. Dices, illas Virgines vocari fatuas, quia peccatrices; non verò propter novum peccatum, quod commiserunt in hoc, quod nô se præparaverint per justificationem. Sed contra est: quia licet omnes peccatores vocentur fatui in Sacra Scriptura; at attẽto sensu parabolæ, illæ virgines vocantur fatuæ non quia peccatrices utcumque, sed quia cum

cum essent peccatrices,& ignorarent horam adventus sponsi,non curarunt de præparatione Hæc est enim fatuitas,quam reprehēdit Dominus in ea parabola;nempe,quod cum ignorent horam mortis,non sint semper parati per justificationem,ne exponantur contingentiæ damnationis æternæ.

66 Probatur tertiò. Omnis homo tenetur ad reddendam securam,quantum potest, suam salutem æternam,& tutū se constituere à qualibet contingentia damnationis æternæ:sed dum persistit in statu peccati mortalis, non reddit securam suam salutem æternam, nec se constituit tutum à contingentia damnationis æternæ:ergò dum persistit in statu peccati mortalis,peccat contra hanc obligationem.

67. Major patet Quam enim majorem obligationem imponere potest charitas erga se ipsum,quam liberare se à contingentia summi mali? Si enim qui transiturus est per nemora,ubi sunt cubilia leonum,& draconum, tenetur providere sibi arma defensiva pro securitate suæ vitæ;quantò magis debet homo providere sibi arma justitiæ pro securitate salutis æternæ?

68. Probatur minor. Homo persistens in statu peccati lethalis,ignorat,an in momento sequenti,finiet vitam;& certissimè cognôscit, quod si finit vitam in momento sequenti, infallibiliter incurret dānationem æternam:ergo homo persistens in statu peccati lethalis non se constituit tutum à contingentiâ damnationis æternæ. Quomodo enim reddit se tutum à contingentia damnationis æternæ;si re ipsa est contingens,quod damnetur in æternū;neque adhibet deligētiam necessariam,ut eam contingentiam vitet? Deindè nam ideò Christus D. monet fideles,quod sint parati,eo quod nesciunt diem,neque horam;& securam reddant suam salutem:ergo dum non sunt parati,scilicet restituendo se in statum justificationis, non reddunt omnino securam suam salutem æternam.

69. Probatur quartò. Nam Sancti Patres periculum agnoscunt in eo,quod homo ignorans diem & horam suæ mortis,differat pænitentiam,cognoscens contingētiam mortis subitæ:sed ubi est periculum,non est securitas;cum hæc duo sint correlativè opposita:ergo præfatus homo non reddit securam salutem æternam,cum ad id maximè teneatur.

70. Probatur major. *Nam S. Gregorius Nazianz. orat. 4. in S. Baptism.* sic ait : *Si hodiernum diem semper præteriens, crastinum obserres, paulatim differendo, quanto in PERICULO versaris.*

71. *S. Thomas in epist. 1. Thesalon. cap 1. ad ea verba Pauli, Cum enim dixerint. Pax & securitas, tunc repentinus eis superveniet interitus.* Sic ait: *Primo describit præsumptionem malorum; secundo PERICULUM moræ.* Et paulò inferius: *Deinde cum dicit (tunc repentinus) describit PERICULUM.*

72. *Dionysius Richelius in cap 5. Ecclesiastici ad ea verba. Non tardes converti ad Dominum.* Hæc habet: *Nam PERICULUM est in mora; cum dicat Salvator; Vigilate itaque, quia nescitis, qua hora Dominus vester venturus sit.*

73. Huc spectat *S. Anselmus epist. 1.* inquiens *Qui differt in futuram & forsitan non futuram ætatem, suam vitam corrigere; certum bonum dimittit pro dubio* Consistit enim periculum in eo , quod dimittatur certum pro dubio.

74. *P. Sebastianus Barradas tom. 3. in Evang. lib. 10. cap. 12. ad ea verba Luc. 17. Si sciret Pater familias, quâ horâ fur veniret* : in eorum explicationem ita loquitur : *Ostenditur PERICULUM, quod nobis imminet ex ignota nobis hora.*

75. Dices. Videtur absurdum dicere, quod homo, dum est in statu peccati lethalis, semper est in periculo mortis. Nam in periculo mortis potest homo absolvi à reservatis per quemlibet Sacerdotem, & potest communicare non jejunus: absurdum autem est id concedere cuilibet peccatori dum non instat mors.

76. Respondetur, non dici existere in periculo mortis absolutè, nisi qui est in periculo proximo. Cum autem dicimus, peccatorem dum persistit in statu peccati lethalis, esse in periculo damnationis æternæ non diximus esse in periculo proximo mortis: hoc enim non datur nisi quãdo datur fundamentũ probabile ad credẽdũ, mortẽ instare. In quo casu homo potest absolvi à reservatis per quemlibet Sacerdotem, & communicare non jejunus; non vero in periculo remoto. Asserimus tamen in re tanti momenti teneri peccatorem adfugiendum id periculum non proximum; & contingentia, aut dubium damnationis.

77. Probatur quintò. Ille, qui subitò moritur imparatus, & æternam damnationem incurrit, dignissimus est vituperio & reprehensione, eo quod non se præparavit tempestive reducens se ad statum justificationis. Quis neget hanc propositionem; cum Sancti Patres acritò reprehendant procrastinantes suam conversionem?) Ergo peccavit in eo, quod non se præparavit. Hæc consequentia patet; nemo enim est dignus vituperio, nisi propter actionem, vel omissionem vituperabilem. Ergò cũ materia sit adeo gravis, qua nulla gravior esse potest, peccavit lethaliter. Tum sic: ergo non solum peccavit in ipso articulo mortis, sive immediatè antecedenti ad mortem, sed etiam in momento antecedenti ad articulum mortis, sicut etiam in alio prius antecedenti; & sic de reliquis momentis, quæ præcesserunt commissionem peccati lethalis. Patet consequẽtia: ideo enim peccavit in ultimo momento ante mortem, quia in illo debuit considerare contingentiam damnationis æternæ, nesciens diẽ neque horam: sed in momento penultimo, & antepenultimo, & reliquis anterioribus eodem modo nesciebat diem, neque horam, & eodem modo erat expositus æternæ damnationi: ergo in momento penultimo, & antepenultimo & reliquis anterioribus peccavit lethaliter in eo, quod non se exhibuit paratum pro vitando periculo damnationis æternæ.

78. Confirmatur *ex S. Chrysostomo hom.* 78. qui exponens ea verba, *Si sciret pater familias, quâ horâ fur veniret*, asserit; reprehensibilem esse usque ad erubescentiam illum, qui sic non vigilat. Sic enim ait: *Hac ad erubescentiam desidiæ mihi dicta videntur: majorem enim diligentiam habent furem expectantes, quam nos salutis animæ: vigilant enim tunc, ne aliquid sibi subripiatur, nos autem quamquam certò sciamus, venturum Deum, non perseveramus, neque ita vigilamus, ut possimus non imparati ex hac vita discedere.* Et in eamdem sententiam non pauca affert. *Card. Toletus in cap. 12. Luc. annot. 69.* dicens esse *vitium hoc imprudentiæ, & stultitiæ.*

79. Probatur sextò. Consequentia est inevitabilis lumine rationis habita, (Homo nescit diem, neque horam suæ mortis; & cognoscit certitudinem damnationis æternæ, si hora mortis non inveniat paratum: ergo quamdiu ignorat horam mortis, tenetur esse esse paratus ad vitandam eam contingentiam.) ergo peccat lethaliter quamdiu non est paratus. probatur antecedens ex illis verbis Christi Domini *Ideo & vos estote parati, quia nescitis quâ hora filius hominis venturus est.* Nam illud verbum *Ideo* denotat consequentiam: & æquiva-

æquivalet huic:(Nescitis, qua hora venturus est: ergo debetis esse parati.) Item ex illis verbis: *Vigilate, quia nescitis*, &c. Nam ea dictio *Quia*. Significat consequentiam, & æquivalet huic(Nescitis diem, neque horam, ergo vigilare debetis.) Cujus rei innumera sunt exempla, etiam in moralibus. Sic enim *Luc.* 4. *ait Christus D. Aliis civitatibus oportet me evangelizare verbum Dei, quia ideo missus sum*. Illæ enim dictiones *Ideo*, & *quia* denotant consequentiam sic : (Missus sum ad evangelizandum, &c. ergo oportet me evangelizare, &c.) *Præterea Matth.* 24. ℣. 44. dicitur, *Vigilate ergo*. Hæc autem dictio *Ergo* significat consequentiam, & illationem necessariam unius ex alio.

ARTICULUS IV.

Occurritur objectionibus.

SVMMARIVM.

Benè componuntur, quod peccator teneatur statim elicere contritionem, & quod possit posteà accedere ad Sacramentum Pœnitentiæ cum sola attritione. n. 80.

Secunda objectio retorquetur in suum Authorem. n. 82.

Quomodo Baptismus & pœnitentia ordinentur ad remissionem peccatorum. n. 83.

Etiam si Ecclesia intenderet, quod adulti accederent ad Baptismum justificati, adhuc Baptismus ordinaretur ad remissionem peccatorum n. 84.

Ecclesia non intendit, quod adulti accedant ad Baptismum justificati. n. 85.

Obligatio peccatoris eliciendi statim actum contritionis non oritur ex virtute Pœnitentiæ. n. 87. *Et qua ratione sit præceptum negativum.* Ibi.

80. OBjicies primò ex *Lug. Card. disp.* 7. *de Pœnit. sect.* 11. *n.* 201. Si hæc conclusio vera esset, non posset excusari à novo peccato, qui accederet ad Sacramentum Pœnitentiæ, aut Baptismi cum sola attritione cognita: atqui jam certum est apud ferè omnes Authores, non esse peccatum accedere cum sola attritione cognita: ergo statuta conclusio vera non est. Major probatur. Nam juxtà hanc conclusionem, homo tenetur elicere contritionem statim, ac labitur in peccatum mortale: ergo jam non accedet cum sola attritione cognita.

81. Respondeo, negando majorem. Nam qui labitur in mortale, poterit statim elicere contritionem charitate formatam; & post multos dies accedere ad Sacramentum cum sola attritione cognita, sine novo peccato; supponimus enim, contritionem habitam ante plurimos dies independenter à Sacramento pœnitentiæ non esse partem ejus Sacramenti. Præterea, qui cum inadvertentia invincibili obligationis constituendi se statim in statu justificationis, si accedat ad Sacramentum cum attritione cognita, justificatur.

82. Objicies secundò *ex eodem ibid. num.* 202. Si statuta conclusio vera esset, sequeretur, ex intentione Ecclesiæ baptismum non fuisse olim collatum ad remissionem peccatorum, sed ad alios fines; quod est absurdum. Sequela probatur. Nam Ecclesia prohibito olim, ne adulti baptizarentur extra casum urgentis necessitatis, nisi in vigilia Paschæ, vel Pentecostes, ut ex Conciliis, & decretis Pontificum probat *P. Vazquez tom.* 2. *in* 3. *part. disp.* 150. *cap.* 3. Volebat enim Ecclesia, quod Cathecumeni toto tempore quadragesimæ optimè instruerentur: ergò juxta hanc conclusionem, intendebat, quod baptizarentur jam justificati; cum tenerentur statim ad habendam contritionem perfectam pro vitanda contingentia damnationis æternæ. Ergò baptismus ex intentione Ecclesiæ non

non conferebatur ad remissionem peccatorum. Quomodo ergo Sancti Patres universaliter docent, baptismum conferri, ut homines à suis sceleribus lavarentur?

83. Respondeo primo, idem argumentum fieri posse juxta communem sententiam asserentium, tehnicum, qui convertitur ad fidem, teneri statim diligere Deum super omnia, per quem actum justificatur: ergo cum Ecclesia differt Baptismum illius ad vigiliam Paschæ, ex intentione Ecclesiæ non confertur Baptismus ad remissionem peccatorum, sed ad alios fines.

84. Respondeo secundò, negando sequelam. Nam Baptismus, sicut & Pœnitentiæ Sacramentum, per se ordinantur ad remissionem peccatorum: quod si antecedenter sint remissa, virtute actus dilectionis Dei super omnia; ad huc dicitur cum veritate, quod baptismus ille ordinatur ad remissionē peccatorum. Nam per illum actum charitatis remittuntur peccata dependenter á Baptismo: neq; enim erit verus actus charitatis, & consequenter non dabitur remissio peccatorum, nisi sit cum intentione suscipiendi Sacramentum ordinatum ad remissionem peccatorum.

85. Quando ergo Ecclesia per dilationem baptismi intenderet, quod adulti pergerent ad Baptismum antecedenter justificati; non propterea verificaretur quod intenderet Ecclesia, non conferri Baptismum in ordine ad remissionem peccatorum; cum ipsa justificatio facta per actum charitatis sit dependens à Baptismo, modo dicto. Et ideò si Ecclesia intenderet, quod pergerent ad Baptismum jam antecedenter justificati, & liberi à reatu culpæ, etiam intenderet recipi Baptismum in ordine ad remissionem peccatorum adquisitam per actum charitatis.

86. Sed quamvis Ecclesia differat baptismum ad vigiliam Paschæ, non est concedendum, quod Ecclesia intendit, quod pergant adulti ad Baptismum antecedenter justificati, sicut neque etiam intendit oppositum, nam intentio Ecclesiæ abstrahit ab utroque. Nam per hanc dilationem solum intendit Ecclesia, quod adulti pergant ad Baptismum optime instructi circa mysteria Fidei.

87. Objicies tertio *ex eod. ibid. num. 203.* Præceptum Pœnitentiæ non est negativum, sed affirmativum: differt autem unum ab alio in eo, quod negativum obligat semper & pro semper, affirmativum autem solum obligat in circumstantiis determinatis: ergo præceptum pœnitentiæ nos obligat semper; atque adeò non obligat statim.

88. Respondetur, constare ex supradictis non oriri hanc obligationem ex præcepto pœnitentiæ, sed ex præcepto non exponendi illi contingentiæ salutem æternam. Quod quidem preceptum negativum est. Ideò Christus D. in Evangelio vult, semper nos esse paratos, pro hora mortis ignorata; ne salus æterna exponatur contingentiæ amissionis illius. Et ita *S. Ambros. verbis relatis art. 2.* ait: *Vigilare nos voluit, per omnia spectantes momenta D. Salvatoris adventum.* Et *S. Hieronymus ibid. relatus* ait: *Jubetur nobis, ut preparati simus ambulare cum Domino Deo nostro, nulla hora dormire, nullo tempore securi esse debemus, sed semper expectare*, &c. Sed dato, quod præceptum sit affirmativum, dicendum est, non obligare semper & pro semper, sed solum pro eo tempore, quo quis lapsus est in peccatum lethale. Neque enim peculiare est huic præcepto, quamvis sit affirmativum, obligare statim: sunt enim multa præceptà affirmativa, quæ obligant statim. Sic enim si innocens impetitur ut occidatur, teneor, si possum, statim succurrere; sicut si proximus

versatur

versatur in extrema necessitate alimenti, debeo statim opitulari, antequam crescat ea necessitas.

DISSERTATIO VIII.

Vtrum comedere, & bibere, & vacare copulæ conjugali propter solam voluptatem, sit omninò licitum.

CAPUT I.

Quid dicendum sit circa primam partem quæstionis de cibo & potu?

1. OCtava propositio ex damnatis hæc est: *Comedere & bibere usque ad satietatem ob solam voluptatem, non est peccatum, modò non obsit valetudini, quia licitè potest appetitus naturalis suis actibus frui.*

ARTICULUS I.

Quibus Authoribus attribuant aliqui propositionem damnatam?

NON EGET SUMMARIO.

2. Fílguera *in sua Lucerna* in explicatione hujus octavæ propositionis reum facit hujus propositionis P. Matthæum de Moya to. 1 Select. tract. tra&c. 6. disp. 2. q. 3. affeitque P. Moyam afferre pro sua sententia (inter alios) Lugo Cardinalem & Antoniū de Escobar, quasi ipsis etiam attribuenda sit præfata propositio. Sed neutrum invenio citatum in eo loco à P. Moya.

3. Et quod ad hunc spectat, optandum esset, ut referret verba ejus Authoris, ut Lectores cognoscerent, an eadem sit doctrina P. Matthæi de Moya cum propositione damnata. Ego enim in assertione hujus Doctoris invenio verba contraria verbis propositionis damnatæ. Ecce verba conclusionis, quam statuit num. 5. *Licitum esse delectationem moderatam gustus, (sicut & olfactus & auditus) directè intendere; & propter illam captandam comedere & bibere, docent non pauci, nec infima nota Doctores, quorum sententia probabilis mihi est.*

4. In quibus verbis tria notanda veniunt. Primum quod P. Moya dixit, *delectationem moderatam gustus*, propositio autem damnata dicit, *usque ad satietatem*, quæ dictio denotat sumptionem immoderatam cibi. Secundum, quod P. Moya ibid. num. 9. hæc superaddit: *An verò comedere absque necessitate pertineat ad vitium gulæ? Negat Ioannes Major, & Ioannes Sanchez ubi supra. Sed contraria sententia est tenenda, utpotè expressa D. Augustini tom. 10. serm. 4. in die animarum ubi sic ait: Quoties aliquis in cibo & potu plus accipit, quam necesse est, ad minuta peccata pertinere noverit.* Tertium. Nam propositio damnata dicit, *ob solam voluptatem*: & P. Moya non dicat, *ob solam*. Hinc oritur quæstio, art. seq. decidenda.

ARTICULUS II.

An subjaceat huic damnationi hæc propositio, (licitum est, comedere propter voluptatem cibum necessarium ad sustentationem vitæ?

SUMMARIUM.

Idem est, quod percipiatur delectatio moderata gustus, & quod assumatur cum delectatione cibus moderatus n. 5.

Ea propositio non subjacet damnationi, utpote non æquivalens damnatæ n. 6.

Non sunt aquivalentes illa, qua afferunt terminos inter se repugnantes. n. 7.

Propositio, de qua loquimur, non infert damnatam. n. 8.

Qui comedit moderatè, comedit propter sustentationem, non propter solam voluptatem. n. 9.

Sustentatio vita est finis ultimus, & voluptas finis non ultimus. n. 10.

Ea particula propter, *non solùm applicatur fini ultimo, sed etiam fini non ultimo.* n. 11.

Illa particula Propter solam voluptatem *significat finem ultimum, non sic illa* propter voluptatem. n. 12.

Per propositionem damnatam non reprobantur actus indifferent in individuo. n. 15.

Vera sententia est, teneri nos ad non eliciendum actus indifferentes in individuo, sed revera dantur tales actus. n. 16. *Et hac sententia non subjacet damnationi.* n. 17.

Ultima quaestionis decisio. n. 18.

5. PRopositio in fronte articuli præfixa est ipsamet, quam docet *P. Moya*, ut constat ex proximè dictis, & quam accusat *Filguera*. Nam pro eodem habetur, quod percipiatur delectatio moderata, & quod assumatur cum delectatione cibus moderatus; & etiam quod assumatur cibus necessarius ad sustentationem, cum ea delectatione, quam cibus moderatus, vel necess rius secum affert. Oportet autem quæstionem hanc præmittere ad majorem intelligentiam propositionis damnatæ.

6. Dicendumque est, eam propositionem minimè subjacere ei damnationi. Probatur primò ex proximè dictis *art. praced.* Non enim continetur sub damnatione propositio, quæ neque æquivalet propositioni damnatæ, neque infert illam: sic se habet propositio, de qua agimus: ergò hæc non continetur sub ea damnatione. Major & consequentia patent.

7. Minor probatur primò quoad primam partem. Non enim possunt esse æquipollentes propositiones, quando una plus affirmat, quàm alia: atqui propositio damnata affirmat licitum *comedere usque ad satietatem, & propter solam voluptatem*; & propositio, quæ in hoc articulo examinatur, neque affert satietatem, neque solam voluptatem; atque adeò una plus affirmat, quam alia: ergò esse non possunt æquipollentes. Secundò. Quia non possunt sibi invitem æquipollere, quæ afferunt terminos repugnantes inter se: atqui istæ duæ sic se habent; nam propositio damnata dicit, *usque ad satietatem*; & altera dicit, *cibum moderatum, vel necessarium ad sustentationem.* Qui autem termini possunt esse magis repugnantes inter se, quàm *comedere usque ad satietatem*, atque *comedere cibum moderatum, aut necessarium ad sustentationem*? Ergò.

8. Secunda pars Minoris etiam manifestè ostenditur. Quis enim dicat, hanc esse bonam consequentiam? *Licet comedere ob voluptatem cibos moderatos, aut necessarios ad sustentationem: ergò licet comedere usque ad satietatem propter solam voluptatē.* Nam quod liceat comedere cibos necessarios, nullam habet connexionem cum eo, quod liceat comedere ultrà necessarios, & usque ad satietatem.

9 Probatur secundò eadem Minor. Est enim moraliter impossibile, quod quis comedat cibum necessarium ad sustentationem, sine eo quod principaliter intendat, saltem virtualiter, eam sustentationem

nem. Quod si voluptas, aut sapor cibi eum alliciat, non propterea habet voluptatem pro fine præcipuo, sed solùm pro fine subordinato ei fini sustentationis, vel potius pro medio ad finem sustentationis consequendum. Quod inde constat: nam magis principaliter movetur homo à necessitate, quàm à voluptate, si utraque concurrat in eodem objecto, quod appetitur: ergò qui sumit cibum necessarium ad sustentationem vitæ, magis principaliter movetur à necessitate, & minus principaliter à voluptate.

10. Pro cujus claritate notandum est primò, alium esse finem ultimum, & alium finem non ultimum. Finis ultimus est, qui non subordinatur alteri fini. v.g. in genere conservationis vitæ mortalis, finis ultimus est sustentatio vitæ. Finis non non ultimus (quia etiam dicitur finis subordinatus) est, qui subordinatur alteri fini. Et quidem finis non ultimus respectu unius est finis; & respectu alterius est medium. v. g. comestio cibi est medium in ordine ad sustentationem vitæ, & finis respectu voluptatis, quæ ordinatur ad excitandum appetitum comestionis. Deinde voluptas cibi est finis non ultimus in hoc genere: quia est medium ad excitandum comestionis appetitum, & est finis respectu condimenti pro sapore adhibito. Sic enim qui ægro laborat palato, ideoque habet fastidium cibi, assumit tamquam medium ad voluptatem cibi capiendam, condimentum sapidum. Et ita condimentum cibi est medium ad voluptatem cibi capiendam: & voluptas cibi est finis respectu condimenti, & medium in ordine ad excitandum appetitum comestionis.

11. Notandum est secundò eam præpositionem. *Propter*, quæ significat finem intentum, non solùm applicari fini ultimo, sed etiam fini non ultimo. Sic enim justus exercet patientiam propter meritum; & conatur habere meritum propter augmentum gratiæ, & conatur ad augmentum gratiæ propter assecurandam æternam beatitudinem. Ubi vides, fines subordinatos & non ultimos explicari per præpositionem *Propter*.

12. Hinc constat, quantum intersit discriminis inter eum terminum *propter voluptatem*, & illum *propter solam voluptatem*. Nam per illam dictionem *solam*, explicatur finis non subordinatus, sive ultimus in suo genere. Cum autem dicitur *propter voluptatem*, non explicatur finis ultimus in suo genere, neque finis non subordinatus, sed potest intelligi finis subordinatus, & non ultimus. Et ita potest quis licitè comedere propter voluptatem taliter, quod ordinet voluptatem ad comestionem (qui est ordo à natura institutus) & comestionem ad sustentationem vitæ.

13. Quare non est audiendus *Filguera* hic §. *Et non solùm*, dum sic differit: *Non solùm in hoc sensu venit propulsanda propositio damnata, in quo eam attigisse* Joannem Sanchez, *mihi indubitatum est, sed etiam in alio magis speciali, in quo eam expressiùs propugnant alii Authores jam citati* (P. Moya, & alii, quos ipse citat,) *qui dicunt esse licitum, delectationem moderatam gustus, sicut & olfactus, & auditus, directè intendere, & propter illam captandam comedere, & bibere.*

14. Etenim cùm illi Authores non dicant, licitum esse comedere, & bibere propter illam solam voluptatem, sed solùm

dicant *propter voluptatem*, relinquitur locus ad hoc, ut illa intendatur tamquam non ultimus, sive subordinatus alteri fini, ita ut voluptas capiatur propter finem sustentationis vitæ. Neque obstat ille terminus *directè intendere*. Nam finis subordinatus alteri fini directè intenditur ex intentione alterius finis; sicut etiam medium directè eligitur, & ordinatur ad finem.

15. Sed neque audiendus est idem Filguera, dum §. *Secundum verò*, reprobare videtur opinionem docentem, esse aliquos actus indifferentes in individuo; quasi sit antecedens, unde inferatur propositio damnata. Sed melius *Lumbier tom. 3. sum. num. 1799. pag 1124.* defendit, opinionem oppositam docentem, esse actus indifferentes in individuo, non pati præjudicium ex damnatione hujus octavæ propositionis.

16. Ego quidem censeo, per se loquendo, hominem teneri ad eliciendum omnes suos actus propter finem honestum, ita ut non eliciat actus indifferentes in individuo; per accidens tamen ratione ignorantiæ, aut inadvertentiæ invincibilis re ipsa dari multos actus indifferentes in individuo. Imò major pars hominũ ita operatur per hujusmodi actus; quia major pars hominum ignorat invincibiliter eam obligationem apponendi omnibus suis actionibus finem honestum. Et hanc existimo esse mentem S. Thomæ.

17. Sed opinionem, quæ affirmat, per se licitum esse, elicere actus indifferentes in individuo, non manere reprobatam ex damnatione hujus octavæ propositionis, mihi certum est. Quia hæc opinio non est antecedens, unde inferatur propositio damnata. Non enim valet hæc consequentia: [Aliqui actus sunt indifferentes in individuo, quos licitum est elicere: ergò licitum est comedere ob solam voluptatem.] Nam à particulari ad singularem est pessima consequentia. Stat enim optimè, quod possint licitè fieri actus indifferentes in individuo: & quod comedere propter solam voluptatem non sit indifferens, sed illicitum, quia pervertitur finis à natura intentus.

18. Hinc clarè colligitur, quomodo hæc propositio, *Comedere propter voluptatem cibum moderatum, vel necessarium ad vitam, non est peccatum*, non infert propositionem damnatam: quia optimè stat primum sine secundo. Tum propter proximè dicta, quia finis voluptatis subordinatur fini necessitatis: tum quia ex eo, quod quis comedat propter voluptatem cibum moderatum, aut necessarium, non sequitur quod comedat *usque ad satietatem*, & *propter solam voluptatem*, qui sunt termini contenti in propositione damnata.

ARTICULUS III.

Quæ sit ratio formalis motiva hujus damnationis.

SUMMARIUM.

Duplex ratio formalis motiva distingui debet in his damnationibus, intrinseca, & extrinseca, & quæ utraque sit? nu. 19.

Tria sunt in hac damnatione, quæ constituere videntur motivum intrinsecum, num. 20. *Et de iis simul sumptis non est dubium.* n. 21.

Imo

Imo & de duobus simul sumptis, n.22.
Quot quæstiones disputandæ sint? n.23.
Quid veniat nomine satietatis, n.24.
Damnatur propositio propter eum terminum (usque ad satietatem,) n.25.
Sancti Patres Gregorius Augustinus, Isidorus, & Thomas suffragantur conclusioni, & constituunt motivum extrinsecum, n.26.
Quomodo comestio usque ad satietatem opponatur rectæ rationi, & quale peccatum sit? n.27.
Damnatur etiam propositio, quatenus exprimit eum terminum (propter solam voluptatem,) n.29.
Suffragantur quatuor Sancti Patres relati, n 39.
Sufficiens motivum est ad damnationem is terminus (Propter solam voluptatem) n.21.
Quomodo omnia delectabilia ordinanda sint ad aliquam hujus vitæ necessitatem? n.32.
Quomodo delectabilitas cibi ordinanda sit ad sustentationem vitæ? n.33.
Hac necessitas sustentationis non est scrupulosè accipienda, n.34.
Quid inde inferat Cajetanus? n.35.
Solvitur objectio, n.37.
Hæc propositio: (Nullum est peccatum audire musicam propter solam delectationem,) *non formaliter, sed virtualiter damnatur in hoc decreto*, n.38.
Quodnam discrimen intercedat inter hos terminos, (*Frui*) & (*uti*) n. 40.
An ea propositio sit universalis, n.40.
Illa propositio: (*licite potest appetitus naturalis suis actibus frui*,) *in sensu universali damnata manet*, n.41.

19. Duplex potest esse ratio formalis motiva in his, & similibus damnationibus, intrinseca, & extrinseca. Intrinseca est, ratio, quæ desumitur ab ipsis prædicatis intrinsecis objecti. V g. damnatur ea propositio 30. *Permissum est furari non solum in extrema, sed etiam in gravi necessitate*. Et ratio formalis motiva intrinseca est quæ desumitur à prædicatis intrinsecis furti, & malitiæ ejus, quam nulla necessitas excusat, ut suo loco dicam. Ratio formalis motiva extrinseca dici potest, in his damnationibus, autoritas Sanctorum Patrum, quæ præcipuè in materia morum haberi debet pro regula morum, quando inter ipsos Sanctos Patres non est diversitas opinionum. Ideo in materia morum sententia S Augustini aut S. Gregorii, aut S. Ambrosii, &c. cui nullus Patrum refragatur, est sufficiens motivum, ut opposita opinio proscribatur.

20. Deveniendo ergo ad motivum intrinsecum hujus damnationis, tria verba sunt in propositione damnata, de quibus potest dubitari, an sint motivum intrinsecum, propter quod damnatur propositio: Primum *usque ad satietatem*; Secundum, *Ob solam voluptatem*; Tertium; *Licitè potest appetitus naturalis suis actibus frui*. Deinde dubitatur, an quodlibet seorsim ex his tribus sit sufficiens motivum hujus damnationis.

21. Et quidem hæc tria saltem simul sumpta esse motivum formale damnationis, per se patet: id enim est, quod habet ea propositio exorbitans à communi sententia. Et si hæc tria simul excludantur à propositione, ea manet innoxia. Manet enim sic: (Comedere, & bibere non est peccatum, modò non obstet valetudini; nec fiat usque ad

dicant *propter voluptatem*, relinquitur locus ad hoc, ut illa intendatur tamquam non ultimus, sive subordinatus alteri fini, ita ut voluptas capiatur propter finem sustentationis vitæ. Neque obstat ille terminus *directè intendere*. Nam finis subordinatus alteri fini directè intenditur ex intentione alterius finis; sicut etiam medium directè eligitur, & ordinatur ad finem.

15. Sed neque audiendus est idem Filguera, dum §. *Secundum verò*, reprobare videtur opinionem docentem, esse aliquos actus indifferentes in individuo; quasi sit antecedens, unde inferatur propositio damnata. Sed melius *Lumbier tom. 3. sum. num. 1799. pag. 1124.* defendit, opinionem oppositam docentem, esse actus indifferentes in individuo, non pati præjudicium ex damnatione hujus octavæ propositionis.

16. Ego quidem censeo, per se loquendo, hominem teneri ad eliciendum omnes suos actus propter finem honestum, ita ut non eliciat actus indifferentes in individuo; per accidens tamen ratione ignorantiæ, aut inadvertentiæ invincibilis re ipsa dari multos actus indifferentes in individuo. Imò major pars hominũ ita operatur per hujusmodi actus; quia major pars hominum ignorat invincibiliter eam obligationem apponendi omnibus suis actionibus finem honestum. Et hanc existimo esse mentem S. Thomæ.

17. Sed opinionem, quæ affirmat, per se licitum esse, elicere actus indifferentes in individuo, non manere reprobatam ex damnatione hujus octavæ propositionis, mihi certum est. Quia hæc opinio non est antecedens, unde inferatur propositio damnata. Non enim valet hæc consequentia: [Aliqui actus sunt indifferentes in individuo, quos licitum est elicere: ergò licitum est comedere ob solam voluptatem.] Nam à particulari ad singularem est pessima consequentia. Stat enim optimè, quod possint licitè fieri actus indifferentes in individuo: & quod comedere propter solam voluptatem non sit indifferens, sed illicitum, quia pervertitur finis à natura intentus.

18. Hinc clarè colligitur, quomodo hæc propositio, *Comedere propter voluptatem cibum moderatum, vel necessarium ad vitam, non est peccatum*, non infert propositionem damnatam: quia optimè stat primum sine secundo. Tum propter proximè dicta, quia finis voluptatis subordinatur fini necessitatis: tum quia ex eo, quod quis comedat propter voluptatem cibum moderatum, aut necessarium, non sequitur quod comedat *usque ad satietatem, & propter solam voluptatem*, qui sunt termini contenti in propositione damnata.

ARTICULUS III.

Quæ sit ratio formalis motiva hujus damnationis.

SUMMARIUM.

Duplex ratio formalis motiva distingui debet in his damnationibus, intrinseca, & extrinseca, & quæ utraque sit? nu. 19.
Tria sunt in hac damnatione, quæ constituere videntur motivum intrinsecum, num. 20. *Et de iis simul sumptis non est dubium.* n. 21.

Imo

19. Duplex potest esse ratio formalis motiva in his, & similibus damnationibus, intrinseca, & extrinseca. Intrinseca est, ratio, quæ desumitur ab ipsis prædicatis intrinsecis objecti. V g. damnatur ea propositio 30. *Permissum est furari non solum in extrema, sed etiam in gravi necessitate.* Et ratio formalis motiva intrinseca est quæ desumitur à prædicatis intrinsecis furti, & malitiæ ejus, quam nulla necessitas excusat, ut suo loco dicam. Ratio formalis motiva extrinseca dici potest, in his damnationibus, autoritas Sanctorum Patrum, quæ præcipuè in materia morum haberi debet pro regula morum, quando inter ipsos Sanctos Patres non est diversitas opinionum. Ideo in materia morum sententia S Augustini, aut S. Gregorii, aut S. Ambrosii, &c. cui nullus Patrum refragatur, est sufficiens motivum, ut opposita opinio proscribatur.

20. Deveniendo ergo ad motivum intrinsecum hujus damnationis, tria verba sunt in propositione damnata, de quibus potest dubitari, an sint motivum intrinsecum, propter quod damnatur propositio: Primum *usque ad satietatem*; Secundum, *Ob solam voluptatem*; Tertium; *Licitè potest appetitus naturalis suis actibus frui.* Deinde dubitatur, an quodlibet seorsim ex his tribus sit sufficiens motivum hujus damnationis.

21. Et quidem hæc tria saltem simul sumpta esse motivum formale damnationis, per se patet: id enim est, quod habet ea propositio exorbitans à communi sententia. Et si hæc tria simul excludantur à propositione, ea manet innoxia. Manet enim sic: (Comedere, & bibere non est peccatum, modò non obstet valetudini; nec fiat usque

ad satietatem, nec ob solam voluptatem; neque dicatur, quod licitè potest appetitus naturalis suis actibus frui.] Sic enim nihil habet propositio damnatione dignum.

22. Deinde eos duos terminos. *Usque ad satietatem, & Ob solam voluptatẽ*, simul sumptos, esse sufficiens motivum formale damnationis, satis clarè constat. Nam propositio damnata habet duas partes. In prima ponitur conclusio, quæ continet eos duos terminos: in secunda ponitur ratio conclusionis. Cum ergò constet, conclusionem manere damnatam; & exclusis iis duobus terminis, conclusionem nihil habere dignum damnatione, fatendum est, eos duos terminos saltem simul sumptos, esse motivum intrinsecum damnationis, sive esse rationem formalẽ, propter quam ipsa propositio damnetur.

23. Restat ergo inquirere, an singuli seorsim ex his tribus terminis sint sufficiens motivum damnationis? Unde tres quæstiones resolvam. Prima. An damnata maneat hæc propositio, *Comedere & bibere usque ad satietatem non est peccatum, modò non obsit valetudini.* Secunda. An hæc propositio, *Comedere & bibere propter solam voluptatem, non est peccatum, modò non obstet valetudini*, maneat damnata? Tertia. An hæc propositio, *Licitè potest appetitus naturalis suis actibus frui*, damnata maneat?

QUÆSTIO I.

Quid de propositione, quatenus ponit cibum immoderatum?

24. AD primam quæstionẽ, duplici modo potest intelligi terminus *Satietas*. Primò, ita ut idem sit, ac satisfacere fami. Secundò pro comestione cibi immoderati, ita ut sit comestio majoris quantitatis cibi, quàm necessarium est ad vitæ sustentationem. Et in hoc secundo sensu sumitur in præsenti.

25. Decendum ergo est, hoc genus satietatis, sive immoderati cibi manducationem esse per se motivum hujus damnationis. In qua conclusione duo continentur: & quod de facto damnata sit propositio propter sumptionem cibi usque ad satietatem, sive propter sumptionem cibi immoderati; & quod jure merito damnetur propter hoc. Prima pars conclusionis inde constat: quòd de facto damnetur propositio propter sumptionem cibi immoderati, & propter solam voluptatem scilicet propter utrumque simul: ut constat ex supradictis n 22. §. *Deinde*; atqui quando sumitur cibus immoderatus, id quod sumitur superfluum, non sumitur propter necessitatem, sed propter solam voluptatem: ergò de facto damnatur propter sumptionem cibi immoderati; ergò hæc propositio, *Comedere usq; ad satietatem, non est peccatum, modò*, &c. re ipsa damnatur in præsenti.

26. Quod autem propositio meritò damnatur, propterea quod asserit, nullum esse peccatum comedere usque ad satietatẽ, sive immoderatè; probatur ex *D. Augustino* citato supra *art. 1. fin. & ex D. Gregorio lib. 30. Moral. c. 17.* ubi hæc verba habet: *Quinque modis nos gula vitium tentat: aliquando namque indigentia tempora pravenit; aliquando lautiores cibos quarit, aliquãdo, qua sumenda sunt, accuratius praparari appetit; aliquando in ipsa QUANTITATE sumendi MENSURAM refectionis, aliquando in ipso astu immensi desiderii aliquis peccat.*

Quos

Quos quinque modos *S. Thomas 2.2.q.148. art.4.* conclusit hoc versu: *Præproperè, lautè, NIMIS, ardenter, studiosè.* Quorum explicationem vide apud *P. Lessium lib. 4. de Virtut. Cardin c.3. dubit.1.num. 2.* Ergò ex sententia S. *Gregorii* peccatum gulæ committitur, *Cùm in ipsa quantitate sumendi, mensura refectionis exceditur.* Et ex sententia S. Thomæ peccatum gulæ committitur, cum quis *NIMIS* comedit. Et S. Isidorus relatus à S. Thoma ubi suprà affirmat, peccare gulosum, dum excedit in cibo *secundùm quantum.* Et ex his constat, authoritatem SS. *Patrum Augustini, Gregorii, Isidori, & Thomæ*, esse sufficiens motivum extrinsecum ad hanc damnationem.

27. Principium autem intrinsecum, sive ratio formalis intrinseca motiva hujus damnationis est, quam insinuat S. Thom. cit. nempe, gulam esse *inordinatam concupiscentiam edendi*, quam dicit haberi, dum *nimis* comeditur. Consistit autem inordinatio in eo, quod cùm alimentum institutum sit à natura ad conservandam vitam, id, quod superfluum est respectu conservationis vitæ, deviat à recta ratione; & ideo peccatum est, saltem veniale.

QUÆSTIO II.

Quid de propositione, quatenus ponit comestionem propter solam voluptatem?

28. QUærimus in præsenti, an propositio damnata maneat, si duntaxat asserat, *licitum esse comedere, & bibere propter solam voluptatem, dummodo non obsit valetudini*; reliquis omissis, quæ in propositione damnata continentur.

29. Dicendum est primò: sic propositam manere damnatam. Nam eo ipso quod comeditur propter solam voluptatem, comeditur aliquid superfluum, & minime necessarium, neque utile ad sustentationem; quandò enim comeditur id, quod est præcisè necessarium, aut utile ad sustentationem, saltem virtualiter assumitur, non propter solam voluptatem, sed etiam propter sustentationem vitæ. Atqui suprà dictū est nu 22. §. *Deinde*, propositionem damnari, cum illa conjungit eos duos terminos, *cibi immoderati*, & *propter solam voluptatem*: ergò propositio sic disposita manet subjecta huic damnationi.

30. Hinc patet, Sanctos Patres suprà memoratos in quæstione præcedenti, *Augustinum, Gregorium, Isidorum, & Thomā*, qui dixerunt, esse peccatum, dum exceditur in quantitate cibi, eodem modo allegandos esse pro hac assertione, qua dicimus, esse peccatum comedere propter solam voluptatem; nam in hoc continetur excessus in quantitate cibi.

31. Dicendum est secundò, sufficiens motivum esse ad damnandam propositionem, cum terminum *propter solam voluptatem.* Ratio est quam tradit *S. Thomas 2.2. q.141. art 6.* Etenim finis & ordo à natura institutus in cōmestione, est quod comestio fiat propter sustentationem vitæ; unde fit, quod qui comedit, non propter sustentationem vitæ, sed *propter solam voluptatem*, pervertit finem, & ordinem naturæ.

32. Eodem respicit principium universalius, quod assumit S. Thomas loco citato, scilicèt regulam temperantiæ sumendam esse secundùm necessitatem vitæ. Et cùm virtutes morales consistant in ordine rationis; ordo autē rationis stat in eo, quod ali-

qua

musicam propter solam delectationem; non manere damnatam formaliter, sed damnari virtualiter. Et quidem damnatur formaliter propositio, cum expressis terminis cōdemnatur, vel cōtinetur formaliter in propositione damnata tamquam particularis, vel singularis in universali. Damnatur virtualiter, cum ex damnatione unius propositionis infertur evidenter reprobatio alterius: quo pacto propositio dicitur antiquata. Hanc propositionem non damnari formaliter & expressè, ex diversitate propositionis octavæ damnatæ constat, quæ non includit formaliter hanc, de qua modò agimus. Videtur tamen damnari virtualiter; nam, ut dicam in quæst. seq. damnata manet ea propositio universalis, *Licitè potest appetitus naturalis suis actibus frui*, id est, (Illos elicere propter solam voluptatem.) Ex cujus damnatione infertur, reprobatione dignam esse eam, quæ docet nullum esse peccatum frui musicâ, sive illam audire propter solam voluptatem.

QUÆSTIO III.

An damnetur ea propositio, quod licitè possit appetitus naturalis suis actibus frui; & in quo sensu?

39. PRæmitto primò discrimē, quod intercedit inter hæc duo verba, *Frui*, & *Uti*. Dicimur enim *frui*, respectu finis intēti, quē consequimur; dicimur autē *uti*, respectu medii, quod adhibemus ad finem consequendum. *Et ita Seneca lib. de vita beata cap.* 10. agens cum quodam Epicuri discipulo ait: *Tu voluptate frueris, ego utor.* Id est, tu intendis voluptatem tamquam finem, ego autem voluptatem eligo tamquā medium ad consequendum aliquem finem honestum. Hinc fit, eam propositionem, *Licitè potest appetitus naturalis suis actibus frui*, accipiendam esse in hoc sensu, nempè (Licitè potest appetitus naturalis gaudere de delectatione procedente ex suis actibus tamquam de fine obtento.)

40. Præmitto secundò, hanc propositionem, *Licitè potest appetitus naturalis suis actibus frui*, esse propositionem universalē. Patet. Nam propositio damnata assumit eam rationem tamquam illativam alterius propositionis, *Licitum est comedere usque ad satietatem propter solam voluptatem.* Si autem ea prima propositio esset particularis, esset evidenter inepta ad inferendam hanc secundam. Nam ex particulari affirmata non infertur singularis; & ita malè infertur: *Aliquis homo est albus, ergo Petrus est albus.* Sic similiter hæc est inepta illatio: *Aliquis appetitus naturalis potest de suis actibus delectari: ergo appetitus comestionis potest de suo actu accipere pro fine delectationem.* Ex eâ autem propositione universali: *Omnis appetitus naturalis licitè potest in suis actibus delectari sistendo in delectatione eorū;* (sic enim intelligitur verbum *Frui*, ut suprà diximus) rectè colligitur hæc consequentia: *Ergo appetitus comestionis licitè potest in suo actu delectari propter solam delectationem, sive* (quod idem est) *sistendo in sola delectatione.*

41. Dicendum ergò est, eam propositionem sic explicatam, & sumptam in suo sensu universali, ut sumitur in ipsa propositione octava, manere damnatam. Et quidem si talis propositio non exprimeretur in ipsa damnatione propositionis octavæ, ea maneret reprobata, seu antiquata. Nam in legiti-

gitima argumentatione sicut falsum non potest inferri ex vero, nam ut clamant Dialectici, *Ex vero non nisi verum*, ita reprobato consequenti non potest non esse reprobatum antecedens. Nam si antecedens est verum, & consequenter non reprobatum, necessariò consequens debet esse verũ, atq; adeo non reprobatum; & si consequens est falsum, & reprobatione dignũ, antecedens debet esse falsum, & reprobatione dignum. Cũ ergo ea propositio universalis sit antecedens, unde legitimè infertur, quod licèt comedere propter solam voluptatem sit, quod reprobato hoc consequenti, reprobata maneat ea propositio universalis.

42 Supposito ergo, quod talis propositio universalis maneret reprobata, etiamsi non exprimeretur in ipsa damnatione, eò quod sit antecedens, unde infertur ea prima pars propositionis, quæ damnatur; cum re ipsa exprimatur in propositione damnata, tamquam antecedens inferens primam partem propositionis damnatam; dicendum necessariò est, eam quoque propositionem universalem simul damnari.

CAPUT II.

Discutitur secunda pars quæstionis de copula conjugali ob solam voluptatem habita.

ARTICULUS I.

Refertur propositio damnata; & præmittuntur aliqua.

SUMMARIUM.

Septuplex finis, propter quem potest de facto haberi copula conjugalis, n.44.

Quomodo bonum prolis sit finis primarius matrimonii, quà contractus, & quà Sacramentum est: n.45.

Licitum est uti copulâ conjugali propter finem primarium, & propter fidem Matrimonii, n.46.

An peccet venialiter, qui utitur copulâ conjugali solum propter significationem unionis Christi cum Ecclesia, n.47.

An liceat vacare copula conjugali solum propter finem vitandi incontinentiam? n.48.

Et quid propter vitandam incontinentiam alterius conjugis? Ibidem.

Et quid propter vitandam incontinentiam in se ipso? Et referuntur tres sententiæ, nu. 49. & 50.

An liceat vacare copula conjugali solum propter sanitatem? n.51.

43. NOna ex damnatis propositio est hæc: *Opus conjugii ob solam voluptatem exercitum omni penitus caret culpâ, ac defectu veniali.*

44. Qui, & quales sunt fines, propter quos licet, aut non licet vacare copulæ cõjugali, optimo, & maturissimo judicio discutit *P. Thom. Sanchez. lib.9. de Matrim. à disp.8. usq; ad* 11. Ad mentẽ ergo illius præmitto primò, septuplum esse finem, propter quem potest de facto haberi copula conjugalis, nempe bonum prolis, redditio debiti conjugalis, significatio unionis Christi cum Ecclesia, aut cum humana natura, sanitas corporis, vitatio fornicationis, voluptas, & finis alius quilibet extraneus.

45. Præmitto secundò, finem primarium, ad quem contractus matrimonii institutus est à natura, esse bonum prolis, in ordine ad conservandam speciem. Sed quia etiam

etiam Sacramentum est, quà tale, est institutum ad generandam prolem in ordine ad glorificandum Deum. Sic P. *Thom. Sanchez disp.8 ex S. Thoma*, & aliis. Et ideo peccat venialiter, qui refert copulam conjugalem solum ad habendam prolem pro suo commodo, V.g. ut habeat successorem, &c. Ubi advertit, non esse necesse, quod habeat actualiter in mente, & intentione eum finem primarium; sufficit enim virtualis intentio.

46. Præmitto tertiò, certum esse apud omnes, licitum esse uti copulâ conjugali propter prædictum finem primarium, aut etiam propter fidem matrimonii, id est, propter implendam obligationem ex justitia reddendi debitum. Quod dilucidè expressit *S.Thom. in cap.7 Epist.1. ad Corinth.* his verbis: *Actus conjugalis quandoque quidem est meritorius, & absque omni culpa mortali, vel veniali, puta cum ordinatur ad bonum prolis procreandæ, & educandæ ad cultum Dei: sic enim est actus Religionis. Vel cum fit causa reddendi debitum; sic enim est actus justitiæ.*

47. Præmitto quartò, quinque esse quæstiones circa reliquos quinque fines initio enumeratos, quarum tres priores pertinent ad hunc articulum primum, & duo sequentes ad secundùm. Prima est, an peccet venialiter, qui utitur copulâ conjugali, duntaxat propter significationem expressionem unionis Christi cum Ecclesia. Ad quam dicendum est, esse veniale. Et ratio est, quia est dissentaneum rationi omittere finem intrinsecum matrimonii, & operari dumtaxat propter finem extrinsecum: atqui finis intrinsecus matrimonii & copulæ conjugalis est bonum prolis, & fides conjugii modo dicto; significatio autem est quid extrinsecum: ergo dissentaneum rationi est operari dumtaxat propter eam significationem. Sic etiam esset dissentaneum rationi velle baptizari, vel baptizare propter solam significationem sepulturæ Christi, & non propter finem intrinsecum justificationis. Ita *P.Thomas Sanchez disp. 8 cit. num.14 ex S.Thoma* & aliis. Cujus oppositum docet *Basilius Ponze lib. 10. de Matrim. cap.8.*

48. Secunda quæstio est, an liceat vacare copulæ conjugali solum propter finem vitandæ incontinentiæ? Et si quidem sit propter vitandam incontinentiam alterius conjugis, certum est, in eo nullũ esse peccatum: quia in eo fine invenitur fides conjugii, sive redditio debiti conjugalis. Ut dicitur cap. *Secundùm verba.* 33.q.5. ex S. Augustino.

49. Quando autem conjux vacat copulæ, solum propter vitandum in se periculũ incontinẽtiæ, est major difficultas *P.Thom. Sanchez disp.9.* refert tres sententias, & omnes quidem valde probabiles. Prima est *S.Augustini* variis in locis, *S Gregori, S. Anselmi, S.Thomæ, S. Bonaventuræ*, & plurium Theologorum, & jurisprudentum, qui affirmant, esse peccatum veniale. Nititur autem hæc sententia in illis verbis Pauli 1. Corinth.7. *Revertimini in id ipsum, ne tentet vos Sathanas propter incontinentiam vestrã. Hoc autem dico secundùm indulgentiam, non secundùm imperium.* At ubi nulla est culpa, nulla est indulgentia. Deinde, quia ea copula habita solum ob vitandã incontinentiam caret fine primario.

50. Secunda est etiam plurimorum Theologorum, & jurisperitorum asserrentium, nullam penitus in eo. esse culpam. Nititur autem in eodem textu S.Pauli. Nihil

enim permissum in aliqua lege, potest ex vi talis legis esse culpabile: atqui ea lege S. Pauli permittitur illa copula ad vitandam incontinentiam: ergo ex vi ejus legis id non est culpabile. Utriusque sententiæ fundamenta, quæ utrinque sunt satis urgentia, optimè proponit, & perpendit P. Thom. Sanchez. Cujus tertia sententia, quam etiam plures alii tuentur cum Authoribus primæ sententiæ asserit, cùm quis utitur copula conjugali propter vitandam propriam incontinentiam, si omnia alia media ad illam vitandam adhibeantur, & non sufficiant, nullum esse peccatum; & cum authoribus secundæ sententiæ ait, aliàs esse veniale. Et limitat priorem partem hujus assertionis cum S. Antonino, quando nulla est spes prolis concipiendæ: nam si sit spes, semper erit peccatum veniale relinquere finē primarium matrimonii. Et prima sententia videtur probabilior, quia non licet omittere finem primarium, & quia est sententia Sanctorum Patrum.

51. Tertia quæstio est, an licitum sit vacare copulæ conjugali solum propter sanitatem. Et prima sententia (*ut refert P. Thom. Sanchez, disp.* 10.) docet esse veniale; quia omittitur finis primarius, & pro ea stat *S. Thomas*, & plures alii Theologi. Secunda, quam alii Doctores propugnant, docet, nullam esse culpam. Quilibet enim magis tenetur consulere suæ saluti, quam alienæ: sed ob bonum prolis licet uti copula conjugali: ergo à fortiori ob salutem propriam, maximè cum sanitas includat bonum prolis; conjux enim bona utens valetudine aptior est gignendæ proli. Unde qui utitur copulâ conjugali propter sanitatem, virtualiter vult bonum prolis. Tertiam mediā tenet ipse Thom. Sanchez cum aliis, nempe nullam esse culpam, si nullum aliud sit medium instaurandæ sanitatis. Nam hoc probat fundamentum allatum pro secunda sententia; esse tamen venialem, si cum adsit aliud medium tuendæ sanitatis, assumitur copula solum propter sanitatem, ut probat prima sententia.

52. Sed mihi verior videtur prima sententia. Nam qui indiget eo medio ad sanitatem, non erit medium efficacius, si adhibeatur, omittendo finem primarium, quàm intendendo illum. Itaque si intendat finem primarium, & simul sanitatem, nullum est peccatum; si autem intendat sanitatem dumtaxat, omittendo finem primarium, in hac omissione peccat venialiter.

ARTICULUS II.

Deciditur præcipua quæstio de copula habita propter solam voluptatem.

SUMMARIUM.

Non est illicitum vacare copula conjugali, propter voluptatem tamquam propter finem subordinatum. num. 53.

Voluptas ordinata est à natura ad faciliorem generationem prolis, num. 54.

Eo ipso quod habeatur propter voluptatem tamquam propter finem subordinatum, non habetur propter solam voluptatem. n. 55.

Illa propositio nona meritò damnatur, quia adversatur doctrinæ SS. Patrum. n. 56.

Refertur doctrina SS. Patrum. n. 57. & seq.

Et communis sententia Theologorum, & jurisprudentum. n. 61.

Qui utitur copula conjugali propter solam voluptatem, invertit ordinem naturæ. nu. 63.

Omnia

Omnia delectabilia ordinantur ad aliquam vitæ necessitatem sublevandam. Et quid inde pro conclusione? n.64.

Culpa venialis est, uti copula conjugalis propter finem extraneum matrimonii, si fiat propter illum solum. num. 65.

53. PRo claritate quæstionis, & legitima intelligentia damnationis hujus nonæ propositionis suppono, nullam omninò esse culpam, vacare copulæ conjugali propter voluptatem tamquam propter finem subordinatum fini primario matrimonii v. g. cum quis vult illi copulæ vacare propter voluptatem, in ordine ad generationem prolis, ita ut habeat voluptatē pro fine intermedio, & generationem prolis pro fine primario, ad quem dirigitur voluptas.

54. Hæc positio patet primò. Nam qui sic operatur, sequitur ordinem naturæ. Hæc enim destinavit voluptatem copulæ ad reddendam faciliorem generationem prolis, & conservationem speciei. Sic enim *S. Thomas citatus cap. præced.* affirmat, omnia delectabilia ordinari ad aliquam hominis necessitatem sublevandam: atque adeo delectatio copulæ conjugalis ordinatur ad necessitatem conservandæ speciei humanæ.

55. Secundò. Nam propositio damnatur, quatenus affirmat, licitam esse eam copulam habitam propter solam voluptatem: atqui eo ipso, quod habeatur propter voluptatem, tamquam propter finem subordinatum fini primario non habetur propter solam voluptatem, cum habeatur principaliter propter finem primarium: ergò non damnatur propositio asserens, licere eam copulam propter voluptatem tamquam propter finem sic subordinatum.

56. Dicendum ergò est, meritò esse damnatam eam propositionem, quæ negat, copulam conjugalem habitam propter solam voluptatem, carere omni culpâ, etiam veniali. Censeo autem, esse sufficiens motivum pro damnatione illius, quod Sancti Patres doceant oppositam sententiam. Nam in materia morum doctrina Sanctorum Patrum, qui præcipuè in materia morum à Deo illuminati sunt, pro certa regula tenenda est; nisi fortè, quando inter ipsos Patres est controversia.

57. Et quidem *Sanctus Augustinus lib. 5. contra Julianum cap. 7.* hæc verba habet: *Egimus ex Apostoli testimonio, ut sciat unusquisque suum vas, id est, suam conjugem possidere, non in morbo desiderii, sicut gentes, quæ ignorant Deum: quod exponens dixi, non conjugalem, hoc est, licitum, honestumque concubitum fuisse prohibitum, sed ut operis ejus causa sit voluntas propaginis, non carnis voluptas: & quod sine libidine fieri non potest, sic tamen fiat, ut non propter libidinem fiat.* Docet ergo Sanctus Augustinus, prohibitionem propositam in eo Pauli testimonio non prohibere copulam conjugalem, sed quod copula conjugalis non fiat propter libidinem, sive carnis voluptatem. Et *lib. de bono conjugali cap. 6.* ait: *Conjugalis concubitus generandi causâ non habet culpam; concupiscentiæ verò satiandæ, tamen cum conjuge, venialem.*

58. S *Gregorius* relatus in cap. *Vir cum propria* 33. q. 4. cum agens de copula conjugali, dixisset: *Voluptas ipsa sine culpa nullatenus esse potest.* Postea id explicans ait: *Cum enim non amor procreandæ sobolis, sed*

lis, sed voluptas dominatur in opere, commixtionis, habent conjuges etiam de commixtione sua quod defleant. Id est, cùm conjuges commiscentur non propter amorem procreandæ sobolis, sed propter amorem voluptatis, culpam habent, quam deflere debent.

59. *Sanctus Anselmus in cap. 7. Epistola 1. ad Corinth.* ad ea verba: *Hoc autem dico secundùm indulgentiam, non secundùm imperium*; hæc verba habet: *Tunc enim solùm conjuges sine culpa sunt in admixtione, cùm non pro explenda libidine, sed pro suscipienda prole miscentur.*

60. *S. Thomas in eundem textum epist. 1. ad Corinth.* sic ait: *Quandoque verò* (actus conjugalis) *est cum culpa veniali, scilicet cùm quis ad actum matrimonialem ex concupiscentia excitatur, quæ tamen intra limites matrimonii sistit, ut scilicet cum sola uxore sit contentus.* Quod etiam docuit *in 4. dist. 31. q. 2 art. 3 corp.*

61. Constat autem, hanc esse communiorem sententiam Doctorum, quos refert & sequitur *P. Thom. Sanchez lib. 9. de Matrim. disp. 11. num. 4.* Hi sunt *Magister, S. Bonaventura, Durandus, Ricardus, Albertus Magnus, Paludanus, Gabriel, Borrilongus, Sotus, Altisiodorensis, Gerson, Orbellis, D. Antoninus, Abulensis, Victoria, Petrus de Soto. Ledesma, Veracruz, Margarita Confess. Pedraza, Angeles, Enriquez, Barth. de Ledesma, Pet. de Ledesma, Rodriguez, Emmanuel, Sa, Cannedo, Capua, Alensis, Adrianus, Metina.* Et ex Jurisperitis Glossa in varios textus juris, *Alexander de Nevo, Præpositus, Henricus, Raynerius, Friburgo, Astensis, Angelus, Rosella. Sylvester, Tabiena, Armilla, Turrecremata, Gaeta, Gregorius Lopez, Perez, Matienzo, & Ugolinus.* Et ideo Authores Societatis stant pro hac sententia. Ita ultra *Thom. Sanchez, & Enriquez lib. 11. cap 4. num. 2. Toletus in Sum lib. 7. cap. 24. nu. 2. Tannerus quæst. 6 de Matrim. dub. 3. n. 42. Fagundez in 6. præc. decal, lib. 6. c. 3 n. 5. Præpositus quæst. 6. de Matrim. dub. 23. num. 172. Amicus disp. 26 de Matrim. sect. 3. nu. 36. Dicastillo disp. 9. de Matrim. dub 2. nu. 14. Conink disp. 34. de Sacram. dub. 1. nu. 12.* & quamplures alii.

62. Cùm ergò hæc sit sententia Sanctorum Patrum, & quam agmine facto secuti sunt Theologi, & Jurisprudentes, dicendum est, id esse sufficiens motivum ad damnationem oppositæ doctrinæ. Et authoritas paucorum, qui tenuêre oppositam opinionem absque urgenti fundamento, reputari debet levis momenti; ideoque dare non potuit probabilitatem suæ opinioni.

63. Ratio autem, quæ suffragatur communi doctrinæ, est moraliter evidens. Est enim evidenter dissonum rationi invertere ordinem intrinsecum à natura constitutum pro conservatione speciei humanæ: sed qui utitur copulâ conjugali propter solam voluptatem, invertit eum ordinem: ergò est dissonum rationi uti copulâ conjugali propter solam voluptatem, atque adeò peccatum saltem veniale. Minor patet: nam voluptas constituta est a natura in ordine ad copulam conjugalem, & procreationem prolis pro conservatione speciei: ergo invertit ordinem naturæ, qui non ordinat voluptatem ad copulam conjugalem, ad voluptatem capiendam.

64. Confirmatur. Nam omnia delectabilia, quæ in usum hominis veniunt, ordinantur ad aliquam hujus vitæ necessitatem

tatem sublevandam, tamquam ad finem, ut loquitur *S. Thomas* citatus *cap.* 1. *art.* 3. *quæst.* 2. ergò voluptas, quæ intervenit in copula, ordinatur ad necessitatem conservationis speciei tamquam ad finem: ergò pervertit hunc ordinem, qui ordinat copulam ad voluptatem.

65. Et ex his patet ad quintam quæstionem, an sit peccatum veniale uti copulâ conjugali propter finem aliquem matrimonio extraneum? v. g. propter consequendum à conjuge aliquod donum, vel propter aliud commodum. Nam ex dictis patet, si fiat solum propter eum finem, esse culpam saltem venialem; quia deseritur finis intrinsecus ejus operationis, & assumitur solus finis extraneus. Id enim rationi dissonat.

DISSERTATIO VIII.

An teneamur diligere proximum actu interno, & formali, & an possimus præcepto diligendi proximum satisfacere per actus externos?

CAPUT I.

Referuntur propositiones damnatæ, & aliorum placita circa earum intelligentiam.

NON EGET SUMMARIO.

1. Decima ex damnatis propositio hæc est: *Non tenemur proximum diligere actu interno, & formali.* Undecima est: *Præcepto proximum diligendi satisfacere possumus per solos actus externos.* Ex quarum propositionum damnatione habetur, admittere nos debere tamquam doctrinâ certam, præcepto diligendi proximum, non satisfieri per solos actus externos, sed manere obligationem diligendi illum actu dilectionis interno & formali.

2. Quàm varia sint hominum ingenia, & judicia, clarè conspicitur in eo, quod *Filguera in expositione propositionis* 10. *pag.* 94. citat *P. Suarium* pro opinione damnata; *Lumbierius* verò *tom.* 3. *in exposit. ejusdem propositionis num.* 1802. *pag.* 1125. eumdem *Suarium* pro contradictoria opinionis damnatæ.

3. Ut *Filguera* suadeat, sententiam *Suarii* esse propositionem damnatam, refert verba ejusdem *disp.* 5. *de Charit. Sect.* 4. *n.* 4. hujus tenoris: *Dico, quod spectat ad exercitium internorum actuum, PER SE non obligari nos ad illum actum eliciendum, in illo SISTENDO, id est, propter amandum tantum, sicut diximus de amore Dei.......... Hinc fit, hunc amorem internum solum cadere in præceptum, vel quando necessarius est ad opus externum, & beneficium proximo præstandum, vel ad vitandum odium, & offensionem proximi.*

CAPUT II.

An vi hujus decreti maneat damnata opinio docens, dari obligationem eliciendi actum internum & formalem dilectionis proximi in occasionibus necessariis; non tamen esse obligationem per se, extra occasiones necessitatis proximi?

SUMMARIUM.

Quot quæstiones discutiendæ veniunt? n. 4.
Propositio in titulo posita non damnatur expressè. n. 5.

Propo-

4. EX proximè dictis constat *Filgueram* putare, eam propositionem, quam docuit *P. Suarius*, manere damnatam, quia quamvis admittat obligationem eliciendi actum internum, & formalem dilectionis proximi, dicit, eam non esse obligationem per se. Circa quam materiam duæ quæstiones discutiendæ veniunt. Prima, an ea opinio illorum Doctorum damnata maneat expressè, aut virtualiter, quam discutiemus primo loco. Secunda, quam in cap. 4. examinabimus, est, quænam sententia sit vera, aut probabilior, an ea, quæ ponit eam obligationem per se; an quæ ponit illam per accidens.

5. Dicendum tamen est primò. Propositionem in fronte hujus capitis præfixam, atque adeò opinionem *Suarii* non subjacere expressè damnationi in hoc decreto contentæ. Probatur primò. Opinio damnata est illa, quæ negat obligationem eliciendi actum internum, & formalem dilectionis proximi: sed opinio *Suarii* non negat obligationem eliciendi actum internum, & formalem dilectionis proximi: ergò ea non subjacet huic damnationi. Major, & consequentia patent.

6. Minor probatur. Nam opinio *Suarii* admittit eam obligationem, quamvis dicat, eam non esse *per se*; ergò re ipsâ non negat talem obligationem. Et confirmatur. Nam propositio damnata non ponit terminum *per se*; ergò non damnat propositionem, quæ talem obligationem admittit, licèt dicat eam obligationem non esse *per se*.

7. Probatur secundò. Ut propositio *Suarii* maneat damnata ex damnatione propositionis decimæ, debet esse æquivalens ei propositioni decimæ: sed hæc propositio; *Non tenemur proximum diligere PER SE actu interno, & formali*; non æquivalet huic damnatæ, *Non tenemur proximum diligere actu interno & formali*: Ergò illa prima propositio non manet damnata. Probatur Minor: quia non sunt æquivalentes illæ propositiones, quarum una dicit aliquid, quod non dicit alia, ut ex ipsa terminorum apprehensione evidens est.

8. Dicendum est secundò, præfatam opinionem *Suarii* non manere virtualiter damnatam, sive antiquatam. Probatur. Nam, ut in superioribus observavi, illa opinio manet antiquata, & virtualiter damnata, quæ est antecedens, unde evidenter infertur propositio damnata; quia in evidenti argumentatione non potest esse antecedens verum, & consequens falsum: quod si consequens est falsum, evidens est, quod antecedens est falsum. Sed opinio eorum Doctorum non est antecedens, unde inferatur propositio damnata: ergò ea opinio non manet antiquata, neque virtualiter damnata. Probatur

batur minor. Nam ex eo quod non detur obligatio per se, non infertur, quod non detur obligatio; præcipuè cùm *Suarius* expresse asserat, dari eam obligationem, quamvis eam dicat non esse obligationem per se.

9. Dices primò. Licèt hæc propositio: *Non tenemur proximum diligere PER SE actu interno, & formali*, Non sit antecedens inferens propositionem damnatam; est tamen consequens illatum ex illa: atqui propositio, quæ infertur ex propositione damnata, est etiam virtualiter damnata: ergò.

10. Hæc tamen objectio non potest opponi à viro Dialectico; sciunt enim Dialectici, ex propositione falsa & damnabili posse inferri consequens verum. Ut patet in hoc syllogismo: *Omnis lapis est homo, Petrus est lapis, ergò Petrus est homo.* Ubi clarè cernitur ex antecedenti ex utraque parte falsò inferri consequens verum, & evidens. Quare ad objectionem, concessa Majori, neganda est Minor.

11. Dices secundò: Ex hac damnatione inferri, quod datur obligatio per se diligendi proximum actu interno, & formali. Nam si non detur obligatio per se, poterit contingere, quod aliquis numquam teneatur diligere proximum actu interno, & formali, scilicet si non dentur occasiones, in quibus necessarius sit ille actus dilectionis proximi.

12. Respondetur, esse moraliter impossibile, quod in convictu hominum deficiant occasiones, in quibus sit necessarius actus dilectionis proximi; sunt enim in quavis Republica, aut communitate quamplurimæ occasiones dissidii, rixæ, quærelarum, odii, invidentiæ, vindictæ, & similium; item necessitatis beneficentiæ in temporalibus, & spiritualibus: in quibus necessarius est actus charitatis internus, & formalis erga proximum, sine quo actu difficillimum est non labi in peccatum. Et ideo ea obligatio diligendi proximum actu interno & formali, quamvis dicatur esse per accidens, scilicet ratione occasionis, numquam potest deficere talis obligatio, quia moraliter loquendo, numquam possunt longo tempore deficere tales occasiones.

13. Utraque conclusio declaratur amplius explicando, quid intellexerit *P. Suarez* per illud verbum: *Per se*, quod ipse explicat per ea verba *in illo* (actu dilectionis.) *Sistendo propter amandum tantum, sicut diximus de amore Dei.* Et postea subjungit, tunc obligari nos ad actum internum dilectionis proximi, cùm occurrunt occasiones, in quibus necessarius est actus dilectionis, vel ad vitandum odium, vel ad conferendum proximo beneficium debitum. Relege textum *Suaris num.* 3. relatum.

14. Itaque hoc discrimen invenit *Suarius* inter præceptum diligendi Deum, & diligendi proximum, quod Deum tenemur diligere *propter amandum tantùm*, id est, quamvis nullæ aliæ circumstantiæ extrinsecæ concurrant; proximum verò non tenemur diligere actu interno *propter amandum tantum*, tenemur tamen illum diligere actu interno & formali, quando occurrunt occasiones vitandi odium, rixam, vel dissidium, & opitulandi in necessitatibus.

15. Ex quibus clarissimè patet eum dicendi modum non adversari damnationi, neque formaliter, neque virtualiter. Con-

formamur enim decreto, dum dixerimus teneri nos ad diligendum proximum actu interno, & formali in occasionibus in quibus debemus ei beneficium impendere, aut in quibus teneamur odium, & dissidia vitare. Neque ad hanc conformitatem cum decreto requiritur, quod dicamus, teneri nos ad diligendum proximum extra ejusmodi occasiones; ita ut debeamus amare præcisè *propter amandum*: quia id non postulat decretum.

16. Procedit ergò decretum contra eos, qui dixerunt, sufficienter impleri præceptum dilectionis proximi, si succurramus ei ex motivo alio extrinseco, v. gr. ex motivo inanis gloriæ, aut alio simili. Qui dicendi modus meritò damnatur, quia non diligit actu interno, & formali proximum, qui ei succurrit ex motivo inanis gloriæ, hic enim actus est vitiosus, & actus dilectionis proximi, qui præcipitur, est actus honestus, & Deo gratus.

CAPUT III.

Mens Sancti Thomæ declaratur.

SUMMARIUM.

Referuntur textus S. Thomæ, num. 17. & 18.

Alia sunt de necessitate, alia de perfectione charitatis. n. 19.

Esse de perfectione, non de necessitate charitatis absolutè, actum dilectionis internum erga inimicum, n. 20.

Quidquid officii tenetur quis exhibere inimico, tenetur etiam exhibere cuilibet proximo. n. 21.

Quod explicuit S. Thomas per terminum [*absolutè*] *explicarunt alii per terminum* [*per se*] n. 22.

Quid sit illa præparatio animi ad diligendum proximum motu interno in necessitate? Ex Cajetano, Arauxo, & Granado n. 23. & seqq.

Obligatio diligendi proximum actu interna est juxta S. Thomam pro occasionibus necessitatis. n. 26.

Concordia sententiæ S. Thomæ cum hoc decreto. n. 27.

17. PRo pleniori intelligentia hujus materiæ, operæ pretium est examinare, quid in ea censeat *S. Thomas*. Hic enim 2. 2. *q. 25. art. 8. in corpore*, agens de obligatione diligendi inimicum, ait: *Alio modo potest accipi dilectio inimicorum, quantum ad naturam, scilicet in universali: & sic dilectio inimicorum est de necessitate charitatis; ut scilicet aliquis diligens Deum & proximum, ab illa generalitate dilectionis proximi inimicos suos non excludat.* Juxta quam sententiam peccat, qui à communi dilectione excludit inimicum. Et videtur supponere Sanctus Thomas, quod sit de necessitate charitatis elicere eum actum internum dilectionis proximi in universali.

18. Deinde subjungit S. Thomas. *Tertiò potest considerari dilectio inimicorum in speciali; ut scilicet aliquis in speciali moveatur motu dilectionis ad inimicum. Et istud non est de necessitate charitatis absolutè: quia neque etiam moveri motu dilectionis in speciali ad quoslibet homines singulariter, est de necessitate charitatis; quia hoc esset impossibile. Est tamen de necessitate charitatis secundùm præparationem animi, ut scilicet homo habeat animum paratum ad hoc, quod in singulari inimicum diligeret, si necessitas occurreret. Sed quod absque*

que articulo necessitatis, homo etiam hoc actu impleat, ut diligat inimicum propter Deum, hoc pertinet ad perfectionem charitatis.

19. In quibus verbis aliqua notanda veniunt, quæ pertinent ad rem nostram. Primum, *S. Thomam* distinguere inter ea, quæ sunt de necessitate charitatis, & ea, quæ sunt de perfectione charitatis.

20. Secundum, de perfectione charitatis esse elicere actum dilectionis internũ erga inimicum; non tamen esse de necessitate charitatis *absolutè* quod moveatur motu interno dilectionis erga inimicum. Quid autem operetur terminus ille *absolutè*, mox dicam. Probat autem *S. Thomas*, id ita esse; quia si teneretur homo moveri motu interno dilectionis erga inimicum; teneretur idem præstare circa omnem hominem in singulari: hoc autem non est de necessitate charitatis; cùm sit impossibile diligere in singulari omnes, & singulos: ergò neque est de necessitate charitatis moveri motu interno dilectionis erga inimicum.

21. Tertium, quod ex asserto præcedenti colligitur, est, quod docet de affectu interno dilectionis erga inimicum, intelligendum etiam esse de quovis alio proximo. Nam quidquid officii tenetur per se quis ex charitate exhibere inimico, tenetur exhibere cuilibet proximo; & quidquid officii non tenetur per se ex charitate exhibere proximo, neque tenetur exhibere inimico. Et ita sicut homo non tenetur moveri motu interno dilectionis erga inimicum absolutè; ita neque absolutè tenetur moveri motu interno dilectionis erga quemlibet proximum.

22. Quartum, quid sibi velit terminus *absolutè*, explicat S. Doctor, dum ait, hominem habere debere paratum animum, ut diligat motu interno inimicum, vel proximum, si necessitas illum diligendi occurrerit. Et hoc est quod asserunt illi tres Doctores *Suarius*, *Castro*, *Palao*, & *Fagundez supra citatis cap. 1. & 2.* Nam quod dixit *S. Thomas*, hominem non teneri moveri motu interno dilectionis erga inimicum (idem est de quolibet proximo in singulari) *absolutè*; sed solum si necessitas occurrerit diligendi id aliis æquivalentibus dixerunt illi, non teneri hominem *per se* exercere actum internum dilectionis, sed per accidens, id est, ratione necessitatis occurrentis.

23. Et ideo *Cajetanus* in hunc locum sic explicat sententiam S. Thomæ. *Quia regula generalis est, quod præcepta affirmativa, quantum est ex jure naturæ, non obligant nisi in articulo necessitatis, ut Author hic insinuat, & in 4. sent. expressè tenet; ideo nec interior dilectio inimicorum in speciali, nec exterior beneficentia est in præcepto, nisi in articulo necessitatis. Sufficit enim, quod homo sit paratus ad faciendum, quod tenetur secundum Deum, quando, ubi, &c. tenebitur. Quæ præparatio animi est procul dubio in omni habente charitatem; non minus quàm præparatio animi ad martyrium in articulo necessitatis.* Et ex his verbis Cajetani constat, quid sit illa præparatio animi ad diligendũ proximum motu interno in articulo necessitatis: scilicet actus charitatis erga Deum actualiter existens, vel virtualiter perseverans, ratione cujus homo vult implere omnia præcepta, quæcumque illa sint.

24. Magister *Araujo* circa hunc articulum octavum S.Thomæ faciens summarium doctrinæ hujus articuli, sic ait. *Prima conclusio. Diligere inimicum quantum ad naturam, & in ratione communi proximi, est de necessitate charitatis; diligere vero illum in speciali non est de necessitate charitatis extra casum necessitatis, nisi in animi præparatione.*

25. *P. Granado* fidelissimus interpres *S. Thomæ 2.2. controv. 3. tract. 6. disp. 6 numer. 2.* eodem modo loquitur. *Quod ad internum actum amoris spectat, cum illum elicere pertineat ad præcepta affirmativa, & hæc non obligent nisi in specialibus circumstantiis, non tenetur quis positivè amare semper inimicum, sed quando occurrerit, quæ prudentis arbitrio talis sit, ut obliget etiam comparatione inimici. Tenebitur itaque quis inimicum amare, quando sic, & non aliter crederetur deponendum esse odium, vel quando esset in extrema necessitate, aut etiam in gravi, tunc enim tenetur quis per se loquendo succurrere proximo, si posset, ac proinde habere voluntatem succurrendi, quæ quidem voluntas amor est.*

26. Ex quibus omnibus constat, sententiam S. Thomæ esse, teneri nos diligere proximum actu interno, & formali in occasionibus, in quibus talis actus est necessarius; non vero extra casus necessitatis.

27. Hinc etiam constat, quomodo concordet sententia S. Thomæ cum hoc decreto: cum enim ex hoc decreto maneat certum, quod tenemur proximum diligere actu interno, & formali, & S. Thomas asserat, quod in casibus necessitatis sublevandæ tenemur diligere proximum actu interno, & formali, pateat manifestè, quod eadem est utriusque sententia; maximè cum hujusmodi decretũ procedat contra eos, qui dixerũt, præcepto proximum diligendi posse nos satisfacere per solos actus externos; & *S Thomas* dicat in casibus necessitatis proximi debere nos moveri motu interno dilectionis proximi. A qua sententia neque hillum distant tres illi Authores citati, quos perperam accusat *Filguera.*

CAPUT IV.

Quanam sit vera sententia in ea quæstione, an sit præceptum per se diligendi proximum in singulari actu interno, & formali?

SUMMARIUM.

Proponitur duplex sensus propositionis, cui additur terminus [*Per se.*] n. 28.
In primo sensu non opponitur decreto, sed est vera num. 31. *& conformis D. Thomæ.* n. 32.
Ex significatione termini per se confirmatur conclusio. num. 33.
In secundo sensu est obligatio per se. num. 34.
Argumenta pro conclusione num. 35. & seq.
Objectio solvitur. num. 38.
Quomodo sit obligatio per se diligendi proximum in communi? num. 39.
Solvitur instania. num 40.

28. EX dictis constat, non manere damnatam opinionem *Suarii*, & aliorum, quæ admittit, teneri nos diligere proxi-

proximum in singulari actu interno, & formali in necessitatibus occurrentibus, & ideo non *per se*, sed (in sensu explicato) per accidens. Restat ergò inquirere, an quamvis non maneat damnata, censenda tamen sit falsa, vel minus probabilis, quoad eos teminos *per se*, *& per accidens*.

29. Et quidem hæc quæstio multum habet de nomine, & modo loquendi. Pro cujus claritate advertendum est, diversas esse has duas propositiones: primã, *Non tenemur per se diligere proximum actu interno, & formali*. Secundam, *Non tenemur per se diligere proximum actu interno, & formali in occasionibus, in quibus proximo debemus succurrere*. Prima enim habet eum sensum, quem explicat *Pater Suarez* supra relatus, scilicèt habendi actũ dilectionis *Solum propter amandum*, & seclusis occasionibus succurrendi proximo, aut reconciliandi nos cum illo, juxtà quem sensum poterit dici ea obligatio esse per accidens, quia est obligatio diligendi, si occurrat occasio necessitatis sublevandæ, vel odii vitandi.

30. Secunda vero propositio habet hunc sensum, scilicet etiam si fiat comparatio obligationis diligendi proximum ad occasiones sublevandæ necessitatis proximi, aut odii vitandi, adhuc hanc obligationem non esse obligationem per se eliciendi actum dilectionis internum, & formalem.

31. His ita explicatis, dico primò. Prima propositio in sensu explicato vera est, neque opponitur decreto. Quod non opponatur constat ex cap. 2. Quod autem vera sit, patet primò ex discrimine, quod constituit P. Suarez inter obligationem amandi DEUM, & obligationem amandi proximum: obligatio enim amandi Deum per se est propter amandum, sistendo in eò; obligatio autem amandi proximum non est per se propter amandum, sed propter succurrendum, & vitandum odium, rixas, querelas, &c.

32. Patet secundò ex illis verbis S. Thomæ supra relatis: *Ut scilicet aliquis in speciali moveatur motu dilectionis ad inimicum; & istud non est de necessitate charitatis absolutè*. Nam quod dicit, non esse de necessitate charitatis *absolutè*, idem est atq; non esse de necessitate charitatis, abstrahendo ab eo, quod sint occasiones necessitatis sublevandæ, aut odii deponendi. Abstrahendo enim ab illis occasionibus neque absolutè neque per se est obligatio charitatis habere eum motum dilectionis internæ.

33. Patet tertiò ex ipsa significatione illius termini *per se*: quia quod est propter aliud, non dicitur per se. Ita cùm datur obligatio jejunandi, aut abstinendi cibo aliquo propter castitatem servandam; illa non est obligatio per se jejunandi, sed propter aliud, nempe propter virtutem castitatis. Ita etiam non est obligatio per se diligendi proximum, quia non est propter amandum præcisè, sed propter aliud, scilicet propter succurrendum in occasionibus necessitatis sublevandæ, aut deponendi odium.

34. Dico secundò. Obligatio diligendi proximum actu interno & & formali in occasionibus sublevandæ necessitatis proximi, aut deponendi odium, aut dissidia, est obligatio per se. Et ideo falsa est ea secunda propositio supra posita. Quam con-

conclusionem expressit *P. Granado* in ultimis verbis suprà relatis cap. 3. *Tunc enim tenetur quis PER SE loquendo succurrere proximo si possit, ac pro inde habere voluntatem succurrendi; qua quidem voluntas amor est.*

35. Probatur primò ex hac ratione *P. Granadi.* Nam in causa gravis necessitatis proximi est obligatio per se non solum succurrendi exterius, sed etiam volendi succurrere; sed hæc voluntas succurrendi est amor proximi Internus, & formalis: ergo respectivè ad eum casum necessitatis est obligatio per se amandi proximum amore interno, & formali.

36. Probatur secundò. Nam obligatio succurrendi proximo in casu necessitatis est propter exercitium charitatis: ergò non est propter aliud, quam propter amandum illum taliter: ergò per se tenetur ad amandum illum in tali casu necessitatis. Et confirmatur. Nam id exercitium charitatis in casu necessitatis proximi est inpræscindibile ab amore proximi: si ergò est obligatio per se succurrendi proximo, est etiam obligatio per se à tali amore interno.

37. Idem, quod dixi de casibus necessitatis sublevandæ, dicendum etiam est de casibus, in quibus instat obligatio deponendi odium. In his enim casibus charitas per se urget ad diligendum proximum. Et quidem in quavis Republica, & Communitate sunt innumeræ occasiones dissidii, rixarum, quærelarum, contentionum, emulationum, & invidentiæ. Est autem difficillimum in his omnibus servare nos innoxios, nisi exerceamus actus dilectionis erga proximos; ad quem actum dilectionis tenemur propterea aliquando sub mortali, & aliquando sub veniali juxtà gravitatem, aut levitatem materiæ. Et sic optimè intelligitur illud ex 1. Petri 4. *Mutuam in vobismet ipsis charitatem continuam habentes.* Nam charitas continua petit per se continuationem dilectionis; supposita continuatione occasionum.

38. Dices. Obligatio diligendi proximum in talibus occasionibus, est propter vitandum odium: ergò est propter aliud, & consequenter non est per se. Respondeo, ipsam positivam vitationem odii esse ipsum dilectionis actum internum & formalem; atque adeo ea obligatio diligendi taliter proximum est obligatio per se, & non propter aliud.

39. Hucusque locuti sumus de dilectione *respectu proximi in singulari.* Nam respectu proximi in communi est obligatio per se diligendi proximum actu interno, & formali, ut supponit S. Thomas suprà citatus illis verbis: *Alio modo potest accipi dilectio inimicorum, quantum ad naturam, scilicet in universali: & sic dilectio inimicorum est de necessitate charitatis.* Nam cum primum proponitur homini lex divina, juxtà quam homo tenetur diligere Deum, & proximum propter Deum; id præceptum charitatis per se obligat diligere Deum, & proximum in communi, per actum internum, & formalem; & perseverare in eo actu formaliter, aut virtualiter.

40. Dices, ea obligatio est diligendi proximum propter Deum; ergò est propter aliud, atque adeo non per se. Respondeo, præceptum charitatis indivisibiliter præcipere utrumque, atque adeo quantum est ex vi præcepti utrumque præcipit

cipit per se. Præterea, si dicatur dilectio proximi esse propter aliud, quia propter Deum, nullum est inconveniens, cum charitas Theologica afficiatur erga proximum propter Deum.

CAPUT V.

Colligitur ex dictis, quæ opinio subjaceat huic damnationi, & quæ non subjaceat.

SUMMARIUM.

Ex locutionibus Sacræ Scripturæ colligitur, eas duas propositiones esse merito damnatas, n.41.

Alia propositio, quæ continetur in damnata, n.42.

Etiam damnata manet propositio, quæ non extendit actum internum dilectionis ad proximum in singulari, sed solum in communi, n.44.

Quid de propositione docente, satisfieri præcepto diligendi proximum ab eo, qui illi succurrit solum propter dilectionem Dei, n.45.& 46.

Quid de propositione asserente, hanc obligationem non esse (per se,) sed per accidens? n.47.

41. Colligitur primò, quam meritò jure damnatæ sint hæ duæ propositiones, decima & undecima, quæ excludunt ab obligatione charitatis erga proximum actus internos, & formales dilectionis. Nam sine ullo actu interno, & formali dilectionis proximi non salvantur tam multæ locutiones Sacræ Scripturæ, in quibus exprimitur obligatio diligendi proximum. Luc. 10. Interrogatus legis peritus à Christo D. ille respondit: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*, &c. *Et proximum tuum sicut te ipsum. Dixitque illi rectè respondisti.* 1. Joan. 4. *Hoc mandatum habemus à Deo, ut qui diligit Deum, diligat & fratrem suum.* Et ibi. *Si sic Deus dilexit nos, & nos debemus alterutrum diligere.* Et aliæ quamplures. Cùm autem diligere sit actus internus, & formalis, quomodo sine isto potest intelligi præceptum dilectionis proximi toties repetitum?

42. Colligitur secundò, manere damnatam propositionem, quæ asserat, *non violari præceptum charitatis ab eo, qui nullum habet actum dilectionis internum & formalem respectu proximi, neque in singulari, neque in universali.* Patet. Nam hæc propositio est convertibilis cum propositione 11. ex damnatis. Nam bene valet; [Præcepto proximum diligendi satisfacere possumus per solos actus externos: ergò non violatur hoc præceptum, quamvis quis nullum eliciat actum internum.] Et similiter benè valet è converso, ut perpendenti patebit. Imò, & una in altera mutuo continetur. Quando autem propositiones tales sunt, evidens est, quod damnata una, damnatur & altera.

43. Quod autem ea justissimè sit damnata (sive sub his terminis proponatur, sive sub illis, quibus ponitur in decreto) constat ex corollario primo.

44. Colligitur tertiò, manere damnatam hanc propositionem. *Proximum in communi, non verò proximum in singulari, tenemur diligere actu interno, & formali.* Quod corollarium inde constat, quod cum præceptum diligendi proximum non

in

intelligatur solum de proximo in communi, sed etiam de proximo in singulari, modo superius explicato; & hoc decretum loquatur in eodem sensu, in quo loquitur præceptum; fit, quod hæc damnatio contenta in hoc decreto, loquatur etiam respectu proximi in singulari. Propositio ergò, quæ negat teneri nos diligere proximum in singulari actu interno, formali, damnata manet in vim hujus decreti. Et idem dicendum est respectu propositionis 11. quæ etiam de dilectione proximi in singulari intelligitur.

45. Colligitur quartò, quid dicendum sit in hac quæstione, an hæc propositio, *Satisfacit præcepto diligendi proximum, qui illi succurrit in necessitate, non propter dilectionem ipsius, sed solum propter dilectionem Dei*, subjaceat huic damnationi? Et pro parte affirmativa videtur urgere; quod in objecto hujus propositionis videtur deficere actus internus, & formalis dilectionis proximi, quod est contra propositionis decimæ damnationem: & quod videtur affirmari, impletio præcepti per solum actum externum succurrendi: quod est contra damnationem undecimæ.

46. Sed dicendum est, hanc propositionem non subjici damnationi. Et ratio est. Nam diligere actu interno, & formali est velle bonum alicui: sed qui vult succurrere proximo propter dilectionem Dei, vult bonum proximo actu interno, & formali voluntatis: ergo in eo casu non deficit actus internus, & formalis. Et ideò P. *Granado* 2. 2. *contrev. 3. tract. 6. disp. 6. num. 2.* dixit: *Tunc enim tenetur quis per se loquendo, succurrere proximo, si possit, ac proinde habere voluntatem succurrendi; qua quidem voluntas amor est.* Neque obest, quod objectum formale motivum sit ipse Deus: nam actus veræ charitatis erga proximum habet pro objecto motivo formali ipsum Deum; & pro objecto materiali ipsum proximum; & tamen est perfecta dilectio proximi.

47. Colligitur quintò non subjacere huic damnationi hanc propositionem; *Tenemur diligere proximum in singulari actu interno, & formali per accidens, scilicet in occasionibus necessitatis sublevandæ, vel tolerandæ; non verò [per se] id est, extra occasiones necessitatis.* Patet hæc assertio ex dictis cap. 2. & 3.

DISSERTATIO IX.

An divites sæculares excusentur ab obligatione erogandi eleemosynam, ex eo quod carere dicantur superfluis statui.

CAPUT I.

Refertur opinio damnata, & quibus authoribus attribuatur; & præmittuntur alia.

SUMMARIUM.

Quibus Authoribus attribuatur propositio damnata, num. 1.

Quare abstinendum sit à quadam quæstione, num. 2.

Qua

Quæ sint necessaria, & quæ superflua ad naturam, & ad statum, n.3.
Quotuplex sit necessitas? n.4.
Quid si necessitas gravis, n.5. & 6.
Quid sit necessitas communis, n.7.
An ad gradum extremæ necessitatis reducatur necessitas evidenter urgens? numer.8.
Quomodo in extrema necessitate sit gravis obligatio succurrendi? n.9.
An sit certum teneri divites sub culpâ gravi ad succurrendum graviter indigenti? num.10.

1. Propositio duodecima ex damnatis hæc est, *Vix in sæcularibus invenies, etiam in Regibus, superfluum statui: & ita vix aliquis tenetur ad eleemosynam, quando tenetur tantum ex superfluo statui.* Filguera ad hanc propositionem pag. 66. eam attribuit *P. Vazquio.* Et ante ipsum *Gonetus in dissert. de Probabilit. num.* 152. eam eidem attribuerat. Sed debuit eam attribuere etiam *Cajetano in sum. verb. Eleemosyna.* Illis verbis, quæ formaliter transcripsi in *3. part. Chrys. Theol. disp. 57. c 3. Art. 3. n.* 113.

2. Sed ibidem numer. 118. proposui eam quæstionem, an propositio damnata sit eadem cùm doctrina P. Vazquii. Quia tamen ad veritatem doctrinæ stabiliendam parum refert, an doctrina damnata sit hujus, an illius Authoris; ideo à decessione ejus quæstionis abstinui, & num. 120. dixi, in ea quæstione consuli debere Sacram Congregationem.

3. Prò intelligentia ergò tam propositionis damnatæ, quam doctrinæ tuendæ ad praxim, breviter notanda sunt aliqua, quæ docui cum communi sententia Doctorum in *1. part. Chrys. Theol. disp. 20. capit. 1.* Præmitto ergo primò, alia esse necessaria ad naturam, alia ad statum. Necessaria ad naturam sunt, quæ præcisè requiruntur ad vitam conservandam. Necessaria ad statum dicuntur ea, quæ ad suum, sibique conjunctorum statum conservandum requiruntur. Similiter superflua naturæ dicuntur ea quæ supersunt, exceptis necessariis ad vitæ sustentationem. Superflua autem statui sunt ea, quæ superabundant, post sumptus impensos in necessariis ad vitam, & ad statum.

4. Præmitto secundò, triplicem necessitatem distingui communiter à Doctoribus, scilicet extremam, gravem, & communem. Extrema est, quæ ponit aliquem in discrimine proximo vitæ, nisi ei subveniatur hic & nunc, neque apparet aliquis, qui ei effectivè succurrat. Et quidem varii sunt casus, quos Theologi admittunt ad gradum extremæ necessitatis, quos ibid. proposui num. 3. & 4.

5. Necessitas gravis, juxtà communiorem explicationem, est, quando ex defectu rerum necessariarum est in periculo proximo incidendi in miseriam magnam, aut re ipsa versatur in ea: V.g. quando quis est in periculo proximo incidendi in jacturam notabilis partis bonorum, vel incidendi in magnum morbum extra periculum proximum vitæ; vel in necessitatem quasi perpetuæ famis. Et melius declaratur necessitas gravis, si dicamus eam esse, *Quæ vitam reddit miseram, & nimis molestam.*

6. Pro cujus necessitatis gravis majori explicatione addidi numer. 6. hanc periodum. [Juxtà quæ esset in gravi neces-

sitate constitutus, qui per multos dies solo pane, oleribus victitaret; qui ita esset nudus, ut vel illi esset ad magnam ignominiam, vel ei impenderet præ frigore periculum gravis morbi contrahendi: item ille, cui esset nimis molestum super pavimento, aut tabula dormire. Hæc enim omnia, & similia vitam reddunt miseram, & nimis molestam; si autem ille haberet suppellectilia, sine quibus posset absque gravi molestia, & ignominia transigere, quibus venditis, posset ab ea miseria egredi, non esset constitutus in gravi necessitate. Et ideò fœmina, quæ jocalia aurea, vel argentea retinet, & tamen solo pane victitat, non patitur gravem necessitatem, nisi illa ad aliam similem necessitatem sublevandam reservanda essent. Gravem etiam patitur necessitaten, qui duram subit captivitatem, aut diuturno tempore detinetur in carcere nimis molesto. Vide *P. Petrum Hurt.* 2.2. *tom.* 2. *disp.* 159 *à* §. 78. ubi distinguit quatuor genera necessitatis gravis, pertinentia ad vitam, ad honorem, ad dignitatem, & ad fortunas]

7. Ibidem num. 7. dixi, necessitatem communem esse eam, ex qua aliquod incommodum sequitur in necessariis ad vitam, & statum; quod tamen non reddat vitam nimis miseram, & molestam, juxtà statum patientis. Talem necessitatem pati solent pauperes, qui ostiatim mendicant in civitatibus magnis, & eo tempore, in quo est abundantia annonæ. Aliquando enim sic mendicantes solent premi necessitate gravi, præcipue in oppidis parvis, vel tempore sterilitatis.

8. Præmitto tertiò, ad gradum extremæ necessitatis reduci necessitatem *evidenter urgentem*, quæ ab aliis vocatur *quasi extrema.* Est enim illa, in qua, licèt non periclitetur vita, est tamen periculum proximum incidendi in gravissimam calamitatem. De hac necessitate evidenter urgenti dixi in 3. *part. Chris. Theol. disp.* 80. *cap.* 1. cùm S. Thoma, in illa discurri debere eodem modo, ac in extrema.

9. Præmitto quartò, esse certissimum apud omnes, teneri divitem sub mortali succurrere extremè indigenti saltem ex superfluis statui. Item apud graves Authores esse certum, quod in extrema necessitate tenetur sub mortali dives opitulari, etiam ex necessariis ad statum, quæ sunt superflua naturæ, maximè si fieri potest sine gravi dispendio sui status. Vide quæ dixi in ea disp. 20. cap. 1. à num 9.

10. Præmitto quintò, me ibid. cap. 1. art. 2. tradidisse tamquam certum, præcipuè à principiis intrinsecis, teneri divites sub reatu culpæ gravis ad succurrendum pauperi graviter indigenti, saltem ex superfluis statui. Ubi ostendi, hanc sententiam doceri tamquam certam à *P Suario, Granado, Petro Hurtado, Vasquio, & Mag. Bannez, imò & P. Vazquez* docet, non solum ex superfluis statui, sed etiam ex necessariis ad statum, quæ superfluunt naturæ, succurrendum esse gravi necessitati, sub reatu culpæ gravis. Et certitudinem hujus conclusionis ibidem latè ostendi ex pluribus testimoniis Sacræ paginæ, & testimoniis Sanctorum Patrum.

* * *

CAPUT

CAPUT II.

In quo sensu accipiatur id, quod supponitur in propositione 12. quod aliquando dives ad eleemosynam teneatur tantum ex superfluis statui?

SUMMARIUM.

Certum est aliquando divites teneri ad eleemosynam tantum ex superfluis statui, n.11.

Opinio docens ex sola superfluitate bonorum oriri obligationem erogandi eleemosynam, n.12.

Opinio contraria id negans, n.13.

Sensus propositionis non est juxtà primam opinionem, sed juxtà secundam, num.14. & 15.

11. SUpponitur in oppositione, & consequenter in damnatione ejus, quod aliquando dives tenetur ad eleemosynam, non ex necessariis ad statum, sed tantum ex superfluis statui. Quæ propositio certa est, & indubitabilis. Nam licèt juxtà sententiam P. Vasquii aliquando tenetur dives succurrere graviter indigenti ex necessariis ad statum, & non solum ex superfluis, id tamen est quando potest fieri cum modico detrimento status. Ast quando non potest levare eam gravem necessitatem ex necessariis ad statum sine gravi detrimento status; tunc solum tenetur ex iis quæ superfluunt statui, & quatenus superfluunt: V.g si gravis necessitas ad sui levamen indiget ducentis; & si dives daret ea ducenta, pateretur ejus status grave detrimentum; & tunc solum superessent statui solum triginta, etiam juxtà sententiam P. Vasquii solum teneretur dives ad triginta, quæ superfluunt.

12. Quandò ergo dicitur, quod dives tenetur ad eleemosynam tantum ex superfluis statui: id potest accipi in duplici sensu, juxtà duplicem opinionem. Nam aliqui Doctores censent, superfluitatem bonorum ex se esse sufficientem radicem, & quasi rationem formalem, unde oriatur obligatio erogandi eleemosynam: ex quo inferunt, quoties diviti sunt superflua statui, teneri sub mortali ad eleemosynam, etiam in communibus necessitatibus. Ita *Cajet. 2.2. quæst. 32 art. 5. & aliis in locis, Gonetus in dissert de probabilit. num. 152. &* plures alii ex scholâ Thomisticâ.

13. Sed ex eadem schola plures alii negant, superfluitatem bonorum esse sufficientem radicem obligationis gravis largiendi eleemosynam; ideoque divites ex ea sola superfluitate non teneri graviter ad eleemosynam, nisi ipsa pauperis necessitas gravis sit. Ita *Mag. Aranxo 2.2. q.32. dub.1. num.* 6. apud ipsum *Medina, Paludanus, Covarrubias; Sylvester, Angelus, Armilla, & Corduba. Item P. Vazquez opusc. de Eleemosyn. c.1. dub.* 3. & plures alii.

14. Cùm ergò dicitur in propositione damnata, quod dives quandoque *tenetur tantum ex superfluo statui*; non est sensus juxtà primam opinionem proxime relatam, quod teneatur ad eleemosynam ex superfluo tanquam ex radice, ex quâ sufficienter oriatur obligatio erogandi eleemosynam, independenter à necessitate gravi. Hæc enim sententia falsa

est, & quæ communiter rejicitur à Doctoribus. Nam, ut benè perpendit Arauxo, si sola superfluitas esset sufficiens radix hujus obligationis, etiam cessante omni necessitate proximi, perseveraret obligatio. Quod autem genus eleemosynæ esset, dare non indigenti.

15. Est ergò sensus propositionis damnatæ juxtà secundam sententiam, quod quandoque dives tenetur erogare eleemosynam de illis bonis, quæ superfluunt statui, & ita damnatio hæc non cogit divitem ad largiendum omnia, quæ superfluunt statui, quando nullas invenit necessitates graves: quin potius damnatio hæc relinquit indemnem opinionem communem, quod non tenetur dives sub reatu culpæ lethalis ad largiendum superflua statui, nisi in necessitate gravi. Et ratio hujus est, quia nulla est ratio, quæ cogat ad intelligendam hanc damnationem, juxtà eam primam opinionem, quæ minus probabilis est, & à paucis tradita, & à multis rejecta. Imò in illis verbis, *quando tenetur tantum ex superfluo status*, denotatur, non semper esse obligationem eleemosynæ ex superfluo status, sed aliquando.

CAPUT III.

Ostenditur, præfatam propositionem duodecimam esse damnabilem.

SUMMARIUM.

Propositio damnata falsa est propter prætextum excusandi se ab obligatione eleemosynæ, n.16.

Idem probatur ex eo; quod divites aliquando tenentur ad eleemosynam cùm modico detrimento sui status, n.17.

Idem ostenditur ex comminationibus, quæ reperiuntur in Evangelio, n.18.

Minus damnabilis est opinio eorum, qui dicunt teneri ex necessariis ad statum, asserentes divites vix habere superfluum statui, n.19.

Adhuc tamen dãnabilis est ea opinio, n.20.

16. Eam propositionem esse damnabilem, & dignam eâ censurâ Theologicâ, quâ in hoc decreto inuritur, probatur primò. Multi sunt casus, in quibus certum est, quod homo tenetur erogare eleemosynam ex superfluis statui, ita ut coram Deo se excusare non possit ab ea obligatione: sed si divites non haberent, vel vix haberent superflua statui, haberent prætextum excusandi se ab ea obligatione: ergò contra ejusmodi certitudinem militant, qui dicunt, divites non habere, vel vix superflua statui.

17. Probatur secundò. Est enim indubitabile, quod tenetur dives succurrere graviter indigenti, quando potest præstare, cum modico detrimento sui status: sed eo ipso quod largiatur aliqua cum modico detrimento sui status, illa non sunt absolutè necessaria ad statum; atque adeo dicenda erunt superflua statui: ergo tales divites verè habent superflua statui. Et ita sicut absurdum est dicere, non teneri divitem succurrere graviter indigenti cum parvo detrimento sui status; ita absurdum erit dicere, quod ejusmodi dives non habēt superflua statui.

18. Probatur tertiò. Nam in Evangelio multæ fiunt comminationes adversus divites, qui non succurrunt pauperibus,

bus, cum posſint ſuccurrere ſine proprio detrimento: ſed divites ejus ſæculi non erant diverſi generis, aut diverſæ conditionis, divites præſentis ſæculi; ratione cujus illi haberent ſuperflua ſtatui; iſti autem aut non habeant, aut vix habeant: ergò illæ comminationes in utroſque pariter fulminantur; & de utriſque dicendum eſt habere ſuperflua ſtatui, ex quibus poſsint graviter indigentibus opitulari.

19. Verum quidem eſt, minus eſſe damnabilem opinionem eorum, qui cum dicant, non ſolùm ex ſuperfluis ſtatui, ſed etiam ex neceſſariis ad ſtatum teneri divites ſuccurrere graviter indigentibus, aſſerunt præterea, divites vix habere ſuperflua ſtatui: quia cùm hæc conjungunt, non excuſantur omnino divites ab eleemoſyna; ſiquidem quamvis non habeant ſuperflua ſtatui, dicuntur teneri ad illam. Minus, inquam, damnabilem eſſe, quàm eorum, qui ex una parte dicunt, ſolùm teneri divites ad ſublevandas graves neceſſitates ex ſuperfluis ſtatui; & ex altera affirmant, divites vix habere ſuperflua ſtatui; cùm hoc modo inferatur, vix divites teneri ad eleemoſynam, quantumvis ſit gravis neceſsitas occurrens.

20. Adhuc tamen damnabilis eſt ea opinio, quamvis dicat, ſuccurrendum eſſe pauperi graviter indigenti, ex neceſſariis ad ſtatum, quia negari non poteſt, quin aliquando debeat ſubveniri ei neceſsitati ex ſuperfluis ſtatui, ut diximus *cap.* 2. In quo caſu ſi dicamus, vix eſſe divitibus ſuperflua ſtatui, idem erit, ac dicere, non eſſe, aut vix eſſe obligationem ſuccurrendi. Quod autem divites non habeant excuſationem, ad omittendam eleemoſynam in gravibus neceſsitatibus; ſatis conſtat ex iis, quæ dixi *in 1. part. Criſ. Theol. diſp. 20. cap. 2. art. 2. & 3.*

DISSERTATIO X.

An liceat deſiderare alicui malum ſub ratione boni temporalis utilis?

CAPUT I.

Referuntur propoſitiones damnatæ, & præmittuntur aliqua.

SUMMARIUM.

Doctrina S. Thomæ cohæret cum hac damnatione. n. 4.

Textus S. Thomæ pro ratione dubitandi. n. 5. & 6.

Poteſt deſiderari mors alicujus propter bonum ſpirituale illius, aut alterius. num. 7.

Poſſumus deſiderare mortem alicujus propter bonum commune. n. 8.

Poteſt quis deſiderare mortem alicujus propter vitandum aliquod ingens nocumentum. n. 9.

Intellectus poteſt præſcindere mortem Patris ab effectu hæreditatis filii; & voluntas ſub eadem præciſione poteſt deſiderare hæreditatem, non mortem. n. 10.

1. HUic dubitationi dant occaſionem tres propoſitiones damnatæ ab Innocentio XI. in hoc Decreto ex quibus decima tertia propoſitio ſic ſe habet: *Si cum debita moderatione facias, potes abſ-*

quæ peccato mortali de vita alicujus tristari, & de illius morte naturali gaudere, illam inefficaci affectu petere, & desiderare; non quidem ex displicentia personæ, sed ob aliquod temporale emolumentum.

2. Propositio 14. damnata hæc est: *Licitum est absoluto desiderio cupere mortem Patris, non quidem ut malum Patris, sed ut bonum cupientis, quia nimirum ei obventura est pinguis hæreditas.*

3. Propositio 15. similiter damnata hujus est tenoris: *Licitum est filio gaudere de Parricidio Parentis à se in ebrietate perpetrato, propter ingentes divitias inde ex hæreditate consecutas.*

4. Pro quarum explicatione, & intelligentia, quia aliqui Scriptores falsò existimârunt, eas propositiones damnatas inferri ex doctrina *Sancti Thomæ*, suppono primò, non esse mentem Romani Pontificis damnare doctrinam, quam circà hanc materiàm tradidit *Sanctus Thomas.* Ideo operæ pretium est proponere ante oculos doctrinam *Sancti Thomæ*, ut inde constet, tres illas propositiones damnari quoad id tantùm, in quo differunt à doctrina S. *Thomæ.*

5. Et quidem *Angelicus Doctor* 2. 2. *quæst.* 76. *art.* 1. sic ait: [*Si autem aliquis imperet, vel optet malum alterius sub ratione boni, sic est licitum, nec erit maledictio, per se loquendo, sed per accidens: quia principalis intentio dicentis non fertur ad malum, sed ad bonum. Contingit autem malum aliquod dici imperando, vel optando sub ratione duplicis boni. Quandoque quidem sub ratione justi, & sic judex licitè maledicit illum, cui præcipit justam pœnam inferri. Et sic etiam Ecclesia maledicit anathematizando: sicut & Prophetæ in scripturis quandoque imprecantur mala peccatoribus, quasi conformantes voluntatem suam divinæ justitiæ; licet hæ imprecationes possint etiam per modum prænuntiationis intelligi. Quandoque verò dicitur aliquod malum sub ratione utilis, putà cùm aliquis optat aliquem peccatorem pati aliquam ægritudinem, aut aliquod impedimentum, vel ut ipse melior efficiatur, vel ut saltem ab aliorum nocumento cesset.*]

6. Et in 3. *dist.* 30. *art.* 1. *ad* 4. sic habet. *Ad quartum dicendum, quod charitas attendit ad quædam bona per se, scilicet ad bona gratiæ: ad quædam autem per accidens, in quantum ad ista ordinantur. Bona autem temporalia, quæ per accidens charitas attendit, & ex consequenti possunt se invicem in diversis impedire, quia prosperitas unius inducit adversitatem alterius, unde quia charitas ordinem habet, & plus debet diligere quisque se quàm alium, & propinquos quàm extraneos, & amicos quàm inimicos, & bonum commune multorum, quàm bonum privatum unius,* [*potest aliquis, salvâ charitate, optare malum temporale alicui, & gaudere, si contingit; non in quantum est malum illius, sed in quantum est impedimentum malorum alterius, quem plus tenetur diligere, vel communitatis, aut Ecclesiæ.*] *Similiter de malo etiam ejus, qui in malum temporale incidit, secundùm quod per malum pœnæ impeditur frequenter malum culpæ ejus: sed bona gratiæ mutuò se non impediunt, quia spiritualia bona à pluribus integrè possideri possunt. Et ideo quantum ad hoc, nullus, salvâ charitate, potest malum alteri optare, vel de malo gaudere,*

dere, nisi in quantum in malo culpa, vel damnationis alicujus relucet bonum divina justitia, quod plus tenetur diligere, quàm aliquem hominem. Sed hoc non est per se de malo gaudere, sed de bono, quod adjunctum est malo.

7. Suppono secundò, sub ea damnatione non comprehendi doctrinam, quam omninò veram, & certam existimo, scillicet posse me desiderare inefficaciter mortem alterius propter bonum spirituale illius, aut alterius. Et ratio est, quia bonum spirituale semper debet præferri bono temporali. Sic Pater potest desiderare inefficaciter mortem filii, qui dat signa perversionis futuræ, vel cùm credit lapsurum in multa peccata enormia.

8. Suppono tertiò, etiam esse licitum, neque comprehendi sub ea damnatione, si quis desideret mortem alicujus propter ingens bonum etiam temporale communitatis, vel Ecclesiæ, quia bonum commune præferendum est bono privatæ personæ. Neque comprehenditur sub ea damnatione, quia propositiones damnatæ non loquentur de hoc casu.

9. Suppono quartò, etiam esse licitum, neque contentum sub ea damnatione, si quis desideret mortem alicujus propter vitandum aliquod magnum nocumentum, quod ex vita illius impendet consanguineo, propinquo, vel amico, vel etiam ipsi desideranti. Et hoc est quod dixit *S. Thomas suprà citatus*, nempe: *Potest aliquis, salvâ charitate, optare malum temporale alicui, & gaudere, si contingit, non in quantum est malum illius, sed in quantum est impedimentum malorum alterius, quem plus tenetur diligere.* Ita Pater potest licitè desiderare inefficaciter mortem mariti, qui filiam ejus pessimè affligit sine spe emendationis. Et ratio est, quia cum Pater teneatur plus diligere filiam, quàm generum, & assidua afflictio filiæ sit magnum malum, propter hoc vitandum licebit illud desiderium inefficax Patris.

10. Suppono quintò. Intellectum posse præscindere mortem Patris ab effectu hæreditatis filio advenientis: & sic licitum erit, neque sub ea damnatione contentum, quod filius gaudeat de hæreditate sibi obveniente ex morte Patris, quin de ipsa morte gaudeat. Nam eamdem præscissionem, quam facit intellectus, potest sequi voluntas. Quod si intellectus præscindit inter prædicata identificata, à fortiori poterit præscindere inter ea duo, quæ realiter distinguuntur, videlicet inter mortem Patris, & aditionem hæreditatis.

CAPUT II.

Quomodo ex doctrina S. Thomæ non inferatur aliqua ex propositionibus damnatis?

SUMMARIUM.

Proponitur ratio dubitandi. num. 12. & seqq.

Nulla ex propositionibus damnatis infertur ex doctrina S. Thomæ num. 15.

Cum quis gaudet de malo unius reduplicative, quatenus est bonum alterius, reduplicatio cadit supra bonum alterius. num. 16.

Qui cupis mortem alterius propter suum commodum temporale, desiderium illius

lius fertur immediatè ad mortem alterius. n.17.

Doctrina generalis Sancti Thomæ, quod licet desiderare malum proximi sub ratione boni, non extenditur ad quamcumque rationem boni. n.19.

11. DUo ergò sunt, quæ præcipuè dubitantur circà damnationem earum trium propositionum. Primum est propter falsam quorumdam existimationem præfatam, an aliqua ex propositionibus damnatis inferatur ex prætacta doctrina S. Thomæ? Secundum, quid sit, quod formaliter damnatur, & prohibetur in eo decreto?

12. Et quantum ad primum attinet, prima, & secunda propositio alicui videbitur inferri ex doctrina Sancti Thomæ. Etenim: *Si aliquis optet malum alterius sub ratione boni, sic est licitum, nec erit maledictio per se loquendo, sed per accidens, quia principalis intentio dicentis non fertur ad malum, sed ad bonum.* Ut loquitur *S. Thomas loc. cit.* Sed qui de vita alicujus tristatur, aut de illius morte naturali gaudet, vel illam inefficaci affectu petit, aut desiderat, non ex displicentia personæ, sed ob aliquod temporale emolumentum; iste optat malum alterius sub ratione boni; & principalis intentio illius non fertur ad malum, sed ad bonum: ergò ejusmodi desiderium inefficax licitum est.

13. Deinde qui absoluto desiderio cupit mortem Patris, non quidem ut malum Patris, sed ut bonum cupientis, quia nimirum ei obventura est pinguis hæreditas, optat malum Patris sub ratione boni, & intentio filii non fertur ad malum, sed ad bonum: ergò id desiderium ex mente S. Thomæ licitum est.

14. Secundò juxta S. Thomam *potest aliquis salvâ charitate optare malum temporale alicui, & gaudere si contingit, non in quantum est malum illius, sed in quantum est impedimentum malorum alterius, quem plus tenetur diligere.* Quæ sunt verba *Sancti Thomæ* suprà relata. Sed filius tenetur plus diligere se ipsum, quàm Patrem, & vita Patris est impedimentum bonorum filii, cùm impediat aditionem hæreditatis, & mors Patris est impedimentum hujus mali, quod accidit filio, carendi hæreditate: ergò ita poterit filius gaudere de morte Patris, quæ impedit carentiam hæreditatis.

15. Dicendum tamen est, nullam ex propositionibus damnatis inferri ex doctrina *S. Thomæ*, atque adeo damnationem earum propositionum nullatenus adversari doctrinæ *S. Thomæ.* Etenim *S. Thomas* non docet, licitum esse, quod intentio desiderii feratur directè, & immediatè ad malum alterius, sed dumtaxat ad bonum, quod ex eo malo resultat, ut patet ex illis postremis verbis: *Sed hoc non est per se de malo gaudere, sed de bono, quod adjunctum est malo.*

16. Pro cujus intelligentia notandum est, cùm *Sanctus Thomas* dicit, licitum esse gaudere de malo unius, in quantum est bonum alterius, facere reduplicationem, & quamvis in reduplicatione interveniat materiale & formale; quando fit reduplicatio, non fit suprà materiale, sed suprà formale: & ideo illud gaudium, vel desiderium solùm fertur immediatè ad formale, scilicet ad bonum alterius. Ita cùm

cùm dicimus *Album reduplicativè quatenus album disgregat visum*, quamvis album sit concretum ex subjecto, & forma, tamen reduplicatio non cadit suprà materiale, sive suprà subjectum, sed solùm suprà formale, nempe suprà solam albedinem. Sic etiam cùm quis appetit dulce reduplicativè quatenus dulce, non appetit subjectum dulcedinis, sed ipsam dulcedinem: quod si appetit etiam subjectum, non appetit illud præcisè quatenus dulce reduplicativè: nam ut dixi, reduplicatio suprà formale solum.

17. Hinc respondetur ad argumenta proximè allata. Ad primum ergò respondetur, eum qui desiderat mortem alterius propter suum emolumentum temporale non sistere in proprio commodo, sed desiderium illius ferri immediatè ad mortem proximi, vel Patris. Cùm tamen *Sanctus Thomas* reduplicans supra bonum inde secutum, solùm doceat licitum desiderium de formali, nempè de ipso bono, quod resultat. Et hinc etiam patet ad secundam partem primæ objectionis.

18. Ad secundam objectionem clarius patet doctrina tradita, cum in verbis relatis *S. Thomæ* inveniatur reduplicatio, in qua solùm attenditur immediatè formale bonitatis, & non materiale mali, ex quo ea bonitas resultat.

19. Respondetur secundò. Cùm *Sanctus Thomas* tradidit doctrinam generalem, quod liceat desiderare malum proximi sub ratione boni, non propterea docuisse, licitum esse desiderare malum proximi generaliter sub quacumque ratione boni, multò minus sub ratione boni levissimi; quod amplius constabit ex proximè dicendis.

CAPUT III.

Quomodo intelligendæ sint propositiones damnatæ?

SUMMARIUM.

Sensus est, illicitum esse desiderare directè mortem proximi ob commoda temporalia. n. 20.

Licitum est desiderare mortem proximo, ad vitandum aliquod ingens malum. n. 21.

Non est licitum præponere commodum temporale vitæ proximi. num. 22.

Et hinc explicatur sensus propositionis decimæ tertiæ. Ibidem.

Ex eodem principio constat sensus, & falsitas propositionis decimæ quartæ. n. 23.

Et propositionis 15. n. 24.

An filius desiderans directè mortem Patris propter hæreditatem, desideret illam reduplicativè quatenus sibi commodam? n. 25. & seqq.

Quid dicendum de parricidio perpetrato in ebrietate? n. 2.

20. Dicendum est secundò, in ea damnatione propositionum damnari doctrinam, quæ tradit, licitum esse desiderare directè, & immediatè mortem proximi, aut gaudere de illa propter commoda temporalia. Quod apud omnes certum esse debuit. Etenim lethaliter peccat, qui sibi ipsi desiderat mortem ob causas levissimas. v. g. Si quis sibi mortem desideraret propter vitandum fastidium, quod concipitur ex nimia lo-

quela alterius, aut ex nimia tussi socii. Et ideo *Antoninus Diana part. 5. tract. 14. resol. 92.* præmissa doctrina, & periodo. *P. Granado ex 2. 2. controv. 3. tract. 6 disp. 2 sect. 4. num. 21.* optimè dixit. [Ex quibus apparet, esse damnandas de mortali mulierculas, & præsertim vetulas, quæ ob res minimas vociferantur, & optant sibi mortem:] Ex quibus omnibus constat, non licere optare sibi mortem propter bonum levioris momenti. Ergò non licet optare mortem proximo propter bonum levioris momenti. Sed qui optat mortem proximi, non propter ingens aliquod malum vitandum, sed propter qualecumque emolumentum temporale, aut propter pinguem hæreditatem adeundam, desiderat illi malum propter bonum levioris momenti: ergò mortaliter illicitum est. Probatur minor: quia vita proximi præferri debet cuilibet emolumento temporali. Nam si id non esset verum, quomodo in extrema necessitate proximi teneretur homo succurrere etiam de necessariis ad statum.

21. Itaque licitum est, & minimè sub ea damnatione contentum, desiderare mortem proximo ad vitandum aliquod ingens malum sibi impendens, sicut etiam licitum est optare sibi mortem, ut evadat aliquod ingens malum, sive temporale, sive spiritu le, non tamen est licitum desiderare mortem proximo propter emolumentum temporale non necessarium; quia id censetur bonum levioris momenti, factâ comparatione cum vita proximi.

22. Et ex hac secunda conclusione patet, meritò damnari decimam tertiam propositionem. Nam tristari de vita alicujus, aut de morte naturali gaudere ob aliquod emolumentum temporale, ita ut tristitia aut gaudium feratur immediatè & formaliter ad vitam, aut mortem proximi, maximè dissonat rationi: quia sic præponitur emolumentum temporale vitæ hominis. Et idem de affectu petendi, aut desiderandi mortem proximi, quamvis affectus sit inefficax. Cum quo fit, quod si desiderium feratur solùm ad emolumentum temporale pro hypothesi, in qua Deus vellet, proximum mori, non autem ad mortem illius, tale desiderium non incurrat reatum peccati lethalis, ut dixi initio in suppositione 1.

23. Et ob eamdem rationem, imò & majorem, damnatur decima quarta propositio, de eo, qui desiderat mortem Patris ob hæreditatem sibi obventuram. Dissonat enim maximè rationi, quod præferat hæreditatem vitæ Patris. Habetque specialem circunstantiam contra pietatem erga Patrem: debet enim pluris æstimare vitam patris, quàm alterius proximi. Et hæc circumstantia mutat speciem, quia est contra specialem virtutem.

24. Eodem genere deformitatis scatet decima quinta propositio: quia juxta eam gaudium filii formaliter & immediatè terminatur ad calamitatem Patris: quod illicitum est ob rationes propositas. Si autem id gaudium solùm ferretur immediatè & formaliter ad effectum adquisitionis divitiarum, & non ad calamitatem Patris; sic non esset peccatum contra charitatem, sed solùm peccaret ex nimio amore divitiarũ.

25. Dices: *Filius in eo casu gaudet de calamitate Patris, quatenus sibi bona est reduplicativè: ergò sic non peccat.* Probatur consequentia. Nam, ut loquitur S. Thomas suprà citatus num. 14. *Potest aliquis, salvâ*

salvâ charitate optare malum temporale alicui, & gaudere, si contingat, non in quantum est impedimentum malorum alterius, quem plus tenetur diligere. Diximus autem reduplicationem non cadere supra mortem, sed suprà effectum.

26. Respondetur, filium in eo casu non gaudere de morte Patris, quatenus sibi bona est reduplicativè, quia cùm reduplicatio cadat solùm suprà formale, nempè suprà bonitatem, sive commoditatem propriam; & gaudium filii (quale proponitur in ea propositione) terminetur formaliter ad ipsam calamitatem Patris, & non solùm ad commoditatem propriam; indè fit, quod non gaudeat de morte Patris, reduplicativè ut sibi commoda. Quod si filius gaudeat de morte Patris reduplicativè ut sibi commoda, sic non gaudet de materiali, nempè de morte; sed formali, suprà quod fit reduplicatio, nempe de commoditate propria, suppositâ morte Patris, de qua non gaudet, sed supponit illam contigisse. Et ita hæc propositio: *Filius gaudet de morte Patris reduplicativè quatenus est commoda sibi*; æquivalet isti, *Filius, præsuppositâ morte Patris, gaudet de commodo suo*: neque in alio sensu admittenda est.

27. Quod autem dicitur in *proposit.* 15. de parricidio perpetrato in ebrietate, nihil habet speciale circà materiam hujus dissertationis. Ideo breviter dico, si, quando filius habuit voluntatem se inebriandi, prævidit periculum occisionis Patris, imputatur filio peccatum parricidii, quod si non prævidit, non imputatur. Vide *Vasquium tom. 1. in 1. 2. disput.* 127. Quod si posteà gaudet de calamitate Patris, peccat graviter, ut dictum est.

DISSERTATIO XI.

An detur præceptum speciale Fidei; & quoties teneamur elicere Fidei actum.

CAPUT I.

Refertur propositio damnata, & deciditur prior pars quæstionis.

ARTICULUS I.

Statuitur conclusio.

SUMMARIUM.

Qui docent eam propositionem, non negant præceptum credendi, sed illud esse speciale, & per se. n. 1.

Dari præceptum fidei constat ex multis Sacra Scriptura locis. n. 2.

Hoc præceptum partim est positivum, partim est negativum. n. 3.

Præceptum credendi esse per se, constat ex communi sensu Theologorum. num. 4. & 5.

1. PRopositio 16. damnata in hoc decreto hæc est: *Fides non censetur cadere sub præceptum speciale, & secundùm se.* Et qui hanc propositionem docuerunt, non videntur negare præceptum credendi; sed solùm negare, id non esse speciale, & secundùm se, propter ipsam virtutem Fidei exercendam, sed solùm propter alias virtutes, & in ordine ad illas exercendas. Sicut cùm quis vovet jejunium, illa obligatio non oritur à virtute abstinentiæ, sed à virtute Religionis, quæ præcipit impletionē voti. Ita dicunt. præceptum Fidei non obligare ratione sui, & per se, sed obligare quatenus dirigit ad alias virtutes exercendas.

2. De hac materia scripsit egregiè *P. Suarez disp.* 13. *de Fide sect.* 1. *&* 2. Et inprimis datum esse hominibus præceptum obligans ad interiorem fidem, sic probat *sect.* 1. *num.* 2. [Hæc assertio ...... est certa secundum Fidem. Habetur expressa 1. Joan. 3. *Hoc est mandatum ejus, ut credamus in nomine Filii ejus.* Deinde colligitur ex quadam certa regula, quod omnia, quæ in Scriptura proponuntur sub comminatione æternæ damnationis, posita sunt sub rigoroso præcepto; sicut Paulus post multa quæ dixerat ad Galatas 5. subjunxit: *Qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt.* Et sicut Christus dixit Joan. 6. *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis,* &c. *Non habebitis vitam in vobis.* Nam indè optimè colligitur præceptum graviter obligans. Et ratio est: quia nemo damnatur, nisi propter peccatum lethale; omne autem peccatum est contra præceptum juxta definitionem suam. At verò Fides exigitur in scriptura sub tali comminatione Matth. ult. *Qui non crediderit condemnabitur.* Ad Hebr. 2. *Quomodo nos effugimus, si tantam neglexerimus salutem.* Et cap. 10. *Justus ex Fide vivit; quod si subtraxerit se, non placebit animæ meæ.* Est ergò Fides sub præcepto rigoroso obligante sub reatu æternæ damnationis] Hæc Doctor eximius, qui multa alia superaddit in confirmationem hujus veritatis. Et præcipuè id convincit ex eo, quod *disp.* 12. ostenderat, nempè Fidem esse necessariam necessitate medii ad salutem æternam: eò quod media ad hanc salutem consequendam non possunt non esse præcepta. Explicat postea quomodo hoc præceptum sit juris divini, & quomodo juris naturalis, & supernaturalis.

3. Explicat deinde à *num.* 7. quomodò hoc præceptum partim sit negativum, partim positivum. Et quomodò, quà negativum est, prohibeat non solùm negationem, sed etiam dubitationem & formidinem voluntariam, propter summam certitudinem, quæ est de essentia actus Fidei. Et qua positivum est, obliget ad audiendam, & addiscendam Fidem, & factâ sufficienti propositione, ad credendum per actus internos Fidei supernaturalis.

4. In *sect.* 2. tractat id, quod proprius accedit ad materiam hujus propositionis. Nam *num.* 3. sic statuit conclusionem. [Dicendum est, dari in Fide *speciale* & proprium præceptum ad illam pertinens, etiam ut præcisè inspectam sine obligatione aliarum virtutum, proximè & per se ad ipsam Fidem non pertinentium. Hanc assertionem existimo certam, & communem Theologorum: nam in hoc sensu loquuntur de præcepto, cùm affirmant illud dari de Fide.] Et pro ea in terminis tradita citat *P. Valentiam, P. Azor, & P. Thomam Sanchez.*

5. Et hinc colligitur ex mente *P. Suarii* quam jure merito damnata sit ea propositio 16. cùm Doctor eximius asserat, hanc nostram & suam assertionem esse certam, & communem Theologorum; propositio autem, quæ contradicit sententiæ certæ, & communi Theologorum, est positivè improbabilis, & certò falsa; & si relaxat conscientiam, est scandalosa, ut ostendi in 1. *part. Crit. Theol. disp.* 9. *c.* 20. *art.* 7.

AR-

ARTICULUS II.

Discutiuntur, & vindicantur argumenta, quæ pro hac conclusione affert P. Suarez.

SUMMARIUM.

Argumentum probans, dari negativum præceptum Fidei, n. 6.

Aliud argumentum desumptum ab eo, quod Deus est objectum primarium intellectus, n. 7.

Quid censeat Lugo de hoc argumento? n. 8.

Quomodo Lugo non rectè perceperit mentem Suarii: n. 9.

Quomodo fides sit perfectio supernaturalis hominis; & quomodo inde inferatur præceptum per se, n. 11.

Objectiones Cardinalis solutæ, num. 12. & seqq.

Quomodo intelligatur, fidem esse partem justitiæ: n. 15. & 16.

Quomodo fides præcipiatur directè simul, & indirectè? n. 18.

Quomodo fides præcipiatur, ut fidelis sit benè instructus? n. 21.

Fides licèt sit medium respectu charitatis, etiam præcipiatur per se, n. 22.

6. PRobat primò. Nam hæresis est speciale peccatum contra virtutem Fidei, per quod habitus supernaturalis Fidei amittitur: sed non potest esse speciale peccatum contrà virtutem, nisi detur speciale præceptum de tali virtute; non enim est peccatum, nisi sit contrà præceptum: datur ergò speciale præceptum Fidei. Sic enim si quis voveat jejuniū, violatio ejus voti non est contrà virtutem abstinentiæ, sed contra Religionem; quando autem datur præceptum jejunii, quod quidem injungitur propter virtutem abstinentiæ; violatio ejus est contrà virtutem abstinentiæ. Et quidem hoc argumentum probat, esse speciale præceptum Fidei, & per se, quà negativum est, & quatenus obstringit ad non dissentiendum, nec formidandum circa veritates Fidei; hæresis enim, dubitatio, & formido violant præceptum, quà negativum: Reliqua autem argumenta Suarii probant etiam, dari præceptum Fidei *per se*, etiam quatenus affirmativum est, & obligat ad actus Fidei exercendos.

7. Probat secundò. Nam quod attinet ad obligationem credendi veritates, quæ sunt de Deo, & de Divinis perfectionibus, est speciale præceptum Fidei. [Quia Deus est primarium & per se objectum Fidei; in cujus cognitione majori ex parte hominis perfectio consistit, ut dixit *Dionysius cap. 4. de Divinis nominibus*, & in ordine naturali cognovit *Aristoteles 10. Et hic cap. 7. & 8.* ponens summam perfectionem hominis in cognitione summi veri, ut etiam *D. Thom.* attigit *2. 2. q. 167. art. 1.* ergò in ordine supernaturali cognitio Dei, quæ est per fidem, per se, ac directè præcipitur propter perfectionem ipsius hominis.] Quæ sunt verba *P. Suarii. Qui num 5.* hæc superaddit. [Ideò etiam ipsa per se, & propter se propriam affert præcepti obligationem, & maximè ut ad Deum cognoscendum terminatur: sic enim in ea suo modò consistit hujus vitæ participata fœlicitas juxtà illud: *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te solum verum Deum.*]

8. Accessit *Lugo Card. disp.* 13. *de Fide sect.* 2. *numer.* 28. ad hæc argumenta P. Suarii; & ei non videntur efficacia, subjungens. (Ego paulò aliter sentio, totam illam obligationem directam, quæ oritur specialiter ex virtute Fidei, fundari solum in debito colendi Divinam authoritatem nobis loquentem, cui eo ipso debemus cultum supremum intellectualem, quem exhibere debemus per assensum firmissimum, præstando fidem iis, quæ Deus nobis determinatè dicit, quam fidem eo ipso, quod nobis determinatè aliquid dicit, à nobis videtur exigere, nec possumus sine gravi irreverentia eam negare, ut suprà explicuimus. Quare omnes aliæ rationes, quas Suarez accumulat ad eam obligationem probandam, non videntur mihi satis efficaces, nisi ad hanc unam reducantur.) Et paucis interjectis subjungit numer. 29. (Deum esse objectum primarium nostræ Fidei, non probat, hanc obligationem directam circa materiam, quæ pertinet ad cognoscendum ipsum Deum; nisi aliunde constet, voluisse nobis Deum hæc ipsa revelare eo animo, ut omninò deberemus talem revelationem specialiter audire, & percipere. Diximus enim suprà, non obligari nos de facto ad credenda explicite, & determinatè omnia, quæ Deus in scripturis Sacris, vel aliter revelavit; quia non eo animo revelavit, ut obligaret nos ea in particulari audienda.) Et post ad pauca superaddit: (Potuisset ergo etiam Deus, si voluisset, revelare nobis liberè ea omnia, quæ de se ipso revelavit, hoc est, non exigendo fidem, nec attentionem specialem ad ea, sicut nunc de facto multa nobis de se ipso revelavit. Quo etiam casu Deus potuisset esse objectum primarium, & attributionis Fidei: quia licèt Fides per se non obligaret ad explicitam cognitionem eorum, quæ ad Deum etiam pertinerent, potuisset tamen Deus ea omnia ad hunc finem revelare, ut si homo vellet attendere, posset explicitè notitiam Divinitatis comparare.) Deinde ad id, quod colligit P. Suarez, nempè ex eo, quod cognitio Dei est perfectio intellectus humani, inferri, quod præceptum de cognitione Dei per fidem sit per se, & non solum propter charitatem exercendam; resistit *Card. Lugo num. 30. sic:* (Inprimis hoc argumento probaretur, esse etiam obligationem directam ex virtute Fidei, ut omnes procurarent credere explicitè quidquid Fides tradit de perfectionibus, & attributis intrinsecis Dei: nam perfectio hominis non est cognitio confusa Dei, sed distincta, qualis saltem in hac vita cōparari potest.) Hucusque Lugo.

9. Sed sanè existimo, Cardinalem non penetrasse mentem P. Suarii. Hujus enim assertio continet duplicem partem: prima est, dari præceptum Fidei supernaturalis; secunda est, hoc præceptum non solum esse cognitionis Dei, tamquam medii ad sanctificationem hominis, sed etiam cognitionis Dei *per se, & propter se.* Primam partem demonstravit Suarius in sect. 1. hanc autem secundam in sect. 2. ejusque argumenta solum tendunt ad hanc secundam partem probandam. Et quia Lugo existimavit argumenta Suarii referri ad utrumque, ideo inefficacia ei visa sunt.

10. Itaque id primum argumentum nostri Doctoris sic procedit. Si præceptum Fidei, & cognitionis supernaturalis Dei,

quod

quod jam præsupponitur tamquam certum, solum esset de cognitione DEI tamquam de medio ad sanctificationem hominis requisito, & non *per se*, nec *propter se*; Deus non esset objectum primarium intellectus humani: quando enim requiritur cognitio objecti A. solum propter cognitionem, vel amorem alterius objecti; objectum A non est objectum primarium, siquidem in esse objecti ordinatur ad aliud.

11. Secundum argumentum desumptum ab eo, quod cognitio summi veri est summa perfectio intellectus humani, sic procedit. Nam si dicatur præceptum de cognitione supernaturali Dei per fidem non esse de Fide *per se*, sed propter sanctificationem hominis, & tamquam medium ad illam; ex hoc ipso sequitur, quod id præceptum sit propter perfectionem supernaturalem hominis: atqui cognitio supernaturalis Dei est perfectio supernaturalis ipsius hominis, sive intellectus humani: ergo præceptum ordinatur ad cognitionem supernaturalem Dei propter se ipsam & non propter solam perfectionem supernaturalem voluntatis.

12. Hinc facilè respondetur ad objectiones Cardinalis. Ad primam respondeo, eam rationem de objecto primario non afferri à Suario ad probandam obligationem præcepti; sed hac supposita, probat, non præcipi Fidem solum propter aliud, sed propter objectum primarium, quod tale non esset, si solum præcipere propter aliud.

13. Ad secundam objectionem desumptam ex eo, quod potuisset nobis revelare liberè ea, quæ revelavit; & hinc etiam posset Deus esse objectum primarium nostræ Fidei liberè nobis insinuatæ; dico, etiam in hac objectione supponi, id argumentum de objecto primario assumi ad probandum præceptum: quod tamen nullo modo id assumit Suarius ad eum finem. Ideo ea objectio nihil lædit ratiocinationem Suarii.

14. Ad tertiam objectionem desumptam ex eo, quod esset obligatio directa ex virtute Fidei ad credenda explicitè omnia, quæ Deus de se ipso revelavit; quia credere ea omnia explicitè est perfectio intellectus: respondeo eam non militare contra ratiocinationem Suarii, qui non inde probat esse talem obligationem; sed solum quod obligatio, quæ probata præsupponitur, non sit solum propter aliam perfectionem hominis, sed propter ipsam Dei cognitionem, quæ etiam est perfectio supernaturalis ipsius hominis. Ad id, quod addit, perfectionem hominis non esse cognitionem Dei confusam, sed distinctam; respondeo cognitionem distinctam esse majorem perfectionem; sed id non tollit, quod etiã cognitio confusa Dei sit perfectio intellectus humani, maximè attenta hujus imbecillitate.

15. Objicit quartò sic: (neque etiam est magis efficax argumentum, quod affert Suarez ex eo, quod Fides est necessaria tamquam pars ipsius justitiæ; quam justitiam per se, & directè debet homo procurare. . . . Et quidem Fides actualis non est pars justitiæ, à qua formaliter homo dicitur justus, sed dispositio remota ad illam.)

16. Respondeo justitiam sumi in duplicii

plici acceptione. Prima, pro gratia justificationis. Secunda, pro exercitio virtutum, quod præstant præcipuè justi juxtà id, quod dixit Christus *D. Matth. 3. Sic nos decet implere omnem justitiam.* Asserit ergo P. Suarez, Fidei actum esse partem justitiæ in hac secunda acceptione. Cùm ergò Fides præcipiatur propter exercitium justitiæ, inde arguit, Fidem præcipi propter exercitium ipsiusmet virtutis.

17. Objicit quintò contra eam partem assertionis, quod præcipiatur directè & *per se* assensus Fidei, qui terminatur ad materias morales, v.g. quo creditur id, quod est de Fide circa charitatem, spem, castitatem, &c. sic (Non probatur efficaciter hæc obligatio directa ex virtute Fidei ad eos assensus argumentis, quæ ad hoc probandum ex ipso retulimus. Non primò argumento, ex eo quod Fides non practico modo, sed speculativo proponit hæc objecta. Per hoc enim non excluditur obligatio indirecta: nam omne illud potest cadere sub obligationem indirectam alicujus virtutis, quod potest esse medium necessarium ad id, ad quod virtus illa directè & per se obligat.)

18. Pro responsione adverte primò, eo argumento non probari à Suario obligationem præcepti, quæ jam supponitur probata in sectione antecedenti. Adverte secundò ex sententia nostri Doctoris Fidem, quà suam doctrinam extendit ad cognoscendas materias virtutum, præcipi directè, & indirectè. Indirectè quidem, quatenus est medium ad virtutes exercendas; directè vero quatenus ipsa Fides est virtus per se expetibilis. Adverte tertiò actum speculativum posse esse medium ad praxim virtutum, non per se formaliter & immediatè; sed quatenus ex cognitione speculativa infertur alia cognitio practica, quæ dirigit ad operationem. Adverte quartò dari in Fide actus speculativos, & practicos: V.g. iste est speculativus, *Castitas placet Deo:* est practicus iste, *Debemus Castitatem inviolatam servare.* Et uterque est assensus Fidei, cùm assentiamur propter testimonium Dei revelantis.

19. Jam vero respondeo, non excludi obligationem indirectam Fidei, quatenus est medium ad alias virtutes exercendas; sed debere etiam admitti obligationem Fidei *per se & propter se.* Ex eo enim, quod assensus Fidei sit speculativus, est etiam *per se* & *propter se* expetibilis. Coadjuvatur autem hæc ratio ab alia præcedente; quia cum sit per se expetibilis, & sit modo dicto pars justitiæ, datur etiam obligatio *per se* & *propter se.*

20. Objicit sextò sic: (secundum etiam argumentum, quod affert, videtur confundere obligationem directam cum indirecta: si enim oritur ex eo, quod hæc Fidei cognitio circa materias morales est per se necessaria ad perfectionem hominis Christiani, ut Christianus est, & ut sit aptus, & instructus ad benè vivendum; jam ergo, non est obligatio per se, sed propter aliud, nempè quia est medium necessarium ad benè & Christianè vivendum.)

21. Respondeo, aliud esse, quod Fides sit necessaria, ut quis se applicet ad benè vivendum; & aliud, quod sit necessaria, ut sit benè instructus de rebus spectatibus

bus ad benè vivendum. Primo modo est necessaria tamquam medium; at vero secundo modo, etiamsi homo nolit se applicare ad benè vivendum, per se est expetibilis, ut in his sit benè instructus doctrinâ bonâ & laudabili.

22. Potest etiam objici septimò. Omnia præcepta ordinantur ad charitatem tamquam media ad finem; nam *finis omnis præcepti est charitas*, ut ait Apostolus *1. ad Timoth. 1. de quo latè egi disert. 6 capit. 2. art. 4. à numer. 36.* ergò præceptum Fidei ordinatur ad charitatem tamquam medium ad finem: ergo non præcipitur propter se, sed propter charitatem.

23. Respondeo, quamvis ea, quæ sunt media ad consequendum finem, appetantur propter finem; nihil obstat, quominus appetantur etiam *per se*, & independenter à fine. Sic iter Romam versus est medium ad obtinendam dignitatem desideratam, & assumitur propter illam: & tamen nihil obstat, quo minus ipsum iter assumatur per se, & independenter ab eo ambitu dignitatis. Similiter ergo licèt præceptum Fidei ordinetur ad charitatem tamquam ad finem, potest ipsa fides præcipi *per se & propter se.*

ARTICULUS III.

An damnata maneat propositio, si asserat præceptum Fidei, quà negativum est, & quà affirmativum non esse per se, sed indirectum?

SUMMARIUM.

Ratio dubitandi proponitur, n. 25.

Propositio asserens præceptum affirmativum Fidei non esse per se, damnata est ab Alexandro VII. n. 26.

Continetur etiam sub damnatione facta ab Innocentio XI. n. 28.

24. Constat ex art. præced. tamquam certum, & indubitabile, præceptum Fidei, quà negativum est, sive quà interdicit dissensum a Fide, dubitationem, & formidinem, esse *per se*, & *propter se*: nam hæresis, dubitatio, & formido de rebus Fidei sunt specialia peccata, quæ opponuntur speciali præcepto Fidei, & non opponuntur præceptis aliarum virtutum. Inquirimus ergo, an contineatur sub hac damnatione Innocentii XI. propositio affirmans, præceptum quà obligans ad eliciendos actus Fidei, sive quà affirmativum est, non esse speciale & *per se*; dummodo asserat, esse speciale & *per se*, quà negativum est, & interdicens ea peccata opposita Fidei?

25 Et videtur ea opinio non contineri sub ea damnatione. Nam propositio damnata asserit: *Fides non videtur cadere sub præceptum speciale & per se.* Sed propositio modo explicato tradita non admittit, quod hæc damnata continet: ergo non manet damnata. Probatur Minor: Nam propositio damnata negat, Fidem cadere sub præceptum speciale & *per se*: sed hæc altera propositio, de quâ inquirimus, affirmat Fidem cadere sub præceptum speciale & *per se*, scilicet negativum: ergò hæc non manet damnata; cùm hæc non affirmet, quod altera negat.

26. Dicendum tamen est primò, eam propositionem sic explicatam contineri sub damnatione Alexandri VII Nam prima

propositio ex damnatis ab Alexandro VII. hæc est: *Homo nullo unquam vitæ suæ tempore tenetur elicere actum Fidei, spei, & charitatis ex vi præceptorum Divinorum ad eas virtutes pertinentium.* Ubi notabis primò, non loqui eam propositionem de præcepto negativo, quà prohibente hæresim; sed de affirmativo præcipiente hominibus elicere actus Fidei. Notabis secundò, non loqui de præcepto Fidei, quatenus hæc est necessaria ad alias virtutes exercendas; sed quatenus injungit eas ipsas virtutes Fidei, spei, & Charitatis: ut clarissimè constat ex illis verbis *ex vi præceptorum Divinorum ad eas virtutes pertinentium.*

27. Hinc fit, damnatam manere propositionem quæ affirmat, præceptum Fidei non dari affirmativum, & præceptivum actuum Fidei, propter ipsam virtutem Fidei, sed solum propter exercitium aliarum virtutum. Etenim propositio, quæ id affirmat, dicit, Fidelem non teneri elicere actum Fidei ex vi præcepti Divini ad eam virtutem pertinentis: sed id expressè damnat Alexander: continetur ergo sub ejus damnatione.

28. Dicendum est secundò, eam propositionem, de quà inquirimus, quamvis primà facie videatur non includi sub damnatione Innocentii XI eo quod censura Pontificis non distinguat inter præceptum Fidei affirmativum, & negativum; tamen re altius considerata, contineri etiam sub damnatione Innocentii XI. Probatur. Nam Innocentius loquitur in eodem sensu, ac Alexander VII. sed, ut constat ex conclusione 1. Alexander loquitur de præcepto Fidei affirmativo: ergò de eodem loquitur Innocentius, & consequenter damnat propositionem asserentem, non dari præceptum Fidei affirmativum speciale, & *per se.*

29. Minor probatur. Nam initio decreti approbat Innocentius, & affirmat, esse salubre animabus, quod Alexander VII. decrevit circa censuram propositionum. Sic enim ait: [Et *salubre* opus in segregandis noxiis doctrinarum pascuis ab innoxiis, à fœlicis recordationis Alexandro VII. prædecessore suo inchoatum *prosequi* volens.] Ergò cum approbet decretum Alexandri, & propositio damnata ab Innocentio contineatur in prima propositione damnata ab Alexandro, censendus est Innocentius locutus esse in eodem sensu, ac prædecessor.

CAPUT II.

Refertur propositio 17. damnata, & discutitur, quoties teneamur elicere actum Fidei.

ARTICULUS I.

Prænotantur, quæ certa sunt, & proponuntur aliorum opiniones.

SUMMARIUM.

Diversitas damnationis facta ab Alexandro VII & ab Innocentio XI. n. 30.
Duplex modus obligationis eliciendi actum Fidei, n. 31.
Hæc damnatio non includit obligationem eliciendi actum Fidei ex præcepto Fidei per se, n. 32.
Variæ opiniones circa tempus, quo obligat præceptum Fidei, n. 33 & seqq.

30. ALexander VII. in decreto anni 1665. ut retuli suprà art 3. damna-

vit propositionem asserentem, nullo unquam tempore vitæ teneri nos elicere actum Fidei, ex vi præcepti pertinentis ad virtutem Fidei. Tamen Innocentius XI. procedit ulterius, & damnat propositionem asserentem, *satis est actum Fidei semel in vita elicere.*

31 Pro hujus materiæ explicatione, oportet advertere, dupliciter posse nos obligari ad eliciendum actum Fidei; vel ex vi præcepti affirmativi Fidei; vel ex vi aliorum præceptorum, quæ impleri non possunt, nisi præcedat actus Fidei.

32. Deinde certum est, in hac propositione, & damnatione ejus, non fieri mentionem præcepti per se Fidei. Et consequenter vi censuræ istius 17. propositionis, non tenemur asserere, quod vi præcepti Fidei tenemur repetere actum Fidei, sed solum quod illum tenemur repetere, sive ex præcepto Fidei, sive ex præcepto aliarum virtutum postulantium, quod præcedat actus Fidei. Si autem simul assereretur, numquam teneri ad eliciendum actum Fidei, damnata maneret ea propositio ex censura propositionis 16 posita cap. 1. & ex censura Alexandri VII. in primam propositionem, ut suprà retuli. Itaque conformabitur censuræ & præcepto Pontificio, qui dixerit esse præceptum speciale per se ex virtute Fidei, & obligari nos ad eliciendos actus Fidei non semel, sed sæpius, saltem ex vi aliorum. Ex eo præcipuè quod (ut dicam ait. 5.) præceptum per se Fidei non solum impletur cum elicitur actus Fidei ex proprio motivo Fidei, sed impletur etiam cum elicitur ex motivo aliarum virtutum.

33. Postulat autem hæc censura præfatæ propositionis 17. ut decidamus eam quæstionem, (Quo tempore, & quoties obligemur ad actum Fidei eliciendum?) Variæ sunt opiniones doctorum, quas referunt, & refellunt *P. Suarez disp. 13. de Fide sect. 5. & P. Thomas Sanchez, lib. 2. Sum. cap. 1.* Alii enim dicunt, obligari ex præcepto Fidei per se in diebus festis; alii non in omnibus diebus festis, sed in illis, in quibus celebrantur aliqua mysteria Fidei; tunc enim virtute præcepti Fidei dicunt teneri nos elicere actum Fidei circa talia mysteria. Alii, solum teneri nos ad aliquem actum Fidei; non pro tempore determinato, sed pro cujusque arbitrio. Videat, qui voluerit, apertas impugnationes apud Authores relatos.

34. P. Suarez citatus affirmat, præceptum Fidei obligare adultum infidelem, ubi sufficienter illi proposita sunt objecta Fidei, quia hoc debetur authoritati Dei revelantis. Puerum autem baptizatum, ubi primum pervenit ad plenum usum rationis, teneri ob eandem rationem ad eliciendum actum Fidei: quod intelligitur, cùm primum instruitur de rebus Fidei, aut advertit ad obligationem addiscendi mysteria Fidei. Teneri iterum ad actum Fidei, quando coram Tyranno examinatur de sua Fide. Teneri iterum in articulo mortis: quia id tempus oportunius implendi præceptum, & profitendi se Christianum. Teneri etiam, quando urget tentatio contra Fidem: quia tunc præceptũ Fidei urget ad firmandũ se in fide.

35. Ubi advertendum est, nomine tentationis contra Fidem non intelligi suggestionem Sathanæ contra Fidem respectu ejus, qui firmissimè adhæret Fidei, & in quo nullum est periculum labendi in hæresim, aut formidinem adver-

tenter: hic enim si cogitationem aliò divertat, nullo actu Fidei elicito, non peccabit contra præceptum Fidei. Nomine enim tentationis contra Fidem intelligitur illa, quæ exponit intellectum hominis periculo vacillandi advertenter. Quod dictum esto propter scrupulosos.

36. Hinc infertur, quod *Mag. Hozes in expositione propositionis 17. numer. 25.* non satis elucerit mentem *P. Suarii disp.13 de Fide sect 5 numer. 6.* proponit enim *Hozes* hæc sola verba *P. Suarii*, *Rarò, vel nunquam datur talis obligatio*, & ideo asserit, hanc propositionem Suarii subjacere huic damnationi. Qui si antecedentia, & subsequentia consideraret, non damnaret propositionem Suarii. Proderit autem ad perfectam intelligentiam propositionis damnatæ examinare mentem Doctoris eximii circa hoc punctum.

37. Ad cujus mentem penetrandam præmittendum est primò. Suarium docere, ex vi aliorum præceptorum, quæ diversa sunt à præcepto fidei, teneri hominem elicere plures actus Fidei, illis verbis: *In aliis vero temporibus vitæ sufficienter impletur hoc præceptum exercendo alios actus Religionis, charitatis, aut spei, quia regulariter non fiunt sine usu Fidei.*

38. Secundò præmittendum est, quod numer. 32. notavi, in damnatione hujus propositionis 17. non exigi, quod actus Fidei sæpius exerceatur ex motivo Fidei, aut ex obligatione præcepti Fidei, sed quod sæpius, & non semel tantum exerceatur; de motivo autem nihil dicitur in damnatione; & ideo non loquitur de præcepto *per se* neque de præcepto Fidei ex obligatione aliarum virtutum, sed abstrahit ab utroque.

39. Tertiò. Præceptum *per se* Fidei impleri etiam, non solum cùm elicitur actus Fidei, sed etiam cùm elicitur ex obligatione præceptorum aliarum virtutum; ut in simili dixi de præcepto per se charitatis *disert.6.capit.2. art. 1 à numer. 14.* & pluribus exemplis comprobavi; & iterum ostendam infrà numer.57 & denotant ea verba relata P. Suarii *sufficienter impletur hoc præceptum exercendo alios actus Religionis*, &c.

40. Quartò. Ex suprà dictis numer. 34. constat, P. Suarium admittere quatuor tempora in quibus determinatè obligat præceptum speciale, & *per se* Fidei independenter à præceptis aliarum virtutum. Et ita cum ponit ea verba relata, *Rarò, vel nunquam datur talis obligatio*, expressè intelligit, id ita esse, ultra ea quatuor tempora relata, & ultra tempora, in quibus obligantur Fideles ex præceptis aliarum virtutum.

41. Hinc evidenter constat, quomodo Suarii doctrina non subjacet huic damnationi. Primò. Propositio damnata est illa, quæ affirmat, *satis esse elicere actum Fidei semel in vita*: sed Suarius non docet, id satis esse; cùm admittat multa tempora, in quibus obligat præceptum Fidei: ergò doctrina Suarii non est propositio damnata.

42. Secundò. Propositio 17. damnata non loquitur de præcepto *per se* Fidei, sed solum de obligatione eliciendi sæpius actum fidei: sed in illis verbis à Magistro Hozes relatis, Doctor eximius loquitur de præcepto *per se* Fidei, & non de quacumque obligatione eliciendi actum Fidei: ergò propositio damnata, & propositio Doctoris eximii non agunt de eodem obje-

objecto; & consequenter propositio *Suarii* longè diversa est à propositione damnata.

43. Tertiò. Nam dato (& non concesso) quod propositio 17. damnata loqueretur de obligatione præcepti *per se* Fidei cum eadem præcisione, cum qua loquitur *Suarius*; adhuc non comprehendit doctrinam *Suarii*. Ut enim comprehenderet, opus esset quod Suarius admitteret, satis esse, quod semel eliceretur actus Fidei: sed id non admittit *Suarius*, cùm expressè ponat quatuor tempora, in quibus urget præceptum *per se* Fidei: ergò non comprehendit doctrinam ejus.

44. Quartò. Nam dato iterum, quod propositio damnata loqueretur præcisè de obligatione præcepti *per se* Fidei; adhuc *Suarius* admittit sæpius satisfacere debere Fideles ei præcepto. Etenim ei præcepto *per se* Fidei satisfaciunt, dum eliciunt actum Fidei ex præscripto aliarum virtutũ, ut constat ex prænotatione 3. proximè præmissa; sed *Suarius* admittit sæpius elicere debere Fideles actum Fidei ex præscripto *Religionis, charitatis, & spei*; per quod sufficienter impletur *hoc præceptum per se* Fidei: ergò *Suarius* docet, quod debent satisfacere Fideles sæpius præcepto *per se* Fidei. Ergò falsum est, quod *Suarius* doceat hanc propositionem damnatam: *satis est, actum Fidei semel in vita elicere.*

45. Idem *Hozes ibid.* attribuit *P. Ioanni Azor* eamdem propositionem damnatam, cujus sententiam refert in hæc verba: (*Azor t. 2. lib. 8. cap. 17. q.* 8. asserit, hominem jam justificatum non teneri ad eliciendum actum Fidei) sed reverà fallitur *Hozes*. Nam, ut constat ex *differt. 6. cap. 2.* ubi retuli expressa verba *P. Azor*, distinguit duplicem obligationem Fidei. Aliam, ut est medium justificationis, & aliam, ut est præceptum virtutis Theologicæ. Primo modo dicit, hominem jam justificatum non teneri ad eliciendũ actum Fidei; secundo modo teneri utique pro variis temporum differentiis: tùm cùm insurgunt tentationes contra Fidem; tùm etiam in variis circumstantiis, in quibus tenemur confiteri fidem exteriùs; quæ confessio (vera, & non ficta) fieri non potest sine actu interno Fidei.

ARTICULUS II.

Proponitur conclusio, & referuntur Authores illi suffragantes.

SUMMARIUM.

Tenentur Fideles ad eliciendos frequenter actus Fidei. n. 47.
Suffragatur P. Suarez num. 47.
Et alii Authores. num. 48. & seqq.

46. EGo tamen censeo, præceptum Fidei, ultra tempora relata, obligare ad eliciendos *frequenter* actus Fidei. Et ita quamvis non sint alia tempora per se determinata, in quibus instet hoc præceptum Fidei; tenetur tamen Fidelis ad eliciendos actus Fidei frequenter, ita ut si diuturno tempore cessaverit advertenter ab illis eliciendis, peccabit mortaliter.

47. Hanc conclusionem sufficienter insinuat *P. Suarez disp. 13. de Fide sect. 2. num. 6.* Nam ut probet dari præceptum per se obligans ad eliciendos actus Fidei, sic ait: (Hujusmodi cognitio [Fidei] est per se necesaria ad perfectionem status

hominis Christiani, ut Christianus est, nimirùm ut sit proximè aptus & benè instructus ad Christianè vivendum. Ad hoc autem tenetur homo ex aliquo præcepto; & non alicujus alterius virtutis particularis: ergò maximè Fidei) Si ergò assensus Fidei est per se necessarius ad Christianè vivendum: & Christianè vivere, dicat continuationem quamdam, & frequentiam operum Christianorum, sicut homo tenetur ad Christianè vivendum, ita ad eliciendos frequenter actus Fidei.

48. Idem videtur insinuare *Lugo Cardinalis disp. 13. de Fide sect. 2. num. 45*, dum ait: [Cùm non possit homo sine Fide servare legem Dei per longum tempus, consequens est, ut ad illam servandam debeat etiam Fidei actus exercere.] Itaque non potest servare legem Dei ad longum tempus sine exercitio actuum Fidei, ideo non potest licitè esse ad longum tempus sine ejusmodi exercitio. Et quamvis *Lugo* dicat, id non procedere ex obligatione Fidei per se, sed ex obligatione aliarũ virtutum; id tamen non est contra conclusionem traditam, ut dicam *art.* 4. Deinde cùm Fides extrinsecè suâ ratione ordinetur ad dirigendas operationes supernaturales, potest dici, quod propria obligatio orta ex ipsa Fide est ministrare lucem ad operationes supernaturales. Itaque aliud est, quod præceptum per se eliciendi frequenter actus fidei impleatur ex præscripto aliarum virturtum; & aliud quod antecedenter ad præcepta aliarum virtutum præceptum Fidei obliget, ad habendum in intellectu eam lucẽ, quà possit dirigere ad reliqua præcepta implenda. Nam ad hoc secundum obligat præceptum Fidei, quamvis id sufficienter impleatur ex præscripto aliarum virtutum, ut mox dicam.

49. Eamdem conclusionem insinuat, imò & affirmare videtur Illustriss. Archiepiscopus Hispalensis *Petrus de Tapia tom. 2. Caten. moral. lib. 1. quæst. 2. art 2. num. 6.* ubi cùm retulisset opinionem aliquorum afferentium, præcepum Fidei per se obligare ad eliciendum actum Fidei saltem semel in anno, subjungit: [Hæc autem supervacantia non videtur admittenda, & maximè in exercitio virtutis admodum utili, & necessario ad vitam spiritualem nutriendam, & conservandam. Nec videtur verosimile, Christum in institutione legis Fidei adeo longum tempus præfixisse.] Ex quo dicendi modo satis clarè significat, præceptum Fidei obligare, quantùm requiritur ad vitam spiritualem Christiani hominis nutriendam, & conservandam.

50. Pro eadem conclusione videtur stare *Lumbier. tom. 2. sum. Hisp. in fragmento ult. in explicatione 1. propositionis damnata ab Alexandro VII. num. 709.* ubi loquens de præceptis trium virtutum Theologicarum hæc verba habet fideliter translata in latinum sermonem: (An ratione præceptorum affirmativorum de eisdem virtutibus obligent, mihi fit incredibile, non obligare aliàs sæpiùs in decursu vitæ; cùm sint actus nobilissimi, & nequaquam difficiles Christianis quoad exercitium; saltem ad eredendum omnia, quæ credit Sancta Mater Ecclesia..... & non solùm sunt faciles, sed & frequentissimi. Sed mihi difficile est determinare tempus; & ita *frequenter* debent elici; quia ex frequentia, & repetitione tuti erimus circa inveniendum tempus obligationis]

Hæc *Lumbier.*

AR-

ARTICULUS III.

Probatur conclusio ex Scriptura & SS. Patribus.

NON EGET SUMMARIO.

51. PRobatur ex Sacra Scriptura ad *Roman. c.* 1. dicitur: *Iustus ex Fide vivit.* Et id repetit Apostolus ad *Galat. c.* 3. & ad *Hebr. cap.* 10. & desumpsit ex hac *cap.* 2. & ipsa Apostoli repetitio magnam emphasim importat, denotatque, in iis verbis magnam doctrinam contineri. Cujus sensus est; quod Fides necessaria est ad nutriendam, & conservandam vitam spiritualem; sicut necessarius est cibus ad nutriendum, & conservandum corpus; sed quod necessarium est ad nutriendam vitam (corporalem, vel spiritualem) necesse est, quod frequenter adhibeatur: ergò necessarium est (scilicet necessitate praecepti) frequenter adhibere actus internos Fidei.

52. Dixi *necessitate praecepti*: quia necessitas praecepti urget, sicut ad vitam Christianam nutriendam, & conservandam, ita etiam ad ponendū media nutriēdæ, & conservandæ ejus vitæ. Ex quibus valde præcipuum medium est exercitium actuum Fidei; cùm *justus ex Fide vivat.*

53. Probatur secundò. Nam Sanctus Paulus Corinthios alloquens in *Epist.* 1. *cap.* 16. ait: *Vigilate, state in Fide.* Hæc autem vigilantia permanentiæ Fidei non salvatur propriè in solo habitu: vigilantia enim dicit actuale exercitium, & simul persistentiam cum frequentia actuum.

54. Probatur tertiò ex verbis Christi D. Luc. cap. 12. *Sint lumbi vestri pracincti & lucerna ardentes in manibus vestris.* Nam lucernæ nomine designatur fides juxtà *S. Ambros in cap.* 12. *Luca*, ubi sic ait: *sint autem lumbi vestri pracincti, & lucerna ardentes. Et ideo quia nox est dies hujus vita, Lucerna est necessaria.* Et paulò ante ad *caput* 11. *Lucerna enim Fides est, juxtà quod scriptum est; Lucerna pedibus meis verbum tuum Domine. Verbum enim Dei Fides nostra est, verbum Dei lux est, lucerna est fides.* Et in *Psalm.* 118. *Serm.* 14. agens de virginibus prudentibus, & fatuis, ait: *Quibus oleum non defuit, nec Lumen Fidei defecit; sed cum lampadibus in locum nuptiarum introire meruerit. Ideo & tu habeto lucernam ardentem, vel lucentem facem. Si enim neque lucerna, neque lampas tua luceat, stulta virgo dicêris, nec introibis in thalamum sponsi tui superioris, sed remanebis in tenebris cacitatis.* Censet ergò *S. Ambrosius*, oportere, quod semper luceat lucerna Fidei, ne excludamur à nuptiis æternis. Quod latè prosequitur ibidem. Idem habet *Arnobius in Psal.* 104.

55. Cùm autem dicit *Ambrosius*, debere nos semper esse paratos, & vigilantes, habentesque lucernas in manibus, satis clarè denotat continuationem habendi lucernam. Fides enim est lucerna data ad dirigendas actiones vitæ Christianæ, & ideo *S. Petrus Epist.* 2. *cap.* 1. ait: *Habemus firmiorem Propheticum sermonem, cui benefacitis attendentes, quasi lucerna lucenti in caliginoso loco.* Ex mente ergò *S. Petri* oportet attendere doctrinæ Fidei. Quomodo autem illi attendunt, qui longo tempore desistunt ab hac attentione? Ut ergò

ergò dicantur attendere huic lucernæ, oportet frequenter elicere actus Fidei. Et ita *S. Laurentius Justinianus de ligno vitæ cap. 2.* ait: *Ipsa quoque Fides sicut sol in meridie, ita fulget in mente.* Et *Origenes in Job* appellat Fidem, *Solem vibrantem super faciem terræ.* Sicut ergò necessaria est lucerna in nocte ad actiones materiales dirigendas; ita Fides ad dirigendas operationes vitæ Christianæ.

56. Et hoc exemplo probari potest, non solùm esse obligationem eliciendi actus Fidei frequenter, sed etiam hanc obligationem oriri à præcepto Fidei *per se* obligante. Nam sicut cùm paterfamilias jubet, accendi lucernam, quæ illuminet domum nocturno tempore pro commodo universali domesticorum; & si necessaria sit pro quærenda drachma, quæ casu fortuito amittitur; non propterea dicitur, jussionem Patrisfamilias de accendenda lucerna esse indirectam propter inveniendam drahmam; sed esse lucernæ per se, quia per se utilis est ad universale commodum domesticorum. Ita cùm Christus Dominus jubet accendi lucernam Fidei pro spirituali commodo domesticorum suorum, non dicetur id præceptum esse per accidens respectu hujus, vel alterius virtutis; sed præcipit Fidem per se tamquam ex conceptu suo ordinatam ad commodum universale Fidelium, in ordine ad exercendas operationes supernaturales.

** † **

ARTICULUS IV.

Argumentis à ratione firmatur conclusio.

SUMMARIUM.

Multa occurrunt occasiones, in quibus tenemur habere Fidem verbis Dei, propter reverentiam debitam. n. 57.

Difficillimum est persistere diu absque peccato mortali sine exercitio actuum Fidei. n. 58.

Objectio solvitur. n. 59. & 60.

Magna pars vitæ Christianæ consistit in actibus Fidei. n. 62.

Ad præceptum per se Fidei pertinet ea cognitio, quæ ex se ordinatur ad perfectionem hominis Christiani. n. 63.

57. PRobatur quartò à ratione. Quoties nobis proponitur, objectum aliquod esse à Deo revelatum, reverentia debita locutioni Dei postulat cultum illum intellectualem, qui consistit in habendo Fidem ejusmodi dictis; ut optimè docet *Lugo Card. disp. 13. de Fide sect. 2. num.* 28. Sed plurimæ occurrunt occasiones, in quibus cuilibet Fideli proponitur objectum revelatum à Deo, ut constabit ex infrà dicendis: ergò in pluribus occasionibus, atque adeò frequenter, tenemur exercere actus internos Fidei.

58. Probatur quintò. Fidelis non potest diu permanere absque peccato mortali, sine exercitio actuum internorum Fidei; ut docuit etiam ipse *Lugo ibid. sect.* 3. Cùm enim attentâ hominis fragilitate, difficillimum sit longo tempore conservari sine peccato mortali; solùm veritates Fidei, & promissiones Divinæ possunt hominem contineri in statu gratiæ

gratiæ: sed vi præcepti Divini homo tenetur continere se in statu gratiæ: ergo vi præcepti Divini tenetur ad non differendum longo tempore actus internos Fidei.

59. Dices, hoc argumento probari, teneri hominem ad exercendos frequenter actus Fidei, non ex vi præcepti Fidei, sed ex vi obligationis continendi se in statu gratiæ.

60. Respondetur concedendo, hoc argumento 5. probari obligationem exercendi frequenter actus Fidei: quæ quidem argumentatio abstrahit ab eo, quod hæc obligatio procedat à præcepto per se Fidei, aut ab alio præcepto.

61. Probatur sextò, ex P. Suario cit. Actus æterni Fidei frequentes maximè necessarii sunt ad vitam Christianam exercendam: sed tenemur vitam Christianam exercere: ergo tenemur elicere frequenter actus internos Fidei.

62. Dices iterum, id non oriri ex præcepto virtutis Fidei, sed ex præceptis aliarum virtutum ad vitam Christianam ducendam. Respondetur primò, ut in argumento præcedenti. Respondetur secundò, magnam partem vitæ Christianæ consistere in credendo: nam vita Christiana est exercitium virtutum, inter quas prima virtus est Fides. Et ita præceptum Fidei per se obligat ad eam partem vitæ Christianæ, quæ consistit in credendo.

63. Respondetur tertiò ex *P. Suario disp. 13. de Fide sect. 2. num. 6.* ad præceptum per se Fidei pertinere eam cognitionem, quæ ex se ordinatur, & per se requiritur ad perfectionem status hominis Christiani: nam cùm is ordo universalis sit de ratione intrinseca cognitionis Fidei, dum per se præcipitur Fides, necesse est, quod præcipiatur cum eo ordine universali ad statum hominis Christiani. Respondetur quartò, ut in *num. 57.*

ARTICULUS V.

Solvitur quædam objectio.

SUMMARIUM:

Objectio proponitur n. 64.
Plurima dantur occasiones in quibus exercentur actus Fidei. n. 65.
Præceptum per se actuum Fidei sufficienter impletur per actus Fidei, qui fiunt ex motivis aliarum virtutum. n. 67.
Præceptum per se audiendi Missam sufficienter impletur, licet audiatur ex motivo alterius virtutis. ibidem.

64. OBjicies, hanc conclusionem, quæ adstruit obligationem præcepti divini eliciendi frequenter actus internos Fidei supernaturalis, esse perniciosam conscientiis; utpote quæ excitare poterit nimiam scrupulorum anxietatem; nam tertio quoque gradu Fideles timorati considerantes præceptum divinum de frequentia actuum Fidei, dubitabunt, an singulis hebdomadis, vel diebus, imò verò an singulis horis teneantur jure divino ad ejusmodi actus eliciendos: quod valde noxium erit conscientiis. Deinde nimia scrupulorum formidine angentur, dum discutient conscientiam ad recipiendum Pœnitentiæ Sacramentum; debebunt enim confiteri omissionem eorum actuum, quibus frequentia defuit. Deinde cùm non determinetur, quanta debeat esse hæc frequentia, unusquisque ex magnitudine, aut mediocritate

sui timoris, plura, vel pauciora peccata sibi imputabit. Quæ omnia absurda sunt, & minimè ad praxim deducenda.

65. Respondeo, nihil curandum esse de hoc scrupulo; nam praxis communis Fidelium est elicere frequentissimè actus Fidei. Omnibus diebus Festis audiunt Missam, & in illa adorant Eucharistiam : quomodo possunt adorare eam, nisi credant, Christum esse realiter præsentem? Idem contingit, dum obviam fiunt Sacerdoti deferenti Eucharistiam ad infirmos : idem dum intrant Ecclesiam, & reverentiam exhibent Sacrario, ubi Eucharistia reposita est. Deinde post vesperum ante lucis terminum, pulsantur campanæ, ut Fideles recitent ter Salutationem Angelicam in memoriam Annunciationis Beatæ Mariæ: ergò quando non recordentur Annunciationis (quod fortè rarum est) quomodo attentè salutabunt Beatam Mariam, nisi credant illam esse in cœlis, & exaudire orationes nostras? Deinde nocte procedente, communis consuetudo Ecclesiarum fert, pulsari campanas, ut moneantur Fideles de oratione pro animabus purgatorii : quomodo ergò Fideles orabunt pro illis, nisi actualiter credant, esse Purgatorium, & animas illic detentas pro satisfactione peccatorum? Qui frequenter accedunt ad Sacramentum Pœnitentiæ, & Patres familias, qui mittunt filios, famulos, servos ad illud recipiendum; quomodo id præstabunt, nisi tunc credant, esse in Ecclesia per id Sacramentum remissionem peccatorum? De recipientibus Eucharistiam, idem dicam, ac suprà dixi de adorantibus. Communis consuetudo majoris partis Fidelium est recitare Rosarium Beatæ Mariæ: qui autem illud recitant, credunt, Beatam Mariam esse in cœlis, & exorari à Fidelibus. Præterea commune est Fidelibus intrare in Ecclesias, & in illis non solùm adorare Eucharistiam, sed etiam orationes offerre, reverentiam exhibere Sanctis, adesse Divinis officiis; quæ omnia præstari non possunt sine multis actibus Fidei. Tandem Fideles frequenter recitant Symbolum Apostolorum, orationem Dominicam &c. quæ sine actibus Fidei fieri non possunt.

66. Dices primò, illos actus Fidelium, quos suprà memoravi, qui sine actibus Fidei fieri non possunt, potius procedere à præcepto aliarum virtutum, quàm à præcepto Fidei: nam actus Fidei, qui requiritur ad adorandam Eucharistiam, videtur potius oriri à præcepto Religionis, quàm à præcepto Fidei.

67. Sed contra est. Nam lex Divina, quæ per se præscribit actus Fidei, qui eliciuntur ex motivis aliarum virtutum. Quod manifestum est in aliis præceptis. Obligatio audiendi Missam in die Festo oritur per se ex præcepto virtutis Religionis: demus ergò, quod Titius afflictus tentatione luxuriæ sibi persuadet, remedium tentationis consistere in audiendo Missam, propter aliarum similium occasionum experientiam; & ideò in die festo procedit ad audiendum Missam ex motivo minuendæ tentationis. Nunquid in eo casu non adimplevit præceptum audiendi Missam in die festo? Utique adimplevit. Et ratio est: quia præceptum audiendi Missam datum ex motivo Religionis non prohibet, quod audiatur ex alio motivo, sed solùm præcipit, quod audiatur; & dum auditur ex quocumque motivo, præceptum impletur : quia motivum se tenet ex parte præcipientis, non verò ex parte implentis, præceptum.

68. Sic

68. Sic contingit in præcepto Fidei, quod licèt præcipiat exercitium frequens actuum Fidei per se, sufficienter impletur hoc præceptum, licèt eliciantur actus Fidei ex præscripto, aut imperio aliarum virtutum. Nam licèt præceptum per se Fidei sit ex ipso motivo Fidei, non prohibet quod eliciantur actus Fidei ex præscripto, aut imperio aliarum virtutum; sed ex quocumque motivo eliciantur actus Fidei, impletur illud præceptum. Vide quæ suprà dixi de præcepto charitatis *dissert. 6. cap. 2. art. 2. à n. 14.*

ARTICULUS VI.

Altera instantia solvitur.

SUMMARIUM.

Alia instantia proponitur. num. 69.

Credere ex motivo Fidei, idem est, ac credere ex motivo Divinæ authoritatis revelantis. n. 70.

Et unde proveniat, quod aliquando non advertamus, elicere nos actus Fidei. n. 71.

Ex eo, quod credunt firma adhæsione ad objectum, colligitur esse per actus Fidei. num. 72.

An possint elici actus Fidei sine recordatione objecti motivi Fidei, quod præcessit? n. 73. & 74.

An præfati actus sint virtualiter actus Fidei. num. 75.

An actus Fidei pendeant à revelatione actualiter cognita? n. 76. & seqq.

Nullus actus utilis ad salutem fit, quin procedat ab actu Fidei. Et quid inde pro conclusione? n. 79.

An eadem sententia probetur ex eo, quod nullus adultus peccator justificetur sine actu Fidei, n. 80. & seq.

Quid inferatur ex supradictis, sub disjuncto colligitur. n. 84.

69. Dices secundò, eos ut in plurimùm non esse actus supernaturales Fidei: quia ad illos eliciendos non sufficit, quod affirment objectum materiale; sed quod expressè illud credant propter authoritatem Dei revelantis, plerumque autem, ea omnia, quæ relata sunt, credunt, non recordati revelationis Divinæ.

70. Sed contra est. Nam licèt non recordentur revelationis Divinæ, credunt ea omnia tanquam de Fide, & tanquam determinati ex motivo Fidei: credere autem sub his terminis, *ex motivo Fidei*, idem est, atque credere ex authoritate Dei revelantis, cùm motivum fidei nihil aliud sit, quàm authoritas Dei revelantis. Qui autem putant, se non elicere formaliter actus Fidei supernaturalis, vel non credere expressè propter authoritatem Dei revelantis; ideò est, quia non reflectunt supra proprios actus, si enim reflecterent, & cogitarent, quid determinavit illos ad adorandam Eucharistiam &c. deprehenderent, se determinatos fuisse ex motivo Fidei.

71. Pro quo sciendum est, quando aliquid cogitavimus, postea solere venire in memoriam, aliquando solùm objectum materiale, aliquando etiam objectum motivum, aliquando etiam ipsum actum intellectus. De hoc dixit Aristoteles, illum frequenter reflecti supra seipsum, & consequenter producere speciem sui ipsius, & ideò mediante tali specie solere nos recordari ipsius cogitationis. Idem contingit

infrà, actus formalis Fidei continetur in illis tamquam in effectu. Sed restat adhuc difficultas, an illi actus, qui sunt virtualiter actus Fidei, sint veri actus Fidei, quales præcepto divino jubentur; & procedant ab habitu Fidei supernaturalis.

76. *P. Petrus Hurtado disp.* 8. de Fide per totam agitat hanc quæstionem, an actus Fidei pendeat à revelatione actualiter cognita, & *sect.* 2. ait: [Hac in parte quiquid proferatur, vetusto carebit Authore: quia quæstio recens nascitur à Parente etiam recente. Eam quæstionem in utramque partem dissertabo: rem in medium proferens, quam vos sui nominis pondere penditote] Supponit autem *in sect.* 1. sicut reliquæ cognitiones producunt in intellectu speciem sui objecti, ita etiam actus Fidei supernaturalis producere speciem sui objecti supernaturalem. Et consequenter quando intellectus inquit: [Quidquid Deus dicit, est verum; Deus dicit, Verbum Divinum incarnatum esse: ergò verum est, quod Verbum Divinum est incarnatum.] tunc in intellectu ea conclusio producit seorsim speciem supernaturalem mysterii Incarnationis.

77. Deinde *sect.* 2. proponit argumenta, quæ probare videntur, eos actus supernaturales, qui affirmant mysterium Incarnationis seorsim, quin actualiter attingant authoritatem, aut revelationem Dei, non esse actus Fidei supernaturalis, neque pertinere ad habitum Fidei. Ejusmodi autem argumenta in eo vertuntur cardine, quod assensus Fidei essentialiter respicit motivum authoritatis, & revelationis Divinæ: ideoque actus isti, qui non attingunt actualiter id motivum, excludi debent à numero actuum Fidei.

78. Præterea *in sect.* 4. *conclus.* 2. *ait:* [Non repugnat, Fidem solam (*id est, solum habitum Fidei*) amplecti ea omnia objecta (*scilicet, objecta materialia Fidei seorsim ab objecto motivo*) Quia cùm radicaliter pendeant ab Authoritate, & testimonio Dei, omnes illi dicuntur actus credendi formaliter, aut radicaliter. Dico tertiò, probabilius esse, sola Fide exerceri omnes illos actus. Nam communis Theologorum assensus, soli Fidei adscribit omnes actus, quoquo modo pendentes à revelatione Dei] Hæc *P. Hurtado.* Et quidem videtur negari non posse, Fidelem elicere actum Fidei, quando attentè recitat Symbolum Apostolorum, *Credo in Deum Patrē omnipotentem, &c.* Quamvis tunc expressè non recordetur revelationis Divinæ: quia iste actus procedit ab specie supernaturali generata ex alia cognitione, quæ habuit pro motivo authoritatem, & revelationem Divinam.

79. Est & aliud fundamentum, quo videtur efficaciter probari, hos actus, qui modo dicto procedunt radicaliter à motivo Fidei pertinere ad habitum Fidei, & esse propriè, & strictè actus Fidei. Est enim doctrina S. Augustini (quam optimè explicat, & propugnat *Lugo Card. disp* 12. *de Fide sect.* 2. *&* 3. *P. Suarez disp.* 11. *de Fide sect.* 2. *num.* 8. qui refert pro hac doctrina S. Augustinum in pluribus locis Operum ejus) nullum fieri actum honestum, & utilem ad salutem æternam, qui non procedat ab actibus Fidei. Cùm ergo quis adorat Eucharistiam, sine memoria authoritatis Dei revelantis hoc mysterium, credens tamen præsentiam realem Christi Domini, utique elicit actum supernaturalem adorationis; ergò ille actus, quo credidit præsentiam

DISSERTATIO XII.

An Fidelis interrogatus de professione suæ Fidei, possit tacere?

CAPUT I.

Refertur propositio damnata, & opiniones Authorum circa hanc quæstionem.

SUMMARIUM.

Negare fidem semper est lethale, & hæc negatio dupliciter contingit. num. 1.

Datur præceptum affirmativum confitendi exterius Fidem. Et hæc confessio alia est materialis, & alia formalis. num. 2.

An ei, qui interrogatur de Fide, liceat tacere? num. 3.

Prima sententia, esse peccatum lethale tacere, si ex silentio credatur non habere Fidem, vel hanc non esse veram, vel ex eo silentio alii in Fide titubent. num. 4.

Secunda sententia distinguit inter personam publicam, & privatam interrogantem de Fide. num. 6.

Tertia, quod nulla est differentia inter personam publicam, & privatam. num. 7.

Quarta, interrogatum de Fide à publica potestate posse tacere, quia inde non colligitur negare Fidem num. 8.

Quam longè distet ab ea opinione P. Granado. num. 9.

1. PRopositio 18. in hoc decreto damnata tanquam scandalosa hæc est: *Si à potestate publica quis interrogetur, Fidem ingenuè consiteri, ut Deo, & Fidei gloriosum consulo: tacere ut peccaminosum per se non damno.* Et in primis certum apud omnes est, & de Fide tenendum, nunquam esse licitum, quin potius lethale peccatum esse, negare Fidem, sive coram potestate publica, sive coram homine privato. Id enim constat ex verbis Christi *D. Matth. 10. Qui negaverit me coram hominibus, negabo eum coram Patre meo.* Quæ negatio duobus modis potest contingere, vel cùm quis negat veram Fidem Catholicam, aut aliquod mysterium Fidei, vel cùm negat, se esse Catholicum, Christianum, aut Papistam, id est, Fidei Romanæ professorem; idque sive negetur voce, sive signo alio exteriori.

2. Præterea datur præceptum affirmativum confitendi exterius Fidem, ut constat ex *D. Paulo ad Roman. 10. Corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem.* Scilicet tanquam necessaria necessitate præcepti. Et ut optimè observat *P. Suarez disp. 14. de Fide sect. 2. num. 2.* Alia est confessio materialis, & alia formalis. Materialis fit per signa exteriora, quæ plerumque fiunt in adimpletione aliorum præceptorum, scilicet audiendo Missam; accipiendo Sacram Eucharistiam, &c. Formalis fit per vocum pronuntiationem, quæ fit dicendo Symbolum Apostolorum, aut S. Athanasii, vel vocaliter fatendo, se esse Christianum. Et quamvis hoc præceptum affirmativum obliget ad sæpius confitendum exterius Fidem, sufficienter impletur, per confessionem materialem, quæ fit in adimpletione aliorum præceptorum, aut obsequiorum, quæ sine obligatione fiunt, ut portatione, vel recitatione Rosarii, aut alterius cultus externi. Et satis constat ex *Epist. Jacob. c. 2. Ego ostendam tibi ex operibus fidem meam.* Videatur de his omnibus *P. Suarez cit.* qui egregiè ea tractat.

3. Cùm

3. Cùm ergo hæc omnia certa sint, procedunt ulterius Theologi, excitantes aliquas quæstiones, & circa illas tradunt aliquas opiniones, quas expedit referre, ad rectam intelligentiam propositionis damnatæ, & doctrinæ tenendæ. Inquirunt ergo, an Fidelis interrogatus de sua Fide, cui illam, ut dictum est, negate non licet, possit tacere?

4. Prima sententia est S. Thomæ *2. 2. q. 3. art. 2. corp.* docentis, casu quo quis interrogetur de sua Fide, esse peccatum mortale tacere, si ex ea taciturnitate crederetur, vel non habere Fidem, aut Fidem non esse veram; vel ex ea taciturnitate alii in Fide titubarent. Ita enim differit: *Sic enim confiteri fidem non semper, neque in quolibet loco est de necessitate salutis, sed in aliquo loco, & tempore, quando scilicet per dimissionem hujus confessionis subtraheretur honor debitus Deo, & etiam utilitas proximi impendenda: puta si aliquis interrogatus de Fide, taceret, & ex hoc crederetur, vel quod non haberet Fidem, vel quod Fides non esset vera; vel alii per ejus taciturnitatem averterentur à Fide. In hujusmodi enim casibus, confessio Fidei est de necessitate salutis.* Hucusque S. Thomas

5. Idem affirmat Cajetanus ibidem sic: [Quoniam tunc est locus, & tempus confitendæ Fidei, quando interrogatur quis de sua Fide; (ut in littera dicitur) ita quod *si tacendo creditur* non Christianus, subtrahit Deo debitum tunc ibi honorem.]

6. Secunda sententia est eorum, qui distinguunt inter personam publicam, & privatam interrogantem de Fide. Ajunt enim, si persona sit publica, v. g. Rex, aut Magistratus, interrogatum de Fide debere manifestare Fidem; si verò persona sit privata, v. g aliquis de plebe, posse tacere, vel interrogationem eludere, per illa verba, (Quid ad te?) vel similia. Ita *P. Thom. Sanch. lib. 2. Sum. cap. 4. n. 6.* & apud ipsum *Mag. Bannez 2. 2. q. 3. a. 2. dub. 1. concl. 3. P. Azor tom. 1. lib. 8. cap. 27. quæst. 1.* Idem tuetur *P. Becanus cap. 9. de Fide quæst. 4 num. 2. & Leander à SS. Sacr. part. 1. decal. tract. 2. disp. 2. q. 7.* multis perperam citatis. Et post hoc decretum Innocentii idem tradunt *Lumbier tom 3 Sum. n. 1768. & Filguera in explicat. hujus propositionis 18. concl. 2. & Hozes. ibid. n. 35.*

7. Tertia sententia tuetur, nullam esse differentiam in eo, quod quis de Fide inde interrogetur à persona publica, aut à privata. Ita *P. Suar. in ea disp. 14. sect. 3 num. 6.* ubi sic ait: [Hæ verò distinctiones materiales quidem sunt ad explicandam circumstantiam temporis, pro quo obligat præceptum confitendi Fidem, & consequenter fit prava occultatio Fidei. Nam hæc obligatio non nascitur ex qualitate, vel potestate personæ rogantis, sed ex occasione, in qua non potest occultari Fides sine gravi diminutione Divini honoris, aut detrimento spirituali proximorum, ut ex dictis *sect.* superiori constat. Et ideò parum refert, quod rogans sit proprius Rex, vel extraneus, cùm obligatio ex jurisdictione rogantis non oriatur. Et ob eamdem causam nihil obstabit, quod persona rogantis sit privata; nam si rogatio sit publica, poterunt eadem incommoda sequi, non confitendo Fidem in tali articulo; & simili modo quamvis rogatio privata sit, atque etiam persona rogans; si tamen illa sit gravis, & possit multum Fidei prodesse, vel nocere;

re; ad dictam obligationem sufficit. Quia vero quando Tyrannus publica potestate, & publicè rogaret, certa est necessitas moraliter loquendo, ideo de illa potissimum loquuntur Authores; in reliquis autem casibus sunt circumstantiæ ponderandæ.] Hæc *P. Suar.* & *P. Petrus Hurtado 2.2.disp. 48 sect.2.num.17.* idem discrimen rejicit, & utrobique eodem modo discurrendum esse ait, sive persona sit publica, sive privata. Item *P. Granado 2. 2.controv.1. tract.11. sect.2.num 8.*

8. Quarta opinio fert, interrogatum de sua Fide à publica potestate, posse tacere; eò quod ex eo silentio non colligitur, negare Fidem. *Leander à SS.Sacram.tom. 1. in decal.tract.2.disp.2.quæst.8.* magnam irrogat injuriam *P.Granado*, cui eam opinionem attribuit his verbis contentam: [Negant adhuc plures DD. eò quod ex præcisa taciturnitate Fidelis, non potest Princeps colligere, aut præsumere illum Fidem negare, sed potius implicitè illam fateri.] Et inter alios citat Granadum. Ex cujus citatione deceptus *Lumbier tom. 3. Sum. num. 1768.* eam opinionem attribuit eidem.

9. Citat *P Granadum. 2.2.Controv. 1. de Fide tract.11.sect.2.num* 8. à qua tamen opinione longissime abest, ut ex ejus verbis constat. [B. Thomas vero in art 2. ait, tunc teneri aliquem non tacere, quando propterea crederetur non habere Fidem, aut Religionem nostram non esse veram, aut alii ob ejus taciturnitatē averterentur à Fide. Atque hæc quidem doctrina vera est, quando interrogatus præberet suo silentio sufficientem occasionem prudenter existimandi, nostram Religionem non esse veram, aut ipsum non esse Catholicum, &c. Nam in eo eventu *tacere est erubescere Christum*, & doctrinam ejus, gravemque proinde irrogare injuriam Catholicæ Religioni, & ipsius Authori. Et sane si in prædicto casu liceret tacere, liceret etiam uti verbis æquivocis, aut negare me esse Christianum (subintelligendo in mente, &c.) sicut ergò hoc non liceret ob injuriam, quæ Deo irrogatur, ita *nec tacere*. Unde eleganter Tertullianus lib. de Idolol. paulò ante finem: *Negat*, inquit *quicumque dissimulat in quacumque causa pro Ethnico habitus.* Et id voluere. S. Chrysost. & B. Thom. adducti à Bannez, cujus distinctio non est probanda, quando eadem incommoda occurrent, aut occurrere possunt, licet qui interrogat, habeat privatam authoritatem: quando vero *qui tacet, non praeberet* sufficientem occasionem existimandi, Fidem nostram esse falsam, &c. tunc non esset peccatum mortale tacere.] Hæc. *P Granado.*

10. Ubi vides nihil discedere à modo loquendi S. Thomæ. Ubi est ergò in toto hoc contextu, quod illi attribuit Leander? Compone dictum Leandri attributum Granado, cum dicto ipsius Granadi: nam Leander ex Granado refert hæc: *Ex præcisa* taciturnitate Fidelis, non potest Princeps colligere, aut præsumere, illum Fidem negare, sed potius implicitè illam fateri. Ipse autem Granado dicit: *In eo casu tacere est erubescere Christum*, &c. & solum superaddit illam conditionalem. *Quando vero qui tacet non praeberet sufficientem occasionem existimandi*, &c quod est conforme dicto S. Thomæ, ut mox videbimus.

11. Citat etiam Leander pro eo asserto P. Petrum Hurtado supra relatum. Sed longe alia est mens hujus Authoris, ut le-

genti constabit. Nec vacat alios Authores à Leandro relatos examinare.

CAPUT II.

Sensus propositionis damnatæ, & damnationis ejus.

SUMMARIUM.

Lethale est silentium, quando est signum negatæ Fidei, aut erubescentia de illa confitenda. num. 12.

Silentium coram potestate publica interrogante est signum negatæ Fidei, vel erubescentia. num. 14.

Cum hoc stat, quod aliquando per accidens id silentium possit non esse signum negatæ Fidei, neque erubescentia. num. 15.

Varii casus, in quibus id silentium non est signum negatæ Fidei, neque erubescentia. n. 15. & seqq.

Quid censeat P. Suarez n. 18.

Eodem modo discurrendum est. quando ex eo silentio aliqui sunt scand. l zandi. n. 19.

12. APud omnes certum est, quod quando (interrogante tyranno, vel privata persona) silentium est signum negationis Fidei, aut erubescentiæ de confessione illius, etiam ob metum mortis, est mortaliter illicitum contra præceptum Confessionis Fidei. Si vero per possibile, vel impossibile, id silentium propter aliquas circumstantias non esset signum negationis Fidei, neque erubescentiæ de illa confitenda, neque id silentium esset scandalo aliis, illud non esset illicitum, Quia tota ratio malitiæ, quæ reperiri potest in eo silentio, est esse signum negatæ Fidei, signum, inquam, unde possit præsumi negari Fidem, idque sive propter præceptum confitendi, & non negandi, sive propter scandalum aliorum.

13. Asserit ergò propositio damnata, quod si quis à potestate publica interrogatus taceat, id *per se* non esse peccaminosum. Cùm autem dicit *per se*, supponit *per accidens* esse posse peccaminosum.

14. Dicendum ergo est, juxtà sensum hujus damnationis, id silentium coram potestate publica *per se* esse signum erubescentiæ de confitenda Fide aut signum negationis Fidei: quia id silentium non attribueretur contemptui personæ interrogantis; neq; enim tyranno posset responderi, sicut privatæ personæ. (Quid ad te? Quis es tu, ut me judicare velis?) Præterea, quia tacere, quando instat timor pœnæ, omnes id attribuunt timori pœnæ: ergò id silentium coram tyranno interrogante, est signum non confitendi propter timorem pœnæ, sive erubescentiæ de illa confitenda ob metum. Et ideo optimè dixit *Tertullianus* supra relatus à *P. Granado*: *Negat, quicumque dissimulat*, &c. quia dissimulatio est signum per se negationis Fidei. Et *S. Chrysost. in cap. Nolite timere. 11. quæst. 3.* ait. (*Non solum ille proditor est veritatis, qui transgrediens veritatem, palam pro veritate mendacium loquitur, sed etiam ille, qui non liberè veritatem pronuntiat, quam liberè pronunciare oportet.*) sed quare iste est proditor veritatis, nisi quia per se loquendo, interrogatus de veritate Fidei, & non liberè pronuncians illam, dat signum negationis veritatis.

15. Hinc colliges, non esse contra sensum hujus damnationis admittere, quod aliquan-

aliquando per accidens id silentium coram potestate publica possit non esse signum negatæ Fidei, neque erubescentiæ de confessione. v. g. si interrogatus taceat, & osculetur crucifixum, quem præ manibus habeat; tunc illud silentium per accidens non est signum negatæ Fidei; quia licet ore taceat, opere confitetur. Et idem est, si tacens jugulum extendat, ut demonstret se paratum mori pro Fide.

16. Præterea duo socii Fideles conveniuntur coram Tyranno, qui eos interrogat dicens, (Numquid vos Catholici estis?) Et Principalis eorum respondet, *Ambo Fidem Catholicam profitemur*, alter vero socius tacet, sed læto vultu annuit. In hoc casu taciturnitas istius per accidens non est signum negatæ Fidei, quia principalis loquitur pro se, pro socio annuente. Et illud idem silentium, quod sine ea circumstantia esset signum negatæ Fidei, ob eam circumstantiam est signum suæ etiam confessionis.

17. Item, da casum, in quo Tyrannus dicat Petro (certo scio, te esse professorem Fidei Catholicæ; ideo dabis mihi acerbissimas pœnas.) & Petrus taceat, & rideat spernens minas. Hoc silentium non est signum negatæ Fidei, aut timoris: Nam in ea circumstantia taciturnitas illa est virtualiter confessio. Si enim timeret, negaret: & non negare, sed tacere, & ridere minas est signum confessionis Fidei.

18. Et ideo P. *Suarez* citatus illa *sect. 3.* asserens, in ea occasione Tyranni interrogantis *esse certam necessitatem* confitendi; posteà *num. 7.* respondet ad argumentum tertium partis oppositæ, quod *num. 3.* sic proposuerat. [Tertiò videtur hoc posse probari exemplo Christi, & Sanctorum; nam interrogati sæpè tacuerunt: ergò id etiam nobis licet.] Cui argumento sic respondet eo *num. 7.* (Ad ultimum respondetur, rem non physicè, sed moraliter spectandam: nam si quis tacendo videatur contemnere Tirannum, aut in sua Fide esse constans; illa est virtualis confessio, & responsio. Et ita accidebat in exemplis, quæ ibi referuntur.) Unde juxtà Suarium coram Tyranno debet respondere Fidelis, vel expresse, vel virtualiter. Et quando quis tacet, debet silentium esse vestitum talibus circumstantiis, ut opere confiteatur, ita ut constet Tyranno, illum esse Fidelem Catholicum. Et inde etiam constat, quod silentium coram interrogante per se est damnabile, utpote signum timoris, & erubescentiæ, quia communiter censetur habitum ex timore pœnæ, & ex erubescentia per accidens autem ex circumstantia manifestante Fidem, silentium posse non esse damnabile; quia propter illam circumstantiam desinit esse signum negatæ Fidei. Itaque propositio damnata ait, id silentium *per se* non esse peccaminosum; supponit autem, posse *per accidens* esse peccaminosum. Juxtà damnationem autem dicimus, *per se* esse peccaminosum; *per accidens* autem posse non esse peccaminosum; quando scilicet ore tacens opere confitetur.

19. Tandem adverte, quamvis solum locuti simus de taciturnitate, quatenus est signum negatæ Fidei, aut erubescentiæ de illa confitenda; idem prorsus esse intelligendum, quando talis taciturnitas præbet aliis scandalum, quo avertantur à Fide; juxta sententiam, & periodum S. Thomæ relatam *cap. 1.* Ubi observandum est, quod notavit optimè *Illustriss. Petrus de Tapia*

tom.2. Caten. moral.lib.1. quæst.3. art.6. in hæc verba: Si video ex taciturnitate mea, & omissione confessionis aliquos, vel aliquem defecturum à Fide, vel vacillaturum, non solum ex charitate, sed ex ipsa præcisa & formali confessione Fidei teneor præcepto affirmativo confiteri eam; cùm ex ipsa formali omissione confessionis Fidei in eo eventu per se sequatur defectus ille, vel vacillatio.

CAPUT III.

Quænam sint opiniones contentæ sub hac damnatione?

ARTICULUS I.

De assertione conditionali.

SUMMARIUM.

An taciturnitas hæc conditionaliter proposita incurrat hanc damnationem? n.20.
Resolvitur non incurrere. n.22.
Ex ea propositione conditionali infertur doctrina censura Pontificia num.23.
Explicatur amplius censura Pontificia. n.24.

20. AD hanc quæstionem, (An coram interrogante de professione Fidei, licitum sit tacere?) respondent aliqui Authores assertione conditionali nempè, non esse licitum tacere, si silentium illud præbet signum timoris, erubescentiæ aut negationis Fidei; si vero non detur tale signum, sed potius confessionis ex peculiaribus circumstantiis id non esse illicitum. Ita enim asserunt *P. Suarez*, & *P. Granado* citati. Item *Lugo Card. disp.14. de Fide sect.2. n.38. & 39.* & alii.

21. Inquiritur ergò, an hæc doctrina, sic conditionaliter tradita, contineatur sub condemnatione istius propositionis 18. Ratio dubitandi est: nam in hac censura absolutè damnatur taciturnitas exhibita interrogationi Tyranni; hæc autem conditionalis supponit, aliquos esse casus, in quibus ea taciturnitas non debeat damnari: ergò ea sententia sic conditionaliter tradita adversatur censuræ Pontificiæ, atque adeo sub ea condemnatione continetur.

22. Dicendum tamen est, eam doctrinam, ita conditionaliter traditam, non subjacere huic damnationi. Ostenditur primò. Nam *S. Thomas citatus cap.1.* in prima sententia hanc doctrinam tradit hoc modo conditionali Notanda sunt verba S. Doctoris: *Subtraheretur honor Deo debitus,*&c. *si aliquis interrogatus de Fide taceret, & ex hoc crederetur, vel quod non haberet Fidem, vel quod fides non esset vera,*&c. In hac autem conditionali includitur etiam ista: *Si taceret, & ex hoc silentio non crederetur, illum deficere in Fide,* &c. Nam quando conditio ponitur tanquam requisita, ut aliqua actio sit peccaminosa; si ponitur conditio, verificatur, quod sit illicita; & si deficit conditio, verificatur, quod deest ratio malitiæ. Patet ergò, doctrinam præfatam S. Thomæ procedere eo modo conditionali. Certum autem est, doctrinam S. Thomæ non adversari censuræ Pontificiæ, neque sub hac illam contineri, aut damnari.

23. Nam illa doctrina, eo modo conditionali tradita, est principium generale, unde manifestè infertur censura Pontifici. Quod patet hoc Syllogismo. [Interrogante Tyranno Petrum de professione Fidei,

si

si hujus silentium dat signum negatæ Fidei, aut erubescentiæ, peccat lethaliter tacendo; si autem non dat signum ejusmodi, non peccat: sed silentium in tali occasione per se est signum negatæ Fidei, sive erubescentiæ, quamvis per accidens in aliquo raro casu possit non esse tale signum: ergò per se est lethaliter illicitum tacere in ea occasione; quamvis per accidens in aliquo casu raro possit non esse lethale peccatum.] Ecce quomodo doctrina censuræ Pontificiæ infertur optimè ex illa doctrina, eo modo conditionali tradita. Cum ergo censura Pontificia inferatur ex illa doctrinâ, modo conditionali traditâ, non potest hæc censura illi adversari; cum in legitima argumentatione consequens non possit adversari suo antecedenti.

24. Ad rationem dubitandi patet ex dictis, censuram Pontificiam non esse adeo absolutam, ut non patiatur, quod per accidens in aliquo casu raro dicatur, quod silentium hominis Fidelis juxta exempla proposita *cap. 2.* sit indemne, & licitum; quia censura cadit supra id, quod dicit propositio damnata, nempe, quod *per se* non est peccaminosum tacere in eo eventu. Et ita censura Pontificia, quamvis absolutè data, non adversatur ei doctrinæ conditionali.

ARTICULUS II.

De taciturnitate coram persona privata.

SUMMARIUM.

An reperiatur differentia inter personam publicam, & privatam num. 26.

Opinio asserens, silentium coram persona privata non esse illicitum, non subjacet damnationi. num. 27.

Si coram persona privata silentium sit signum negatæ Fidei, aut timoris, &c. certum est esse illicitum. num. 28.

Si id silentium sit signum contemptus personæ privatæ, probabiliter procedit assertio. num. 29.

An Princeps habeat jus interrogandi de Fide. num. 30.

Opinio Filguera, quod Princeps habet jus interrogandi de Fide, impugnatur. n. 32.

25. Inquiritur secundò, an huic damnationi subjaceat, aut alio modo sit improbabilis opinio docens, si quis interrogetur de professione Fidei à persona privata, non teneri ad confitendum Fidem?

26. Vidimus *cap. 1.* in relatione secundæ sententiæ, non paucos Doctores distinguere inter personam publicam, nempe Principem, aut Magistratum, & personam privatam: asserereque, illicitum esse silentium coram persona publica interrogante; non sic, si taceatur coram persona privata. Vidimus etiam in relatione tertiæ sententiæ, plures non reperire discrimen inter utrumque genus personarum. Et operæ pretium est discernere, an ea secunda sententia subjaceat huic damnationi; vel saltem digna sit, quæ excludatur à praxi?

27. Dico primò. Ea secunda sententia non subjacet huic damnationi. Probatur. Nam censura Pontificia ponit in propositione damnata illud initium periodi: *Si à potestate publica quis interrogetur*: non ergo loquitur de interrogatione personæ privatæ: atque adeo ex vi censuræ Pontificiæ ea secunda opinio manet indemnis.

28. Dico secundò. Si coram persona

privata interrogante Petrum de professione Fidei, Petrus taceat; ejusque taciturnitas sit signum negatæ Fidei, aut timoris, vel erubescentiæ de confitenda Fide; improbabile est, quod sit licitum tacere. Patet. Nam apud omnes certum est, sicut est lethaliter illicitum negare Fidem, ita esse gravissimum peccatum dare signum ejusmodi negationis, aut erubescentiæ: ergò si taciturnitas coram privata persona sit signum ejusmodi, improbabile est, quod non sit iniquum, & certum est, esse iniquum.

29. Dico tertiò. Quatenus secunda sententia ponit, taciturnitatem coram potestate publica interrogante de professione Fidei, non esse signum contemptus personæ, sed per se esse signum negatæ Fidei, & coram persona privata esse posse signum contemptus personæ, & posse responderi. [Quid ad te? Quis te constituit judicem?] probabiliter procedit. Nam id silentium non est condemnabile, nisi quatenus est signum negatæ Fidei, aut erubescentiæ, vel timoris confitendi Fidem: cum ergo coram persona privata frequenter possit carere ea circumstantia talis significationis; eo modo potest non esse illicitum.

30. *P. Petrus Hurtado* suprà citatus ex eo probat, nullum esse discrimen inter interrogationem personæ publicæ, & interrogationem personæ privatæ: quia sicut persona privata non habet jus interrogandi de Fide in odium Fidei, ita nec Tyrannus, nec Princeps, aut alia persona publica; neque enim in odium Fidei majus habet jus Princeps, quàm privatus homo.

31. *Filguera* in expositione hujus 18. propositionis sic respondet ad argumentum. *P. Petri Hurtado*. [Licet ex se non gaudeat majori iure ad interrogandum de Fidei persona publica, quam privata; quia utraque in Fidei odium interrogat: tamen persona, seu potestas publica habet jus perfectum ad interrogandum, dimanans ab authoritate, quam illi attribuit Fides propter illius honorem, & gloriam: nam Fides ex sua natura habet jus ut manifestetur, & illam omnes confiteantur, & sic tribuit jus publicæ authoritati ad prædictam interrogationem.]

32. Sed imprimis istud jus sine fundamento adscribitur potestati publicæ: cujus jurisdictio solum extenditur ad gubernationem politicam. Deinde difficile intelligitur, quomodo ipsa Fides det jus potestati publicæ, ut interroget in odium ipsius Fidei. Præterea, quia tota ratio malitiæ residens in ea taciturnitate consistit in eo, quod sit signum negatæ Fidei, vel erubescentiæ de illa confitenda, aut causa scandali; unde fit, quod independenter à quolibet jure interrogandi, si ea taciturnitas est signum negatæ Fidei, aut erubescentiæ, aut causa scandali, est lethaliter illicita; ergò ejusmodi jus, aut carentia illius per se solum neque prodest, neque obest huic decisioni.

ARTICULUS III.

An aliquæ alia opiniones subjaceant huic damnationi?

SUMMARIUM.

An cum vocantur per edictum Fideles, teneantur comparere ad declarandam suam Fidem? num. 33.

An

An qui interrogatur de Fide, & non in odium Fidei, licitè possit tacere? num. 35.

An si interrogetur de Fide solum ad detegendum inimicum, teneatur respondere? num. 36.

An si Princeps interroget, non in odium Fidei, sed ob alium finem bonum, licitè possit tacere. num. 37.

33. INquiritur tertiò, an subjaceat huic damnationi opinio docens, quod cum potestate publica per edictum Fideles, ut coram tribunali declarent suam Fidem, non teneantur ire ad illam declarandam. Et quidem hanc opinionem multi sapientes Theologi tuentur. Ita *P. Suarez disp. 14. de Fide sect. 3. n. 6. Lugo Card. disp. 14. de Fide sect. 2. num. 43 P. Constrk disp. 15. de Fide dub. 5. num. 81. P Castro Palao tom. 1. tract. 4. disp. 1. sect. 14. num. 2.* & plures alii.

34. Dicendum est, hanc opinionem nō subjacere damnationi Ratio est, quam tradit. P. Suarez loco proximè citato, ubi hæc habet: [Necessarium est, ut persona nominatim, ut sic dicam, & in particulari rogetur: nam si tantum in generali proponatur, ut si quis est Fidelis, se prodat, cum multi adsint occulti, *nemo propriè interrogatur*; & ideo regulariter loquendo, nullus tenetur tunc se prodere.] Unde instruitur argumentum. Censura Pontificia loquitur de eo, qui tacet interrogatus, sed cum vocantur per edictum, ut manifestent suam Fidem, *nemo propriè interrogatur*: ergò censura Pontificia non condemnat opinionem, quæ id asserit de vocatis per edictum.

35. Inquiritur quartò, an subjaceat ei damnationi sententia asserens, cum, qui interrogatur, non in odium Fidei, sed propter alium finem, non peccare tacendo, aut simulando. *P. Suarez loco* proximè citato asserit, non peccare, ubi sic ait: [Etiam est considerandum, an rogans id faciat in odium Fidei, vel tantum in *odium personæ, ut inimicum detegat*: in hoc enim posteriori casu cessat obligatio respondendi, ut per se constat.] Idem docet *P. Castro Palao* in loco proximè *cit. punct. 13. num. 4.* & alii.

36. Circa quam dubitationem dicendum est primò, in eo casu quem ponit *P. Suarez*, ut non interrogetur in odium Fidei, sed solum ad detegendum inimicum; sic non damnatur ea sententia, quod ita interrogatus non teneatur respondere veritatem. Ratio est: nam censura Pontificia respicit causam Fidei, & confessionis ejus: at in illo casu, in quo interrogat sive Princeps, sive privatus, non agitur causa Fidei, neque confessionis ejus: ergò hanc sententiam, quæ loquitur de hoc casu particulari, non damnat censura Pontificia.

37. Dicendum est secundò, si propositio procedat universaliter de omni casu, in quo potestas publica interroget, non in odium Fidei, sed ob alium finem bonum; si affirmet licitè posse tacere, talis affirmatio subjacet huic damnationi. Ratio est. Nam potest Princeps Catholicus in Belgio scire velle propter aliquem finem honestum, & consequenter non in odium Fidei, quinam sint Catholici in ditione sua: unde si tunc interroget Petrum, an sit Catholicus, isti tacere, aut tergiversari non licet; quia ea taciturnitas erit signum Fidei negatæ. Quare propositio asserens in hoc casu silentium esse licitum, subjacebit huic damnationi, juxta quam damnabilis

nabilis est propositio asserens, interrogatum à potestate publica de sua Fide, posse tacere. Neque potest excusari in præsenti, sicut in præcedenti, ex eo quod hic non agitur causa Fidei; nam quamvis in hoc casu interrogatio non sit in odium Fidei; negari non potest, quod agatur hic causa Fidei, propter aliquem alium finem honestum, & maxime si iste finis sit Catholicis favorabilis, ita sic interrogatum ab Episcopo, vel Principe Catholico teneri ad confessionem Fidei, docuit *P. Arriaga 2.2.disp. 21.sect.2.num.* 5. quem refert, & sequitur *Leander à SS. Sacr. part.1. in decal.2. disp. 2. quæst. 12.*

DISSERTATIO XIII.

De necessitate piæ affectionis supernaturalis ad assensum Fidei, & ad ejus certitudinem.

CAPUT I.

Relatis duobus propositionibus damnatis, proponitur doctrina certissima Theologorum, & quomodo ex illa reddatur certò falsa opposita opinio?

SUMMARIUM.

Duæ propositiones damnatæ num. 1.

Piam affectionem voluntatis esse necessariam ad assensum Fidei. num. 2.

Constat ex eo, quod liberum est credere, & non credere. Ubi refertur definitio Tridentini. num. 3.

Necessaria est ad certitudinem adhæsionis. num. 3.

Ubi non est evidentia veri, requiritur inclinatio voluntatis. num. 5.

Solum requiritur ad credendum, mysterium fuisse à Deo revelatum. num. 6.

Rejicitur assertio opposita. num. 7.

Ex eo rejicitur, quia falsum est, quod res Fidei sint evidentes. num 8.

1. PRopositio 19. quam in hoc decreto damnat Pontifex, hæc est. *Voluntas non potest efficere, ut assensus Fidei in se ipso sit magis firmus, quam mereatur pondus rationum ad assensum impellentium.* Propositio 20. quæ est quasi conclusio illata ex præcedenti, quæ etiam damnatur, hæc est: *Hinc potest quis prudenter repudiare assensum, quem habebat supernaturalem.*

2. Piam affectionem voluntatis supernaturalem esse necessariam simpliciter ad assensum Fidei supernaturalis, est communis Theologorum sententia, tam firmis momentis authoritatis & rationis munita, ut opposita (ut minimum) sit planè improbabilis. Quam sententiam docet *S. Thomas 2.2. quæst. 1. art. 4. & q. 2. art. 1. ad 3.* & aliis in locis. Eam egregiè firmavit *P. Suarez disp. 6. de Fide sect. 6 & 7. Lugo Card. disp. 10. de Fide sect. 1. & seqq. P. Granado 2. 2. controv. 1. tract. 9. disp. 2. & seqq. P. Petrus Hurt. de Fide disp. 45. & seqq.* & omnes communiter Theologi.

3. Id probant ex apertis testimoniis Sacræ Scripturæ, ex quibus constat, actus Fidei supernaturalis esse liberos, hoc est, liberum esse credere, & non credere; item credere esse meritorium. Cùm ergò intellectus sit potentia necessaria, atque adeo in actibus illius non possit stare libertas, nec meritum;

meritum, infertur manifestè, eam libertatem, & meritum stare in affectu voluntatis ad credendum, quem Theologi vocant piam affectionem supernaturalem, quæ quidé est actus liber, & meritorius. Quam veritatem definivit Concilium Tridentinum *sess. 6. cap. 6.* illis verbis: *Disponuntur autem ad justitiam, dum excitati divina gratia, & adjuti, Fidem ex auditu concipientes, liberè moventur in Deum credentes.*

4. Sed ad quem effectum est necessaria hæc pia affectio voluntatis? Utique ad firmitatem, qua intellectus cum omnimoda certitudine credit mysterium revelatum. Pro cujus rei claritate notandum est, quod suprà attigi, duplicem esse certitudinem in actu Fidei supernaturalis, aliam connexionis cum objecto, ratione cujus omninò est impossibile, quod detur actus Fidei sine eo, quod objectum ita sit, sicut repræsentatur per actum. Alia est certitudo adhæsionis ad objectum, ratione cujus intellectus firmissimè assentitur objecto, & hæc secunda nititur objectivè in prima: ideò enim adhæret firmissimè objecto quia videt connexionem Fidei cum objecto.

5. Jam verò, quod pia affectio voluntatis requiratur ad certitudinem adhæsionis ad objectum, sive ut firmissimè credat objectum, patet ex ratione, quam tradidit *S. Thomas ea quæst. 1. art* 4. Etenim intellectus ex vi objectiva non cogitur ad assensum, nisi ubi adest evidentia veri: sed in objecto Fidei Divinæ non est evidentia veri: ergò ex solo objecto non cogitur intellectus ad assensum Fidei. Ergò ut intellectus cogatur ad assensum, & firmiter adhæreat objecto, necessarium est imperium voluntatis. Hæc omnia certa sunt apud Theologos.

6. Ubi etiam advertendum est, quod observavit *Lugo Cardin. de Fide*, ex his tribus propositionibus pertinentibus ad fidem (sive ad complexum earum in uno actu inclusum) scilicet [Quidquid dicit Deus, est verum: Deus dicit, Verbum incarnatum esse: ergò verum est, Verbum incarnatum esse] primam propositionem esse evidentem, ideoque non indigere pia affectione voluntatis: tertiã autem, scilicet conclusionem, evidenter inferri ex præmissis; & ideò ad ejiciendam eam conclusionem non esse necessariam piam affectionem suppositis præmissis. Quare pia affectio requiritur ad secundam propositionem, nempe ad credendum, id fuisse à Deo revelatum, quia id est, quod intellectus non cognoscit evidenter, sed obscurè, nempe per propositionem Ecclesiæ. Et quia conclusio nititur in ea secunda propositione, ex hoc capite ipsa conclusio participat obscuritatem, & sic indiget eã piã affectione.

7. Propter hæc omnes Theologi rejiciunt tamquam falsam, & improbabilem opinionem *Francisci de Marchia*, quem refert *P. Suarez in ea sect. 6. cit. num. 2.* asserentis, intellectum non indigere determinatione voluntatis ad assensum Fidei; ex eo fundamento, quod res Fidei sunt evidentes. Quam etiam tenuit *Holcoth in 1. quæst. art. 6. dub. 1. ad 1* apud *P. Suarez ibid.* ex eo fundamento, quod res Fidei sunt evidenter credibiles; & ubi adest evidentia credibilitatis, non esse opus determinatione voluntatis. Et ita *dæmones*, licèt inviti, *credunt & contremiscunt.* Jacob 2.

8. Ex eo autem fundamento rejicitur ea sententia tamquam, ut minimum, improbabilis: quia improbabile, & certo falsum est, quod res Fidei sint evidentes; cùm non

constet nobis evidenter, Verbum fuisse incarnatum, sed solùm ex eo, quod proponit nobis Ecclesia, id fuisse à Deo revelatum. Deinde improbabile etiam est, quod ex eo, quod mysteria Fidei sint evidenter credibilia, inferatur, non esse necessariam determinationem voluntatis. Quia quod mysteria Fidei sint evidenter credibilia, sive evidenter digna, quæ credantur, non tollit, quo minus non constet nobis evidenter de revelatione, sed obscurè ex propositione Ecclesiæ. Evidens enim est, quod debeam affici ad credendum his, quæ proponit Ecclesia: sed propositio Ecclesiæ non facit mihi evidentiam Incarnationis, & aliorũ mysteriorum. De alia autem opinione quorumdam asserentium, ad assensum Fidei non requiri piam affectionem voluntatis, sed solùm quòd voluntas non resistat, dicam inferius.

CAPUT II.

Stabilitur certitudo censuræ Pontificiæ contra propositionem 19.

SUMMARIUM.

Duplex sensus propositionis 19. Et primus est hæreticus. n. 9.

Alter sensus meritò damnatus. n. 10.

Meritò damnari colligitur ex eo, quod intellectus non potest ab objecto determinari ad assensum, nisi ubi adest evidentia veri. n. 11. & 12.

Demonstratur etiam ex eo, quod liberum est homini credere. n. 13. & seqq.

Erroneum est in Fide dicere, quod non sit liberum homini credere, & non credere. n. 15.

Tertia demonstratio ex eo, quòd actus Fidei est meritorius n. 16.

Quarta demonstratio ex eo, quòd assensus Fidei habet majorem certitudinem, quàm quæ provenit ab evidentia morali. n. 17.

Discrimen inter evidentiam moralem, & metaphysicam. n. 18.

Motiva credibilitatis non habent evidentiam metaphysicam. Et quid inde pro conclusione? n. 19.

Objectio solvitur. n. 20. & 21.

9. EX dictis clarè constat, quàm meritò jure damnata sit ab Innocentio XI. ea propositio 19. quòd videlicet *voluntas non potest efficere, ut assensus Fidei in se ipso sit magis firmus quàm mereatur pondus rationum ad assensum impellentium.* Quæ propositio potest habere duplicem sensum. Primus est, negando quod assensus Fidei habeat in se omnimodam certitudinem, & quod voluntas non possit efficere, quod is assensus sit magis firmus, & magis certus. Sed hic sensus est hæreticus: est enim hæresis asserere, quod assensus Fidei non habeat omnimodam firmitatem, & certitudinem. Et existimo, non esse affirmatam in hoc sensu eam propositioné ab Authoribus citatis.

10. Alter sensus est, admittendo, quod assensus Fidei habeat in seipso omnimodam firmitatem, & certitudinem, ita ut nihil firmitatis & certitudinis proveniat à pia affectione voluntatis. Et in utroque sensu damnatur, ut minimum, tamquam scandalosa præfata propositio.

11. Eam autem ita esse damnabilem, ostendo primò. Nam si assensus Fidei non posset esse magis firmus, quàm meretur pondus rationum impellentium ad assensum, sequeretur, quod assensus Fidei non haberet omnimodam firmitatem, & certitudi-

tudinem: hoc est hæreticum, & certò falsum: ergò certò falsum est antecedens, unde id infertur. Minor, & consequentia constant. Probatur major. Pondus rationum impellentium ad assensum Fidei non potest dare eam omnimodam certitudinem assensui Fidei: sed per te assensus Fidei non accipit certitudinem aliunde, quàm ab eo pondere rationum: ergò assensus manet sine omnimoda certitudine. Etiam in hoc syllogissimo, Minor, & consequentia non egent probatione.

12. Probatur major. Nam intellectus non potest à seipso, & ab objecto cogi, & determinari ad assensum, nisi ubi adest evidentia veri: sed circa mysterium Incarnationis, & reliqua mysteria id pondus rationum non facit in intellectu evidentiam veri; cùm solùm cognoscamus illa ex propositione Ecclesiæ, & non ex alio evidente principio: ergò id pondus rationum non potest cogere, & determinare intellectum ad assensum Fidei, & consequenter non potest ei dare omnimodam certitudinem.

13. Ostendo secundò. Nam si assensus Fidei non posset esse magis firmus, quàm meretur id pondus rationum, sequeretur, quod non esset liberum homini credere, & non credere; sed erroneum est dicere, id non esse liberum homini: ergò & antecedens, unde id infertur.

14. Major ostenditur. Eatenus enim dicebatur ab illis Authoribus, non esse magis firmum assensum Fidei, quàm meretur pondus rationum; quatenus affirmabant, esse evidentiam in eo pondere rationum, ratione cujus intellectus maneret omninò firmus, & certus: atqui si esset ea evidentia firmiter determinans intellectum, homo maneret necessariò determinatus ad credendum: ergò non esset illi liberum credere, & non credere. Etenim non est liberum homini assentiri huic propositioni: *Sol est in cœlo*; quia habet evidentiam existentiæ Solis in cœlo; neque potest voluntas imperare, ut assentiatur oppositæ propositioni: quia contra evidentiam intellectus voluntas non habet imperium.

15. Quod verò sit erroneum dicere, quod non sit liberum homini credere, & non credere; patet primò ex definitione Tridentini supra posita, maximè illis verbis: *Liberè moventur in Deum credentes.* Secundò, Marci cap. ult. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit, qui verò non crediderit, condemnabitur.* Ergò homines liberè credunt, & liberè non credunt: cùm salus æterna, & mors æterna non detur, nisi liberè operantibus. Tertiò ad Rom 4. *Credidit Abraham Deo, & reputatum est ei ad justitiam.* Non enim potest actus reputari ad justitiam, nisi sit actus liber. De quo vide *P. Suarium* latiùs prosequentem hanc materiam, & ibi etiam hanc esse sententiam communem sanctorum Patrum.

16. Ostenditur tertiò. Quia si certitudo Fidei tota staret in evidentia, quam affert pondus rationum, actus Fidei non esset meritorius: id autem est contra Fidem: ergò & antecedens, unde id infertur. Minor patet ex locis Scripturæ proximè allatis: *Credidit Abraham Deo, & reputatum est ei ad justitiam.* Et illud. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit*, &c. Major etiam patet. Nam actus intellectus, qui non est voluntarius, non potest esse meritorius; cùm meritum non stet in intellectu, sed in voluntatis actibus: nec possit esse meritorius actus intellectus, dum cogitur, &

genti constabit. Nec vacat alios Authores à Leandro relatos examinare.

CAPUT II.

Sensus propositionis damnatæ, & damnationis ejus.

SUMMARIUM.

Lethale est silentium, quando est signum negatæ Fidei, aut erubescentiæ de illa confitenda. num. 12.

Silentium coram potestate publica interrogante est signum negatæ Fidei, vel erubescentiæ. num. 14.

Cum hoc stat, quod aliquando per accidens id silentium possit non esse signum negatæ Fidei, neque erubescentiæ. num. 15.

Varii casus, in quibus id silentium non est signum negatæ Fidei, neque erubescentiæ. n. 15. & seqq.

Quid censeat P. Suarez. n. 18.

Eodem modo discurrendum est, quando ex eo silentio aliqui sunt scandalizandi. n. 19.

12. APud omnes certum est, quod quando (interrogante tyranno, vel privata persona) silentium est signum negationis Fidei, aut erubescentiæ de confessione illius, etiam ob metum mortis, est mortaliter illicitum contra præceptum Confessionis Fidei. Si vero per possibile, vel impossibile, id silentium propter aliquas circumstantias non esset signum negationis Fidei, neque erubescentiæ de illa confitenda, neque id silentium esset scandalo aliis, illud non esset illicitum. Quia tota ratio malitiæ, quæ reperiri potest in eo silentio, est esse signum negatæ Fidei, signum, inquam, unde possit præsumi negari Fidem, idque sive propter præceptum confitendi, & non negandi, sive propter scandalum aliorum.

13. Asserit ergò propositio damnata, quod si quis à potestate publica interrogatus taceat, id *per se* non esse peccaminosum. Cùm autem dicit *per se*, supponit *per accidens* esse posse peccaminosum.

14. Dicendum ergo est, juxtà sensum hujus damnationis, id silentium coram potestate publica *per se* esse signum erubescentiæ de confitenda Fide aut signum negationis Fidei: quia id silentium non attribueretur contemptui personæ interrogantis; neq; enim tyranno posset responderi, sicut privatæ personæ. (Quid ad te? Quis es tu, ut me judicare velis?) Præterea, quia tacere, quando instat timor pœnæ, omnes id attribuunt timori pœnæ: ergò id silentium coram tyranno interrogante, est signum non confitendi propter timorem pœnæ, sive erubescentiæ de illa confitenda ob metum. Et ideo optimè dixit *Tertullianus* supra relatus à *P. Granado*: *Negat, quicumque dissimulat*, &c. quia dissimulatio est signum per se negationis Fidei. Et *S. Chrysost. in cap. Nolite timere. 11. quæst. 3.* ait. (*Non solum ille proditor est veritatis, qui transgrediens veritatem, palam pro veritate mendacium loquitur, sed etiam ille, qui non liberè veritatem pronuntiat, quam liberè pronunciare oportet.*) sed quare iste est proditor veritatis, nisi quia per se loquendo, interrogatus de veritate Fidei, & non liberè pronuncians illam, dat signum negationis veritatis.

15. Hinc colliges, non esse contra sensum hujus damnationis admittere, quod aliquan-

aliquando per accidens id silentium coram potestate publica possit non esse signum negatæ Fidei, neque erubescentiæ de confessione. v. g. si interrogatus taceat, & osculetur crucifixum, quem præ manibus habeat; tunc illud silentium per accidens non est signum negatæ Fidei; quia licet ore taceat, opere confitetur. Et idem est, si tacens jugulum extendat, ut demonstret se paratum mori pro Fide.

16. Præterea duo socii Fideles conveniuntur coram Tyranno, qui eos interrogat dicens, (Numquid vos Catholici estis?) Et Principalis eorum respondet, *Ambo Fidem Catholicam profitemur*, alter vero socius tacet, sed læto vultu annuit. In hoc casu taciturnitas istius per accidens non est signum negatæ Fidei, quia principalis loquitur pro se, pro socio annuente. Et illud idem silentium, quod sine ea circumstantia esset signum negatæ Fidei, ob eam circumstantiam est signum suæ etiam confessionis.

17. Item, da casum, in quo Tyrannus dicat Petro (certo scio, te esse professorem Fidei Catholicæ; ideo dabis mihi acerbissimas pœnas.) & Petrus taceat, & rideat spernens minas. Hoc silentium non est signum negatæ Fidei, aut timoris: Nam in ea circumstantia taciturnitas illa est virtualiter confessio. Si enim timeret, negaret: & non negare, sed tacere, & ridere minas est signum confessionis Fidei.

18. Et ideo P. *Suarez* citatus illa *sect.3.* asserens, in ea occasione Tyranni interrogantis *esse certam necessitatem* confitendi; posteà *num.7.* respondet ad argumentum tertium partis oppositæ, quod *num.3.* sic proposuerat. [Tertiò videtur hoc posse probari exemplo Christi, & Sanctorum: nam interrogati sæpè tacuerunt: ergò id etiam nobis licet.] Cui argumento sic respondet eo *num.7.* (Ad ultimum respondetur, rem non physicè, sed moraliter spectandam: nam si quis tacendo videatur contemnere Tirannum, aut in sua Fide esse constans; illa est virtualis confessio, & responsio. Et ita accidebat in exemplis, quæ ibi referuntur.) Unde juxtà Suarium coram Tyranno debet respondere Fidelis, vel expressè, vel virtualiter. Et quando quis tacet, debet silentium esse vestitum talibus circumstantiis, ut opere confiteatur, ita ut constet Tyranno, illum esse Fidelem Catholicum. Et inde etiam constat, quod silentium coram interrogante per se est damnabile, utpote signum timoris, & erubescentiæ, quia communiter censetur habitum ex timore pœnæ, & ex erubescentia per accidens autem ex circumstantia manifestante Fidem, silentium posse non esse damnabile; quia propter illam circumstantiam desinit esse signum negatæ Fidei. Itaque propositio damnata ait, id silentium *per se* non esse peccaminosum; supponit autem, posse *per accidens* esse peccaminosum. Juxtà damnationem autem dicimus, *per se* esse peccaminosum; *per accidens* autem posse non esse peccaminosum; quando scilicet ore tacens opere confitetur.

19. Tandem adverte, quamvis solum locuti simus de taciturnitate, quatenus est signum negatæ Fidei, aut erubescentiæ de illa confitenda; idem prorsus esse intelligendum, quando talis taciturnitas præbet aliis scandalum, quo avertantur à Fide; juxta sententiam, & periodum S. Thomæ relatam *cap.1.* Ubi observandum est, quod notavit optimè *Illustriss. Petrus de Tapia*

tom.2. Caten. moral.lib.1. quæst.3. art.6. in hæc verba: Si video ex taciturnitate mea, & omissione confessionis aliquos, vel aliquem defecturum à Fide, vel vacillaturum, non solum ex charitate, sed ex ipsa præcisa & formali confessione Fidei teneor præcepto affirmativo confiteri eam; cùm ex ipsa formali omissione confessionis Fidei in eo eventu per se sequatur defectus ille, vel vacillatio.

CAPUT III.

Quænam sint opiniones contentæ sub hac damnatione?

ARTICULUS I.

De assertione conditionali.

SUMMARIUM.

An taciturnitas hæc conditionaliter proposita incurrat hanc damnationem? n.20.

Resolvitur non incurrere. n.22.

Ex ea propositione conditionali infertur doctrina censura Pontificia num.23.

Explicatur amplius censura Pontificia. n.24.

20. AD hanc quæstionem, (An coram interrogante de professione Fidei, licitum sit tacere?) respondent aliqui Authores assertione conditionali nempè, non esse licitum tacere, si silentium illud præbet signum timoris, erubescentiæ aut negationis Fidei; si vero non detur tale signum, sed potius confessionis ex peculiaribus circumstantiis id non esse illicitum. Ita enim asserunt *P. Suarez*, & *P. Granado* citati. Item *Lugo Card. disp.14. de Fide sect.2. n.38. & 39.* & alii.

21. Inquiritur ergò, an hæc doctrina, sic conditionaliter tradita, contineatur sub condemnatione istius propositionis 18. Ratio dubitandi est: nam in hac censura absolutè damnatur taciturnitas exhibita interrogationi Tyranni; hæc autem conditionalis supponit, aliquos esse casus, in quibus ea taciturnitas non debeat damnari: ergò ea sententia sic conditionaliter tradita adversatur censuræ Pontificiæ, atque adeo sub ea condemnatione continetur.

22. Dicendum tamen est, eam doctrinam, ita conditionaliter traditam, non subjacere huic damnationi. Ostenditur primò. Nam *S. Thomas citatus cap.1.* in prima sententia hanc doctrinam tradit hoc modo conditionali. Notanda sunt verba S. Doctoris: *Subtraheretur honor Deo debitus*, &c. *si aliquis interrogatus de Fide taceret, & ex hoc crederetur, vel quod non haberet Fidem, vel quod fides non esset vera*, &c. In hac autem conditionali includitur etiam ista: *Si taceret, & ex hoc silentio non crederetur, illum deficere in Fide*, &c. Nam quando conditio ponitur tanquam requisita, ut aliqua actio sit peccaminosa; si ponitur conditio, verificatur, quod sit illicita; & si deficit conditio, verificatur, quod deest ratio malitiæ. Patet ergò, doctrinam præfatam S. Thomæ procedere eo modo conditionali. Certum autem est, doctrinam S. Thomæ non adversari censuræ Pontificiæ, neque sub hac illam contineri, aut damnari.

23. Nam illa doctrina, eo modo conditionali tradita, est principium generale, unde manifestè infertur censura Pontifici. Quod patet hoc Syllogismo. [Interrogante Tyranno Petrum de professione Fidei, si

si hujus silentium dat signum negatæ Fidei, aut erubescentiæ, peccat lethaliter tacendo; si autem non dat signum ejusmodi, non peccat: sed silentium in tali occasione per se est signum negatæ Fidei, sive erubescentiæ, quamvis per accidens in aliquo raro casu possit non esse tale signum: ergò per se est lethaliter illicitum tacere in ea occasione; quamvis per accidens in aliquo casu raro possit non esse lethale peccatum.] Ecce quomodo doctrina censuræ Pontificiæ infertur optimè ex illa doctrina, eo modo conditionali tradita. Cum ergo censura Pontificia inferatur ex illa doctrinâ, modo conditionali traditâ, non potest hæc censura illi adversari; cum in legitima argumentatione consequens non possit adversari suo antecedenti.

24. Ad rationem dubitandi patet ex dictis, censuram Pontificiam non esse adeo absolutam, ut non patiatur, quod per accidens in aliquo casu raro dicatur, quod silentium hominis Fidelis juxta exempla proposita *cap. 2.* sit indemne, & licitum; quia censura cadit supra id, quod dicit propositio damnata, nempe, quod *per se* non est peccaminosum tacere in eo eventu. Et ita censura Pontificia, quamvis absolutè data, non adversatur ei doctrinæ conditionali.

ARTICULUS II.

De taciturnitate coram persona privata.

SUMMARIUM.

An reperiatur differentia inter personam publicam, & privatam num.26.

Opinio asserens, silentium coram persona privata non esse illicitum, non subjacet damnationi. num.27.

Si coram persona privata silentium sit signum negatæ Fidei, aut timoris, &c. *certum est esse illicitum.* num. 28.

Si id silentium sit signum contemptus personæ privatæ, probabiliter procedit assertio. num.29.

An Princeps habeat jus interrogandi de Fide. num.30.

Opinio Filgueræ, quod Princeps habet jus interrogandi de Fide, impugnatur. n.32.

25. INquiritur secundò, an huic damnationi subjaceat, aut alio modo sit improbabilis opinio docens, si quis interrogetur de professione Fidei à persona privata, non teneri ad confitendum Fidem?

26. Vidimus *cap. 1.* in relatione secundæ sententiæ, non paucos Doctores distinguere inter personam publicam, nempe Principem, aut Magistratum, & personam privatam: assereréque, illicitum esse silentium coram persona publica interrogante; non sic, si taceatur coram persona privata. Vidimus etiam in relatione tertiæ sententiæ, plures non reperire discrimen inter utrumque genus personarum. Et operæ pretium est discernere, an ea secunda sententia subjaceat huic damnationi; vel saltem digna sit, quæ excludatur à praxi?

27. Dico primò. Ea secunda sententia non subjacet huic damnationi. Probatur. Nam censura Pontificia ponit in propositione damnata illud initium periodi: *Si à potestate publica quis interrogetur*: non ergo loquitur de interrogatione personæ privatæ: atque adeo ex vi censuræ Pontificiæ ea secunda opinio manet indemnis.

28. Dico secundò. Si coram persona

privata interrogante Petrum de professione Fidei, Petrus taceat; ejusque taciturnitas sit signum negatæ Fidei, aut timoris, vel erubescentiæ de confitenda Fide; improbabile est, quod sit licitum tacere. Patet. Nam apud omnes certum est, sicut est lethaliter illicitum negare Fidem, ita esse gravissimum peccatum dare signum ejusmodi negationis, aut erubescentiæ: ergò si taciturnitas coram privata persona sit signum ejusmodi, improbabile est, quod non sit iniquum, & certum est, esse iniquum.

29. Dico tertiò. Quatenus secunda sententia ponit, taciturnitatem coram potestate publica interrogante de professione Fidei, non esse signum contemptus personæ, sed per se esse signum negatæ Fidei, & coram persona privata esse posse signum contemptus personæ, & posse responderi. [Quid ad te? Quis te constituit judicem?] probabiliter procedit. Nam id silentium non est condemnabile, nisi quatenus est signum negatæ Fidei, aut erubescentiæ, vel timoris confitendi Fidem: cum ergo coram persona privata frequenter possit carere ea circumstantia talis significationis; eo modo potest non esse illicitum.

30. *P. Petrus Hurtado* suprà citatus ex eo probat, nullum esse discrimen inter interrogationem personæ publicæ, & interrogationem personæ privatæ: quia sicut persona privata non habet jus interrogandi de Fide in odium Fidei, ita nec Tyrannus, nec Princeps, aut alia persona publica; neque enim in odium Fidei majus habet jus Princeps, quàm privatus homo.

31. *Filguera* in expositione hujus 18. propositionis sic respondet ad argumentum. *P. Petri Hurtado.* [Licet ex se non gaudeat majori iure ad interrogandum de Fidei persona publica, quam privata; quia utraque in Fidei odium interrogat: tamen persona, seu potestas publica habet jus perfectum ad interrogandum, dimanans ab authoritate, quam illi attribuit Fides propter illius honorem, & gloriam: nam Fides ex sua natura habet jus ut manifestetur, & illam omnes confiteantur, & sic tribuit jus publicæ authoritati ad prædictam interrogationem.]

32. Sed inprimis istud jus sine fundamento adscribitur potestati publicæ: cujus jurisdictio solum extenditur ad gubernationem politicam. Deinde difficile intelligitur, quomodo ipsa Fides det jus potestati publicæ, ut interroget in odium ipsius Fidei. Præterea, quia tota ratio malitiæ residens in ea taciturnitate consistit in eo, quod sit signum negatæ Fidei, vel erubescentiæ de illa confitenda, aut causa scandali; unde fit, quod independenter à quolibet jure interrogandi, si ea taciturnitas est signum negatæ Fidei, aut erubescentiæ, aut causa scandali, est lethaliter illicita; ergò ejusmodi jus, aut carentia illius per se solum neque prodest, neque obest huic decisioni.

ARTICULUS III.

An aliquæ aliæ opiniones subjaceant huic damnationi?

SUMMARIUM.

An cum vocantur per edictum Fideles, teneantur comparere ad declarandam suam Fidem? num. 33.

An

An qui interrogatur de Fide, & non in odium Fidei, licitè possit tacere? num. 35.
An si interrogetur de Fide solum ad detegendum inimicum, teneatur respondere? num. 36.
An si Princeps interroget, non in odium Fidei, sed ob alium finem bonum, licitè possit tacere. num. 37.

33. INquiritur tertiò, an subjaceat huic damnationi opinio docens, quod cum potestate publica per edictum Fideles, ut coram tribunali declarent suam Fidem, non teneantur ire ad illam declarandam. Et quidem hanc opinionem multi sapientes Theologi tuentur. Ita *P. Suarez disp. 14. de Fide sect. 3. n. 6. Lugo Card. disp. 14. de Fide sect. 2. num. 43 P. Conink disp. 15. de Fide dub. 5. num. 81. P. Castro Palao tom. 1. tract. 4. disp. 1. sect. 14. num. 2.* & plures alii.

34. Dicendum est, hanc opinionem nō subjacere damnationi Ratio est, quam tradit. P. Suarez loco proximè citato, ubi hæc habet: [Necessarium est, ut persona nominatim, ut sic dicam, & in particulari rogetur: nam si tantum in generali proponatur, ut si quis est Fidelis, se prodat, cum multi adsint occulti, *nemo propriè interrogatur*; & ideo regulariter loquendo, nullus tenetur tunc se prodere.] Unde instruitur argumentum. Censura Pontificia loquitur de eo, qui tacet interrogatus: sed cum vocantur per edictum, ut manifestent suam Fidem, *nemo propriè interrogatur*: ergò censura Pontificia non condemnat opinionem, quæ id asserit de vocatis per edictum.

35. Inquiritur quartò, an subjaceat ei damnationi sententia asserens, cum, qui interrogatur, non in odium Fidei, sed propter alium finem, non peccare tacendo, aut simulando. *P. Suarez loco* proximè citato asserit, non peccare, ubi sic ait: [Etiam est considerandum, an rogans id faciat in odium Fidei, vel tantum in *odium personæ, ut inimicum detegat*: in hoc enim posteriori casu cessat obligatio respondendi, ut per se constat.] Idem docet *P. Castro Palao* in loco proximè *cit. punct. 13. num. 4.* & alii.

36. Circa quam dubitationem dicendum est primò, in eo casu quem ponit *P. Suarez*, ut non interrogetur in odium Fidei, sed solum ad detegendum inimicum; sic non damnatur ea sententia, quod ita interrogatus non teneatur respondere veritatem. Ratio est: nam censura Pontificia respicit causam Fidei, & confessionis ejus: at in illo casu, in quo interrogat sive Princeps, sive privatus, non agitur causa Fidei, neque confessionis ejus: ergò hanc sententiam, quæ loquitur de hoc casu particulari, non damnat censura Pontificia.

37. Dicendum est secundò, si propositio procedat universaliter de omni casu, in quo potestas publica interroget, non in odium Fidei, sed ob alium finem bonum; si affirmet licitè posse tacere, talis affirmatio subjacet huic damnationi. Ratio est. Nam potest Princeps Catholicus in Belgio scire velle propter aliquem finem honestum, & consequenter non in odium Fidei, quinam sint Catholici in ditione sua: unde si tunc interroget Petrum, an sit Catholicus, isti tacere, aut tergiversari non licet; quia ea taciturnitas erit signum Fidei negatæ. Quare propositio asserens in hoc casu silentium esse licitum, subjacebit huic damnationi, juxta quam damnabilis

nabilis est propositio asserens, interrogatum à potestate publica de sua Fide, posse tacere. Neque potest excusari in præsenti, sicut in præcedenti, ex eo quod hic non agitur causa Fidei; nam quamvis in hoc casu interrogatio non sit in odium Fidei; negari non potest, quod agatur hic causa Fidei, propter aliquem alium finem honestum, & maxime si iste finis sit Catholicis favorabilis, ita sic interrogatum ab Episcopo, vel Principe Catholico teneri ad confessionem Fidei, docuit *P. Arriaga 2.2.disp. 21.sect.2.num.5.* quem refert, & sequitur *Leander à SS. Sacr. part.1.in decal.2. disp. 2. quæst. 12.*

DISSERTATIO XIII.

De necessitate piæ affectionis supernaturalis ad assensum Fidei, & ad ejus certitudinem.

CAPUT I.

Relatis duobus propositionibus damnatis, proponitur doctrina certissima Theologorum, & quomodo ex illa reddatur certò falsa opposita opinio?

SUMMARIUM.

Duæ propositiones damnatæ num.1.
Piam affectionem voluntatis esse necessariam ad assensum Fidei. num.2.
Constat ex eo, quod liberum est credere, & non credere. Ubi refertur definitio Tridentini. num.3.
Necessaria est ad certitudinem adhæsionis. num.3.
Ubi non est evidentia veri, requiritur inclinatio voluntatis. num.5.
Solum requiritur ad credendum, mysterium fuisse à Deo revelatum. num.6.
Rejicitur assertio opposita. num.7.
Ex eo rejicitur, quia falsum est, quod res Fidei sint evidentes. num 8.

1. PRopositio 19. quam in hoc decreto damnat Pontifex, hæc est. *Voluntas non potest efficere, ut assensus Fidei in se ipso sit magis firmus, quam mereatur pondus rationum ad assensum impellentium.* Propositio 20, quæ est quasi conclusio illata ex præcedenti, quæ etiam damnatur, hæc est: *Hinc potest quis prudenter repudiare assensum, quem habebat supernaturalem.*

2. Piam affectionem voluntatis supernaturalem esse necessariam simpliciter ad assensum Fidei supernaturalis, est communis Theologorum sententia, tam firmis momentis authoritatis & rationis munita, ut opposita (ut minimum) sit planè improbabilis. Quam sententiam docet *S. Thomas 2.2.quæst.1.art.4. & q.2. art.1.ad3.* & aliis in locis. Eam egregiè firmavit *P. Suarez disp.6. de Fide sect.6 & 7. Lugo Card. disp. 10. de Fide sect 1. & seqq. P. Granado 2. 2. controv.1. tract 9. disp.2. & seqq. P. Petrus Hurt. de Fide disp.45. & seqq.* & omnes communiter Theologi.

3. Id probant ex apertis testimoniis Sacræ Scripturæ, ex quibus constat, actus Fidei supernaturalis esse liberos, hoc est, liberum esse credere, & non credere; item credere esse meritorium. Cùm ergò intellectus sit potentia necessaria, atque adeo in actibus illius non possit stare libertas, nec meritum;

meritum, infertur manifestè, eam libertatem, & meritum stare in affectu voluntatis ad credendum, quem Theologi vocant piam affectionem supernaturalem, quæ quidē est actus liber, & meritorius. Quam veritatem definivit Concilium Tridentinum *sess. 6. cap. 6.* illis verbis: *Disponuntur autem ad justitiam, dum excitati divina gratia, & adjuti, Fidem ex auditu concipientes, liberè moventur in Deum credentes.*

4. Sed ad quem effectum est necessaria hæc pia affectio voluntatis? Utique ad firmitatem, qua intellectus cum omnimoda certitudine credit mysterium revelatum. Pro cujus rei claritate notandum est, quod suprà attigi, duplicem esse certitudinem in actu Fidei supernaturalis, aliam connexionis cum objecto, ratione cujus omninò est impossibile, quod detur actus Fidei sine eo, quod objectum ita sit, sicut repræsentatur per actum. Alia est certitudo adhæsionis ad objectum, ratione cujus intellectus firmissimè assentitur objecto, & hæc secunda nititur objectivè in prima: ideò enim adhæret firmissimè objecto quia videt connexionem Fidei cum objecto.

5. Jam verò, quod pia affectio voluntatis requiratur ad certitudinem adhæsionis ad objectum, sive ut firmissimè credat objectum, patet ex ratione, quam tradidit *S. Thomas ea quæst. 1. art* 4. Etenim intellectus ex vi objectiva non cogitur ad assensum, nisi ubi adest evidentia veri: sed in objecto Fidei Divinæ non est evidentia veri: ergò ex solo objecto non cogitur intellectus ad assensum Fidei. Ergò ut intellectus cogatur ad assensum, & firmiter adhæreat objecto, necessarium est imperium voluntatis. Hæc omnia certa sunt apud Theologos.

6. Ubi etiam advertendum est, quod observavit *Lugo Cardin. de Fide*, ex his tribus propositionibus pertinentibus ad fidem (sive ad complexum earum in uno actu inclusum) scilicet [Quidquid dicit Deus, est verum: Deus dicit, Verbum incarnatum esse: ergò verum est, Verbum incarnatum esse] primam propositionem esse evidentem, ideoque non indigere pia affectione voluntatis tertiā autem, scilicet conclusionem, evidenter inferri ex præmissis; & ideò ad ejiciendam eam conclusionem non esse necessariam piam affectionem suppositis præmissis Quare pia affectio requiritur ad secundam propositionem, nempe ad credendum, id fuisse à Deo revelatum, quia id est, quod intellectus non cognoscit evidenter, sed obscurè, nempe per propositionem Ecclesiæ. Et quia conclusio nititur in ea secunda propositione, ex hoc capite ipsa conclusio participat obscuritatem, & sic indiget eā piā affectione.

7. Propter hæc omnes Theologi rejiciunt tamquam falsam, & improbabilem opinionem *Francisci de Marchia*, quem refert *P. Suarez in ea sect. 6. cit. num. 2.* asserentis, intellectum non indigere determinatione voluntatis ad assensum Fidei; ex eo fundamento, quod res Fidei sunt evidentes. Quam etiam tenuit *Holcoth in 1 quæst. art. 6. dub. 1. ad 1* apud *P. Suarez ibid.* ex eo fundamento, quod res Fidei sunt evidenter credibiles; & ubi adest evidentia credibilitatis, non esse opus determinatione voluntatis. Et ita *dæmones*, licèt inviti, *credunt & contremiscunt.* Jacob 2.

8. Ex eo autem fundamento rejicitur ea sententia tamquam, ut minimum, improbabilis: quia improbabile, & certo falsum est, quod res Fidei sint evidentes; cùm non

tudinem: hoc est hæreticum, & certò falsum: ergò certò falsum est antecedens, unde id infertur. Minor,& consequentia constant. Probatur major. Pondus rationum impellentium ad assensum Fidei non potest dare eam omnimodam certitudinem assensui Fidei: sed per te assensus Fidei non accipit certitudinem aliunde, quàm ab eo pondere rationum: ergò assensus manet sine omnimoda certitudine. Etiam in hoc syllogissimo, Minor,& consequentia non egent probatione.

12. Probatur major. Nam intellectus non potest à seipso, & ab objecto cogi, & determinari ad assensum, nisi ubi adest evidentia veri: sed circa mysterium Incarnationis, & reliqua mysteria id pondus rationum non facit in intellectu evidentiam veri; cùm solùm cognoscamus illa ex propositione Ecclesiæ, & non ex alio evidente principio: ergò id pondus rationum non potest cogere, & determinare intellectum ad assensum Fidei, & consequenter non potest ei dare omnimodam certitudinem.

13. Ostendo secundò. Nam si assensus Fidei non posset esse magis firmus, quàm meretur id pondus rationum, sequeretur, quod non esset liberum homini credere, & non credere; sed erroneum est dicere, id non esse liberum homini: ergò & antecedens, unde id infertur.

14. Major ostenditur. Eatenus enim dicebatur ab illis Authoribus, non esse magis firmum assensum Fidei, quàm meretur pondus rationum; quatenus affirmabant, esse evidentiam in eo pondere rationum, ratione cujus intellectus maneret omninò firmus, & certus: atqui si esset ea evidentia firmiter determinans intellectum, homo maneret necessariò determinatus ad credendum: ergò non esset illi liberum credere, & non credere. Etenim non est liberum homini assentiri huic propositioni: *Sol est in cœlo*; quia habet evidentiam existentiæ Solis in cœlo; neque potest voluntas imperare, ut assentiatur oppositæ propositioni: quia contra evidentiam intellectus voluntas non habet imperium.

15. Quod verò sit erroneum dicere, quod non sit liberum homini credere, & non credere; patet primò ex definitione Tridentini supra posita, maximè illis verbis: *Liberè moventur in Deum credentes.* Secundò, Marci cap. ult. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit, qui verò non crediderit, condemnabitur.* Ergò homines liberè credunt, & liberè non credunt: cùm salus æterna,& mors æterna non detur, nisi liberè operantibus. Tertiò ad Rom 4. *Credidit Abraham Deo, & reputatum est ei ad justitiam.* Non enim potest actus reputari ad justitiam, nisi sit actus liber. De quo vide *P. Suarium* latiùs prosequentem hanc materiam, & ibi etiam hanc esse sententiam communem sanctorum Patrum.

16. Ostenditur tertiò. Quia si certitudo Fidei tota staret inevidentia, quam affert pondus rationum, actus Fidei non esset meritorius: id autem est contra Fidem: ergò & antecedens, unde id infertur. Minor patet ex locis Scripturæ proximè allatis: *Credidit Abraham Deo, & reputatum est ei ad justitiam.* Et illud. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit*, &c. Major etiam patet. Nam actus intellectus, qui non est voluntarius, non potest esse meritorius; cùm meritum non stet in intellectu, sed in voluntatis actibus: nec possit esse meritorius actus intellectus, dum cogitur, &

necessitatur ex evidentia objecti.

17. Ostenditur quartò. Nam tota firmitas, & certitudo, quam actus Fidei potest participare ex pondere rationum impellentium ad assensum impendenter à pia affectione, est evidentia moralis; nam certitudo, quam accipit ab authoritate Dei revelantis, est ex notitia obscura, quæ ideò non determinat intellectum ad assensum: atqui assensus Fidei habet multò majorem certitudinem, quam quæ provenit ab evidentia morali: ergò hanc majorem firmitatem aliunde debet participare. Sed nihil aliud est, unde illam participet, nisi pia affectio supernaturalis: ergò voluntas media pia affectione supernaturali potest dare assensui Fidei majorem firmitatem, quàm mereatur pondus rationum. Major est certa. Et Minor certissima. Et reliquæ propositiones evidenter illatæ.

18. Pro quarum claritate notandum est discrimen inter evidentiam moralem, & metaphysicam. Nam evidentia metaphysica datur, quando objectum ita est evidens, ut implicet contradictionem, rem aliter esse, ac intelligitur. Evidentia autem moralis datur, quando tot sunt motiva, & testimonia, ut nullus prudens possit negare assensum objecto, licèt non implicet contradictionem rem aliter esse. Sic habemus evidentiam moralem de existentia Romæ propter tot hominum testimonia: quamvis non implicet contradictionem, omnes mentiri, qui illud affirmant.

19. Quæ cùm ita sint, dicendum est, sicut motiva credibilitatis non habent evidentiam metaphysicam; ita neque hanc refundi in veritates Fidei: atque adeò illas non esse evidentes, & consequenter indigere imperio voluntatis, ut intellectus maneat certus ea firmitate, qua major nulla esse poterit.

20. Quod si objicias. Evidentia credibilitatis ita suadet veritates Fidei, ut repugnet, illas esse falsas: ergò ea evidentia credibilitatis dat evidentiam metaphysicam veritatibus Fidei.

21. Huic objectioni ea claritate, qua solet, respondet *P. Granado tract. 2. de Fide disput. 4. num. 4.* [Respondetur, ab evidentia credibilitatis ita proponi Fidem, ut repugnet illam esse falsam, non quasi hæc repugnantia oriatur ex ipsa evidentia credibilitatis, nam ex vi hujus præcisè non redditur certus (*infallibilitate metaphysica*) intellectus de veritate mysteriorum: sed oritur ex Divina authoritate, & interna illustratione, quibus nostra Fides innititur] Ita repugnat, mysteria Fidei esse falsa, sed non vi evidentiæ credibilitatis, sed vi authoritatis Divinæ revelantis, & vi luminis Fidei. Implicat contradictionem, illa esse falsa, in quo convenit certitudo Fidei cum evidentia metaphysica, sed differt ab illa in obscuritate.

CAPUT III.

An subjaceat huic damnationi propositio asserens, ad assensum Fidei non requiri positivum imperium, sed solam non resistentiam voluntatis.

SUMMARIUM.

Opinio perperam attributa Scoto. num. 22.

An

An ea opinio subjaceat huic damnationi. num. 23.
Discrimen inter damnari, & antiquari propositionem. n. 25.
Ea opinio antiquatur vi hujus decreti. n. 26
Ex ea opinione infertur propositio damnata. num. 27 & 28.
Ad determinandum assensum Fidei non sufficit motivum purè intellectuale. Et quid inde pro conclusione? num. 29.

22. Scoto attribuitur (sed falsò, ut constat ex *Patre Suarez citato*) opinio asserens, necessarium esse, quod voluntas non contradicat, sed non esse necessariū quod voluntas determinet, & moveat intellectum ad credendum.

23. *Filguera* in expositione propositionis 19. § *Quaret aliquis*, affirmat, eam opinionem non comprehendi sub hac damnatione Rationem reddit: [Quia poterunt *Scotista* dicere eam non contra motionem quodammodo conducere ad firmitatem assensus Fidei, quatenus voluntate in contrarium non conante, intellectus non impeditur suo objecto adhærere, quod evidenter moraliter judicat esse verum.] Hæc *Filguera*. Sed id videtur dixisse cum formidine, nam postea suadet, eam non repugnantiā voluntatis non esse sufficientem, ut assensus Fidei habeat à voluntate firmitatem, ultra eam, quam accipit à rationibus impellentibus ad assensum.

24. Dicendum tamen est, hanc propositionem, *Ad actum Fidei non requiritur imperium positivum, sed sufficit, quod voluntas non repugnet*; quamvis non damnetur expresse hoc decreto Innocentii XI. ex vi tamen hujus decreti antiquatā manere.

25. Damnatur expresse propositio, quando per suos formales terminos expressa, aut per æquivalentes præscribitur ut scandalosa, aut tamquam digna aliqua alia censura Theologica. Antiquatur verò propositio, quando est incompossibilis cum decreto, licet per proprios, & formales terminos non exprimatur.

26. Dicimus ergò, eam propositionem antiquari vi hujus decreti; quia imcompossibilis est cum tali decreto. Nam hæc propositio est antecedens, ex quo infertur legitimè propositio condemnata: & sicut in legitima argumentatione, non potest esse antecedens verum, & consequens falsum: ita si consequēs est falsum, necesse est, quod etiam antecedens sit falsum: nam benè valet ab opposito contradictorio consequentis ad oppositum contradictorium antecedentis.

27. Jam verò quod hæc propositio sit antecedens, unde infertur manifestè propositio damnata ostendo primò. Per solam non repugnantiam voluntatis non potest voluntas efficere ut assensus Fidei sit magis firmus in se ipso, quam mereatur pondus rationum ad assensum impellentium: sed juxtà hanc sententiam sola datur non repugnantia voluntatis: ergò voluntas non potest efficere, ut assensus Fidei sit magis firmus in se ipso, quàm meretur pondus rationum: ergò ex eo, quod non detur positivum imperium voluntatis, sed sola non repugnantia ejus, infertur propositio damnata.

28. Major probatur. Nam firmitas, quam dat voluntas actui Fidei, est firmitas adhæsionis ad objectum, fundata in eo, quod videt intellectus firmitatem connexionis cum objecto: atqui per solam non repugnantiam voluntatis non adhæ-

adhæret voluntas firmiter ad objectum; nam adhærere firmiter dicit vehementem inclinationem; & non repugnare voluntatem, solum dicit quandam permissionem; ergò firmitas, quam dat voluntas actui Fidei, non potest oriri à sola non repugnantia voluntatis.

29. Ostendo secundò. Nam intellectus non cogitur, nec determinatur ex motivo intellectuali ad assensum, nisi ex evidentia veri: sed in motivo intellectuali Fidei, nempe authoritate Dei revelantis, non datur evidentia veri; cum obscurè cognoscat revelationem, nempe per propositionem Ecclesiæ: ergò ad assensum Fidei determinandum, non sufficit illud motivum intellectuale: ergò requiritur, quod voluntas illum determinet inclinatione sua ad assensum. Sed solâ non repugnantiâ voluntatis non potest determinari intellectus ad assensum; cum adhuc positâ eâ non repugnantia maneat intellectus indeterminatus: ergò adhuc requiritur voluntas inclinans, & determinans. Ergo ubi non datur hæc positiva inclinatio, & determinatio voluntatis, assensus Fidei in se ipso non habet majorem firmitatem, quàm eam, quam accipit à pondere rationum impellentium ad assensum.

CAPUT IV.

De admnatione vigesimæ propositionis.

NON EGET SUMMARIO.

30. PRopositio 20. ex damnatis hæc est: *Hinc potest quis prudenter repudiare assensum quem habebat, supernaturalem.* In quo sensu eam dixerint Authores ejus propositionis, me omninò latet. Et cum ea particula *Hinc* denotet, esse consequentiam deductam ex propositione immediatè antecedenti; ego non video, quomodo talis consequentia inferatur ex præfata propositione 19. nisi hæc tradatur ad sensum hæreticalem. Et ideo non impugno, quod non capio: satis enim impugnata manet propositio, quæ à Romano Pontifice damnatur.

31. Scio, aliquos existimasse, (*referente Willelmo Sandeo in confut. trium virorum*) huic damnationi subjici opinionem eorum, qui dixerunt, infidelem, cui proponitur ut probabilior Religio Catholica, & qui statim præstat debitam diligentiam ad assequendam certitudinem, posse suspendere assensum donec ad talem certitudinem perveniat. Ideo enim eam propositionem accusant, quia quod talis Infidelis suspendat assensum in eo eventu, idem est, ac quod repudiet illum.

32. Sed certum est, præfatam opinionem nullo modo subjacere huic damnationi. Et ex ipsis terminis propositionis damnatæ evidenter constat: ait enim, *Repudiare assensum, quem habebat*: Sed is Infidelis in præfata hypothesi nullum antea habebat assensum: ergò non potest dici, quod repudiaverit assensum, quem habebat. Id etiam constat apertè ex significatione ipsius verbi *repudiare*, quod idem est, ac repellere id, quod antea erat admissum. Sic *Terentius in Adria* ait: *Repudio consilium quod primum intenderam.*

****
**

DIS-

DISSERTATIO XIV.

An assensus Fidei supernaturalis stet cum notitia solum probabili revelationis, sive cum formidine de illa.

CAPUT I.

Refertur propositio 21. damnata; ejusque falsitas ostenditur.

SUMMARIUM.

Opinio Lumbierii. num. 2.
Quid censeat Filguera num. 3.
Ad actum Fidei supernaturalis requiritur certitudo de revelatione Dei. n. 4.
Duplex est certitudo, scilicet objectiva, & subjectiva, & quomodo utraque reperiatur in actu Fidei Divinæ. n. 5.
Actus Fidei non potest inniti revelationi falso existimatæ. n. 6.
Certitudo adhæsionis ad objectum est de conceptu essentiali actus Fidei. n 7. & seqq.
Quomodo ex pia affectione accrescat actui Fidei major firmitas adhæsionis. num. 10.

1. PRopositio XXI. ex damnatis hæc est: *Assensus Fidei supernaturalis, & utilis ad salutem stat cum notitia solum probabili revelationis; imò cum formidine, qua quis formidet, an non sit locutus Deus.* Cujus propositionis sensus clarissimus est, neque explicatione indiget.

2. *Raymundus Lumbier tom. 3. Sum n.* 1773. ait, damnatam esse hanc propositionem propter quosdam Recentiores, quos suppressis nominibus refert, asserentes, quod ut quis eliciat actum Fidei supernaturalis circa objectum aliquod singulare, sufficit, si illud singulare probabiliter contineatur sub revelatione certa universali: v. g. supposita revelatione de auxilio efficaci, quia probabile est, sub auxilio efficaci probabiliter contineri præmotionem Physicam; posse actum fidei supernaturalem terminari ad talem præmotionem.

3. *Emmanuel de Filguera in sua Lucerna* in explicatione hujus propositionis 21. eos, qui censent, non requiri evidentiam credibilitatis de revelatione, subjicit huic damnationi; ita ut referens opinionem Gabrielis, quod Deus supplet evidentiam credibilitatis media illustratione, & inspiratione interna, etiam eam subjiciat huic damationi. Et ita ei subjicit *P. Ripaldam.* Imò, & *P. Suarium* vult sub hac damnatione contineri, quatenus cùm iste *disp.* 4. *de Fide sect.* 5 *num.* 7. retulisset sententiam, quæ asserit, licèt in corpore Ecclesiæ requiratur evidentia credibilitatis ad fidem supernaturalem, non verò requiri in omnibus singularibus; subjungit *Suarius*; (Et hæc opinio fortasse probabilis est.) Et in explicatione quartæ propositionis vult comprehendere sub damnatione hujus propositionis *21. P. Matthæum de Moya tom.* 2. *Selectar. tract.* 6. *disp.* 5. *quæst.* 2. §. 4. *nn.* 17. asserentem, esse aliquos assensus Fidei, qui non supponunt credibilitatis evidentiam. Quæ omnia altiorem postulant discussionem.

Pro cujus rei claritate, præmitto primò, indubitabile esse, quod hæc damnatio postulat certitudinem omnimodam in actu Fidei supernaturalis, de revelatione Dei. Ex eo enim, quod non sufficiat ad actum Fidei probabilitas de revelatione, neque cum

cum actu Fidei compossibilis sit formido, evidenter infertur, actum Fidei esse non posse, quin sit omninò certus.

5. Præmitto secundò, cum *P. Suarez disp. 6. de Fide sect. 5. num. 7.* duplicem esse certitudinem Alia enim est certitudo connexionis cum objecto, quatenus impossibile est, dari actum, quin etiam tale sit objectum, quale repræsentatur per actum. Subjectiva est firmitas adhæsionis ad objectum, quatenus actus ita firmiter tendit in objectum, ut nullam secum compatiatur dubitationem, aut formidinem. Dicitur autem subjectiva, quia est adhæsio subjecti ad objectum. Itaque hæ duæ formalitates diversæ sunt: & quod mysterium incarnationis. v. g. ita sit certum, ut non possit esse aliter, quam repræsentatur per actum Fidei; & quod actus Fidei habeat firmissimam tendentiam in mysterium Incarnationis, ita ut de eo nequeat intellectus dubitare, aut formidare.

6. Præmitto tertiò, certitudinem objectivam, sive connexionẽ cum eo, quod objectum ita sit, esse de conceptu Fidei supernaturalis: & ideo Fidem supernaturalem non posse inniti revelationi falsò existimatæ. Quam conclusionem optimè probat *P. Suar. disp. 3. de Fide sect. 13. ex Concilio Tridentino, & ex Sacra Scriptura testimoniis.* Et ratio à priori est Nam lumen intellectuale Divinum, & supernaturale, ad Fidem supernaturalem requisitum, ex natura sua est determinatum ad assentiendum Divino testimonio, verè, & realiter testificanti: quia est veluti instrumentum Spiritus Sancti, per quod movet intellectum ad assentiendum, & ideo debet esse proportionatum veritati Spiritus Sancti.

7. Restat ergò inquirere, an certitudo adhæsionis ad objectum sit etiam de conceptu essentiali actus Fidei. Et quidem in damnatione hujus 21. propositionis manet definitum à Pontifice, actum Fidei supernaturalis ita firmiter adhærere debere revelationi, ut cum tali actu non sit compossibilis mera probabilitas, aut formido divinæ revelationis.

8. Ostenditur deinde primò. Nam tantò certior est actus certitudine adhæsionis ad objectum, quantò firmioribus principiis cognoscit fulciri suum objectum: sed Catholicus, qui elicit actum Fidei, cognoscit suum objectum niti firmissimo principio revelationis Dei, qui neque falli potest: ergò actus Fidei firmissimè adhæret objecto.

9. Ostenditur secundò. Quia lumen supernaturale, quod præcedit actum Fidei, ita roborat intellectum, ut cognoscat, prodigendam vitam pro assertione veritatis Fidei: ergò ita roborat intellectum, ut firmissimè adhæreat veritati objectivæ revelatæ. Videatur *P. Suarez disp. 6. de Fide sect. 5.*

10. Ubi notandum est, ex pia affectione supernaturali, quæ imperat actum Fidei supernaturalem, huic accrescere majorem firmitatem adhæsionis ad objectum, ut tenet communis sententia Theologorum; sed ea certitudo non accrescit ex pia affectione, nisi actui certo certitudine objectiva: & ita quamvis pia affectio naturalis possit dare actui probabili certitudinem apparentem adhæsionis ad objectum; non tamen veram certitudinem, quæ non est vera, nisi detur etiam certitudo connexionis cum objecto.

CAP-

CAPUT II.

An subjaceat damnationi huic opinio asserens, posse terminari actum Fidei supernaturalis ad ea objecta, quæ probabiliter continentur sub vera revelatione universali?

SUMMARIUM.

Opinio aliquorum. num. 11.

Fundamentum ejus desumptum ex eo, quod Fide creditur in hac hostia esse corpus Christi Domini. num. 12.

An relata opinio concedat, actum Fidei stare cum formidine de existentia revelationis. num. 13. & seqq.

Ostenditur quam falsa sit ea opinio. n. 15.

An repugnet, quod quis actu Fidei credat, se esse in gratia? Et quid inde pro conclusione? n. 17.

Confirmatio desumpta ex Tridentino. n. 18.

Solvitur objectio de hac hostia consecrata. n. 19.

Sub conditione implicita credimus actu Fidei, corpus Christi esse sub hac hostia. n. 20.

An aliquando possit terminari actus Fidei ad præsentiam Christi in hac hostia absque ulla conditione n. 20.

An possit credi actu Fidei sensus probabiliter contentus in Scriptura, sub conditione? n. 22.

11. NON defuerunt Authores, qui dicerent, terminari posse actum Fidei supernaturalis ad objecta, quæ probabiliter continentur sub revelatione universali: v.g. totam Scripturam Sacram revelavit Deus: si ergo aliquis sibi probabiliter persuadeat, hunc esse sensum talis loci Scripturæ, poterit illum sensum credere actu supernaturali Fidei.

12. Quam assertionem ex eo probant. Nam Fideles adorant, & credunt Fidei supernaturalis actu in hac hostia esse corpus Christi Domini realiter præsens: & tamen hanc hostiam esse consecratam, est dumtaxat probabile, & dubitabile: ergò quando aliquid continetur probabiliter sub revelatione vera universali, potest credi actu Fidei supernaturalis. Ideò enim credimus Fide Divina, & supernaturali, in hac hostia esse realiter præsens Christi Corpus, quia revelatio universalis affirmat, Christi corpus esse realiter præsens in omni hostia ritè consecrata à legitimo Sacerdote: hanc autem esse ritè consecratam à legitimo Sacerdote, solum est probabile, & dubitabile; quia possumus dubitare an Sacerdos habuerit intentionem consecrandi, & an Sacerdos sit ritè ordinatus, vel etiam an sit baptizatus.

13. Dicendum tamen est, eam opinionem subjici huic damnationi. Et ita expressit Lumbier citatus suprà. Quod sic manifestè ostenditur. Huic damnationi subjicitur propositio, quæ propugnat, actum Fidei Divinæ stare cum notitia solum probabili revelationis, aut cum formidine de existentia revelationis: sed assensus, qui terminatur ad objectum singulare probabiliter contentum sub revelatione universali, stat cum notitia solùm probabili revelationis, & cum formidine de existentia revelationis: ergò talis opinio huic damnationi subjicitur. Major patet ex ipso tenore decreti.

14. Minor probatur. Nam qui dicit, se credere Fide Divina sensum probabiliter contentum in textu Sacræ Scripturæ; vel id credit quia talis sensus est revelatus à Deo, & contentus in revelatione

est conditionem, *si nimirum sit ritè consecrata*, hoc enim reprehensione dignum esset, & devotionem multum imminueret; sed sat est implicita conditio, qua jam supponunt Fideles, se credere, & adorare sub illis speciebus Christum Dominum, supposita vera consecratione, & non aliter.] Huc- usque *P. Granado*.

20. Juxta quam responsionem, actum Fidei supernaturalis eliciunt Fideles, dum credunt, sub ea conditione, licet non expressâ, sed implicitâ. Quo pacto assensus ita implicitè conditionatus est verus actus Fidei supernaturalis. Neq; enim creditur assensu Fidei supernaturalis, hanc hostiam esse ritè consecratam: quia de hoc est sola probabilitas, & stat cum formidine de vera consecratione; sed sub conditione implicita, quod hæc hostia sit ritè consecrata, elicitur assensus Fidei Divinæ ad credendum, ibi esse Christum realiter præsentem.

21. An autem possit aliquando terminari actus Fidei Divinæ ad præsentiam Christi realem in hac hostia determinata, absq; ulla conditione explicita, dicam cap. 4.

22. Dices. Ergò similiter poterit quis credere actu Fidei Divinæ sensum Sacræ Scripturæ probabiliter contentum in ipsa Sacra Scriptura, sub conditione quod verus sit ille sensus. Respondeo, concedendo consequentiam. Est enim de Fide, quod si is sensus est verè contentus in illo textu S. Scripturæ, est absolutè verus: & consequenter qui sub illa conditione assensum præstat illi sensui, elicit actum Fidei supernaturalem. Sic enim ille assensus conditionatus non nititur revelationi probabiliter cognitæ, neque formidat de revelatione ita conditionata apprehensa.

23. Advertendum autem est, quod quamvis actus Fidei terminatus ad hanc numero hostiam consecratam, includat eam tacitam conditionem; tamen actus adorationis non est necesse, quod illam includat. Nam adorationi præcedunt duo actus, alius Fidei supernaturalis, qui includit illam tacitam conditionem; & alius prudentiæ, qui innititur fundamento moraliter certo, quod hic est verus Sacerdos, & habens intentionem consecrandi, qui actu purificat illam conditionem; atq; adeò adoratio procedit absolutè, & sine conditione.

CAPUT III.

An incurrat hanc damnationem opinio asserens, non requiri evidentiam credibilitatis ad actum Fidei, maxime in pueris & rudibus.

ARTICULUS I.

Præmittuntur aliqua.

SUMMARIUM.

Primus modus, quo potest excogitari non requiri evidentiam credibilitatis in pueris & rudibus, supplente illustratione Spiritus Sancti, n. 25.

Secundus modus, ita ut dicatur sufficere cognitio probabilis credibilitatis. n. 26.

Tertius modus, quod sufficiat probabilitas quæ refundatur in cognitionem revelationis. n. 27.

Quot actus concurrant in eo, qui incipit credere. n. 28. & seqq.

Qui Authores affirment non requiri evidentiam credibilitatis primo modo. n. 32.

24. Vidimus cap. 1. *Filguteram* esse in ea existimatione, ut credat, incurrere

Tt 2 dam-

damnationem hujus 21. propositionis, quotquot negant, requiri, maximè in pueris, & rudibus, evidentiam credibilitatis mysteriorum Fidei, quæ illis proponuntur credenda.

25. Pro cujus rei claritate præmitto primò, triplici modo posse intelligi, quod non requiratur evidentia credibilitatis in omnibus singularibus credentibus, maximè pueris, & rudibus. Primò taliter, quod actum fidei non præcedat ulla cognitio credibilitatis ex vi motivorum evidentiũ; sed quod proposito Fidei mysterio absque explicatione argumentorum, quæ militant pro veritate Fidei Catholicæ; accedente illustratione Spiritus Sancti, quæ lumen Fidei appellatur, & illustratione circa honestatem, & obligationem credendi, quæ invitat voluntatem ad amplectendum, & imperandum actum Fidei supernaturalis; per id lumen Fidei, & per eam illustrationem suppleatur ea evidentia credibilitatis mysteriorum, quæ proponuntur; suppleatur, inquam, in ordine ad effectum, quod adsit omnimoda firmitas adhæsionis ad objectum, excludens quamcumque formidinem.

26. Secundo modo potest excogitari, quod non requiratur evidentia credibilitatis, eò quod dicatur sufficere cognitio probabilis credibilitatis mysteriorum, atque adeò sine evidentia eorum argumentorum præcedente: sicut etiam cognitio probabilis de honestate, & obligatione voluntatis amplectendi actum Fidei; si nimirùm lumen Fidei & illustratio suppleant defectum evidentiæ. Dicentur autem supplere eam evidentiam ex motivis & argumentis orituram, si moveant intellectum ad assensum firmum, & certum; & voluntatem ad amplectandum ejusmodi assensum Fidei firmissimum.

27. Tertio modo potest excogitari, quod non requiratur evidentia, sed sufficiat probabilitas credibilitatis, ita ut ea probabilitas refundat etiam probabilitatem in ipsam cognitionem revelationis, & assensum ad illam.

28. Præmitto secundò, octo actus solêre concurrere in eo, qui incipit credere mysteria Fidei. Primus est auditio, & intellectio mysteriorum, quæ sibi proponuntur. Secundus est judicium, quo quis cognoscit, mysteria Fidei esse evidenter credibilia ex argumentis id evidenter suadentibus. Tertius est judicium practicum, quod hæc mysteria sunt credenda, sive realiter distinguatur ab actu præcedenti, sive identificetur; nam utroque modo fieri potest. Quartus est judicium practicum de honestate voluntatis credendi, & de obligatione credendi.

29. Quintus est lumen Fidei, quod est illustratio, qua Spiritus Sanctus illuminat intellectum credituri, quæ ita requiritur ad assensum Fidei Divinæ, ut impossibile sit, talem assensum haberi sine illa. Illud enim lumen Fidei est auxilium requisitum ad credendum, & infusum à Deo; & instruit intellectum de veritate mysteriorũ, & de honestate voluntatis credendi. Nec modo disputo, an sint duo actus, alter instruens de honestate, & obligatione voluntatis credendi, & alter instruens de veritate mysteriorum; an potius sit unicus actus productus à Deo illustrans ad utrumque.

30. Sextus est inspiratio Spiritus Sancti, quæ invitat, & inclinat voluntatem ad amplectendum assensum Fidei Divinæ.

Quæ

Quæ inspiratio non est actus liber voluntati, sed infusus à Deo ante omnem usum liberi arbitrii; quæ quidem inspiratio non determinat voluntatem ad amplectendum assensum; sed invitans ad illum, relinquit voluntatem in sua indifferentia libertatis ad amplectendum assensum, & ad non amplectendum.

31. Septimus est pia affectio voluntatis, quæ quidem est actus liber imperans assensum Fidei. Et licèt apud aliquos ea vox *pia affectio* sic, apud alios aliter sonet; cæterum communis sententia eam intelligit modo dicto. Ideò *P. Granado controv. 1. de Fide tract. 9. disp. 2. num.* 17. ait: [Pia ergò affectio, quæ dici solet requisita ad Fidem, est illud voluntatis imperium; & de ea in hoc sensu deinceps loquemur.] Hæc *Granadò.* Quod etiam docuit *P. Suarez disp. 6. de Fide sect.* 7. & communis Theologorum sententia. Octavus est ipse assensus Fidei Divinæ, credens Mysteria propter infallibilem authoritatem Dei revelantis.

32. Jam verò non requiri evidentiam credibilitatis mysteriorum Fidei, in pueris, & rudibus, scilicet illo primo modo suprà relato, supplente lumine Fidei eam evidentiã, tuentur non pauci Doctores Audiendus est *P. Granado*, qui *controv. 1. de Fide tract. 2. disp. 3 sect. 2. num. 7.* ita disserit. [Si tam perfecta evidentia requireretur in omni credente, major pars populi Christiani non eliceret actus Fidei supernaturalis; cùm nec illi semper audierint enumerationem illustrium motivorum, nec advertenrint illorum efficaciam; & multi solùm edocti fuerint ab uno, vel altero Parocho, aut viro Religioso: qui quantumvis dicat, Religionem nostram confirmatam esse prodigiis singularissimis, non potest facere majorem Fidem, quàm humanam, & quæ non pervenit ad convincendum intellectum hominis, qui vellet dubitare de iis, quæ audiret à tali Parocho, vel viro Religioso. Dicere autem, ex Catholicis paucissimos esse, qui credunt; & innumeros penè populos, qui ab uno vel altero instruantur in rebus nostræ Religionis, nunquam elicuisse actus Fidei Divinæ, temeritatis, & impietatis speciem præsefert. Et sanè cùm actus Fidei supernaturalis tam necessarius sit ad salutem, credendum omninò est, Divinam bonitatem, & sapientiam, quæ omnia disponit suaviter, sine tot motivis concurrere cum hominibus, & illos *illuminare*, ut credant.] Huc usque *P. Granado.* Et ex his ultimis verbis constat, eum defectum evidentiæ credibilitatis suppleri per illuminationem, qua Deus illustrat intellectum credituri. Et id confirmat luculento testimonio S. Augustini. Et pro sua sententia citat *Canum*, *Valenciam*, *& Turrianum.* Et hoc est, quod P. *Suarez* relatus *cap. 1. num. 3.* dixit, fortasse esse probabile.

ARTICULUS II.

Tribus conclusionibus deciditur quæstio.

SUMMARIUM.

Quod in pueris, & rudibus non requiratur evidentia credibilitatis, supplente illam lumine Fidei, non subjacet damnationi n. 33.

Tunc actus Fidei non procedit cum formidine circa revelationem. n. 34.

Id constat ab experientia in modo credendi puerorum. n. 36.

An si præcedat cognitio probabilis de credibilitate, & postea subsequatur lumen Fidei supernaturalis, subjaceat damnationi. n. 37. & 38.

Si dicatur, assensum Fidei elici posse cum formidine revelationis, subjacet damnationi. n. 39.

Objectum antea probabiliter propositum, accedente postea illustratione, cognoscitur cum certitudine. num. 40. *Et confirmatur exemplo.* ibid.

Explicatur similitudo ejus exempli. n. 41.

Declaratur magis in modo credendi puerorum. n. 42.

Non est necessariò admittenda aliqua miraculosa lux, quam aliqui intendunt. n. 43.

Quo sensu aliqui dicant, evidentiam credibilitatis solùm requiri in corpere Ecclesiæ, non in singularibus. n. 44.

Idem confirmatur exemplo. n. 45.

33. PRima conclusio. Nullo modo incurrit damnationem hujus. 21. propositionis opinio asserens, in pueris, & rudibus non requiri evidentiam credibilitatis ex vi argumentorum; asserens, inquam, illo primo modo explicato in articulo præcedenti, scilicet supplente lumine Fidei, & illustratione Spiritus Sancti defectum evidentiæ credibilitatis, quæ oritur ex argumentis evidentibus; in ordine ad hoc, quod assensus de mysterio, quod proponitur, sit omninò firmus ea certitudine, quæ excludit omnem formidinem. In quo casu non concurrunt omnes octo actus, quos enumeravi *art. præced.* Ex illis tamen concurrunt in hoc casu in puero, aut homine rudi, auditio, & perceptio mysterii, judicium practicum, quod ea mysteria credenda sunt, lumen Fidei, illustratio Spiritus sancti, pia affectio voluntatis ad assensum firmiter adhærentem, & assensus Fidei ita firmus, ut excludat omnem formidinem.

34. Jam verò probatur conclusio. Illa opinio incurrit hanc damnationem, quæ admittit assensum supernaturalem Fidei cùm notitia solùm probabili revelationis, aut cum formidine circa revelationem; ut constat ex tenore propositionis damnatæ: sed opinio posita in conclusione non admittit illud, ut patet ex tenore conclusionis: ergò talis opinio non incurrit eam damnationem.

35. Dices, impossibile esse, quod assensus ad mysterium, quod proponitur, fiat sine formidine revelationis, quando non datur evidentia motivi evidentis: ergò talis assensus necessariò est formidolosus; atque adeò opinio illum admittens incurrit hanc damnationem.

36. Sed antecedens urgeret, si probaretur: nulla enim affertur efficax probatio, quæ suadeat oppositam partem. Deinde, quia experientia compertum est, quod puero, cùm incipit affulgere ei lumen rationis, proponuntur præcipua mysteria Fidei sine argumentis, aut motivis credendi; & ipse puer statim credit, & profitetur Fidem; & cùm illi dicitur, ea mysteria esse credenda, quia Deus ea revelavit, assentitur sine ulla formidine: quæ credendi facilitas meritò attribuitur lumini supernaturali Fidei, & illustrationi Divinæ, quæ supplent evidentiam motivorum, & argumentorum, in ordine ad firmitatem adhæsionis ad objectum.

37. Secunda conclusio. Non incurrit hanc damnationem opinio docens, si tempore præcedat cognitio probabilis de

de credibilitate mysteriorum, & de honestate credendi, & postea subsequatur illustratio supernaturalis, & lumen Fidei, & inspiratio Dei, posse dari piam affectionem ad credendum firmiter; & assensum omninò firmum, qui excludat omnem formidinem, ita ut illustratio, & lumen Fidei suppleant evidentiam illam credibilitatis, quæ oritur ex argumentis, & qua carebat ea cognitio probabilis de credibilitate. Hæc conclusio probatur eodem modo, ac præcedens: quia ille assensus habet omnimodam firmitatem adhæsionis ad objectum, & excludit omnem formidinem.

38. Dixi, *si tempore præcedat cognitio probabilis de credibilitate* orta ex argumentis. Nam si ea cognitio de credibilitate concurrat simul tempore cum assensu excludente formidinem, iste non poterit non refundere firmitatem in cognitionem de credibilitate. Non enim sunt compossibilia credere firmiter; & formidare de credibilitate.

39. Tertia conclusio. Hanc damnationem subit quævis opinio, quæ admittit cognitionem probabilem de credibilitate mysteriorum Fidei, si dicatur, quod ipse assensus Fidei elicitur cum formidine revelationis, aut cum sola probabilitate ipsius. Conclusio patet, ex penetratione terminorum. Damnatio enim eò tendit, ut nunquam admittatur assensus Fidei supernaturalis, & utilis ad salutem, qui nitatur probabiliter revelationi, aut eliciatur cum formidine circa revelationem.

40. Pro quarum conclusionum majori explicatione advertendum est, quod plerumque solet accidere nempe objectum, quod probabiliter proponitur intellectui, deficiente illustratione, & inspiratione supernaturali, si hæc superveniat, cognosci solere cum omnimoda certitudine, quæ sufficiat ad cogendum assensum intellectus, quando scilicet tale objectum in se verum est; neque enim illustratio supernaturalis infundi potest ad assensum objecti falsi. Ad eum modum, quo objecta multarum propositionum dumtaxat probabiliter cognoscebantur à viris sapientibus; & postquam accessit damnatio facta per Cathedram Romanam, quæ infallibili assistentia Spiritus sancti errare non potest in materia morum, jam contradictoriæ propositionum damnatarum certò cognoscuntur ab eisdem viris sapientibus.

41. Dixi *Ad eum modum*, & non dixi *Eodem modo*: quia similitudo non est identitas. Sive quia, ut vulgò dicitur, *similitudo non currit quatuor pedibus*, id est, ad similitudinem non requiritur, quod talis sit quoad omnia, sed sufficit, quod sit quoad aliqua. Hæc ergò duo sunt similia in eo, quod stat benè, quod aliqua objecta cognoscantur probabiliter, deficiente lumine supernaturali; & quod hoc accedente, eadem objecta certò, & evidenter cognoscantur.

42. Igitur cùm puer perveniens ad perfectum usum rationis audit à Parocho mysteria Fidei Catholicæ, format judicium practicum, quod ea mysteria hic & nunc credenda sunt; & id judicium format ex aliquo motivo, puta, quod affirmat Parochus ea mysteria esse, quæ credunt omnes Catholici; vel quod in re tanti momenti non est credibile, quod velit decipere Parochus, quæ motiva non excedunt Fidem humanã, ut dixit *P. Granado* suprà relatus. Accedente tamen illustratione, & inspiratione divina, id judicium evadit certũ, & cum evidentia

tia morali sufficienti de eo, quòd revelatio certa sit.

43. Neque propterea admitto illā mirā lucem, & immissum divinitus discernicu-lum, quod, ut refert *Sandæus* in confutatione trium virorum *pag.* 171. *num.* 4. aliqui Theologi admittunt in quolibet Fideli quantumvis rudi, quo suppleatur debilis propositio Parochi, & ille puer, vel homo rudis discernere possit inter articulum verum, & falsum eodem modo propositum à Parocho ignaro, vel doloso. Ea enim mira lux, quamvis infundi possit à Deo; eam tamen dari omnibus Fidelibus juxta communem providentiam, absque fundamento dicitur. Solum ergò admitto, eam illustrationem omnibus Fidelibus supernaturaliter immitti, quæ sit auxilium sufficiens ad credendum.

44. Huic doctrinæ sic explicatæ existimo non opponi communem sententiam Theologorum de evidentia credibilitatis mysteriorum Fidei: neque enim mihi persuadere possum, Theologos requirere in pueris, & viris, aut fœminis rudibus evidentiam ortam ex argumentis; quorum mentes rudes non sunt capaces, & hoc est, quod aliqui, quos refert *P. Suarez citatus*, dicunt, evidentiam ex argumentis ortam solùm requiri in corpore Ecclesiæ, non in singularibus, præsertim rudibus. Evidentia autem moralis, quam admitto in pueris, & rudibus, est illa, qua sibi certissimè persuadent, Parochum proponentem mysteria Fidei nolle decipere; & licèt hoc non excedat Fidem humanam, accedente illustratione, & inspiratione divina, excedit Fidem humanam, & motivum alias probabile reddit moraliter evidens. Et hoc est, quod docuit *Gabriel*, *& P. Granado* suprà citati; & alii Theologi. Et quod majus est, hæc est sententia *S. Thomæ 2. 2. quæst. 1. art. 5. ad 1.* illis verbis: *Per hunc modum Fideles habent eorum* (quæ sunt Fidei) *notitiam, non quasi demonstrative, sed in quantum per lumen Fidei vident esse credenda.*

45. Quod etiam alio exemplo confirmare licèt. Sæpè enim mihi accidit, quod à viro aliquo audiverim, se vidisse talem actionem; & quamvis hoc dictum non afferat per se majorem fidem, quàm humanam, & probabilem; quia tamen superadditur cognitio, quam habeo de veracitate, & bonitate morali illius viri, tam certo mihi persuadeo, ejus dictum esse verum, ac si oculis vidissem. Similiter ergò in pueris & rudibus, quamvis Authoritas Parochi non excedat per se Fidem humanam, & probabilem; accedente tamen illustratione, & inspiratione divina, puer, vel homo rudis certus redditur, quod homo ille non vult decipere, cùm affirmat esse obligationem credendi mysteria firmissimè.

CAPUT IV.

An subeat hanc damnationem sententia asserens, posse elici actum Fidei supernaturalis circa objectum, quando sibi proponitur ut certum moraliter, quod illud continetur sub revelatione universali?

SUMMARIUM.

Quando id est certum moraliter, posse elici actum Fidei circa objectum singulare, quinam Theologi censeant. n. 46.

Qua difficultas militet contra eam sententiam? n. 47.

Propugnatur præfata sententia Theologorum. n. 48.

Qua-

Quare non elicietur actus Fidei, si res moraliter certa in casu rarissimo aliter se haberet? num. 50.

Qui certus est moraliter, nequit formidare. num 51.

46. QUando moraliter certum est, quod objectum singulare continetur sub revelatione universali; illud objectum singulare esse Fide supernaturali credendum, affirmant nobiles Theologi. Ita *P. Suarez disp 3. de Fide sect. 11. num. 6.* qui quamvis non utatur terminis *certitudinis moralis*, tamen exempla, quæ affert, illam important. *P. Petrus Hurtado disp. 11. de Fide sect. 3.* citans *Bellarminum tom. 1 lib. 2. de Authorit. Conciliorum cap 9.* Item *Lugo Cardinalis disp 1. de Fide sect. 13. §. 4. num. 313.* Et ratio est: quia objectũ propositionis universalis non distinguitur ab ipsis singularibus, & itaquando Deus revelat, se velle, omnem hominem salvum fieri; revelat se velle, Petrum, Paulum, & Franciscum, &c. salvos fieri. Cùm ergò certitudo moralis sit illa, quæ omnem prudentem ita reddit certiorem de objecto, ut non possit de illo formidare; quando hoc genere certitudinis constat, singulare contineri sub revelatione universali; certum manet, quod Deus id revelavit, utpotè certo inclusum in tali revelatione universali. Sic enim non constat nobis evidentiâ physicâ aut metaphysicâ, quod extiterit Concilium Tridentinum, sed sola evidentiâ morali: & tamen quia Deus revelavit, omne Concilium legitimè congregatum non posse errare in doctrina Fidei, & morali evidentia scimus, Tridentinum extitisse legitimè congregatum; Fide Divina credimus Tridentinum non posse errare in doctrina Fidei.

47. Instituimus ergo hanc quæstionem, an ea sententia subjiciatur huic damnationi propter hanc rationem dubitandi. Nam quod est certum moraliter, physicè potest, aut, saltem metaphysicè non implicat aliter esse. Ex quo duæ consequentiæ eliciuntur. Prima. Ergò saltem in aliquo casu rarissimo contingens est, quod aliter eveniat. Secunda. Ergò poterit quis formidare, an iste sit is casus rarissimus, in quo aliter evenit. Et ambæ consequentiæ perniciosæ sunt. Prima quidem: nam actus Fidei omninò est infallibilis, neque in ullo casu, etiam rarissimo, deficere potest. Secunda etiam: quia juxtà hanc damnationem assensus Fidei non stat, nec potest stare cum formidine de ejus objecto.

48. Dicendum tamen est cum citatis Doctoribus, quando datur certitudo moralis, (certitudo, inquam, in gradu supremo) quod objectum singulare continetur in universali revelato; posse actum Fidei supernaturalis terminari ad id objectum singulare; idque objectum singulare credi debere Fide Divina. Cujus fundamentum est, quod citati Authores proponunt, & supra retuli.

49. [Confirmatur, (verba sunt *Ioannis de Lugo disp. 1. de Fide sect. 13. §. 4. num. 3*4.) quia hoc modo explicatur, cur, aut quomodo possit esse de Fide authoritas v. g. Concilii Tridentini quæ nisi de Fide constaret non apparet, quomodo possint de Fide credi, quæ in eo Concilio definita sunt. Recurrendum ergò est ad propositionem universalem revelatam, quod Concilio legitimo assistat Spiritus Sanctus, aliunde vero certitudine morali constat, Concilium Tridentinum legitimè congregatum, & approbatum esse, convocante Summo Pontifice, & illud approbante

convenientibus ex Catholica Ecclesia Episcopis, & Prælatis per se, vel per alios, &c. de quibus nemo prudenter dubitat, aut formidat: quare constat nobis sufficienter de hoc Concilio loquutum fuisse Deum in promissione universali revelata, ut breviter notavit *Suarez* dicta *sect. 11. num. 6.*]

50. Dixi in conclusione, id debere esse certum in gradu supremo: quia cum certitudo recipiat magis, & minus; ea qua quis dicitur certus moraliter de continentia hujus individui in revelatione, debet esse maxima, & suprema. Unde pro re præsenti possumus distinguere tres gradus certitudinis moralis, supremum, medium, & infimum, & ut ab hoc incipiamus, infimus est, quando prudentes habent aliquid pro certo, ex eo quod communiter accidit, quamvis in raris casibus oppositum acciderit. Sic dicitur certum, quod plenè probatum est in judicio. Sic etiam habemus pro certo, quod infans baptizatus à Parocho in Ecclesia, sit rectè, & validè baptizatus; non enim est prudenter credibile, quod Parocho defecerit intentio ritè, & rectè baptizandi. Supremus gradus certitudinis est, quando tanta, tamque urgentia motiva credibilitatis concurrunt, ut impossibile sit, hominem Prudentem, qui illa percipit, posse dubitare, aut formidare. v. g. quod existat Roma; quod Concilium Trident. fuerit ritè congregatum, & similia. Gradus medius dicendus est, quando pro certitudine concurrunt multò plura, & majora, quam in gradu infimo; quæ tamen non perveniunt ad illam impossibilitatem formidandi, quæ reperitur in supremo.

51. Assero ergò, præfatam conclusionem intelligendam esse de certitudine morali in supremo gradu; ita quod qui ita certus est de continentia hujus individui in revelatione, ut ex urgentia motivorum impossibile sit dubitare, aut formidare, potest, & debet credere Fide Divina hoc individuum esse à Deo revelatum.

52. Hinc respondeo ad rationem dubitandi, idem argumentum fieri posse ad debilitandam certitudinem Fidei humanæ, qua credimus, Hispalenses, actualiter esse Romam, nempè quod saltem metaphysice non implicat, id esse falsum. Cui respondebimus, quod ad ipsam certitudinem de existentia actuali Romæ præsupponitur ipsa existentia Romæ. Supposito autem quod existat Roma, implicat contradictionem, quod non existat.

53. Eodem ergò modo, dicendum est, ad certitudinem moralem in Supremo gradu, qua cognosco objectum singulare contineri in objecto universali revelato, præsupponi eam realem continentiam: ex suppositione autem quod detur talis continentia, implicat contradictionem, quod ea non detur. Et quidem si aliter esse posset, non haberetur ea certitudo moralis, quæ talis est in supremo gradu.

54. Accedit, quod omnia revelata sunt vel jam facta de præterito; vel si pendent in futurum, dimanant à revelatione Dei jam facta. Atqui cum ad præteritum non detur potentia, neque revelationes Dei patiantur mutabilitatem, implicat aliter esse ea, quæ quis cognoscit suprema certitudine morali, esse contenta in revelatione universali.

55. Hinc respondetur ad rationem dubitandi, negando id, quod est certum moraliter in supremo gradu, ex suppositione talis certitudinis, & veritatis ad illam præsuppositæ, posse aliter esse. Quare negandæ sunt ambæ consequentiæ.

56. Re-

56. Reliqua argumenta, quæ objici possunt contra eam sententiam, quæ admittit assensum Fidei supernaturalis circa objectū singulare evidentiâ morali contentum in objecto universali revelato, & solutiones eorum; non spectant ad meum institutum. Qui ea desiderat, videat *P. Petrum Hurtado, & Cardinalem Lugo* citatos.

CAPUT V.

An incurrat hanc damnationem sententia asserens, aliquod objectum esse de Fide contra alios Authores id negantes?

SUMMARIUM.

Authores negantes esse de Fide, hunc, qui de facto est, esse verum Pontificem. num. 57.

Authores affirmantes, id esse de Fide. n. 58.

An qui affirmant, esse de Fide, affirment illud probabiliter, & cum formidine de revelatione. num. 59.

Quomodo respondeat ad hanc difficultatem Lugo Cardinalis. num. 60.

Qui censent, esse de Fide, debent id credere per assensum Fidei supernaturalis, & absque formidine. num 61.

Qui censent, esse de Fide, adhærent suæ sententiæ tamquam certæ, & censent oppositam non esse probabilem, nempe à principiis intrinsecis. num. 62.

Dilemmate ostenditur conclusio. n. 63. & 64.

Quod à principiis intrinsecis est improbabile, quamvis in oppositum sint plures Authores, non potest esse probabile n. 65.

Proponitur responsio, & convincitur. n. 66. & seqq.

Quare dici non possit, illud esse de Fide solum in abstracto. num. 69.

Qui probabiliter affirmant, aliquid esse de Fide, non habent certitudinem requisitam. Et quid inde pro conclusione? n. 70.

Ex eo, quod non habeant certitudinem adhæsionis ad objectum illud, non possunt dicere esse de Fide. num. 71.

57. Aliquæ sunt quæstiones controversæ inter Theologos, in quibus inquiritur, an tale objectum credi debeat Fide Divina, ajentibus aliis, & aliis negantibus. v. g. quæstio est, [An sit de Fide, hunc hominem, v. g. Sanctissimum D. Innocentium XI. esse verum Pontificem, & Petri successorem legitimum?] Nam, ut refert *P. Suarez, disp. 10 de Fide sect. 5. num. 2.* negant, id esse de Fidei *Turrecremata, Albertinus senior, Cajetanus, Bannez, Canus, Vega, Corduba, & Castro.*

58. Affirmant, esse de Fide, *P. Suarez* citatus, *P. Petrus Hurtado disp. 37.* per totam, *P. Salmeron lib. 1. in Epistolas Pauli part. 2. disp. de Ecclesia §. Angeli. P. Albertinus Soc. Iesu tom. 1. Coroll. 3 Theolog. ex 3. principio Philosoph. quæst. 3. num. 10. P. Valencia tom. 3. disp. 1. quæst. 1. punct. 7. §. 38. vers.* Secunda ratio. *P. Oviedo contrv. 4. de Fide punct. 7. n. 86. P. Arriaga tom. 5. curs. Theol. disp. 7. sect. 8. num. 56. P. Tannerus tom. 3. disp. 1. quæst. 1. dub. 5. num. 146. P. Castro Palao tom. 1. tract. 4 disp. 1. punct. 5. §. 2. num. 9. P. Amicus tom. 3. curs. Theol dis. 6. sect. 5. nu. 152. P. Comitolus resp. mor. lib. 1. quæst. 99.* Item *Diana part. 11. Tract. 2. de Pontifice resol. 6.* & apud ipsum ultra relatos *Gerunda, Sylvius, Pueronus, Verriceli, Poncius, Ioannes à S. Thom. Adrianus, & Petrus de Walemburch. Ioannes Ponzius, Bordonus, & Bonacina.*

59. Inquirimus ergò, an sententia affirmans, esse de Fide, quod alii Doctores negant

gant esse de Fide, subjacent huic damnationi? Et ratio dubitandi est. Etenim sententia affirmans id affirmat probabiliter, cùm multi Doctores Theologi censeant oppositum: ergò affirmant cum formidine imbibita in probabilitate, id esse de Fide: ergò si eliciunt assensum Fidei circa id objectum, illum eliciunt cum formidine circa revelationem: ergò assensus Fidei supernaturalis stat cum formidine circa revelationem Dei; quod expresè damnat Innocentius XI. in hoc decreto.

60. *Lugo Cardin. disp. 1. de Fide sect. 13. §. 4 n. 323.* sic distinguit: [Aliud enim est, illud objectum secundùm se, & in abstracto esse de Fide, & esse à Deo revelatum; aliud verò, esse nobis de Fide, seu posse aut debere à nobis per Fidem credi. Illud primum solum affirmant, qui dicunt tale objectum esse de Fide, vel esse revelatum à Deo. Cum enim omne revelatum à Deo pertineat ad objectum materiale Fidei, sicut probabile est, objectum illud revelatum esse à Deo, ita probabile etiam est pertinere ad Fidem. Quia tamen, ut aliquid possit à nobis hic & nunc per Fidem credi, necesse est, quod de revelatione non possimus prudenter formidare, prout possumus formidare prudenter, quoties probabile est non esse à Deo revelatum; hinc etiam est, eos, qui probabiliter docent, aliquid esse de Fide, solùm loqui per se, & quantum est ex parte objecti revelati, non tamen negant, quod supposita probabilitate sententiæ contrariæ, & per accidens, Fides hic, & nunc non possit extẽdi ad illud objectum, quia per accidens propter probabilitatem contrariam non potest prudenter prohiberi omnis formido circa talem revelationem] Hucusque Cardinalis.

61. Sed non acquiesco viro doctissimo, quin potius assero, eo ipso quod Doctores Theologi censeant, esse de Fide aliquod objectum, posse, & debere id credere per assensum Fidei supernaturalis absque ulla formidine. Quod si non possunt id credere per assensum Fidei supernaturalis absque formidine; non possunt asserere, id objectum esse de Fide.

62. Probatur conclusio primò. Eo ipso quod Doctores Theologi censent, id objectum esse de Fide, consequenter censent, à principiis intrinsecis suam sententiam esse certam, & oppositam non esse probabilem, quamvis dicatur probabilis ab extrinseco, scilicet ex authoritate aliorum Doctorum: ergò absque ulla formidine censent, esse de Fide: ergò nulla in eis datur formido, quo minus eliciant assensum Fidei supernaturalis circa tale objectum, quod censent à Deo revelatum. Ambæ consequentiæ patent: quia ubi est omnimoda certitudo, nulla potest esse formido.

63. Probatur antecedens. Nam tales Doctores vel habent formidinem circa id, quod illud objectum sit de Fide, vel non habent? Si primum; infero: ergò formidinem habent de revelatione: cum hoc quod aliquid sit de Fide, cõsistat in eo, quod revelatum sit: sed repugnat, quòd dicatur revelatio esse certa, & quod dicatur cum formidine; quia certitudo, & formido se mutuò excludunt: ergò eo ipso quod revelatio dicatur esse certa, non potest dici cum formidine, atque adeo neque merè probabiliter.

64. Quod si dicatur secundum, nempe quod tales Doctores dicunt absque formidine, illud esse de Fide, infero: ergò illud affir-

affirmant tamquam certum: ergò non cum sola probabilitate, quæ quidem formidinem non excludit. Atque adeo eo ipso, quod dicant, id esse de Fide, saltem à principiis intrinsecis affirmant tanquam certum, & oppositum ut improbabile, & certò falsum.

65. Ubi notandum est id, quod latè docui *in 1 part. Crist. Theolog. disp. 11. cap. 9.* maximè à *num. 261.* scilicet illud, quod est improbabile, & certo falsum à principiis intrinsecis (licet dici soleat probabile ab extrinseco, quando habet pro se aliquos Authores) non posse esse absolutè probabile. Nam intellectus non potest assentiri ei objecto, quod sibi proponitur ut certo falsum, quamvis dicant oppositum plurimi Authores.

66. Dices. Quando Authores dicunt, aliquod objectum esse de Fide, contra alios Authores oppositum opinantes, distingui debere propositionem directam à reflexa: nam hæc propositio, *Hoc objectum est à Deo revelatum*, est directa; reflexa vero hæc *Probabiliter existimo, hoc objectum esse à Deo revelatum.* Qua ratione formido non se tenet ex parte propositionis directæ, sed ex parte reflexæ, in quo non videtur esse repugnantia, cum propositio directa, & reflexa habeant diversa objecta; & respectu diversorum objectorum non repugnant certitudo, & formido.

67. Sed hæc sunt verba sine re. Quid enim prodest, dicere me, *Evidens est, quod Sol est in nostro hemisferio*; si simul dixero, *incertus sum an id sit evidens?* Aut qualis est illa certitudo, de qua ego sum incertus? Ex quo exemplo constat, formidinem, quæ datur in eo actu reflexo, vitiare certitudinem, quæ asseritur in tali actu directo.

68. Præterea, ut dixi suprà, jam Doctores conspirant in eam sententiam, quæ asserit, esse de Fide, hunc hominem, scilicet Innocentium XI. esse verum Pont. Max. contra alios oppositum opinantes. Si ergò illi priores Doctores dicerent; se solum probabiliter id affirmare; esset idem, ac dicere, se esse incertos, an id sit de Fide. Quid ergò prodesset dicere, id esse certum de Fide, sed ipsos esse incertos de ea certitudine? aut quomodo possent elicere actum Fidei supernaturalis cum ea incertitudine?

69. Quod autem dicit *Lugo Cardinalis*, ut supra retuli, id esse de Fide in abstracto, sed non posse à nobis hic & nunc credi Fide supernaturali, non facilè intelligitur, nisi dicamus esse eodem modo, atque cum sensus probabilis Scripturæ Sacræ nobis occurrit: tunc enim dicimus illum esse probabiliter revelatum; sed non propterea dicimus illum esse de Fide: quia ut sit absolutè de Fide, non sufficit probabilitas revelationis, sed requiritur certitudo illius. Cum autem Cardinalis dicit, [Sicut probabile est, objectum illud revelatum esse à Deo, ita probabile etiam est, pertinere ad Fidem:] respondendum est, solum pertinere ad Fidem id, quod certò revelatum est, non autē quod merè probabiliter.

70. Probatur secundò conclusio. De conceptu essentiali assensus Fidei est utraque certitudo, nempè connexionis cum objecto, & adhæsionis ad objectum; ut supra *cap. 2* probavi: sed Authores affirmantes probabiliter, aliquod objectum esse de Fide, atq; adeo credi debere Fide supernaturali, non habent certitudinā adhæsionis ad objectum: ergò circa id objectum non habent assensum Fidei supernatura-

realiter præsentem Christum D. n.92.
An baptizans infantem possit credere fide supernaturali, illum esse ritè baptizatum? num.93.
Discrimen inter hoc, quod est, aliquid esse de Fide, & aliquid nobis esse de Fide. n.94.

73. Sicut non expedit doctrinam certam inefficacibus argumentis probare; ita operæ pretium duxi, aliorum argumenta discutere, quibus nituntur probare, falsam esse hanc propositionem damnatam; ut argumenta efficacia ab inefficacibus secernantur.

74. Filguera in expositione hujus propositionis 21. arguit primò. Juxta communem sententiam Theologorum cum S. *Thoma 2.2. quæst.1. art. 4.* requiritur judicium evidens de credibilitate mysteriorum Fidei, proindeque judicium evidens de existentia Divinæ revelationis: sed hæc evidentia non stat cum probabilitate, aut formidine revelationis: ergò. Quod confirmat urgentiori ratione; quam non rejicio, sed omitto.

75 Sed ex *cap.3.* constat, quam inefficax sit hoc argumentum. Nam juxta sententiam probabilem Theologorum, lumen Fidei supernaturalis, & illustratio Spiritus Sancti in pueris, & rudibus supplet evidentiam credibilitatis in ordine ad assentiendum firmissimè, & absque ulla formidine objectis revelatis, & ipsi revelationi Dei. Quare distinguenda est major: requiritur judicium evidens de credibilitate ex argumentis orta, nego; ex motivo alias probabili, quod redditur certum, accedente illustratione Divina, concedo. Evidentiam itaque admitto, incompossibilem cum probabilitate, aut formidine, sed non ortam necessariò ex argumentis evidentibus; sed quæ oriri potest ex ratione aliàs probabili, accedente illustratione Divina, quam Deus semper immittit ad credendũ.

76. Arguit secundo in hæc verba. [Si sufficit probabile credibilitatis judicium ad assensum Fidei salutarem, perindeque prudentem, plures nostri temporis hæretici ab infidelitate excusabuntur: nam sibi *probabiliter* suadent, revelationem Dei esse de multis erroribus, quibus tenentur,] &c.

77. Sed neque hoc argumentum est efficax. Primò. Quia hæc damnatio non est adversus eos Doctores, si qui fortè dixerunt, sufficere probabilitatem credibilitatis, si dicunt, postea suppleri evidentiam credibilitatis per Fidei lumen supernaturale, & illustrationem Spiritus Sancti, ut suprà vidimus, in ordine ad assensum Fidei, cum quo non stat probabilitas, neque formido de revelatione: atque adeo id argumentum Filgueræ non procedit contra falsitatem propositionis damnatæ.

78. Secundò. Nam Doctores Catholici, contra quos militat hæc damnatio, dixerunt, posse haberi assensum Fidei supernaturalem, quando certo constat de revelatione universali, & probabiliter creditur, objectum singulare includi sub revelatione universali. Hæretici autem non supponunt, sed negant ipsam Dei revelationem. Quod si aliquam revelationem admittunt, & ex illa conantur inferre, errores suos contineri sub ea revelatione; non continent sub ea aliquam probabilitatem veram, sed apparentiam probabilitatis, quæ nihil aliud est, quam manifestus error.

79. Ter-

79. Tertiò. Nam etiamsi hæreticis proponantur sui errores tanquam probabiles; est magnum discrimen inter probabilitatem hæreticorum, & probabilitatem Catholicorum. Nam ista includit ignorantiam, sive incertitudinem invincibilem: quare cum dicitur esse probabile, præmotionem physicam contineri sub auxilio efficaci revelato: ideo dicitur probabile, quia post diuturnas disputationes non potuit perveniri ad omnimodam certitudinem. Probabilitas autem, per quam hæreticis proponitur tamquam probabile, suos errores contineri sub aliqua Dei revelatione, includit ignorantiam vincibilem, quia possunt, & debent majorem diligentiam præstare, ut perveniant ad certitudinem, ad quam certissimè pervenient, si animo sincero præstent eam diligentiam, inquirendo certitudinem, ut suprà ostendi in explicatione quartæ propositionis damnatæ. Et sicut ab ignorantia invincibili ad vincibilem nulla est consequentia; ita neque ab una probabilitate ad aliam.

80. Tertiò arguit sic: [Si esset vera propositio damnata, sequeretur, quodam modo aperiri januam ad scindendam unitatem Fidei. Nam si cum judicio probabili de revelatione, & cum formidine de opposito staret Fides salutaris, aut propositio Ecclesiæ tantum redderet probabilem existentiam revelationis, quam proponit; destrueretur Ecclesiæ authoritas in proponendis rebus Fidei, &c.]

81. Sed hoc argumentum pugnat contra hostem fictitium. Nam Catholici, qui affirmaverunt propositionem damnatam, supponunt revelationem universalem infallibiliter certam, & similiter propositionem Ecclesiæ esse infallibilis authoritatis; & probabilitas, quam admittunt, non est circa revelationem universalem, neque circa propositionem Ecclesiæ; sed solum circa extensionem, quam putabant faciendam, ad hoc, ut quæ probabiliter continentur sub revelatione universali proposita infallibiliter ab Ecclesia, credenda essent assensu Fidei supernaturalis. Ex hoc autem quomodo infertur, quod propositio Ecclesiæ reddat dumtaxat probabilem revelationem? solum enim infertur, quod revelatio, & propositio Ecclesiæ extendantur ad ea, quæ probabiliter continentur in illis. Ideo autem damnatur ea propositio, quia affirmat, probabiliter contenta sub revelatione universali posse credi fide supernaturali, quamvis detur formido, quod talia objecta ita probabiliter contenta fortasse non sint revelata, ut constat ex supradictis.

82. Arguit quartò in hæc verba. [Sequeretur, quod posset quis laudabiliter mortem oppetere, esseque verum Martyrem pro tuendâ illa veritate, quam probabiliter judicaret esse à Deo revelatam. Quod id quamvis asserant *Granadus in 3. part. controv. 2. de gestis Christi tract. 1. disp. 3. sect. 31. & Theophilus Raynaudus part. 2. cap. 3. art. 11.* Contra illos meritò, & valdè efficaciter insurgit ex nostris *P. Thomas Hurtado in opere De vero Martyrio Fidei,* cui doctissimi viri maximam impertiunt laudem, *tract. 4 resol. 25. §. 5*]

83. Sed ego valdè miror, quod vir doctus, reprobaturus doctrinam *P. Iacobi Granado*, non legerit contextum ejus: qué si legisset, impossibile esset, quod tam falsam accusationem ei objecisset. Neque satis excusatur ex eo, quod *Thomas Hurtado* id illi attribuerit: sicut enim Judex

non

non damnat Reùm, donec ab eo confessionem accipiat; ita etiam Scriptor reprobaturus doctrinam, quam alii accusant, non debet reprobare, donec dictum ejus, & contextum legat, & relegat.

84. Audiamus ergò *P. Granadum*, qui in loco citato *num.* 354. hæc verba habet. [Qui solum haberet *opinionem* Immaculatæ Conceptionis seu judicium *incertum & topicum, non foret martyr*, si mortem oppeteret pro veritate speculativa Conceptionis: quia *sola opinio* non est actus virtutis, ut constat ex materia de virtutibus.] Vide expressam contradictoriam ejus doctrinæ, quam illi attribuit *Filguera* ex testimonio *Thomæ Hurtado.*

85. Præterea *P. Granado* firmat duas alias conclusiones, in quibus affirmat, fore verum Martyrem, qui se objiceret morti pro defensione eorum, quæ in mysterio Immaculatæ Conceptionis sunt omninò certa supra omnem probabilitatem. Et ita *num.* 352. asserit in prima conclusione, fore Martyrem, qui mortem subiret pro defendendo cultu & festo Immaculatæ Conceptionis præscripto ab Ecclesia; item pro defendendo, sententiam Immaculatæ Conceptionis esse tutam, & piam. Quod sic probat. [Ille est verus Martyr, qui mortem subit pro aliquo actu virtutis: sed id, quod ad praxim spectat in hoc negotio Immaculatæ Conceptionis, est actus virtutis: ergò qui mortem subiret pro illo, esset verus Martyr.] Minorem probat: quia [celebrare festum Immaculatæ Conceptionis est actus virtutis Religionis: Cùm Sixtus IV. in Extravag. *Praexcelsa*. Ad eam celebritatem hortetur, & universa Ecclesia solemni ritu Conceptionem Immaculatam celebret octava Decembris. Deinde doctrinam Immaculatæ Conceptionis esse piam, & tutam *certissimum* est, ut patet ex discursu hujus disputationis: quare docere, eam esse piam, & tutam est opus virtutis,] &c. Ubi vides, illum asserere, eum fore Martyrem, qui mortem subierit pro veritate *certissima.*

86. Deinde *num.* 353. in secunda conclusione sic ait: [Verus Martyr esset, qui mortem subiret pro eo, quod in veritate speculativa Immaculatæ Conceptionis est *certum.* Probatur. Quia fateri veritatem *certam*, seu *infallibilem* in his, quæ saltem cedunt in Dei honorem, est actus virtutis.] Et prosequitur distinguens ea, quæ in hoc mysterio certa sunt, ab opinabilibus: docetque esse verum Martyrium, quod quis subierit pro veritate certa non autem pro assertione opinabili.

87. Similis injuria infertur *P. Theophilo Raynaudo, qui in tract. de Martyrio per pestem loco citato num.* 18. nullo modo asserit, esse martyrium, oppetere mortem pro assertione opinabili tuenda, sed solùm pro veritate certa, cujus honestas certò constet ex Fide Divina. Et inter alia hæc scribit [Si igitur alicui mors intentaretur, ut piam illam sententiam *improbaret*, isque mallet mortem potius acceptare eam ob causam, & re ipsa eam exciperet, Martyr esset verè ac propriè, etiamsi tantùm spectaret, quod auctior pietas fert, & lex privata conscientiæ, Christo quoque probata, mandat. Nam si spectaret *legem Ecclesiasticam*, qua sententiæ illius suffixione interdicitur, malletque mori, quàm in legem illam delinquere, multò operatior esset martyrii veritas, morte irrogata ob eam causam.] Vides, quomodo non doceat *P. Theophilus*, esse martyrium mortem

tem pro objecto probabiliter revelato, sed pro observanda lege Ecclesiastica praecipiente, ne improbetur sententia de Immaculata Conceptione. Est enim ex Fide certum, teneri nos ad observandas leges Ecclesiasticas, quae habent omnia requisita ad sui valorem. Cùm autem dicit, *quod auctior pietas fert* loquitur de eo, qui defendit, esse opus pium, revereri Conceptionem Immaculatam B. Virginis.

88. Arguit quintò. [Nam sequeretur etiam, dari ansam, ut revelationibus privatis facilius, quàm par est, praestaretur assensus. Si enim notitia tantùm probabilis, non verò evidentia moralis, requireretur ad credendum, posset quis credere post modicum examen, & aprobationem duorum, vel trium Theologorum, objectum sibi revelatum,] &c.

89. Sed neque hoc argumentum est efficax. Ex eo enim, quod objectum singulare probabiliter contentum sub revelatione certa universali posset credi assensu Fidei supernaturalis; non infertur, quod deficiente ea revelatione certa universali, possint credi Fide supernaturali ea, quae privatis revelationibus incertis existimant sibi manifestata aliqui homines pii.

90. Nec possum non mirari, quod attribuat *P. Ioanni de Salas* quamdam opinionem de revelatione privata amplectenda, ad hoc ut Religiosus posset matrimonium inire; cùm ipse *Filguera* fateatur, talem doctrinam non reperiri in ejus libris. Quid enim prodest, magnis Doctoribus inferri crimen, quod nec testibus ocularibus, neque tabulis probari potest?

91. Sed pro majori intelligentia ejus argumenti, & doctrinae traditae, operae pretium est aliqua adnotare. Aliquando enim potest quis credere assensu Fidei supernaturalis aliquod objectum, quod sibi certum est contineri sub revelatione universali, nec in hoc decipitur; cùm tamen reliquis Fidelibus non constet certo, id objectum contineri sub revelatione universali. Tunc enim non dicitur esse absolutè de Fide illud objectum singulare, quamvis ille, cui certò constat, illud contineri sub revelatione universali, possit credere illud de Fide Divina.

92. Sic absolutè non est de Fide, sub hac numero hostia consecrata à Summo Pontifice contineri praesentiam realem Christi D. ut notavit *Lugo Cardin. disp. 1. de Fide sect. 13 §. 5. num. 320.* asserens, non debere nos id Fide credere; nisi sub conditione expressa, vel tacita, aut praesupposita; quia licèt sit de Fide, eum esse Supremum Sacerdotem, possumus dubitare, aut formidare, an habuerit intentionem consecrandi. Ipse verò Pontifex, qui certo scit, se habuisse intentionem consecrandi, potest credere Fide Divina, in eâ numero hostiâ esse realiter praesentem Christum D. Quia ex revelatione universali, quod [in hac Hostia ritè consecrata est praesens Christus Dominus] certò scit contineri hanc Hostiam à se ritè consecratam, cùm aliunde Fide Divina credat, se esse Supremum Sacerdotem; ut notavit *P. Petrus Hurtado disp. 11. de Fide sect. 2. n. 21.*

93. Et idem est de baptizante infantem qui certus de sua recta intentione, & de materia, & forma, potest credere assensu Fidei, hunc infantem accepisse gratiam, quia ei certo constat, hoc singulare esse contentum sub revelatione universali quod [omnis infans ritè baptizatus accipit gratiam justificationis.] ut notavit *Lugo Card. cit. disp. 1. sect. 13. §. 3. n. 304.* in haec verba:

ba: [Postquam tamen baptizanti constat de baptismo ritè collato, jam *incipit et esse de Fide*, quia ei jam constat, Deum de hoc parvulo locutum fuisse]

94. Non ergò rectè dicetur esse de Fide, illum parvulum accepisse gratiam baptismi; nam ut ipse *Lugo au num.* 301 [Aliud est, propositionem aliquam secundùm se esse de Fide, aliud verò esse nobis de Fide. Ad primum enim sufficit, quod sit verè à Deo revelata; ad secundùm verò requiritur, quod revelationis sensus, & significatio nobis sufficienter constet.]

95. Rejectis ergò argumentis inefficacibus, efficax est, quod proposui, de certitudine tam connexionis cum objecto, quàm adhæsionis ad objectum requisita ad actum Fidei supernaturalem.

CAPUT VII.

Quomodo consentiat damnatio hujus 21. propositionis cum damnatione quartæ?

NON EGET SUMMARIO.

96. FOrsan aliqui videbitur difficile conciliare has duas damnationes, non rectè percipiendo, quomodo non invicem opponantur? Ratio autem dubitandi hæc est. Damnatur enim quarta propositio docens, excusari à peccato infidelitatis infidelem, qui non credit ductus opinione minus probabili: ex qua damnatione videtur inferri, quod ubi infidelis habet majorem probabilitatem de veritate Catholicæ Religionis, statim tenetur credere. Tum sic. Quando infidelis habet hanc majorem probabilitatem (quam supponimus non pertingere ad certitudinem) habet notitiã dumtaxat probabilem de revelatione; & eò ipso quod sit solùm probabilis, non excludit formidinem: ergò si re ipsa impleat eam obligationem credendi, habebit assensum Fidei supernaturalem, & utilem ad salutem: ergò habebit illum cum notitia solùm probabili de revelatione, imò & cum formidine de illa; quod est contra decretum, & damnationem hujus 21. propositionis. Quæ omnia rectè colliguntur ex prima consequentia.

97. Quod verò ex ea damnatione quartæ propositionis inferatur, quod ubi infidelis habet majorem probabilitatem de veritate Fidei Catholicæ, tenetur statim credere; quæ erat prima consequentia: tradidit *Lumbier tom. 3. sum.* ad propositionem 4. *n.* 1759. & ante decretum idem docuerat *Gonetus de Probalit. n.* 139. & ante illum *Bannez 2. 2. quæst. 10. art. 1. dub. 3. conc. 3. & 4. & Petrus de Ledesma tom. 2. Sum. tract. 1. c. 5. conc. 5. & 6.*

98. Et urgetur amplius argumentatio proposita. Negari enim non potest, quod si infidelis in articulo mortis constitutus judicet, Religionem Catholicam probabiliorem & tutiorem esse suâ sectâ, teneatur illam amplecti: ergò in articulo mortis potest, & debet, ex notitia solùm probabili veritatis Catholicæ, & consequenter revelationis divinæ, habere assensum Fidei supernaturalem, & utilem ad salutem: dabitur ergò tunc talis assensus stans cum notitia solùm probabili revelationis, imò & cum formidine de illa.

99. Et augere videtur rationem dubitandi id, quod refert quidam Recentior expostulans cum quibusdã calumniatoribus, quod eos, qui affirmant, infidelẽ ex proba-

biliori notitia de vera Religione teneri ad credendũ; accusant de affirmata propos. 21. *Assensus Fidei supernaturalis, & utilis ad salutem stat cum notitia solùm probabili revelationis, imò cum formidine &c.* Eos verò, qui id negant, asserentes, quod ex opinione probabiliori de vera Religione adhuc non tenetur credere, accusant de affirmata propositione 4. *Ab infidelitate excusabitur infidelis non credens ductus opinione minus probabili.* Addit verò ille Recentior in sua expostulatione, *iniquam esse conditionem illorum* Theologorum, *si ad horum calumniatorum tribunal ipsis standum est.* Et tandem superaddidit ibidem: *Iniqua verò conditio: si affirmes, vapulas; si neges, vapulas tantumdem.*

100. Sed ex doctrinâ supra traditâ tota hæc difficultas evanescit, & præcipuè constat, quomodo hæ duæ damnationes inter se consentiunt. Nam *dissert.* 5. ad propositionem 4. *cap.* 2. docui, probabilitatem, sive majorem, sive minorem, quam adquirit infidelis circa mysteria Fidei non includere ignorantiam invincibilem; quia facilè potest pervenire ad habendam certitudinem de mysteriis Fidei. Ex qua ignorantia vincibili resultat, quod infidelis sic affectus ignorantia vincibili teneatur ad unum è duobus, vel ad præstandam majorem diligentiam pro cognoscenda certius veritate; vel ad credendum statim: quod si non possit statim credere firmiter, tenebitur determinatè ad præstandam majorem diligentiam.

101. His positis, ad rationem dubitandi initio capitis respondeo, quando damnatur propositio docens, quod *Ab infidelitate excusabitur infidelis non credens, ductus ex opinione minus probabili*, malè infertur inde, quod ubi infidelis habet majorem probabilitatem de veritate Fidei Catholicæ, habet determinatam obligationem credendi, solùm enim habet eam obligationem sub disjuncto, ut proximè dixi.

102. Authores verò, qui dicunt, infidelem, qui habet probabiliorem cognitionẽ de mysteriis fidei, & de revelatione Divina, teneri statim credere non possunt evadere damnationem hujus 21. propositionis, ut clarè constat ex argumento proposito in ratione dubitandi: nisi recurrant ad illustrationem Divinam, per quam cognitio probabilis, aut probabilior vertatur in moraliter evidentem.

103. Ad confirmationem, quæ magis urgere videtur, eò quod infidelis in articulo mortis constitutus, habens probabiliorem cognitionem de veritate Catholicæ Religionis, videtur habere ignorantiam, quæ pro tunc non sit vincibilis, quia tunc non est locus indagandi veritatem, respondeo juxta doctrinam supra traditam, quód dupliciter potest contingere, sine eo quod notitia de veritate Catholicæ Religionis, atque adeò Revelationis Divinæ, sit dumtaxat probabilis. Primò, quatenus ea probabilioritas, accedente illustratione Divina vertatur in moralem certitudinem, eo modo, quo suprà dixi de pueris & rudibus. Secundò, si cum ea illustratione sufficiente adhuc non perveniat ad omnimodam certitudinem, tenetur precari Deum, ut illustret intellectum suum, ut perveniat ad certitudinem veritatis; quam Deus absque dubio illi conceder, cùm facit, quantum potest pro eo articulo, & Deus, qui vult omnes homines salvos fieri, facienti quantum est ex se viribus gratiæ, numquam deneget gratiam Quod si nolet precari Deum pro

pro illustratione habenda, ipsi imputabitur ad culpam infidelitas.

CAPUT VIII.

An subijciatur huic damnationi sententia asserens, fidem, & opinionem de eodem objecto esse compossibiles?

SUMMARIUM.

Ratio dubitandi, n. 104.

Non debet condemnari reus sine probatione evidenti. n. 105.

Similiter neque propositio damnari debet sine probatione evidenti. num. 106.

An de conceptu opinionis sit formido actualis, an vero solùm radicalis? n. 107.

Quomodo ex diversis mediis possint componi scientia, & opinio secundùm S. Thom. nu. 109.

Res convincitur exemplis, n. 110. & seq.

Authores asserentes non esse de conceptu opinionis formidinem actualem, sed solum radicalem. n. 112.

104. Hozes in expositione hujus propositionis 21. *nu*. 10. affirmat, damnatam manere, vi hujus damnationis Pontificiæ, sententiam docentem, actum Fidei, & opinionis de eodem objecto posse simul componi in eodem intellectu. Cujus fundamentum est: Propositio enim damnata affirmat, fidem supernaturalem stare cum formidine de revelatione: sed sententia relata affirmat fidem supernaturalem stare cum opinione, quæ secum affert formidinem: ergo sententia relata manet subjecta eidem damnationi.

105. Sed præfatus Scriptor gerit se ad instar Judicis metas suæ jurisdictionis transilientis. Nam, ut ipse supponit in expositione propositionis 2. *num*. 4. *In criminalibus ad condemnandum Reum probationes, debent esse luce clariores. Quod habetur in l. sciant cuncti. ff. de Probat*. Ex quo fit, Judicem excedere metas legis, atque adeò jurisdictionis, quandò condemnat reum sine probationibus luce clarioribus: & consequenter delictum debet esse certum, & evidens, ut reus possit condemnari.

106. Similiter ergò ut propositio declaretur condemnata, debet esse certum, & evidens quod continetur sub damnatione: sed non est certum, & evidens, quod ea sententia nō continetur sub tali damnatione: ergò ea sententia non potest declarari condemnata. Major patet: ideò enim continetur sub damnatione, quia opinio affert semper formidinem actualem; sed non est certum, & evidens, quod opinio affert semper formidinem actualem, quamvis semper afferat secum identificatam formidinem radicalem; est enim probabile, imò & multò probabiliùs, non esse de ratione intrinseca opioionis afferre formidinem actualem: ergò non est certum, & evidens, quod ea sententia contineatur sub ea damnatione.

107. Quod si dicat esse certū, quod opinio afferat inseparabilem formidinē actualem; interrogo, ex quo principio colligit hanc certitudinem? Et quidem in loco cit. id non probat, sed supponit. Deficiunt ergo ex hac parte probationes luce clariores, quæ requiruntur ad damnandum reum, sive ad probandum hanc sententiam de compossibilitate Fidei & opinionis subjacere damnationi.

108. Maximè in assertione merè Philosophica, qualis est hæc quæstio; in qua

inquiritur, an de conceptu opinionis sit formido actualis, an radicalis, seu virtualis: neque contrà principium aliquod Theologicum est, asserere, quod opinio ex conceptu suo solùm dicit formidinem radicalem.

109. Neque obstat, quod affert ex S. Thoma 2.2. quæst. 2. art. 1. scilicet quod *formido accidit opinioni*; ex eo enim potius colligitur, formidinem esse accidens opinionis, quod illi potest deficere. Quando autem dicit S. Doctor, de ratione opinionis esse formidinem, & ideò stare non posse cum Fide supernaturali; loquitur de opinione secundùm modum frequentiorem, quo solet elici; nec negat posse dari opinionem, cui desit actualis formido. Nam in 3. *dist*. 31. *qu*. 2. *art*. 1. *qu*. c. 1. ad 4. magis se explicat, & concedit, posse componi in eodem objecto scientiam, & opinionem ex diversis mediis, illis verbis. *Opinio & scientia quamvis sint de eodem, non tamen secundùm idem medium, sed secundùm diversa; & ideo possunt esse simul.* Cùm ergò S. Tho. concedat, posse simul existere in eodem intellectu de eodem objecto scientia, & opinio per diversa media manifestè infertur, quod opinio potest consistere sine actuali formidine; cum evidentia, & actualis formido de eodem objecto sint incompossibiles, nam, ut ex terminis notum est, evidentia expellit formidinem actualem de objecto.

110. Ex his apertè convincitur, non esse de ratione opinionis formidinem actualem, sed solùm radicalem. Etenim intellectus de eodem objecto potest simul habere notitiam per motivum revelationis Divinæ obscurè cognitæ per propositionem Ecclesiæ, & per motivum probabile, & non omninò certum: Nam S. Patres, & Theologi confirmant mysteria Fidei rationibus suasibilibus desumptis ex Philosophia, quæ non afferunt evidentiam: v. g. probant immortalitatem animæ, tum ex testimonio Dei per Sacram Scripturam; tum ex eo, quod Philosophi nobiliores eam agnoverunt. Cognitio ergò, quæ nititur revelationi Dei, est Fides; & quæ nititur in motivo desumpto à cognitione Philosophorum, est opinio. Hæc ergo cognitio opinativa habet formidinem radicalem, quatenus si inveniatur non associata actui Fidei, sed ipsa sola, re ipsa excitabit formidinem in intellectu, quia illud motivum secundum ex se non est sufficiens ad certificandum intellectum.

111. Similiter aliqui ex Sanctis Patribus probant resurrectionem mortuorum, tum ex testimoniis Sacræ Scripturæ; tum ex eo, quod Phænix moritur, & renascitur: & prima cognitio spectat ad Fidem, secunda verò est merè topica Et inquiro, quænam repugnantia est in eo, quod ego simul habeam eas duas cognitiones? Neque recurrendum est ad hoc, quod secunda cognitio habet formidinem; nam de hoc est quæstio. Cùm ergò hæ duæ cognitiones non repugnent esse simul; & aliqua tunc in intellectu non detur formido actualis, cùm intellectus vi actus Fidei sit certus de resurrectione mortuorum; apertè convincitur, de conceptu opinionis non esse formidinem actualem; sed solùm radicalem; quæ, ut dixi, consistit in eo, quod si inveniatur sola ea secunda cognitio, associabitur formidine actuali

112. Quare non esse de conceptu opinionis formidinem actualem, sed radicalem clarè docuit *P. Suarez disp. 19. de Fide sect.*

sect. 4. n. 16. asserens: *Formido ex parte subjecti non est de ratione opinionis, sed tantum ex parte formalis objecti.* Ex quo infertur, quod subjectū, id est, intellectus careat formidine, & quantum est ex parte objecti formalis per se, & solitariè sumpti exponatur intellectus formidini. Eandem sententiam defendunt omnes Doctores, qui censent posse inveniri simul in intellectu scientiam, Fidem, & opinionem. Hi sunt *P. Valencia 2. 2. disp. 1. punct. 4. quæst. 1. ubi citat Sanctum Bonaventuram, & Durandum.* Item *Lugo Card. disp. 2. sect. 2 nu. 89. P. Petrus Hurtado disp. 10. de Anima sect. 5.*

DISSERTATIO XV.

An Fides explicita Dei remuneratoris sit necessaria necessitate medii ad salutem?

CAPUT I.

Proposita damnatione 22. Propositionis referuntur variæ opiniones.

SUMMARIUM.

Quid sit Fides explicita, & implicita? n. 1.
Quot quæstiones includantur sub hac dissertatione? n. 2.
Primus dicendi modus est, ad justificationem infidelis requiri Fidem explicitam Dei ut remuneratoris licèt non semper. n. 3. & 4.
Secundus, eam requiri ad justificationem infidelis, non verò ad justificationem peccatoris fidelis. n. 5.
Tertius, ad omnem justificationem requiri. nu. 6.
Quartus, requiri Fidem explicitam Dei ut remuneratoris supernaturalis. n. 7.
Quintus sufficere Fidem explicitam Dei, ut remuneratoris naturalis, vel abstrahendo à naturali, & supernaturali. num. 8.
Sextus, illam requiri non ex natura rei, sed ex lege Dei. n. 9.
Septimus, illam Fidem explicitam requiri ex natura rei, n. 10.
Octavus est, sufficere Fidem explicitam Dei ut remuneratoris virtualiter contentam in actu charitatis. nu. 11.

1. EX propositionibus in hoc decreto damnatis, hæc est vigesima secunda, *Non nisi Fides unius Dei necessaria videtur necessitate medii, non autem explicita remuneratoris.* Pro cujus explicatione notum omnibus est, Fidem implicitam alicujus mysterii esse eam, qua quis credit mysterium ut sub aliqua universali propositione contentum: ut cùm quis dicitur credere mysterium Incarnationis, eo quod credit, quidquid credit Ecclesia Catholica. Fidem verò explicitam habet, qui non solùm credit illud mysterium sub ea generali propositione, sed in particulari credit, & cognoscit mysterium, v. g. Incarnationis.

2. Est ergò quæstio præsens, an ad justificationem, & ad salutem æternam consequendam sit omni nò necessarium habere Fidem explicitam Dei ut remuneratoris? Sub

Sub qua quæstiones variæ continentur. Prima, an ad primam justificationem, cùm quis ab infidelitate convertitur ad Deum, sit infallibiliter necessaria necessitate medii Fides explicita Dei ut remuneratoris? Secunda, an ad omnem justificationem Fidelium semper sit necessaria necessitate medii Fides explicita actualis de Deo ut remuneratore? Tertia, an sit necessaria necessitate medii Fides explicita Dei ut remuneratoris supernaturalis? Quarta, an ex natura rei, an potius ex ordinatione Divinæ providentiæ supernaturalis, sit ea Fides necessaria necessitate medii? Quinta, an ad justificationem sufficiat Fides Dei ut remuneratoris virtualiter inclusa in actu charitatis? Circa quas quæstiones sunt varii dicendi modi, quos oportet referre, & discutere, ut videamus, quinam ex illis subjaceant huic damnationi.

3. Primus dicendi modus est, ad justificationem infidelium requiri necessitate medii Fidem explicitam Dei ut remuneratoris, licèt non semper, neque pro omni casu; eò quod possit in aliquo raro casu infidelis converti, & justificari cum ignorantia invincibili Dei ut remuneratoris. Hæc videtur fuisse opinio *P. Arriaga 2. 2. disp. 12. sect. 4. num. 27.* Cujus fundamentum est. Nam potest dari casus, in quo puer baptizatus educetur in sylvis, ita ut jam adultus non committat peccatum hæresis, sed alia peccata gravia. Si postea instruatur, ut cognoscat, illa peccata esse meritoria pœnæ æternæ, & non instruatur de vita æterna, neque de gratia habituali, & ex cognitione pœnæ æternæ excitetur ad dolorem de peccatis, & ita confiteatur peccata Sacramentaliter: ille quidem ex hac attritione, & confessione justificabitur, sine Fide explicita Dei ut remuneratoris.

4. Eamdem opinionem secutus est *Caramuel in Apolog. de Probabilitate. epist. 4. num. 125*, ait enim: [ad testimonium Pauli, *Accedentem ad Deum oportet credere, quia est, &c.* respondet *P. Acacius March. de Velasco* intelligi hoc, *regularmente hablando*, hoc est non semper, sed frequentius.] Ad quod probandum hoc utitur argumento *Caramuel.* Nascitur Petrus, baptizatur; antequam loqui sciat, capitur à barbaris, in sylvam inducitur, & atheismum positivè docetur. Ad usum rationis pervenit; posse invincibiliter nescire Deum, saltem ad tempus, Theologi nobiliores affirmant. Moriatur igitur hic, antequam ignoret vincibiliter Deum, & aliquod committat mortale. Quo Petrum D. Fagnanus mittet? Non ad infernum, quia originali ille, & actuali mortifero caret: ad cœlum ergò. Ergò expressa, & actualis Fides non est ad salutem necessitate medii necessaria.] In quibus verbis non solùm Fidem explicitam remuneratoris, sed etiam Fidem explicitam Dei excludit Caramuel à necessitate salutis. Eidem opinioni circa Fidem ex parte explicitam remuneratoris consentit *Leander à SS. Sacram. part. 6. Tract. 2. de Fide disp. 2. quæst. 6. in 2 conclus. citans alios Doctores.*

5. Secundus dicendi modus est, Fidem explicitam Dei ut remuneratoris esse quidem necessariam necessitate medii ad justificationem infidelis, qui convertitur ad Fidem; non verò ad justificationem peccatoris Fidelis. Ita videtur sentire *P. Ripalda disp. 17. de Fide sect. 14. num. 219.* (quo autem sensu id dixerit, mox discutiemus,

Lean-

Leander proximè citatus, & alii apud ipsum.

6. Tertius dicendi modus est ad omnem justificationem impii sive infidelis, sive peccatoris Fidelis necessariam esse necessitate medii Fidem explicitam Dei ut remuneratoris. Ita *Lugo Cardin. disp.* 12. *de Fide sect.* 5 *num.* 108. & ibi conqueritur *Lugo*, quod Authores prætermiserint discussionem hujus difficultatis, an ex Fide explicita remuneratoris, possit Fidelis justificari. Nam licèt omnes dicant, eam Fidem explicitam remuneratoris esse necessariam necessitate medii ad salutem; non discutiunt, an aliquando possint justificari fideles sine Fide explicita Dei ut remuneratoris, sed cum sola fide bonitatis Dei. Ipse autem *Lugo* docet, eam requiri necessitate medii, non solùm ad justificationem infidelis, sed etiam ad omnem justificationem impii Imò *n.* 135. ait, necessariam esse ad perseverantiam diuturnam in statu gratiæ. Quod utrumque etiam docet P. *Hurt. disp.* 41 *conc.* 2. *&* 3.

7. Quartus dicendi modus est, esse necessariam necessitate medii Fidem explicitam Dei ut remuneratoris supernaturalis, promittentis remunerationem gratiæ fructificantis, & beatitudinis supernaturalis, licèt non dicant, an sit necessaria ad omnem justificationem, etiam impii Fidelis. Ita *P. Suarez* 2. 2. *disp.* 12. *sect.* 3. *num.* 8 *& P. Granado* 1. 2. *controv.* 1. *tract.* 10. *disput.* 2. *sect.* 1. *num.* 2. *Cajetanus.* 2. 2. *q.* 2. *art.* 3. *Bannez ibid. art.* 8. *dub.* 1. *concl.* 1 *P. Valencia de Fide disp.* 1. *q.* 2. *punct.* 2.

8. Quintus dicendi modus est, sufficere ad salutem Fidem explicitam Dei remuneratoris naturalis, vel saltem abstrahendo à naturali, & supernaturali: & per consequens non esse necessariam necessitate medii ad salutem, Fidem explicitam Dei, ut remuneratoris supernaturalis. Hanc dicit probabilem *P. Petrus Hurtado disput.* 43. *de Fide sect.* 7. §. 33. & apud eum *P. Molina, P. Torres, Victoria, & alii.* Sed in §. 36. *conclus.* 2. docet, necessariam esse necessitate medii, Fidem explicitam saltem confusam de remuneratione supernaturali. Fidem autem explicitam confusam, aut minus claram, sive non expressam sic explicat: [Minus clara est, quando attingitur objectum aliquod specificum terminis non specificis, sed universalioribus: v. g. conceptu de animali concipitur species humana, quæ verè, & propriè est animal; conceptus tamen ille non est per terminos specificos, quia non est per attributa hominis propria, sed communia: conceptus tamen uterque est explicitus, alius quidem confusus, alius expressus. Sic remuneratio naturalis, & supernaturalis conveniunt in conceptu remunerationis æternæ. Unde Fides de remuneratione æterna immediatè, & explicitè terminatur ad utramque speciem remunerationis: quia vero remuneratio nō concipitur in singulari, ideo non est Fides expressa de illa.] Ponit itaque discrimen inter explicitam, & expressam: quatenus potest esse Fides explicita de aliquo mysterio specifico cognito sub terminis universalibus, & non specificis, & ideò dicit non esse expressam.

9. Et quia quæstio est inter Theologos, an Fides Dei ut remuneratoris necessaria sit necessitate medii ad justificationem ex natura rei, an potius ex lege Dei, qui nolit aliter justificare infidelem, aut peccatorem: ideò sextus dicendi modus est solùm

requiri sic ex lege Dei. Ita *P. Hurtado disp. 51. §. 8.* ubi ait : [Hæc necessitas cognoscendi hoc attributum (remuneratoris) oritur præcipuè ex voluntate ipsius Dei,] ubi etiam tradit duas rationes convenientiæ,ob quas Deus sic voluerit.

10. Septimus dicendi modus est *Joannis de Lugo, qui disp. 12. sect. 5. num. 117.* negat hanc necessitatem provenire ex sola lege Dei. Et *num.* 110. docet impossibilitatem perveniendi ad justificationem absque Fide explicita Dei ut remuneratoris , esse moralem ortam ex difficultate , quam habet homo post peccatum diligendi Deum: excitatur autem ad id per spem retributionis æternæ.

11. Octavus dicendi modus est *Emmanuelis de Filguera,* qui in sua Lucerna in expositione hujus 22. propositionis *§. Sed dicendum,* affirmat. [Esse necessariam necessitate medii Fidem explicitam Dei remuneratoris taliter, ut numquam possit sine illa impii justificatio contingere.] quæ sunt formalia verba ipsius. Deinde tamen in §. *Sed pro omnimoda* objicit sibi casum, in quo alicui Deus ut amabilis amore amicitiæ proponeretur , nihil cogitans de prœmio : circa quem inquiri potest, an sic diligens Deum actu charitatis, si moreretur , obtineret gloriam ? Et respondet in hæc verba:[Quod in tali casu ille adhuc non obtineret gloriam sine Fide remuneratoris : nam talis fides continetur in charitate, tanquam in forma perfectiori, & eminentiori. Quod optimè explicatur in sententia gravium Theologorum , imò plurium Thomistarum asserentium, quod licèt peccatum mortale non possit extrà Sacramentum remitti sine virtute pœnitentiæ; tamen peccator auxilio , & gratia Dei adjutus eliciens actum charitatis, nihil de peccato cogitans, præcepto pœnitentiæ satisfaceret , & verè justificaretur : nam charitas tanquam forma eminentior , ac perfectior pœnitentiæ virtutem virtualiter continet. Perinde igitur circa Fidem explicitam remuneratoris discurrendum erit.] Hæc *Filguera.* Sed nunquid Fides Dei ut remuneratoris sic virtualiter contenta in actu charitatis , est Fides explicita ; si nunquam præcessit formaliter Fides explicita?

CAPUT II.

An prima opinio incurrat hanc damnationem?

SUMMARIUM.

Prima opinio subjacet damnationi. n. 12.
Ex illatione, quam facit S. Paulus, colligitur damnatio ejus propositionis. n. 13.
Constat etiam ex Tridentino. n. 14.
In nullo casu dat Deus auxilium ad contritionem illi , qui non habet Fidem Dei ut remuneratoris. n. 16.
Quid respondendum sit ad casum metaphysicum Caramuelis. n. 17. & seqq.

12. Censeo , primam opinionem , quæ ponit , posse primam justificationem adulti fieri absque actuali Fide Dei ut remuneratoris, subjacere huic damnationi. Ita *Lumbier* agens de censura Pontificia hujus propositionis *tom. 3. Sum. num.* 1775. & *Filguera* in expositione hujus propositionis.

13. Patet assertio primò : quia testimonium D. Pauli ad *Hebr. 11. Credere enim oportet, accedentem ad Deum, quia est ; & inqui-*

inquirentibus se remunerator est; intelligitur à Conciliis, & Patribus cum omnimoda universalitate, & sine illa limitatione. Et quod ita intelligendum sit, ex contextu patet. Nam Paulus, ex eo quod Henoch placuit Deo, infert, Henoch habuisse Fidem; quia sine Fide impossibile est placere Deo. Et immediatè subjungit Paulus verba relata. Unde rectè inferunt Theologi, eam propositionem in sensu universalissimo intelligendam esse: quia aliàs non benè inferret Paulus, Henoch habuisse fidem ex eo quod placuit Deo. Supposito ergò quod ea propositio habeat sensum universalissimum, & ubi subjunxit Paulus, de quo genere Fidei loquatur, nempe de existentia Dei, etiam ut remuneratoris; constat, id totum sub universalissimo sensu intelligendum esse. Unde fit, optimo jure damnatam esse ab Innocentio XI. eam opinionē, quæ docet, in aliquibus casibus posse fieri primam justificationem adulti absque Fide Dei ut remuneratoris. Nam cùm ex Romanæ Cathedræ oraculo constet, Fidem explicitam Dei ut remuneratoris necessariam esse necessitate medii, saltem ad primam justificationem, credendum est requiri.

14. Patet secundò ex Concilio Tridentino multis in locis, & præcipuè *sess. 6. cap. 7.* ubi sic statuit: *Hanc Fidem ante Baptismi Sacramentum ex Apostolorum traditione Catechumeni ab Ecclesia petunt, cùm petunt Fidem, vitam æternam præstantem; quam sine spe, & charitate Fides præstare non potest.* Ex quibus concluditur, quod Fides, quæ est in Ecclesia, præstat vitam æternam, & quod illam non præstat sine spe vitæ æternæ: & quod, cùm spes vitæ æternæ haberi non possit sine Fide explicita Dei ut remuneratoris; fit manifestum, quod hæc Fides explicita est medium necessarium ad consequendam vitam æternam. Et cùm istæ propositiones Concilii universales sint, constat meritò damnari propositionem, quæ hanc universalitatem excludit.

15. Patet tertiò. Nulla enim est opinio, quæ doceat, non requiri saltem per se, & ut in plurimum Fides explicita Dei ut remuneratoris; omnes enim Authores propter testimonium D. Pauli dixerunt, saltem per se, & ut in plurimum hanc Fidem requiri necessitate medii. Et ideò hæc damnatio non cadit super aliam opinionem, quàm eam, quæ dicit, posse in aliquo casu fieri primam justificationem absque tali Fide explicitâ.

16. Ad primum argumentum ex prima opinione respondeo, si puer jam adultus in eo casu instruatur tantum de supplicio æterno, & non de vita æterna, Deum non daturum auxilium supernaturale ad illam attritionem habendam, dum non habuerit Fidem explicitam Dei ut remuneratoris; daturum autem alia auxilia, ad operandum taliter, ut dignus fiat, qui speciali Dei providentia instruatur de remuneratione vitæ æternæ.

17. Ad secundum argumentum ex Caramuele negante, requiri necessitate medii Fidem explicitam Dei ut remuneratoris, imò & existentiæ Dei; respondeo, casum esse metaphysicum, & in hac providentia, & ordine rerum impossibilem: nam vel ille puer jam adultus, post acquisitum usum rationis diuturno tempore vivit, vel brevi tempore, vel mediocri, scilicèt nec diuturno, nec brevi. Si diuturno tempore vivit post usum rationis, impossibile est quod sine Fide, & cognitione Dei tanto tempore servetur absque peccato læthali.

 18. Quod

18. Quod si post usum rationis acquisitum vivit brevissimo tempore, in quo non est mora temporis sufficiens ut instruatur in rebus Fidei, neque ut labatur in peccatum, deficiente occasione, & materiâ; illud breve tempus computabitur moraliter cum infantia, non amittens gratiam baptismalem. Et ita docuit *P. Suarez. disp.* 12. *sect.* 2. *num.* 10. his verbis: [si adultus fuerit in infantia baptizatus, posteaque perveniat ad usum rationis, ac contingat brevi tempore vivere sine peccato mortali, & sine actu fidei, salvabitur. Quia ad conservandam justitiam, satis est non peccare mortaliter, etiamsi Fides non exerceatur. Tunc autem licet ille, qui salvatur, sit adultus, non salvatur, ut ita dicam, tanquam adultus, sed tanquam infans: quia per medium commune infantibus salvatur: & postea in ordine ad salutem, vel contra illam, nihil tanquam adultus est operatus.] Sic *Suarez.* Et ex eo *Lugo Card. disp.* 12. de Fide *sect.* 1. *n.* 3.

19. Si verò velis, illum esse superstitem mediocri tempore, nec diuturno, nec brevi; casus non occurret. Nam, ut postea dicam, quod Fides explicita Dei, etiam ut remuneratoris sit necessaria necessitate medii ad salutem hominis adulti, partim provenit ex providentia, & lege Dei sic statuentis salvare homines, partim ex ipsa natura, & conditione mediorum conducentium ad salutem: unde providente Deo non continget, quod ille adultus, qui non amisit gratiam baptismalem, non moriatur, nisi secundùm hunc ordinem rerum.

CAPUT III.

An secunda opinio subjaceat huic damnationi.

SUMMARIUM.

Duplex sensus secundæ opinionis. n. 20.

Quomodo secunda opinio subjiciatur damnationi. n. 21.

In quo sensu non subjiciatur damnationi? n. 22.

Quid circa hoc censeant Patres Granado, & Suarez? n. 23.

Quomodo in secundo sensu ea opinio includat virtualiter Fidem Dei ut remuneratoris? n. 24.

An inde inferatur, quod satis sit habere semel in vita Fidem explicitam de Deo ut remuneratore? n. 25. & seqq.

An sufficiat ad justificationem virtualis persistentia præfati actus Fidei? n. 28.

Admittitur virtualis persistentia ejus actus Fidei, non ex eo quod extiterit, & non sit retractatus, sed ex eo quod virtualiter persistat in affectu. n. 29.

Quod requirantur ad justificationem actus formales Fidei, & spei, videtur scrupulis obnoxium n. 30.

Exemplo Agricolæ explicatur continentia virtualis spei in actu pœnitentiæ. num. 31. & seqq.

20. Secunda opinio *cap.* 1. relata dicebat, ad justificationem infidelis convertentis se ad fidem esse medium necessarium Fidem explicitam Dei ut remuneratoris; non verò ad justificationem hominis Fidelis. Et quia hæc secunda pars duplici modo

do potest intelligi, sub distinctione decidēda est quæst. Et primò potest intelligi illa opinio, ita ut ille homo Fidelis, qui accedit ad justificationem, numquam habuerit actum explicitum Dei ut remuneratoris, & consequenter numquam habuerit actum Spei vitæ æternæ. Secundò potest intelligi ea opinio, ita ut Fidelis peccator, qui vult justificari, aliquando habuerit aliquos actus spei de vita æterna, & consequenter actus Fidei explicitæ Dei ut remuneratoris, neque hæsitaverit in Fide, neque in spe; doceatque ea opinio, tales actus Fidei, & spei persistere virtualiter; atque adeò jam adesse talem Fidem explicitam ad justificationem peccatoris Fidelis, saltem virtualiter.

21. Dico primò. Ea opinio primo modo intellecta subjacet huic damnationi. Patet. Nam hæc damnatio statuit absolutè talem Fidem explicitam remuneratoris esse necessariam necessitate medii: quidquid autem absolutè dicitur necessarium necessitate medii, si illud iterabile est, illud præcipuè tale est in ordine ad quamcumque justificationem, sive impii Fidelis, sive infidelis. Et cum hæc censura Pontificia statuta sit propter locutiones universales Sacræ Scripturæ, Conciliorum, & SS. Patrum; ideò sensus illius universalis est, & ad omnem justificationem universaliter extendendus. Maximè cùm Concilium Tridentinum *sess. 6. c. 8. de justific.* agens de eo textu *Pauli ad Rom. 3.* ubi dicit, *justificari hominem per Fidem*; subjungat hæc: *Ea verba in eo sensu intelligenda sunt, quem perpetuus Ecclesiæ Catholicæ consensus tenuit, & expressit; ut scilicet per Fidē ideò justificari dicamur, quia Fides est humanæ salutis initium, fundamentum, & radix omnis justificationis, sine qua impossibile est placere Deo, & ad filiorum ejus consortium pervenire.* Cùm ergò hæc fides, sine qua impossibile est placere Deo, sit radix, & fundamentum omnis justificationis; & declarat S. Paulus, eam Fidem, sine qua impossibile est placere Deo, esse Fidem Dei ut remuneratoris: fit, ad omnem justificationem requiri Fidem explicitam Dei ut remuneratoris.

22. Dico secundò. Si ea opinio intelligatur secundo modo, ita ut in impio Fideli extiterint aliqui actus Fidei explicitæ Dei ut remuneratoris, qui non sint retractati; & dicantur perseverare virtualiter, & hoc modo sufficere ad justificationem; talis opinio sic intellecta non subjacet censuræ Pontificiæ. Et juxta hanc opinionem sic intellectam videntur discurrere quidam Recentiores circa spem vitæ æternæ, quæ supponit Fidem Dei, ut remuneratoris; quos suppresso nomine refert *Lugo Card. disp. 12. de Fide sect. 5. n. 115.* & hunc eorum discursum sic refert: [Quare licèt Fides Dei infinitè sancti, & potentis sufficeret ex se ad excitandam Dei dilectionem; Deus tamen de facto homini, *qui non se disponit per actum spei adhuc saltem virtualiter, & moraliter perseverantem, hoc est, nondum per desperationem retractatum*, non dat auxilium actuale ad dilectionem, vel ad detestationem peccati super omnia, *ne justificetur* sine dispositione peculiari,] &c.

His consonat *P. Granado 1. 2. controv. 2. Tract. 4. disp. 1. num. 2.* ubi sic ait:] *Triden-*

proximo tempore præcedat, ut suprà diximus, & non facilè determinetur, quantum debet esse illud tempus, ut sit proximum; illi, qui peccata sua confitentur, angentur scrupulis, an fuerit proximum illud tempus, in quo elicuerunt eos actus Fidei, & spei; atque adeò dubitabunt, an moraliter perseverent ii actus.

31. Deinde, durum videtur, & scrupulis obnoxium, requirere ad confessionem peccatorum, & justificationem actum formalem ejus Fidei, & spei, nec sufficere virtualem. Nam si homo pro tunc sit immemor retributionis æternæ, & conatur ad veram contritionem; adhuc timebit, an posuerit media essentialiter requisita ad justificationem; eo quod non habuerit tunc eos actus formales Fidei, & spei.

32. Probo ergò conclusionem ab exemplo agricolæ, quo utuntur sancti Patres ad explicandam spem Theologicam. Etenim contingere potest, quod agricola spargat semina super terram, immemor pro tunc fructuum colligendorum: & tamen omnes cognoscunt, illum agricolam, spargere semina cum spe colligendi fructus, qua spe si careret, non seminaret grana. Sicut ergò agricola, dum immemor fructuum colligendorum spargit semina, intelligitur habere spem colligendi fructus, quia virtualiter habet spem; ita peccator, dum ponit media suæ justificationis, licèt pro tunc sit immemor retributionis æternæ, intelligitur habere spem colligendi fructus æternos, quia virtualiter illam habet.

33. Ideò autem agricola virtualiter habet spem colligendi fructus; quia seminatio illa est effectus derivatus ab intentione colligendi fructus, quam antea habuit: unde illa intentio colligendi, virtualiter continetur in suo effectu, nempe in seminatione. Similiter ergò peccator, qui antecedenter habuit desideria æternæ beatitudinis, & spem de illa consequenda, dum ponit medium suæ justificationis, virtualiter habet illam spem: quia ipsa positio medii, v. g. confessionis Sacramentalis, est effectus, qui procedit ab illo desiderio, & spe: unde illa intentio consequendæ salutis æternæ, & illa spes virtualiter continetur in suo effectu, nempe in ipsa confessione Sacramentali.

34. Et hoc est, quod brevioribus terminis docuit *P. Suarez* 2. 2. *disp.* 2. *de spe sect.* 1. *num.* 2. agens de præcepto, & obligatione sperandi, his verbis: [Hoc secundo modo (ex ratione extrinseca) obligabit hoc præceptum, quando fuerit necessariũ sperare, vel ad debitè orandum, vel ad vincendam tentationem, vel ad aliquid simile. In quibus tamen occasionibus sæpe non erit necessarium *formalem* actum spei elicere; sed satis erit *in ipso effectu* debitè id facere, in quo *virtualiter* includitur spes, ut efficaciter petere, vel *dolere de peccato*, vel aliquid simile.] Hæc *P. Suarez.*

*****
***

CAPUT IV.

Duabus objectionibus occurritur.

SUMMARIUM.

Quod ad confessionem sufficiat habere virtualiter eos actus Fidei, & spei, non est solùm probabile, sed certum. n.35.

An cognitio finis contineatur virtualiter in executione mediorum? n.36.

An actus Fidei contineatur virtualiter in confessione Sacramentali. n.37.

35. Objicies primò, hanc conclusionem ad summum esse speculativè probabilem, non autem practicè. Quod sic probari videtur. Non enim possumus in praxi sequi opinionem probabilem circa valorẽ Sacramenti, relicta tutiori; juxta damnationem primæ propositionis in hoc decreto contentam: sed qui voluerit sequi in praxi hanc opinionem, sequetur opinionem probabilem circa valorem Sacramenti, relicta tutiore: ergò ea quoad praxim continetur sub ea damnatione, atq; adeò non remanebit practicè probabilis. Minor probatur. Nam eo ipso quod Fides explicita de Deo ut remuneratore sit mediũ necessariũ ad justificationẽ, erit necessariũ ad confessionem peccati mortalis, per quam peccator transit ad statum gratiæ; deficiente autem medio necessario ad confessionem Sacramentalem, invalida est confessio. Ergò opinio, quæ docet, Fidem explicitam formalem esse medium ad Sacramentum, versatur circa valorem Sacramenti, & est tutior: & opinio, quæ docet, Fidem explicitam virtualem sufficienter esse medium ad Sacramentum, versatur circa valorem Sacramenti, & est minus tuta. Ergò qui hac opinione nititur in praxi, eligit opinionem probabilem circa valorem Sacramenti, relicta tutiori.

36. Respondeo, eam conclusionem non esse solùm probabilem, sed certam; sicut est certum, agricolam, dum seminat immemor fructuum, habere spem colligendi fructus. Deinde, nam certum est, sufficere intentionem virtualem in eo, qui baptizat, vel absolvit; alioqui daretur obligatio ad impossibile; nam dum quis baptizat, & obliviscitur intentionis formalis, pro tunc illam habere non potest, nec est in potestate ejus pro tunc eam ad memoriam revocare; quare sufficit, quod antea habuerit eam intentionem formalem, & quod hæc perseveret virtualiter in effectu procedente à tali intentione. Similiter ergò certum debet esse, quod qui confitetur sua peccata, & antea habuit desiderium retributionis æternæ, atque adeò remissionis peccatorum in ordine ad vitam æternam consequendam; in ipsa confessione Sacramentali, tanquam in effectu ejus desiderii, habet spem virtualiter contentam.

37. Objicies secundò Licèt spes, & intentio finis consequendi contineantur virtualiter in suo effectu, nempe in electione, & executione medii; tamen cognitio ipsius finis, non est, cur includatur virtualiter in executione medii: ergò licèt spes vitæ æternæ includatur virtualiter in executione medii, nempe confessionis, non est, cur Fides explicita de Deo ut remuneratore includatur virtualiter.

38. Re-

38. Respondeo negando antecedens. Et ad probationem dico, spem finis non contineri virtualiter quasi cæco modo in executione mediorum, sed potius spem quasi manuductam à bonitate finis. Et ideo complexum ex Fidè explicita remuneratoris, & ex spe remunerationis, esse causam executionis mediorum, & complexum ex utroque includi virtualiter in illa. Sic etiam in agricola spes collectionis fructuum, ut à se cognita, est causa spargendi semina; & ideo in seminatione non continetur spes fructuum, quasi cæco modo, sed spes quasi manuducta ex cognitione proportionis mediorum ad finem, sive ex cognitionis seminatione proportionis ad collectionem fructuum.

CAPUT V.

An hac damnatio inurat octavam opinionem?

SUMMARIUM.

Sensus octavæ propositionis de continentia virtuali Fidei explicitæ in actu charitatis. num. 39.

Octava opinio in suo sensu universali subjacet huic damnationi. num 40.

Si opinio loquatur de eo, in quo præcesserunt actus Fidei explicitæ, non subjacet damnationi. num. 43.

39. OCtavus dicendi modus c. 1. relatus est, quem tradit Filguera, nempe posse justificari hominem, qui nihil cogitans de Deo ut remuneratore, & attendens ad Deum ut amabilem super omnia, eliceret actum charitatis: ait enim in actu charitatis tanquam in forma perfectiori, & eminentiori contineri virtualiter fidem explicitam remuneratoris; sicut contritio continetur in actu charitatis virtualiter in eo, qui est immemor peccati mortalis à se commissi. Quæ assertio universaliter sumpta reddit hunc sensum: [Quoties quis elicit actum charitatis, etiamsi non habeat, neque unquam habuerit actum formalem Fidei explicitæ de Deo ut remuneratore, potest justificari, ex eo quod in actu charitatis tamquam in forma perfectiori, & eminentiori continetur virtualiter Fides de Deo ut remuneratore; sicut in actu charitatis tamquam in forma perfectiori continetur virtualiter contritio de peccato mortali.]

40. Quod autem iste sit sensus illius assertionis, patet. Quia hæc continentia virtualis ejus Fidei in actu charitatis desumitur dumtaxat ex eo solum, quod actus charitatis sit forma perfectior, & eminentior; atque adeo independenter ab eo, quod præcesserit, vel non præcesserit formalis actus fidei explicitæ de Deo ut remuneratore. Nam quod charitas sit forma perfectior, & eminentior, est independens ab eo, quod præcesserit, aut non præcesserit formalis actus Fidei Remuneratoris. Aliud enim est, quod actus charitatis ex Lege Dei fundata in proportione ipsorum actuum, dependeat in sua existentia à Fide explicita remuneratoris præcedente; & aliud est, quod ab illa dependeat, actum charitatis esse formam perfectiorem, & eminentiorem. Nam primum est verum, & secundum evidenter falsum.

41. Dico primò. Illa propositio in suo sensu universali subjacet huic damnationi. Probatur. Nam illa continentia virtualis

Fidei de Deo ut remuneratore in actu charitatis non postulat (juxta eam assertionem) quod præcesserit unquam formalis actus ejus Fidei explicitæ, cum solum detur ex eo, quod actus charitatis sit forma perfectior, & eminentior; atqui si dicatur, nunquam præcessisse actum formalem Fidei explicitæ de Deo ut remuneratore, contradicitur censuræ Pontificiæ, imò & S. Paulo dicenti; *Accedentem ad Deum oportet credere, quia est; & inquirentibus se, remunerator sit.* Nam ex sensu Ecclesiæ requiritur formalis actus Fidei explicitæ; saltem qui præcesserit, & virtualiter contineatur in medio adhibito ad justificationem.

42. Confirmatur. Nam ille octavus modus dicendi affirmat, contineri virtualiter fidem remuneratoris in actu charitatis, sicut contritio continetur virtualiter in eodem; sed ad hanc continentiam virtualem contritionis in actu charitatis non requiritur quod unquam præcesserit contritio: ergò si Fides remuneratoris eodem modo continetur in actu charitatis, non requiritur, quod formalis actus Fidei explicitæ remuneratoris præcesserit.

43. Dico secundò. Benignè interpretanda est mens ejus Authoris, ut loquatur respectu hominis Catholici, qui elicit actû charitatis immemor Dei ut remuneratoris, in quo præcesserunt actus formales Fidei explicitæ de Deo ut remuneratore; sed tamen non locutus est cum præcisa formalitate terminorum. Hoc ultimum convincitur ex iis, quæ dixi in prima conclusione. Debuit enim reducere eam continentiam virtualem, non ad id solum, quod actus charitatis sit forma perfectior, & eminentior, sed etiam ad hoc, quod formalis actus Fidei explicitæ præcesserit, & persistat moraliter modo superius explicato in *cap. 3. & 4.*

CAPUT VI.

An reliquæ opiniones supra relatæ subjiciantur huic damnationi?

SUMMARIUM.

Non est quæstio de tertia, quarta, & septima opinione. num. 44.

An sufficiat ad justificationem Fides explicita de Deo ut remuneratore naturali? num. 45.

Opinio affirmativa non subjacet huic damnationi. num. 46.

Si propositio asserat sufficere fidem explicitam de Deo ut remunerante ex bonis naturalibus hujus vitæ, incurrit hanc damnationem. num. 47.

Confirmatur ex S. Thoma. num. 48.

Patriarchis antiquis promisit Deus aliqua bona temporalia; & hoc non obstat supradictis num. 49.

Non tenentur fideles communiter scire distinctionem remunerationis naturalis, & supernaturalis. num. 50.

Propositio docens requiri, non ex natura rei, sed ex Lege Dei Fidem explicitam Dei ut remuneratoris, non subjacet damnationi. num. 51.

Probabilius est, id provenire ex utroque titulo. num. 52.

44. EX opinionibus relatis *cap. 1.* non est quæstio de tertia, quæ ponit Fidem explicitam remuneratoris esse medium necessarium ad omnem justificationem; nulla enim est opinio magis conformis decreto Pon-

to Pontificio. Sed neque est quæstio de quarta opinione, quæ exigit Fidem explicitam Dei ut remuneratoris supernaturalis: ea enim est opinio strictior, & tutior. Neque de septima opinione, quæ adstruit necessitatem hujus medii ad salutem fundari non in decreto Dei, sed in impossibilitate morali exercendi actus supernaturales sine respectu, aut spe retributionis æternæ. Quamvis, ut postea dicam, probabilius censeam, eam necessitatem hujus medii oriri ex utroque, & ex prædicta impossibilitate morali, & ex decreto Dei.

45. De quinta opinione potest esse quæstio; docet enim sufficere ad justificationem Fidem explicitam supernaturalem de Deo ut remuneratore naturali, vel abstrahentem à naturali, & supernaturali remuneratore. Inquirimus ergo, an hæc opinio subjiciatur damnationi Pontificiæ? Et ratio dubitandi est. Nam locus Pauli juxta communem intelligentiam videtur loqui de remuneratione æternæ beatitudinis. Cum ergo damnatio hæc procedat in eodem sensu, ac locus D. Pauli; cadere videtur in propositionem negantem, quod Fides explicita Dei ut remuneratoris supernaturalis sit medium necessarium ad justificationem.

46. Dicendum tamen est, censuram Pontificiam non cadere in hanc quintam opinionem. Probatur. Erat enim notum, ante quam fulminaretur hæc censura, esse controversiam inter Doctores Catholicos, an sufficeret Fides explicita Dei ut remuneratoris naturalis, an ut supernaturalis; atqui censura non damnat negantem Fidem explicitam sufficere de remuneratore naturali: ergo censura non cadit in eam opinionem.

47. Verum quidem est, quod si ea opinio assereret, Fidem requisitam ad justificationem esse de Deo ut remunerante ex bonis temporalibus, & naturalibus hujus vitæ; illa quidem incurreret hanc damnationem; imò adversaretur ei oraculo D. Pauli; qui ex communi sensu Ecclesiæ agit de remuneratione superiori ad bona temporalia hujus vitæ, & de retributione vitæ æternæ, ut etiam constat ex ipso contextu. Nam in eo *cap. 11.* ad Hebræos, incipit per illa verba: *Est autem Fidei sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium.* Quod de bonis æternis planè intelligitur. Postea vero probat Apostolus, Henoch habuisse Fidem, ex quo placuit Deo. Et subjungit rationem: *Sine Fide autem impossibile est placere Deo.* Et immediatissimè superaddit: *Credere enim oportet accedentem ad Deum, quia est; & inquirentibus se remunerator sit.* Agit postea de Fide Noë, Abrahæ, & Saræ; & quamvis ibi mentionem faciat promissionum temporalium, declarat, quomodo hæc Fides, de qua loquitur) versetur circa repromissiones æternas, & cælestes. Ait enim *num. 13. Iuxta Fidem defuncti sunt omnes isti, non acceptis repromissionibus, sed à longè eas aspicientes, & salutantes, & confitentes, quia peregrini, & hospites sunt super terram. Qui enim hæc dicunt, significant, se patriam inquirere. Et siquidem ipsius meminissent, de qua exierunt, habebant utique tempus revertendi. Nunc autem meliorem appetunt, id est, cælestem.*

48. Ubi vides Fidem remunerationis, de qua loquitur Paulus, esse retributionis æternæ. Ubi S. Thomas in hunc locum Pauli, multa observat, quæ denotant

Fidem retributionis æternæ. Ad ea Verba, *Non acceptis repromissionibus*, ait: [Commendat eos à longa promissorum dilatione.] Ad id, *à longe eas aspicientes, & salutantes*. Ait: [loquitur, secundùm Chrysostomum, ad similitudinem nautarum, qui quando primò vident portum, prorumpunt ad laudem, & salutant civitatem, ad quam vadunt. Ita Sancti Patres videntes per Fidem Christum venturum, & *gloriam*, quam per ipsum consecuturi erant, salutabant.] Ad ea verba *Peregrini* &c. *Qui enim hoc dicunt significant, se patriam inquirere*, ait [Cum ergo isti confiteantur, se esse *hospites & peregrinos* super terram, significant se tendere *ad patriam* suam, scilicet *cælestem* Hierusalem.] Ad illa, *Nunc autem meliorem*, &c addit: [Ipsi ergo *patriam istam* inquirebant, non domum paternam, unde exierunt.]

49 Ex quibus omnibus constat, cum Apostolus hæc omnia dixerit ad id propositum, quod oportet credere, quia *remunerator sit*; constat manifestè, quod loquatur de remuneratione æterna. Præcipuè cum Paulus loquatur de remuneratione promissa, & revelata à Deo. Quæ autem revelata est, & promissa, non est alia, quam æterna beatitudo.

50. Et ad præoccupandam objectionem advertendum est, cum his dictis bene stare, quod Deus speciali revelatione fecerit Patriarchis promissiones aliquas rerum temporalium, ut Saræ de concipiendo fætu, & Zachariæ de conceptione Joannis, qui reprehensi sunt, quia non habuerunt Fidem. Qui ergo habuerunt Fidem de his promissionibus, eam quidem habuerunt supernaturalem, utpote fundatam in authoritate Dei revelantis. Cæterum cum Paulus loquatur in iis verbis; *quia remunerator sit* de omnibus *Accedentibus ad Deum*, & tam clarè expresserit, tamque multis modis remunerationem æternam, constat in eo sensu locutum esse Apostolum, sicut etiam Pontificem in hoc decreto.

51. Probabilitas autem oppositæ sententiæ, quæ, ut dixi, non damnatur in hoc decreto, consistit in eo, quod remuneratio vitæ æternæ, non apprehendatur communiter à Fidelibus tamquam supernaturalis, aut apprehendatur ut naturalis; non enim tenentur id distinguere, cum extra scholas ii termini *naturalis*, & *supernaturalis*, sint parum noti; ut constat ex *P Petro Hurtado* defensore ejus sententiæ. Unde potest dici remunerationem æternam, de qua loquitur Paulus, esse supernaturalem specificativè, non vero reduplicativè, quatenus ut talis formaliter non cognoscitur, aut apprehenditur à Fidelibus communiter. Ex quo patet ad rationem dubitandi.

52. De sexta opinione inquiritur, an ea inuratur censura hujus decreti? nempe Fidem explicitam Dei ut remuneratoris ex hoc ordine providentiæ, & lege Dei, & non ex natura rei, esse medium necessarium ad salutem. Et dicendum est, eam non subjici huic censuræ, neque ex illa inferri aliquid, quod adversetur prædictæ opinioni. Nam bene componuntur hæc duo, & quod sit medium necessarium ad salutem, quod exprimitur in decreto; & quod id proveniat ex ordinatione Divinæ providentiæ.

53. Quamvis mihi probabilius sit, id provenire non solum ex ordinatione divinæ providentiæ supernaturalis, sed etiam ex convenientia, & proportione ipsorum actuum supernaturalium; quatenus Deus in

in sua ordinatione, & lege attendit ad proportionem ipsam actuum supernaturalium.

DISSERTATIO XVI.

An Fides latè sumpta, ex testimonio creaturarum, aut ex alio motivo naturali, sufficiat ad justificationem?

CAPUT I.

Variæ opiniones referuntur.

SUMMARIUM.

Refertur opinio damnata. num. 1.

Opinio, quæ docet, posse aliquem justificari cum sola cognitione naturali Dei habita ex creaturis. num. 2.

Opinio idem affirmans de cognitione naturali, tamen habita ex gratia Christi. n. 3.

Opinio docens, ad justificationem sufficere cognitionem supernaturalem Dei habitam ex creaturis. num 4.

Duæ aliæ quæstiones ortæ ex tertia opinione. num. 5.

Quarta opinio docens, seclusa lege Dei, Fidem latam disponere ad justificationem. n. 6.

Quinta opinio docens, infideles posse habere actus supernaturales, quibus mereantur Fidem de congruo. num. 7.

1. CUm sine Fide impossibile sit placere Deo, & justificari, inquiritur in præsenti, an nomine ejus Fidei possit intelligi cognitio, quæ non innitatur immediatè in authoritate Dei revelantis, sed in testimonio creaturarum, juxta id Psal. 18. *Cæli enarrant gloriam Dei*, aut alio simili motivo naturali, quæ cognitio, quia non verè. & propriè Fides, dicatur Fides latè sumpta. Pro cujus certa, & authentica decisione, damnat Pontifex hanc propositionem, quæ est vigesima tertia ex damnatis: *Fides latè dicta ex testimonio creaturarum, similive motivo ad justificationem sufficit.* Oportet ergo discutere, quænam opiniones ex referendis, inurantur censura præsentis decreti.

2. Prima opinio est, quam docuit *Vega lib. 6. in Trident. cap. 20 & 21.* scilicet eum, qui invincibiliter ignoraret veritates Evangelicas, posse consequi justificationem, & salutem sine Fide, & cum sola cognitione naturali Dei, habita ex creaturis.

3. Secunda opinio fuit Soti, concedens hoc ipsum, quod Vega, cum eo tamen discrimine, quod ea naturalis cognitio habita ex creaturis esset ex gratia Christi. Ita *lib. 2. de natura, & gratia cap. 11.* & hoc modo videtur adstrui ea cognitio supernaturalis quoad modum. Eam tamen opinion ... retractavit Sotus in eodem loco in posteriori editione, *& in 4. dist. 1. quæst. 2. art. 3.*

4. Tertia opinio est, quam *Lambier, & Filguera* attribuunt *P. Ioanni Martinez de Ripalda*, nempe sufficere ad justificationem, cognitionem supernaturalem Dei habitam ex testimonio creaturarum, aut ex alio motivo distincto ab authoritate Dei revelantis: quam cognitionem vocat Fidem latam sed revera id non docuit assertive iste Author; sed ubi proposuit fundamenta ejus opinionis *disp. 1. sect. 13. num. 104.* [Assero quarto Nihilominus absolutè decerno, Fidem strictam

ad salutem esse necessariam. Quoniam neutra sententia neque affirmans, neque negans (*id dixit ante hoc decretum Innocentii X I.*) evidentibus argumentis convincitur. In rebus autem probabilibus, & dubiis, quæ magni momenti sunt, qualis est res præsenti disp. suscepta, tutioris partis judicium eligendum est, etiamsi oppositum proprio dictamini probabilius appareat. At judicium partis affirmantis necessitatem Fidei strictæ ad justificationem tutius est, quia conformius communi Theologorum sententiæ, cui in rebus hujusmodi prudentis est judicium submittere.] Et *num.212.* & sequentibus multa proponit in eamdem sententiam, & inter alia *n.* 214. ait: Quamvis plura, & nova, & ab aliis non expensa testimonia Sacrarum litterarum, Conciliornm, Patrum, Theologicaque argumenta occurrerint; ea omnia deseruimus; & pro obsequio, & reverentia communis Theologorum sententiæ, non solum suffragium contrariæ cohibuimus, sed oppositum pro communi sententia tulimus, fidentes magis alieno, quam nostro dictamini.]

5. Ex qua opinione duæ aliæ quæstiones resultant. Prima est, an seclusa lege Dei, attentâ solum naturâ actuum supernaturalium, Fides lata supernaturalis sufficiat ad justificationem? Secunda, an infideles antequam convertantur ad Fidem, possint habere actus virtutum supernaturalium, scilicet absque Fide?

6. Igitur quarta opinio est, quam videtur sequi P. Ripalda, dum *num.*213. ait, de Fide lata disponente ad justificationem, solum loqui ex natura rei, & seclusa lege Dei, & hoc modo asserere posse dari in infidelibus actus supernaturales, antequam perveniant ad Fidem in præsenti etiam ordine providentiæ; quamvis ex lege Dei id sit impossibile.

7. Quinta opinio est ejusdem, quam etiam sub examine, & correctione Theologorum proponit, asseritque, Deum infidelibus immittere illustrationes supernaturales, quibus possunt elicere actus supernaturales; atque adeo Fidei actus non est simpliciter necessarius ad actus supernaturales infidelium: & per quos actus supernaturales liberos merentur de congruo consequutionem Fidei.

CAPUT II.

Quæ opiniones maneant damnatæ vi hujus decreti.

SUMMARIUM.

Subjacet damnationi qualibet opinio docens, non requiri ad justificationem Fidem fundatam in Authoritate Dei. num. 8.
Est sententia omnium Theologorum. num. 9.
Probatur ex sacra Scriptura. num. 10.
Item ex Conciliis Tridentino, & aliis. nu. 11.
Item ex Sanctis Patribus, num. 12. & 13.
Quædam responsio refutatur. num. 14.

8. Dicendum omninò est, tres priores opiniones relatas subjacere damnationi hujus decreti. Patet. Hoc enim decreto damnatur quælibet opinio, quæ docuerit, non esse necessariam ad justificationem, Fidem fundatam in Authoritate Dei revelantis, sed sufficere Fidem latè sumptam, scilicet quæ ex testimonio creaturarum, aut alio simili motivo habeatur: sed

hæ

hæ tres opiniones affirmant sufficere cognitionem ex testimonio creaturarum ad justificationem; ut singulas recolenti patebit: ergò hæ tres opiniones damnatæ manent vi hujus decreti.

9. Ideo autem jure meritò damnantur, quia communis, & certa sententia Theologorum est, Fidem, quæ propriè, & strictè Fides est, scilicet fundata in Authoritate Dei revelantis, esse adulto omninò necessariam ad justificationem. Hanc dicit *P. Suarez disp* 12. *de Fide sect.* 2. *numer.* 5. ita esse certam. *Ut nullus omninò in ullo tempore, loco, vel occasione sine illo* (actu Fidei) *justificari potuerit: itaque ab hac regula nulla admittenda est acceptio. Hanc assertionem in eo gradu certam esse censeo, ut absque errore in Fide negari nequeat.* Hæc Doctor eximius, refertque pro ea *S. Thomam* variis in locis, & alios plurimos Doctores, & latè probat ex scriptura, Conciliis, & Patribus; & argumentis Theologicis.

10. Quam jure meritò hæc censura lata sit, probatur primò ex variis scripturæ locis. Ad *Hebr.* 11. *Sine Fide impossibile est placere Deo.* Ubi Apostolus probat Henoch habuisse Fidem; quia placuit Deo, & sine Fide impossibile est placere Deo. Et *ad Rom.* 3. *Quem proposuit propitiationem per Fidem in sanguine ipsius.* Id est, Christi. Additque *P. Suarez*: *Ex quo colligimus, tam necessariam esse unicuique Fidem, quam est necessaria redemptio Christi.*

11. Probatur secundo ex Concilio Tridentino *sess* 6. *cap.* 7. ubi ait: *Sacramentum Fidei, sine qua nulla unquam contingit justificatio. & cap.* 8. *Per Fidem ideo justificari dicamur, quia Fides est humanæ salutis initium, fundamentum, & radix omnis justificationis: sine qua impossibile est placere Deo, & ad Filiorum ejus consortium pervenire.* Idem constat ex *Concilio Milevitano can.* 4. & *Arausicano can.* 5. apud *P. Valencia* 2. 2. *disp.* 1. *quæst.* 2. *punct.* 1.

12. Probatur tertiò ex SS. Patribus, qui eodem modo loquuntur. *S. Augustinus lib. de serm. Domini in monte cap.* 9. *Ubi vera Fides non est, nec vera potest esse justitia.* & *serm.* 38. *de temp.* ait: *Sine Fide nemo ad Filiorum Dei consortium potest pervenire, quia sine ipsa neque in hoc sæculo quisquam justificationis gratiam, neque in futuro vitam possidebit æternam.* Idem docet *lib* 13. *de Trin. cap.* 20. *& lib. de natura & gratia cap.* 2. *& in præfatione in Psal* 31. *& in Epist.* 157. *& serm.* 181. *de temp. & lib.* 2. *de peccatorum meritis cap* 9. *& de corrept. & gratia cap.* 7. quæ loca refert *P. Suarez* ubi supra.

13. S Fulgentius *lib. de Fide ad Petrum. Sine Fide nulla potest prodesse, imò neque esse conversio.* Idem docet *S. Leo serm. de Natur. Christ.* Idem tradit *S. Irenæus lib.* 6. *cap.* 20. asserens extra Ecclesiam non esse salutem, quia extra Ecclesiam non est sapientia Fidei. Idem *S. Basilius conc. in Psal.* 11. *S. Chrysost. hom.* 32. *in Ioan. S. Ambros lib.* 2. *de Cain, & Abel. cap.* 2. quorum expressa verba videri possunt apud *P. Gregorium de Valencia* ubi supra, *& Bernardus Epist.* 77. *ad Hugonem de S. Victore* ait: *Si petierit baptizari, & mortis præoccupatus articulo fortè obtinere nequiverit, dum non desit Fides recta, &c. nequaquam omninò possum desperare salutem.*

14. Neque in his omnibus habet locum responsio, quam quis intentare posset, posse

posse intelligi hæc testimonia de Fide in voto, aut de Fide lata, hoc est, cognitione Dei ex creaturis; est enim irrefragabilis veritas Christi Domini *Marc. cap. ult.* *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit; qui vero non crediderit, condemnabitur.* In quem locum S. *Bernardus Epist.* 77. citata ait: *Vide etiam, ne forte ob hoc salvator cum diceret* [*Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit*;] *caute & vigilanter non repetierit*; [*Qui vero baptizatus non fuerit*,] *sed tantum*, [*Qui vero*, inquit, *non crediderit, condemnabitur.*] *Nimirum innuens, solam interdum Fidem sufficere ad salutem, & sine ipsa sufficere nihil. Quapropter, etsi Martyrium vicem Baptismi posse implere conceditur, non planè hoc facit pœna, sed ipsa Fides. Nam absque ipsa quid est Martyrium, nisi pœna?* Cum ergo infallibilis sit sententia damnationis æternæ ei, qui non crediderit; & ille, qui habuit Fidem dumtaxat in voto, non credidit, & qui habuit cognitionem Dei ex creaturis (quæ dicitur Fides latè) non credidit; infertur manifestè, hos esse æternæ damnationi addictos; & consequēter ad salutem non sufficere Fidem in voto, aut Fidem latam.

CAPUT III.

Aliquæ objectiones solutæ.

SUMMARIUM.

Quomodo Deus largiatur omnibus hominibus media sufficientia ad consequendam salutem æternam. num. 15. & 16.

An aliquis affectus supernaturalis possit elici absque actu Fidei prævio? n. 17. & 18.

An infidelis possit facere orationem supernaturalem, per quam de congruo mereatur pervenire ad Fidem? num. 19. & 20.

An infideles meruerint de congruo pervenire ad Fidem per opera misericordiæ, quæ contulerunt in martyres. num. 21. & 22.

Quomodo intelligendum, quod Daniel consuluerit Regi infideli, quod peccata sua eleemosynis redimeret. num. 23. & 24.

Quomodo intelligendum sit respectu infidelium, quod facienti, quod est in se, Deus non denegat gratiam? num. 25. & 26.

15. Objicitur primò. Deus vult, omnes homines salvos fieri, quod verificatur, quatenus Deus omnibus hominibus præbet media sufficientia ad consequendam salutem æternam: si autem Fides esset necessaria ad salutem pro omni casu, sequeretur, quod Deus non præberet omnibus hominibus media sufficientia ad salutem, cum plurimi sint remotissimis, & desertis locis, ad quos non accessit auditus Fidei.

16. Respondetur, semper Deum dare omnibus hominibus media sufficientia ad consequendam salutem æternam. Nam remotissimis quibusque dat lumen rationis, & auxilia sufficientia ad cognoscendam, & servandam legem naturalem non furandi, non occidendi, non adulterandi, &c. & dum eam non servant, fiunt indigni uberioribus auxiliis. Quod si eam servassent, Deus sua providentia disposuisset, quomodo pervenirent ad audiendam doctrinam Fidei. Et ita semper est paratus ad dandum omnibus hominibus media sufficientia ad salutem æternam, si per ipsos non steterit; & ideo peccatis eorum attri-

attribuitur, quod non perveniant ad audiendam doctrinam Fidei.

17. Objicitur secundò. Antequam infidelis, qui convertitur ad Fidem, eliciat actum Fidei, præcedit pia affectio supernaturalis, & ad hanc præcedit cognitio supernaturalis de honestate ejus piæ affectionis, & illustratio etiam supernaturalis circa mysteria Fidei: ergò ea pia affectio supernaturalis non elicitur ex actu Fidei præcedente: ergò similiter poterit alia affectio supernaturalis dilectionis Dei super omnia elici absque actu Fidei præcedente, & consequenter absque hoc actu Fidei poterit infidelis justificari.

18. Respondetur, eam piam affectionem pertinere ad ipsam Fidem: quia cùm Fides, quæ requiritur ad opera supernaturalia, sit Fides libera, & meritoria, nec possit esse libera ex parte intellectus, debet esse libera ex parte voluntatis: atque adeò Fides libera includit utrumque actum. Cùm ergò ad primum actum Fidei non debeat præcedere alius actus Fidei; alioqui ille non esset primus; inde est, quod etsi ad cætera opera supernaturalia requiratur actus Fidei; ad hanc piam affectionem supernaturalem non requiratur actus Fidei; sed sufficiat lumen Fidei, sive illustratio de mysteriis Fidei, & de honestate piæ affectionis.

19. Objicitur tertiò. Eis infidelibus, qui vacillant circa conversionem suam ad Fidem, consulimus, ut orent Deum pro obtinenda veritate veræ fidei; confidimusque mediâ eâ oratione Deum illuminaturum mentes eorum ad veritatem Fidei assequendam: ergò confidimus, eam orationem futuram supernaturalem, quæ mereatur de congruo assecutionem veritatis Fidei: & tamen ea oratio supernaturalis elicitur sine actu Fidei, cùm supponamus, nondum conversum esse ad Fidem: ergò absque actu Fidei præcedente possunt elici actus virtutum supernaturalium. Poterit ergò similiter absque actu Fidei præcedente elici actus supernaturalis dilectionis Dei super omnia; cùm in hoc non sit major difficultas, quàm in actu orationis supernaturalis.

20. Ad hanc objectionem respondet *Lugo Card. ea disp. 12. de Fide num.* 24. etiam hanc orationem pertinere ad ipsam Fidem, sicut pertinet pia affectio supernaturalis: sed etiam responderi potest, eam orationem numquam fieri nisi ab eo, qui jam credit, Deum esse, & remuneratorem, & alias ejùs perfectiones, & circà alia mysteria, quæ invincibiliter ignorat, diligenter inquirit, invincibilem dico eam ignorantiam pro ea instanti, antequam possit ulteriorem diligentiam præstare pro inquirenda veritate, in quo casu habet Fidem supernaturalem de Deo, & mediante hac Fide elicit orationem supernaturalem, quâ meretur de congruo assecutionem veritatis aliorum mysteriorum. Quod si adhuc velis, dari casum, in quo is nullam penitus habeat Fidem de Deo, & ejus perfectionibus, dicendum erit, illam orationem esse naturalem, quia non est ex Fide. Quod si illum sic orantem trahat Deus ad Fidem, id non erit ex merito ejus orationis naturalis, sed quia Deus ex infinita sua bonitate vult ei favere in ordine ad salutem æternam. Et præterea, quia ea oratio naturalis aufert impedimentum voluntatis contra Fidem protervæ, quæ impediebat, ne Deus conferret auxilia necessaria pro conversione ad Fidem.

21. Objicitur quartò. Multi casus referuntur in chronicis sacris in quibus infideles contulerunt aliqua beneficia in Martyres, quas actiones beneficas Deus remuneratus est convertendo illos ad Fidem: ergò illæ actiones meruerunt à Deo obtinere præmium supernaturale; atque adeò tales actiones fuerunt supernaturales: ergò antequam habeant Fidem, possunt elicere actiones supernaturales, atque adeo dilectionem Dei super omnia supernaturalem, & consequenter justificationem.

22. Respondetur, eos, qui dicuntur infideles, vel habuisse Fidem supernaturalem de Deo, & aliquibus ejus perfectionibus, ignorantes invincibiliter reliqua mysteria; & ita elicuisse eas actiones beneficas per actus internos supernaturales; vel, si eam Fidem supernaturalem non habuerunt, eas actiones non fuisse supernaturales, nec meritorias consecutionis Fidei. Sed Deum contulisse illis conversionem ad Fidem propter merita martyris deprecantis Deum pro suo benefactore; vel omninò absque meritis pro sua bonitate infinita.

23. Objicitur quintò. *Daniel.* 4. Ipse Daniel consuluit Regi infideli: *Peccata tua elemosynis redime.* Ergò absque fide possunt fieri opera meritoria remissionis peccatorum; atque adeò opera supernaturalia.

24. Respondetur primò, dum Daniel consulit Nabuchodonosori, ut eleemosynis peccata redimat, consulit simul Fidem in Deum: ideoque non consulit id fieri, supponens quod eæ eleemosynæ non sint faciendæ ex dictamine fidei. Respondetur secundò ex *Lugo Card. n.* 26. eas eleemosynas faciendas à Rege esse pro liberatione ab eo malo temporali, quod ei imminebat: eleemosynas autem factas per actus naturales, & absque fide, posse mereri præmium temporale.

25. Objicitur sextò. Facienti, quod est in se, Deus non denegat gratiam; ut est commune Theologorum axioma: sed infidelis servans mandata naturalia per actus naturales, facit, quod est in se: ergò per eos actus naturales consequitur, quod Deus illi non deneget gratiam, saltem ut consequatur pervenire ad Fidem.

26. Respondetur, eatenus Deum non denegare gratiam facienti, quantum est in se, quatenus faciens, quantum est in se, removet impedimenta peccatorum; & remotis impedimentis Deus pro sua infinita bonitate, & sine ullo debito, aut merito hominis infidelis, illi confert gratiam vocationis ad fidem.

27. Multa alia fundamenta rationis, & authoritatis proponit *P. Ripalda in ea disp.* 17. *de Fide,* pro opinione, quæ adstruit, Fidem latam sufficere ad justificationem. Quibus abundè satisfacit *Lugo Card. ea disp.* 12. *sect.* 3. & quæ ex dictis facilè dissolvuntur.

CAPUT IV.

An quarta opinio subjaceat huic damnationi?

SUMMARIUM.

An opinio docens, seclusâ lege Dei, posse hominem justificari mediâ cognitione supernaturali habita ex testimonio creaturarum, subjaceat huic damnationi? nu. 28.

Quomodò non subjaceat? n. 29.

Quomodo in ea opinione contineantur duæ propositiones, alia absoluta, & alia conditionalis? Et quid inde pro conclusione? n. 30.

In ea.

In ea hypothesi non esse eumdem ordinem providentiæ, qui modò datur n. 32.
Solvitur quædam objectio. n. 33. & 34.

28 Quarta opinio relata *cap.* 1. ex *P. Ripalda* erat, seclusa lege Dei, posse adultum justificari per supernaturalem cognitionem Dei ex creaturis, quæ dicitur Fides lata: ita ut ex ductu ejus cognitionis posset homo ascendere ad dilectionem Dei super omnia, & consequenter ad justificationem. Quod idem est, ac dicere, ideo esse impossibile sine Fide placere Deo, quia sua lege statuit Deus non concurrere ad actus supernaturales charitatis, nisi præcedente Fide. Si autem hanc legem non statuisset, posset homo elicere actum charitatis mediâ aliâ cognitione supernaturali Dei ex creaturis, & quæ non inniteretur revelationi divinæ. Quærimus ergò in præsenti, an opinio hæc sic explicata incurrat præsentem damnationem?

29. Et dicendum est, non incurrere. Probatur. Illa opinio non incurrit hanc damnationem, quæ affirmat, Fidem latam ex testimonio creaturarum, similive motivo, non sufficere ad justificationem: sed hæc opinio sic explicata id absolutè fatetur: ergò illa non incurrit hanc damnationem. Major patet ex comprehensione terminorum.

30. Minor probatur. Habet enim hæc opinio duas propositiones, alteram absolutam, & alteram conditionalem. Absoluta dicit, de facto ex lege Dei impossibile esse sine Fide stricta placere Deo, & consequenter justificari. Conditionalis dicit, quod si Deus aliter statuisset per Fidem latam, sive cognitionem Dei ex creaturis posse hominem pervenire ad eliciendum actum charitatis, atque adeò ad justificationem. Cùm ergò propositio absoluta conformetur cum decreto; conditionalis autem non opponatur decreto, quod non loquitur de ea conditionali, sed de propositione absoluta, manifestè colligitur, eam opinionem fateri, quod vi decreti fatendum est.

31. Confirmatur. Nam hoc decretum Innocentii XI. non decernit, quod Fides stricta requiratur ad justificationem independenter à lege Dei, aut dependenter ab illa; sed solùm, quod est absolutè requisita ad justificationem: ergò qui ulterius procedit, dicens, id provenire à lege Dei, nihil adstruit contra decretum.

32. Illud tamen displicet in eo dicendi modo, quod superadditur, nempe seclusâ lege, quâ Deus statuit non justificare homines, nisi per fidem strictam, posse justificari per Fidem latam, etiam *in hoc ordine providentiæ*. Etenim ille, vel alter ordo providentiæ consistit in ista, vel altera lege Dei disponentis res isto, vel altero modo. Si ergò Deus aliter disposuisset de modo Fidei circà justificationem, quomodo esset idem ordo providentiæ? Ne ergò exorbitet is dicendi modus; cùm dicit, *seclusâ lege Dei*, & *in hoc ordine providentiæ*, intelligendus est, ut idem sit ordo providentiæ quoad reliqua condistincta ab hac lege, & ejus objecto.

33. Sed objicies contra hunc dicendi modum, inferri ex eo, quod Fides stricta non requiratur ad justificationem medii, sed necessitate præcepti. Etenim solùm requiritur ex lege Dei: sed idem est lex, & præceptum: ergò solùm requiritur ex præcepto.

34. Sed hæc objectio inanis est, & in æquivoco laborans. Nam ea lex Dei non est aliud, nisi decretum ipsius, disponendi hoc medium Fidei strictæ hominibus tamquam omninò necessarium ad eorum justificationem, & non concurrendi aliter ad actus supernaturale, quibus justificantur, aut disponuntur ad justificationem. Ex quibus patet, Fidem strictam esse medium necessarium ad justificationem, non solùm ex proportione ipsius Fidei, sed etiam ex ordinatione Divina. Unde patet ad objectionem.

CAPUT V.

An quinta opinio subeat hanc damnationem?

SVMMARIVM.

An in infidelibus possint dari actus supernaturales ex cognitione Dei per creaturas? n. 35.

Si quæstio versetur circa statum conditionalem, non subjacet damnationi. numero 36.

Si loquatur pro statu absoluto, & de actu charitatis supernaturalis, subjacet damnationi, nu. 37.

An in hoc ordine Providentiæ possint infideles elicere actus supernaturales distinctos ab actu dilectionis Dei, ex cognitione Dei per creaturas? n. 38.

Opinio affirmativa non subjacet damnationi. n. 39.

Si ea opinio inferat, posse etiam elicere actum dilectionis Dei supernaturalem, subjicitur damnationi. n. 40.

Si ea opinio dicat, infidelem posse per fidem latam elicere alios actus supernaturales distinctos à dilectione Dei, illa est falsa. num. 41.

Probatur ex testimonio Sancti Pauli. n. 42.

Consequentia, quæ elicitur ex verbis S. Pauli num. 43.

Idem probatur ex alio testimonio Apostoli cum explicatione S. Augustini. n. 44.

Idem probatur ex Tridentino. num. 45.

Idem probatur ex Sancto Augustino, num. 46. & seqq.

Item ex aliis SS. Patribus. n. 49.

Sancti Patres semper nomine Fidei intelligunt eam, quæ innititur revelationi Dei. num. 50 & seqq.

35. QUinta opinio erat, in infidelibus, antequam convertantur, & perveniant ad Fidem, posse dari actus supernaturales, ex præeunte cognitione supernaturali Dei ex creaturis: per quos actus supernaturales mereantur pervenire ad fidem Catholicã.

36. Et si quidem ea opinio loquatur solùm pro eo statu conditionali, quem præscribit opinio quarta cap. præced. discussa, certum est, quod non incurrit damnationem. Nam seclusâ lege Dei, quâ statuit non salvare homines, nisi per fidem strictã, posset utique eos salvare per alias cognitiones supernaturales condistinctas à fide stricta. Et hoc decretum non damnat propositionem loquentem de eo statu conditionali, sed loquentem de absoluto.

37. Certum etiam est, eam opinionem subjacere huic damnationi, si pro statu absoluto, & pro hoc adæquato ordine providentiæ affirmet, posse infideles elicere actus supernaturales, etiam charitatis Dei super omnia, ex Fide lata, præeunte, patet. Nam si Fides lata sufficeret ad eliciendum actum charitatis Dei super omnia, etiam sufficeret ad justificationem; nam qui

qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo. 1. Joann. 4. Et damnatur in præsenti propositio asserens, sufficere Fidem latam ad justificationem.

38. Quare solum est difficultas, an in statu absoluto, & in hoc ordine providentiæ possint infideles elicere aliquos actus supernaturales ex cognitione supernaturali Dei ex creaturis, condistinctos ab actu dilectionis Dei super omnia, per quos solum mereantur de congruo pervenire ad Fidem? Vel potius an propositio partem affirmativam propugnans subjiciatur huic damnationi.

39. Dico primò. Ea opinio sic explicata non subjacet damnationi. Probatur. Ea propositio subjacet damnationi, quæ affirmat, sufficere Fidem latam ad justificationem: sed propositio sic explicata id non affirmat; ergò non subjacet damnationi. Major patet ex terminis. Minor autem ex ipsa explicatione opinionis; cùm expresse admittat, solùm posse infideles elicere actus supernaturales disponentes ad Fidem strictam; non autem actum supernaturalem dilectionis Dei super omnia, donec habeat Fidem strictam.

40. Dico secundò. Si ea opinio asserat, posse infideles in hoc statu absoluto (& non seclusa lege Dei) elicere actus supernaturales, quibus mereantur de congruo pervenire ad Fidem strictam; inde colligens quod possunt etiam elicere actum supernaturalem dilectionis Dei super omnia, utique subjicitur huic damnationi. Probatur quia quatenus id inferens, admittit, posse infideles pervenire per Fidem latam ad actum supernaturalem dilectionis Dei super omnia: sed hoc est pervenire ad justificationem; ergò ea opinio, quatenus id inferens admittit, Fidem latam sufficere ad justificationem.

41. Dico tertiò. Eam opinionem, quamvis dicat, adultum infidelem per Fidem latam non posse pervenire ad eliciendum actum supernaturalem dilectionis Dei super omnia, sed solum ad alios actus supernaturales, quibus mereatur de congruo pervenire ad Fidem strictam; & quamvis hæc opinio non incurrat hanc damnationem; adhuc censeo, illam esse falsam. Est ergo vera sententia quæ docet, sine Fide stricta neminem infidelem posse elicere actus supernaturales, ante quam perveniat ad Fidem strictam, & consequenter antequam desinat esse infidelis.

42. Moveor primò eo testimonio S. Pauli ad Hebr. 11. *Sine Fide impossibile est placere Deo:* Ergò impossibile est, quod infidelis faciat opera, quæ Deo placeant, scilicet in ordine ad remunerationem æternam; nam remuneratio temporalis, & opera, quæ illam merentur, quasi nihil reputantur coram Deo, facta comparatione ad retributionem æternam.

43. Confirmatur Apostolus ex eo colligit, Henoch habuisse Fidem, quod placuit Deo; ut constat ex illis verbis: *Ante translationem enim testimonium habuit, placuisse Deo: sine Fide autem impossibile est placere Deo.* Igitur ex Apostolo hæc est bona argumentatio: [Iste homo placuit Deo: ergò habuit Fidem.] Jam vero juxtà Dialecticos benè valet ab opposito contradictorio consequentis ad oppositum contradictorium antecedentis: ergo benè valet; [Iste homo non habet Fidem: ergò iste homo non placuit Deo.] Ergò infidelis non potest facere opera, quæ Deo pla-

ecant; & multò minus sine Fide stricta mereri justificationem.

44. Præterea Apostolus ad Rom. 3. sic ait: *Ex operibus legis non justificabitur omnis caro coram illo.... Justitia autem Dei per Fidem Iesu Christi in omnes, & super omnes qui credunt in eum.* In quem locum *S. Augustinus lib. de gratia, & lib. arbitr. cap. 7.* ait, ideo neminem justificari ex operibus, sed ex Fide, quia opera justitiæ sunt ex Fide, non Fides ex operibus. Id est, quia ante Fidem nulla sunt opera, quibus mereatur homo venire ad Fidem. Ergò homo ante Fidem non potest facere opera supernaturalia, si enim posset, jam Fides esset ex operibus. Et lib. de Prædest. capit 7. ait, id ita dici ab Apostolo, quia Fides prima datur, ex quà opera fiant.

45. Accedit definitio Concilii Tridentini relata suprà c. 2 quæ sic docet: *Fides est humanæ salutis initium; fundamentum, & radix omnis justificationis.* Si autem supernaturalis aliqua cognitio Dei ex creaturis dirigeret voluntatem, ut eliceret actum meritorium de congruo justificationis, illa cognitio esset initium æternæ salutis, fundamentum, & radix justificationis, & non Fides, quæ inititur revelationi divinæ.

46. Moveor secundò, quia hæc est doctrina S. Augustini, & Sanctorum Patrum. Nam, ultrà citata loca, in præfat. in Psal. 31. expresè ait: *Debemus ergò nulla opera proponere Fidei, ita ut ante Fidem dicatur quispiam benè operari.* Quod intelligitur de operibus supernaturalibus, & ad salutem æternam conducentibus. Et lib. 1. ad Simplicianum quæst 2. aggrediens explicare cap. 9. Epist. ad Rom. ab illis verbis: *Cùm enim nondum nati essent, neque aliquid egissent bonum, aut malum, &c.* Sic disserit: *Et primo intentionem Apostoli, quæ per totam Epistolam viget, tenebo, quam consulam. Hæc est autem, ut de operum meritis nemo glorietur, de quibus audebant Israelitæ gloriari, quia data sibi legi servissent; & ex hoc Evangelicam gratiam tamquam debitam meritis suis percepissent, quia legi serviebant. Unde nolebant, eamdem gratiam dari gentibus tamquam indignis, nisi judaica Sacramenta susciperent. Quæ orta quæstio in Apostolorum actibus solvitur. Non enim intelligebant, quia eo ipso quod gratia est Evangelica, operibus non debetur: alioqui gratia jam non est gratia. Et multis locis sæpè testatur, FIDEI gratiam præponens operibus, non ut opera extinguat, sed ut ostendat, non esse opera præcedentia gratiam, sed consequentia.* Et ut ostendat se loqui de gratia, quæ datur per Fidem, immediatè subjungit: *Ut scilicet non se quis arbitretur, ideo percepisse gratiam, quia benè operatus est, sed bene operari non posse, nisi PER FIDEM perceperit gratiam. Incipit autem homo percipere gratiam, ex quo INCIPIT DEO CREDERE, vel interna, vel externa admonitione MOTUS AD FIDEM.*

47. Ubi advertendum est, quando S. Augustinus dicit, israelitas non meruisse gratiam Fidei Evangelicæ, non loquitur de antiquis Patriarchis, & aliis justis, qui exiterunt ante promulgationem Evangelii; hi enim habebant Fidem, & merebantur de congruo adventum Redemptoris, sed loquitur de illis Israelitis, qui existebant post promulgatum Evangelium: isti enim, antequam converterentur ad Fidem Evangelicam, non habebant veram Fidem; & ideo per opera legis, quam servabant,

bant, non merebantur pervenire ad Fidem Evangelicam; quia illa opera non erant ex vera Fide. Itaque hi Israelitæ, qui convertebantur, gloriabantur, quod fuerant inventi digni assecutione Fidei Evangelicæ, quia servaverant legem Mosaicam, & ideo volebant, quod gentiles, qui convertebantur, prius servarent legem Moysi, ut ita ex operibus legis fierent digni consecutione Fidei Evangelicæ. Augustinus ergò ex mente Apostoli docet, eos perperam gloriari, ex eo quod cùm illa opera non essent facta ex vera Fide, non poterant mereri gratiam supernaturalem, atque adeo neque Fidem Evangelicam. Qui discursus Augustini frustraneus esset, si hi Israelitæ facientes opera legis in obsequium Dei possent opera supernaturalia facere ex Fide lata, sive ex alia cognitione supernaturali condistincta à vera Fide. Et in hac secunda quæstione ad Simplicianum multa tradit S. Augustinus in eamdem sententiam.

48. Idem docet *S. Augustinus lib. 15. de Civit. cap. 20 & lib. de Contin. cap. 22. item in Epist. 107. & in lib. de Prædestin. Sanctor. c. 2. & 7. quæ loca refert P. Suarez lib. 1. de Gratia cap. 20. & apud Cardinalem Lugo disp. 12. de Fide sect. 2 idem S. August. lib. octoginta trium qq. quæst. 76. & Epist. 106. & lib. de gratia Christi cap. 3.*

49. *S. Ambrosius lib. 6. in Luc. cap. 7.* docet, misericordiam esse meritoriam, si procedat ex Fide. Eamdem assertionem de Fide prævia docet *S. Gregorius Magnus hom. 19 in Ezech. & S. Leo serm. 6. in Quadrag. S. Prosper lib. 1.* de vocatione gentium *cap. 24. S. Cyrillus Alex. lib. 4. in Ioan. cap. 31.* quæ videri possunt apud Cardinalem *Lugo* proximè relatum.

50. Et quidem Sancti Patres nomine Fidei intelligunt cognitionem, quæ innititur authoritati Dei revelantis. Si quis autem vellet eos interpretari tamquam loquentes de Fide lata; idem esset, ac si loquentes de homine exponerentur ut loquentes de homine picto: neque enim minus discrimen est inter Fidem strictam, & latam, quam inter hominem verum, & pictum. Videatur Lugo Card. relatus, qui luculenter promovet hanc doctrinam.

51. Et præterea clarissimè constat, Patres & concilia semper loqui de Fide innixa revelationi Divinæ. Primò. Nam loquuntur de Fide, quam homo liberè amplectitur; ut patet ex Trident. sess. 6. c. 6. de Iustific *Fidem ex auditu concipientes, liberè moventur in Deum, credentes, vera esse, quæ divinitus revelata, & promissa sunt.* Quo eodem modo loquitur *S. Aug. quæst. 2.* ad Simplicianum verbis suprà relatis. Atqui cognitio Dei habita ex creaturis non habetur liberè, sed necessario, utpotè evidens; evidentia enim necessitat intellectum ad assensum; non sic obscuritas Fidei, quæ proptereà requirit piam affectionem: ergò dum Concilia & Patres loquuntur de Fide, non loquuntur de ea cognitione Dei ex creaturis; sed de Fide stricta.

52. Secundò. Nam semper loquuntur de Fide innixa revelationi Dei, ut constat ex textu proximè relato Tridentini: ergò non de Fide lata, sed de stricta. Tertiò. Nam hæc divisio Fidei strictæ & latæ est noviter adinventa, neque cognita à Sanctis Patribus; qui semper nomine Fidei intellexerunt illam, quæ habet pro objecto formali authoritatem Dei revelantis.

CAPUT

CAPUT VI.

Deciditur quæstio appendix, An ad quodlibet opus meritorium hominis Fidelis prærequiratur actus Fidei?

SUMMARIUM.

Statuitur conclusio affirmativa, n.53.
Proponuntur exempla ad majorem explicationem, n.54.
Quomodo objectum formale Fidei virtualiter contineatur in assensu ad objectum materiale: n.55.
Probatur conclusio per consequentiam, quæ colligitur ex testimonio Apostoli, num. 56.
Secunda probatio ex Sanctis Patribus, num. 58.
Tertia probatio ex Tridentino, n.59.
Solvitur objectio, n.60. & 61.

53. VEram censeo sententiam Cardinalis Lugo relati, quæ docet, nullum opus meritorium vitæ æternæ fieri, nisi procedat ex dictamine Fidei supernaturalis; ita ut neque opera hominis Catholici meritoria sint præmii supernaturalis, nisi procedant ex doctrina Fidei: Quod non sic intelligendum est, ut ad opus meritorium præmii supernaturalis sit omninò necessarium habere actualiter actum formalem Fidei, quo dicat, V.g. [Credo propter authoritatem Dei revelantis, eleemosynam esse bonam, & Deo placentem.] Sufficit enim, quod præcedat virtualiter actus Fidei.

54. Sicut enim Philosophus tenet conclusionem, quam didicit, licèt non recordetur actualiter fundamenti, quo innititur conclusio, & sicut Mathematicus operatur ea, quæ didicit, licèt actualiter immemor fundamenti; & sic in aliis scientiis: Ita qui in schola Fidei didicit, eleemosynam esse operationem sanctam & placentem Deo; quia Deus sic revelavit; licèt oblata occasione eleemosynæ sit actualiter immemor revelationis Divinæ; operatur tamen ductus doctrina, quam didicit in schola Fidei Divinæ, & ita ea operatio procedit virtualiter ex actu Fidei, quia operatur ex dictamine, quod comparavit in schola Fidei.

55. Nam ut dixi suprà. Præmissæ continentur virtualiter in conclusione tamquam causa in suo effectu, quando scilicèt conclusio deducta fuit tempore antecedenti ex illis præmissis; & idem est de objecto formali motivo intellectuali quod antecedenter determinavit ad actum judicii. Sicut ergò cùm Theologus reminiscitur conclusionis, immemor præmissarum, ex quibus elicuit eam conclusionem; tunc ea conclusio continet virtualiter præmissas: ita cum fidelis, qui credidit mysterium Trinitatis ex determinatione authoritatis Dei revelantis; cùm assentitur mysterio Trinitatis immemor revelationis; is assensus, quia est effectus authoritatis Dei revelantis cognitæ, hanc continet virtualiter.

56. Conclusio sic explicata probatur primò. Etenim apud S. Paulum in eo cap. 11. ad Hebr. hæc est bona consequentia: [Henoc placuit Deo; ergò habuit Fidem.] Et ex contextu totius capitis 11. patet S. Paulum loqui non de fide habituali, sed de actuali. Nam ubi dixit: *Ante translationem enim,*

enim, testimonium habuit, placuisse Deo; sine Fide autem impossibile est placere Deo. Immediatè subjungit: *Credere enim oportet accedentem ad Deum,* &c. *Credere* autem non significat Fidem habitualem; sed actum Fidei. Sed si aliquis Fidelis posset facere opera meritoria vitæ æternæ, quæ non procederent ex dictamine procedente à Fide, ea non esset bona consequentia: ergò nullus Fidelis potest facere opera meritoria vitæ æternæ sine dictamine procedente à Fide.

57. Probatur Minor. Opera meritoria vitæ æternæ placita sunt Deo: ergò si possent fieri absque dictamine procedente à Fide, non rectè inferretur, dari actum Fidei, ex eo quod quis placeret Deo. Nam ubi unum potest esse sine alio, non rectè infertur ex illo.

58. Probatur secundò conclusio ex testimoniis Sanctorum Patrum, quæ congerit *Lugo Card. ea disp. 11. sect. 2. apud quē S. Ambrosius lib. 6. in Lucam cap. 7.* ait: *Misericordia præfertur* (id est, præit) *Fides, quia misericordia tunc habet meritum, si Fide præcedente conferatur.* Et *S. Leo serm. 6. in Quadrag. De hoc tamen calice* (aquæ frigidæ) *non frustra admonet Dominus, ut in nomine ipsius præbeatur; quia hæc, quæ per se sunt vilia, Fides efficit pretiosa.* Et serm. 7. *Quod non ex Fidei procedit fonte, ad præmia æterna non pervenit.* Et *S. Prosper. lib. 1. de vocat. gent. cap. 24. Ad hoc donari* (Fidem) *ut principium possit esse meritorium.* Vide apud eumdem Cardinalem varia testimonia *S. Augustini, S. Cyrilli Alexandr. Petri Diaconi, S. Thomæ, & S. Gregorii Magni.*

59. Probatur tertiò. Nam, ut loquitur Concilium *Trident. sess. 6. cap. 6. de Iustificat.* Fides *est fundamentum & radix omnis justificationis, sine qua impossibile est placere Deo.* Ex quo textu duo inferuntur. Primum quia nomine *omnis justificationis* non intelligitur solum infusio gratiæ sanctificantis, sed intelligitur etiam omnis sancta operatio, quæ gratiam sanctificationis subsequitur. Secundum, sicut ex illis universalissimis verbis Pauli, *sine Fide impossibile est placere Deo*, inferimus, quod sine Fide impossibile est facere bona opera placita Deo, ita etiam idem debemus inferre ex ea universalissima locutione Concilii.

60. Objicies. Aliquæ virtutes sunt, quæ non reperiantur expressè in Sacra Scriptura, sed solo rationis lumine docentur: sed exercitium harum virtutum est meritorium vitæ æternæ: ergò opera virtutum possunt esse meritoria vitæ æternæ, etiamsi non procedant ex dictamine dimanante à Fide.

61. Respondetur omissa Majori, & concessa Minori, negando consequentiam; quæ quidem non servat formam syllogisticam. Et ratio est, quia quamvis aliquæ virtutes essent, quæ non constarent ex revelatis à Deo; in illis tamen operantur principia universalia Fidei, quæ præeunt & dirigunt ad operationes talium virtutum. Est enim Fide sanctum, Deo placere opera virtutum supernaturalia: & ita ex hoc dictamine præunte movetur Fidelis ad faciendum ea opera, quæ rationis ductu censet esse supernaturalia, & Deo placentia.

* * *

DISSERTATIO XVII.

An sit peccatum lethale juramentum de mendacio levi?

CAPUT I.

Deciditur quæstio circa juramentum assertorium.

SUMMARIUM.

Refertur propositio damnata, n. 1.
Damnatio est conformis sententiæ omnium Theologorum, n 2.
Respectu juramenti mendacium leve est materia gravis, & quare? n 3.
Objectio solvitur, n 4.
Quomodo intelligendus sit S. Augustinus dum dicit mendacium jocosum non esse propriè mendacium? n. 5.

1. VIgesima quarta propositio ex damnatis hæc est: *Vocare Deum in testem mendacii levis non est tanta irreverentia, propter quam velit, aut possit damnare hominem.* Et quidem juramentum assertorium falsum, quamvis de materia levissima, aut jocosa, esse peccatum lethale, res est adeo clara, & evidens, ut mirandum sit, eam assertionem cadere potuisse in mentem alicujus hominis mediocriter docti.

2. Et quidem *P. Suarez tom. 2. de Religion tract. 5. lib. 3 cap. 4.* exhausit, quidquid super hac materia potest disseri. Et num. 2. sic ait: [Communis, & certa sententia est; omne assertorium perjurium, de quocumque mendacio sit, etiam levissimo, esse peccatum mortale, & ita numquam posse fieri veniale ex levitate materiæ.] Et pro hac conclusione citat. S. *Thomam 2. 2. quæst. 98. art. 3. ad* 2. & omnes Theologos expresse asserentes perjurium esse posse peccatum veniale, dumtaxat ratione subreptionis, sive (quod idem est) defectu plenæ advertentiæ.

3. Rationem reddit: quia respectu juramenti, omne mendacium, quamvis levissimum est materia gravis. Quam positionem multis probat num. 3. & præcipuè illis verbis: [Licèt in homine affirmare mendacium jocosum, sit levis culpa; tamen in Deo dicere levissimum mendacium, esset summa imperfectio; quia eo ipso amitteret eminentiam primæ veritatis: ergò qui Deum affert in testem mendacii etiam minimi, maximam injuriam illi irrogat, & quantum est ex se, privat illum sua infallibili veritate, & consequenter tacitè protestatur, vel Deum non omnia scire; vel non esse summè bonum, cùm mentiri possit.]

4. Solvit deinde P. Suarius, quæ in contrarium objici possunt. Nam Angelus verb. *Perjurium*. Refert, Goffredum asseruisse, perjurium jocosum esse peccatum veniale & quamvis Angelus dicat, oppositum esse tutius, tamen ipse ait, posse defendi eam opinionem Goffredi. quia mendacium jocosum non est propriè mendacium. ut sentire videtur S Augustinus relatus in cap. *Quod autem 22. q. 2.* & videtur etiam id asserere Glossa in cap. *unum.* §. *Nunc* 25. dist. Videtur etiam favere *Scotus in 3. dist. 39. art. 1.* asserens, perjurium leve non esse peccatum mortale.

Sed

5. Sed omninò rejicienda est ea opinatio *Goffredi & Angeli*, ut evidenter falsa propter dicta. Ad id autem quod dicit S. Augustinus, mendacium jocosum non esse propriè mendacium, respondet *Suarius* sic: *Intelligendus videtur, quando locutio ita fit per jocum, ut ex ipso modo jocandi satis intelligi possit, non affirmari id, quod dici videtur, sed tantum ad lusum proferri. Et licet hoc admittatur in simplici sermone, tamen quando adhibetur juramentum, vix habet locum hac interpretatio.* Quod autem affertur ex Scoto, affirmat Suarius, eum non loqui de parvitate materiæ, sed de levitate loquendi ex indeliberatione.

CAPUT II.

An asserere, quòd violatio juramenti promissorii possit esse culpa venialis, ratione parvitatis materiæ, subjaceat huic damnationi?

ARTICULUS I.

Præmittuntur ea, quæ certa sunt.

SUMMARIUM.

Etiamsi hæc propositio proferatur in alio sensu, nempe de juramento promissorio, illa ut jacet, subjicitur damnationi, num. 6.

Quomodo juramentum promissorium includat promissionem, & simplicem assertionem? n. 7.

Quâ ratione juramentum promissorium quandoque cadat solum suprà simplicem assertionem de actione futura, n. 8.

An juramentum de actione futura pariat obligationem illud implendi? n. 9.

An qui fecit promissionē juratam in favorem alterius, subeat duplicem obligationem? n. 10.

Quotuplex peccatum fieri possit contra juramentum promissorium? n. 11.

6. Cuidam Recentiori attribuitur, quod loquens de juramento promissorio, & de parvitate materiæ, ratione cujus violatio ejus juramenti possit esse culpa venialis; id asseruit per hanc propositionem 24. ita ut sensus, in quo illam protulit, sit de parvitate materiæ in juramento promissorio. Sed quamvis ille sensus, quem is Author intendit, non subjaceat damnationi, si sit juxtà ea, quæ mox dicam; propositio tamen ut jacet non propterea excusatur à damnatione: quia in vim hujus damnationis numquam potest admitti, quod liceat vocare Deum in testem mendacii levis.

7. Pro claritate ergo hujus materiæ, præmitto primò, in juramento promissorio duo contineri. Primum est promissio, quæ nihil aliud est, quam assumere onus obligationis, quà quis se obligat Deo, vel homini. Secundum est simplex assertio, quà quis asserit se talem actionem facturum, & ea assertio explicat propositum adimplendi eam promissionem. Et cum superadditur juramentum, hoc cadit tam super promissionem, quam super eam simplicem assertionem de actione futura. Et hoc est juramentum propriè, & in rigore promissorium.

8. Præmitto secundò, etiam vocari

communiter juramentum promissorium illud, quod non cadit suprà promissionem, sed solum supra simplicem assertionem de actione futura. V.g. cum quis coram Petro jurat, daturum se Joanni centum argenteos: ea enim non est promissio, neque manet obligatus vi promissionis, sed solum vi juramenti; & propter eam obligationem, quæ relinquitur vi juramenti, id juramentum vocatur, licèt minus propriè, promissiorium.

9. Præmitto tertiò, juramentum de actione futura, quamvis non cadat suprà promissionem propriam, & strictam (dummodo non sit de actione turpi, aut impossibili, aut contraria perfectioni) parere obligationem implendi id, quod juratur faciendum. Quod patet ex Sacra Scriptura Numer. cap. 30. *Si quis virorum votum Domino voverit, aut se constrinxerit juramento, non faciet irritum verbum suum, sed omne, quod promisit, implebit.* Ex quibus verbis patet, eam obligationem implendi promissum oriri specialiter ex vi juramenti. Et Psalm 14. agens Propheta de eo qui implet præcepta Divina, inter alia constituit hoc: *Qui jurat proximo suo, & non decipit.* Et Psalm 23. *Qui non accepit in vanum animam suam, nec juravit in dolo proximo suo.*

10. Ex quo etiam fit, eum, qui facit proximo promissionem juramento firmatam, esse à proximo acceptatam; subire duplicem obligationem diversam: obligatur enim ex justitia (aut secundùm opinionem aliorum ex fidelitate) ratione promissionis strictæ; & etiam obligatur ex Religione ratione juramenti. Item qui emittit votum juramento firmatum, subit duplicem obligationem; quamvis utraque sit ex virtute Religionis: est enim una obligatio diversa ab alia propter modum obligandi valde diversum. Votum enim obligat ob promissionem Deo factam; juramentum autem, quia ob reverentiam nominis Divini debet implere, quod juravit facturum.

11. Præmitto quartò, tribus modis peccari contra juramentum promissorium. Primò cùm quis promittit, & promissionem juramento confirmat, si promittit sine intentione promittendi; sic enim mentitur, & est perjurus: cùm juret se assumere id onus obligationis, & re ipsa non assumat, defectu intentionis. Secundò, cùm quis jurat se facturum talem rem, sine proposito illam faciendi: nam sic etiam mentitur, & pejerat: nam cum jurat, se facturum, jurat se habere propositum faciendi; si ergò non habet hoc propositum mentitur. Tertiò, cùm quis juravit, se facturum, cum proposito implendi obligationem, & postea illam non implet: quod ex genere suo esse peccatum mortale, certum est, ut patet ex dictis in prænotatione tertia.

ARTICULUS II.

Statuitur decisio hujus quæstionis.

SUMMARIUM.

Subjacet damnationi, quod qui sine animo promittendi, jurat se promittere, vel qui sine proposito faciendi jurat se facturum in re levi, peccat venialiter, n. 12.

Uterque modus in juramento promissorio continet mendacium, n. 13.

An

An committat peccatum lethale, qui juravit se facturum aliquid leve cum proposito implendi, & postea non implet? Et proponitur sententia affirmativa. n. 14.
Fundamenta ejus sententiæ. n. 15. & seqq.
Secunda sententia media. n. 18.
Tertia sententia vera docet, posse dari peccatum veniale in hoc puncto ratione parvitatis materiæ. n. 19.
Qui jurat se facturum cum proposito implendi, & postea non implet, non mentitur. n. 20.
In hoc casu non deficit veritas juramenti, n. 21.
Juxtà S. Thomam, qui non implet promissionem juratam factam cum proposito implendi, non peccat contra veracitatem, sed contra fidelitatem. n. 22.
Secunda sententia convincitur dilemmate. n. 23.
Quomodo qui non implet promissionem juratam, non faciat Deum testem falsi? n. 24.
Solvuntur aliæ duæ objectiones. n. 25.
Infertur hanc nostram sententiam non subjici damnationi. n. 26.

12. IN hac quæstione prima conclusio est. In prmo, & secundo modo peccandi circa juramentum promissorium, non potest inveniri parvitas materiæ, ratione cujus alteruter modus peccandi sit culpa venialis: atque adeo asserere, quod ratione levitatis materiæ alteruter modus peccandi circa juramentum promissorium sit culpa venialis, subjacet huic damnationi. Conclusio evidenter constat ex dictis. Etenim huic damnationi subjacet propositio, quæ affirmat, non esse peccatum mortale, vocare Deum in testem mendacii levis: sed qui sine animo promittendi jurat se promittere, vel qui sine proposito faciendi jurat se facturum, quantumvis sit in materia levi; affert Deum in testem mendacii, quamvis in matesia levi: subjacet ergò damnationi.

13. Itaque certissima veritas est, quam confirmat hæc damnatio, semper esse peccatum mortale afferre Deum tamquam testem mendacii, quantumvis istud leve sit; ut constat ex *cap.* 1. Cùm ergò illi duo modi peccandi proximè relati circà juramentum promissorium, expresè & formaliter contineant mendacium; improbabile est, & huic damnationi subjectum, quod in illis reperiatur solùm culpa venialis.

14. Præcipua difficultas devolvitur ad hoc, an scilicet in tertio modo peccandi detur parvitas materiæ, ratione cujus sit peccatum veniale non implere propositum juramento firmatum? v. g. qui juravit se recitaturum unam orationem Dominicam, cum proposito illam recitandi, & postea noluit eam recitare; quæritur, an ille peccaverit lethaliter non recitando, an solùm venialiter? Prima sententia tuetur, violationem juramenti promissorii, quoad impletionem obligationis ejus, semper esse peccatum lethale, quantumvis sit in materia levi. Ita *Gabriel in 3. dist.* 39. *quæst.* 2. *conclus.* 4. & 7. *Armilla* verbo *lurare. num.* 12. *P. Valencia* 2. 2. *disp.* 6. *qu.* 7. *punct.* 3. *conclus.* 3. *P. Lessius. lib.* 2. *de Iust.* c. 42. *dubit.* 5.

15. Probat primò *P. Lessius.* [Qui rei parvæ promissionem, quam juramento confirmavit, non implet, is, quantum in se est, facit Deum testem falsi: hoc autem est peccatum mortale, cùm sit magna in

Deum injuria: ergò. Major probatur: quia dum ita juras, ipso affectu & quantùm potes, facis Deum testari, te hoc præstiturum: ergò si non præstes, cùm possis, facis, quantum in te est, ut Deus falsum testatus sit.]

16. Probat secundò. [Ejusdem rationis est falsum reddere id, quod Deus antea testatus est, & facere, ut Deus in præsenti falsum testetur: atqui hoc est peccatum mortale, sive res sit parva, sive magna: ergò est illud.]

17. Probat tertiò. [Homo sub peccato mortali tenetur curare, ut sit veritas in juramento assertorio; idque ideò, ne Deum faciat testem falsi: ergò sub eadem obligatione tenetur curare, ut etiam in promissorio sit veritas.] In quorum confirmationem addit alia, quæ sunt similis ponderationis, eò quod in juramento solùm attenditur, quod stet veritas rei juratæ.

18. Secunda sententia distinguit: nam vel res parva est tota materia promissionis juratæ, & sic est peccatum lethale, quia deficit veritas juramenti. Si autem res parva est materia partialis juramenti, sic est peccatum veniale, quia sic non deficit veritas juramenti: ut si jures daturum duos aureos, & impleas, auferendo unum assem. Ita *Cajetanus 2.2. q. 89. art. 7. Covarrub. 1. variar. cap. 1. num. 2.* & alii.

19. Tertia sententia, quæ omninò est vera, estque secunda conclusio, docet, posse dari peccatum veniale in hoc puncto, ratione parvitatis materiæ. Ita P. *Suarez, tom. 2. de Religion. tract. 5. lib. 3. cap. 16. num. 4.* & apud ipsum *D. Antoninus, Sylvester, Angelus, Graffis, Butrius, Sotus* & *Navarrus*. Item *P. Thomas Sanch. lib. 3. sum. cap. 4. num. 23.* & apud ipsum ultrà relatos, *Aragon, Azor, Henriquez, Manuel Rodriguez, Petrus de Ledesma, Emmanuel Sa, Alcozer*, & *Corduba*. Item *P. Castro Palao, tom. 3. tract. 14. disp. 1. punct. 6. num. 8.* & est communis.

20. Fundamentum hujus sententiæ est. Nam qui jurat, se facturum, cum proposito id opere implendi, & postea non implet, non mentitur. Sic enim *S. Thom. 2.2. quæst. 110. art. 3. ad 5.* ait: *Qui aliquid promittit, si habet animum faciendi, quod promittit, non mentitur: quia non loquitur contra id, quod gerit in mente. Si verò non faciat, quod promittit, tunc videtur infideliter agere per hoc, quod animum mutat.*

21. Hinc instruitur argumentatio primò. Si enim propter aliquid esset peccatum lethale, & perjurium, non implere promissionem juratam, etiam in materia parva, esset, quia deficeret veritas juramenti, atque adeò Deus adduceretur in testem mendacii: sed qui non implet promissionem juratam, quam fecit cum proposito implendi, non deficit in veritate, neque est reus mendacii: ergò qui non implet promissionem juratam in materia parva, non committit peccatum lethale, sed solùm veniale.

22. Secundò. Juxta sententiam S. Thomæ suprà traditã, qui non implet promissionem etiam juratam, quam fecit cum proposito implendi, non peccat contra veracitatem, sed contra fidelitatem: sed qui peccat contra fidelitatem in re parva, peccat venialiter: ergò qui non implet promissionem etiam juratam in re parva, peccat venialiter. Hoc ergò est discrimen, quod intercedit inter juramentum assertorium,

torium, & promissorium. Nam assertorium solùm respicit veritatem, defectu cujus etiam in re minima, illud est peccatum lethale. Promissorium autem respicit veritatem propositi de adimplenda promissione, defectu cujus veritatis etiam in re minima peccatur lethaliter; & respicit prætereà fidelitatem in adimpletione futura, non autem veritatem. Et ideò potest fieri, quod sit peccatum veniale, si sit circa rem minimam.

23. Id, quod dicunt Authores secundæ sententiæ, minus est probabile: scilicet deficiente adimpletione promissionis juratæ circà materiam parvam, committi peccatũ lethale, si ea parvitas sit totalis materia; secus, si sit materia partialis. Nam in defectu adimpletionis, vel deficit veritas, vel non deficit. Si primũ, nihil est ad rem, quod materia sit totalis, vel partialis. Nam quomodocumq; deficiat veritas juramenti, Deus adducitur ut testis mendacii: in quo non est invenire parvitatem materiæ; quia sic irrogatur Deo ingens injuria. Si verò dicatur secundum, nempe quod in defectu adimpletionis non deficit veritas, sed fidelitas; cùm hæc sit capax parvitatis materiæ, & solùm sit culpa venialis, esse infidelem in re minima; sive res minima sit materia totalis, vel partialis, erit peccatum veniale. Sic peccat solùm venialiter, qui omittit unam salutationem Angelicam, sive promissam ut materiam totalem, nempe cùm quis vovet recitare semel unum Ave Maria; sive promissam ut materiam partialem, scilicet cùm quis vovit recitare Rosarium, & illud recitans omittit unum Ave Maria.

24. Ad primam objectionem ex P. Lessio respondeo, negando Majorem, scilicet, quod qui non implet promissionem juratam, faciat Deum testem falsi. Ad probationem, licet in eo casu falsum sit, quod jurans impleturus sit juramentum; Deus enim scit, non esse implendum; at id non est falsum ex intentione jurantis, cùm habeat intentionem implendi; unde solùm est falsum materialiter. Sic enim in juramento assertorio, si id, quod cum juramento asseritur, coràm Deo est falsum, jurans tamen existimat omninò esse verum, nullo modo est perjurus, nec deficit à veritate debita juramento.

25. Ad secundam distinguendà est Major. Ejusdem rationis est falsum reddere (in locutione) id quod Deus antea testatus est, & quod de præsenti testatur, concedo; falsum reddere) materialiter solum) nego. Quia dum quis deficit ab impletione promissionis juratæ, non loquitur adducendo Deum ut testem mendacii; & antea adduxit Deum ut testem veri formalis. Ad tertium patet ex dictis, non deficere veritatem formalem ex defectu impletionis rei promissæ, sed solùm deficere fidelitatem.

26. Ex dictis constat, non damnari in hoc decreto opinionem asserentem, posse esse culpam venialem, non implere promissionem juratam in materia levi. Et ratio est. Nam in hoc decreto solùm damnatur propositio asserens, non peccare lethaliter, qui vocat Deum in testem mendacii levis: sed quando non impletur promissio jurata circa materiam levem, non vocatur Deus in testem mendacii levis; quia ibi nullum est mendacium: ergò in hoc decreto non damnatur hæc opinio.

*** † ***

DIS-

DISSERTATIO XVIII.

An sit peccatum mortale proferre juramentum sine intentione jurandi?

CAPUT I.

Proponitur propositio damnata; & inquiritur, an sit peccatum mortale, an veniale, jurare verum sine intentione jurandi?

SUMMARIUM.

Qui existiment, damnari tamquam lethale, jurare verum sine intentione jurandi. n. 1.
Non est propriè juramentum, quod fit sine intentione jurandi. n. 2.
Intentio est quasi verborum anima. n. 3.
Juramentum exterius prolatum sine intentione jurandi, affert irreverentiam respectu Dei. n. 4.
Qui censeant id esse peccatum lethale. n. 5.
Secunda opinio quomodo sit veniale, aut lethale, jurare sine intentione jurandi. num. 6.
Fundamentum hujus sententiæ. n. 7.

1. PRopositio 25. ex iis quæ damnantur in præfato decreto, est hæc: *Cum causa licitum est jurare sine animo jurandi, sive res sit levis, sive gravis.* Ex qua damnatione fortasse non deerit aliquis, qui existimet inferri, semper esse peccatum mortale, jurare sine animo jurandi, etiamsi sit verum id, quod sub juramento asseritur. Et ita videtur intellexisse hanc propositionem *Filguera* in illius expositione. *Lumbier* autem *num.* 1821. videtur primâ facie idem sentire; sed si attendantur ea, quæ docet in loco, ad quem se remittit (scilicet ad *tom.* 2. *summa num.* 588.) solùm videtur intelligere damnationem propositionis de juramento falso emisso sine intentione jurandi.

2. Pro cujus rei claritate supponendum est primò, non esse verè, & propriè juramentum, quando deest intentio jurandi. Quod ita certum est, ut *Pater Thomas Sanchez, lib.* 3. *sum. cap.* 10. *num.* 4. asserat, in hoc convenire omnes Doctores. Et *P. Suarez lib.* 2. *de Iuram. cap.* 7. *num.* 2. ait, id esse certum apud omnes. Et pro hac sententia citat *S. Thomam, Cajetanum, Sotum, Covarrubiam, Panormitanum, & Glossam in* cap. *Veniens.* de jurejurando.

3. Et ibi rationem reddunt, quia interior intentio est quasi verborum anima: erunt ergo verba quasi mortua, & juramentum amittet vim suã, si desit intentio jurãdi. Deinde quia eæ actiones humanæ, quæ pariunt obligationem, requirunt consensum voluntatis, qui consensus dari non potest sine intentione faciendi id, quod producit obligationem. Cùm ergò juramentum sit actio, quæ producit obligationem, sive dicendi verum, sive standi promissis, requirit plenum consensum voluntatis, atque adeò intentionem jurandi.

4. Supponendum est secundò, juramentum exterius prolatum sine intentione jurandi afferre irreverentiam respectu Dei, & Sacri nominis ejus, quod invocatur, in quo conveniunt communiter Doctores.

5. Dissentiunt verò in ea quæstione, an semper sit peccatum mortale proferre juramentũ exterius sine intentione jurandi. In qua quæstione non pauci docuerunt,

semper esse peccatum mortale. Ita *Cajetanus* 2. 2. *quæst.* 89. *art.* 7. *Armilla* verb. *Perjurium.* *num* 3. *Covarrubias de pactis.* 1. *part.* §. 5. *num.* 2. & *Filguera* citatus §. *Respondetur*.

6. Secunda opinio est, esse solùm peccatum veniale, jurare verum sine intentione jurandi, dummodo id non fiat in contractu, aut in judicio legitimo, esse verò mortale, si juretur falsum, etiam sine intentione jurandi. Hanc censent probabiliorem *Pater Suarez, tom.* 2 *de Religion. tract. de juramento. lib.* 3. *cap.* 17. *num.* 6. *P. Castro Palao, tom.* 3. *tract.* 14. *disp.* 1. *punct.* 8. *num.* 4. *P. Thomas Sanch. lib.* 3. *sum. cap.* 6. *num.* 10. *P. Lessius, lib.* 2. *de Iust. cap.* 42. *dub.* 8. *num.* 42. & plures alii communiter.

7. Ratio autem, ob quam defendunt, non esse peccatum mortale, ita jurare verum sine animo jurandi, est, quia id dumtaxat est mendacium, & non perniciosum homini aut Deo. Non homini, quia extra contractum, & judicium legitimum & extrà quemlibet casum, in quo proximus damnum patiatur, nulla fit injuria homini. Non Deo, quia licet exterius afferatur testimonium Dei, illud affertur in confirmationem veri. Esse autem peccatum saltem veniale, omnes affirmant, quia est mendacium, dicere se jurare, cùm reverà non juret is, qui non habet intentionem jurandi.

CAPUT II.

An hæc secunda sententia subjaceat damnationi?

NON EGET SUMMARIO.

1. Difficultas ergò præsentis dissertationis est, an hæc secunda opinio contineatur sub damnatione ejus 25. propositionis. In qua quæstione assero, eam secundam opinionem nullo modo comprehendi sub ea damnatione. Quod sic ostendo. Nam Pontifex condemnat propositionem quæ asserit licitum esse, jurare sine animo jurandi: sed ea opinio non dicit, licitum esse jurare sine animo jurandi: ergò ea non condemnatur à Pontifice. Major constat ex ipsa propositione damnata. Minor patet, quia peccatum veniale non est licitum: ergo propositio, quæ dicit, aliquam actionem esse peccatum veniale, non dicit esse licitum.

9. Hinc colligitur quantum exorbitet à veritate *Filguera* citatus §. *Nihilominus*. dum refert pro opinione asserente, esse licitum jurare sine animo jurandi *Patrem Castro Palao, P. Lessium, P. Thomam Sanch. Bonacinam*, & alios; & consequenter vult, opinionem horum Authorum contineri sub ea damnatione. Et in primis notanda est inconsequentia Filgueræ, qui cùm dicat eos Authores propugnare id ut licitum; in eodem §. refert eos asserere, tantùm esse peccatum veniale, quasi dicere aliquam actionem esse peccatum veniale, idem esset ac dicere, illam esse licitam. Et quidem *P. Castro Palao* loco citato hæc verba habet. [Si juras sine animo jurandi, distinguendum est: vel juras verum, vel falsum. Si juras falsum; tam in judicio, quàm extrà, est peccatum mortale. Si juras verum; probabile est, esse solùm veniale extrà judicium; in judicio, & in contractibus mortale.] Quod idem eadem claritate docent *P. Thomas Sanch.* & *P. Lessius*.

10. Exorbitat etiam *Hezes in explicatione hujus propositionis* 25, *n.* 3. attribuens *P. Thomæ Sanchez*, quod dixerit, non esse

peccatum veniale, jurare sine animo jurandi; cùm in loco quem citat ipse *Hozes* (*lib. 3. sum. c. 6. num.* 10.) doceat oppositum in hæc verba: *Si jurans dicit verum, tunc solùm peccat venialiter, quando vult significare se habere jurandi animum: quia est mendacium, & non perniciosum. Secùs si id significare nolit, sed quoddam aliud disparatum.* Et circa hoc ultimum ponit exemplum in eo, qui affert juramentum materialiter, sic: *Dico quod juro*, ubi solùm affirmat quis, se dicere ea verba, *quod juro*, & verum est, se dicere illa verba. De hoc autem modo dicit, verba quæ refert Hozes: *Ego credo, nec hunc venialiter peccare: quia nullum est mendacium.*

11. Citat etiam *Hozes P. Castro Palaum* pro eadem assertione, quod jurare verum sine animo jurandi, nullum sit peccatum, neque veniale. Sed sanè oportet accuratius legi Authores ne illi patiantur calumniam immeritam. Nam de mente *P. Castro Palai* constat ex verbis proximè relatis, illum perperam allegari pro ea assertione.

CAPUT III.

Solvuntur objectiones, quæ militant contra secundam opinionem.

SUMMARIUM.

Qui jurat verum sine animo jurandi, aliquid falsum admiscet, sed juramentum non cadit supra falsum. n. 13.

Quomodo qui jurat sine animo jurandi, juret ad decipiendum proximum? num. 14. & seqq.

Et quid quando juramentum cadit suprà sensum amphibologicum verum? n. 16.

An qui jurat sine animo jurandi, illudat Divino testimonio? n. 17. & seqq.

An semper sit peccatum lethale, simulare sanctitatem; deciditur ex S. Thoma. n. 19. & seqq.

An qui orat, ut appareat sanctus, peccet mortaliter. n. 21.

An qui simulat orationem, ut appareat perfectus, peccet mortaliter. Ibidem.

Quomodo hypocrisis sit peccatum lethale? n. 22.

Disparitas inter eum, qui simulatè orat, & eum, qui jurat sine animo jurandi. n. 23. & seqq.

12. Quia non solùm censeo, eam secundam opinionem immunem esse à damnatione Pontificis, sed etiam illam esse veram; operæ pretium duxi satisfacere objectionibus, quæ contra ipsam militare possunt. Objicitur ergò primò. Qui jurat verum sine animo jurandi, mentitur in eo, quod dicit se jurare, cum re verâ non juret; & simul profert exterius juramentum; sed qui mentitur jurans etiam sine animo jurandi, juxta eam secundam opinionem, peccat mortaliter: ergò qui jurat verum sine animo jurandi, peccat mortaliter.

13. Respondetur concedendo, illum mentiri in eo casu, sed juramentum non cadit supra mendacium, sed solùm suprà verum: quare distinguenda est minor: qui mentitur, jurans sine animo jurandi peccat mortaliter, si cadat juramentum supra mendacium, concedo; si cadat supra verum, nego. Si enim in eo casu diceret, *juro me jurare*, esset peccatum mortale, quia juramentum caderet supra mendacium.

14. Objicitur secundò. Qui usurpat juramentum ad decipiendum proximū, peccat mortaliter: sed qui jurat sine animo jurandi, usurpat juramentum ad decipiendum proximum: ergò peccat mortaliter.

15. Res-

15. Respondetur eodem modo, esse peccatum mortale, si juramentum usurpetur ad confirmandam deceptionem mendacem. Si verò non sit ad illam confirmandam, non esse mortale. Qui autem jurat verum sine animo jurandi, decipit quidem proximum sine damnificatione illius (de hoc enim casu loquimur) dum dicit, se jurare, cùm reverâ non juret. Sed quia juramentum non cadit suprà ipsam deceptionem, ideò solùm est veniale.

16. Dixi *supra deceptionem mendacem*, quia aliquando potest cadere ejusmodi juramentum suprà deceptionem non mendacem. Si enim cadat suprà sensum amphibologicum verum (non tamen restrictionem mentalem) & sine damno proximi, sive sit cum animo jurandi, sive sine illo, solùm erit culpa venialis.

17. Objicitur tertiò. Tunc est mortale, cum Divino testimonio illuditur: sed qui jurat sine animo jurandi, Divino testimonio illudit; cùm per fictionem afferat illud, ita ut actu externo illud invocetur, interno autem ejus invocationi dissentiatur: ergò peccat mortaliter.

18. Respondetur, eam non esse Divini testimonii illusionem. Hæc enim solùm datur, quando Divinum testimonium affertur in confirmationem falsi, sicut si quis fingeret se orare: nam licet oratio sit actus Religionis, adhuc illum actum fingere, ex genere suo non est mortale.

19. Instat *Emmanuel Filguera* citatus ex quadam doctrina *S. Thomæ 2. 2. quæst. 111. art. 4. corp.* sic arguens: [Si per orationem simulatam curet solùm sanctus apparere, peccat mortaliter, quia graviter illuditur Deus, cui simulatè tribuit cultum debitum ex orationis suppositione: quod etiam contingit in eo qui jurat sine animo jurandi; nam dumtaxat curat jurans apparere: quod contrariatur Divino testimonio per illusionem adducto. Unde in quocumq; eventu fieri contingat, debet præstari cum animo jurandi, ne Divinum testimonium illudatur.] Huc usque *Filguera*.

20. In quo arguendi modo aliqua veniunt notanda. Primum est, quod cùm *S. Thomas* in eo loco, quem citat is author, expressè dicat, non semper peccare mortaliter eum, qui simulat sanctitatem; is author proponit eam propositionem universalem, quod peccat mortaliter is, qui per orationem simulatam vult apparere sanctus. Audiendus est S. Thomas: *Si autem dicatur hypocrita ille qui intendit simulare sanctitatem, à qua deficit per peccatum mortale, tunc quamvis sit in peccato mortali, ex quo privatur sanctitate; non tamen semper ipsa simulatio est peccatũ mortale, sed quandoque veniale; quod discernendum est ex fine, qui si repugnat charitati Dei, vel proximi, erit peccatum mortale. putà, cùm simulat sanctitatem, ut falsam doctrinam disseminet, vel ut adipiscatur Ecclesiasticã dignitatem indignus, vel quæcumque alia temporalia bona, in quibus finem constituit. Si verò finis intẽtus non repugnet charitati, erit peccatum veniale, putà, cùm aliquis in ipsa fictione delectatur; de quo dicitur 4. Ethicorũ, quod magis videtur vanus, quàm malus: eadem enim ratio est de mendacio, & simulatione. Contingit tamen quandoquè, quod aliquis simulat perfectionẽ sanctitatis, quæ non est de salutis necessitate: sed talis simulatio nec semper est peccatum mortale, nec semper est cum peccato mortali.* Huc usque Sanctus Thomas.

21. Ex quo colligitur primò, eum, qui

orat, ut appareat sanctus taliter, quod solùm *in ipsa fictione delectatur*; qui est casus de quo loquimur, non peccare mortaliter, sed solùm venialiter. Colligitur secundò, etiam non semper peccare mortaliter, sed quandoque venialiter eumdem ex eo, quod ultimo loco dicit S. Thomas de illo, qui *simulat perfectionem sanctitatis, quæ non est de necessitate salutis.* Nam qui simulat orationem, ut appareat perfectus, eam perfectionem simulat, *quæ non est de necessitate salutis.*

22. Secundùm quod notandum venit, est, quod illis verbis, *si per orationem simulatam curet solùm sanctus apparere*, ea vox *solum* æquivocationem affert, & malè explicat doctrinam, quam ibi affert S. Thomas: juxtà quam dicit, esse peccatum mortale simulare sanctitatem, scilicet quando taliter simulat, ut expresè nolit habere sanctitatem, quæ consistit in justificatione. Ita enim ibi loquitur S. Thomas: *In hypocrisi duo sunt, scilicet defectus sanctitatis, & simulatio ipsius. Si ergò hypocrita dicatur ille, cujus intentio fertur ad utrumque, ut scilicet aliquis non curet sanctitatem habere, sed solùm sanctus apparere, sicut consuevit accipi in Sacra Scriptura; sic manifestum est, quod est peccatum mortale.* Sic S. Thomas. Ubi notabis ea verba, *cujus intentio fertur ad utrumque.* Peccat enim mortaliter, eò quod ejus intentio, fertur expresè ad non habendam sanctitatem justificationis. Quod autem loquatur S. Thomas de sanctitate justificationis, patet ex verbis immediatè sequentibus. Hæc enim subjungit: *Nullus enim totaliter privatur sanctitate, nisi per peccatum mortale.* In eo autem deficit *Filguera*, quod cum hac doctrina *S. Thomæ* ad peccatum mortale hypocrisis petat utrumque, & quod quis nolit habere sanctitatem, & quod velit apparere sanctus, *Filguera* videtur eam vocem *solùm* applicare ad hæc secundum, quod velit apparere sanctus.

23. Tertium, etiamsi daremus, semper peccare mortaliter eum, qui simulatè orat, ut appareat sanctus, non inde colligi, quod peccat mortaliter, qui jurat verum sine animo jurandi. Tum quia qui ita jurat, non semper id facit eâ intentione, ut appareat jurans. Tum etiam, quia est magna diversitas inter utrumque: primò, quia, quod quis velit apparere sanctus, est hypocrisis; quod autem velit apparere jurans, non video quomodo inficiatur vitio hypocrisis. Secundò quia qui vult videri sanctus, ambitiosus est cujusdam magnæ excellentiæ; qui autem vult videri jurans, non video quam excellentiam ambiat.

24. Jam verò ad instantiam respondeo distinguendo antecedens cum S. Thoma: si per orationem simulatam curet solùm sanctus apparere [si simul ejus intentio fertur ad hoc, quod nolit habere sanctitatem justificationis] peccat mortaliter, concedo (aliter) nego. Sicut etiam nego id, quod subjungitur, quod graviter illuditur Deus ex ea orationis simulatione in casibus, in quibus juxtà S. Thomam solùm peccatur venialiter.

25. Ad id, quod subjungitur, quod qui jurat sine animo jurandi solùm curat jurans apparere, assero id esse falsum: quia sæpè potest contingere, quod quis juret sine animo jurandi, & sine eo, quod ejus intentio feratur ad hoc quod appareat jurans. Et dato quod eam intentionem habeat, non est tanta inordinatio, ut proptereà ille damnandus sit de peccato lethali.

CA-

CAPUT IV.

Aliquæ dubitationes expediuntur.

SUMMARIUM.

Qui narrat juramentum alterius, quamvis ipse non habeat animum jurandi, ne venialiter quidem peccat; n.27.

An qui jurat cùm amphibologia, comprehendatur sub hac damnatione: num.28. remissivè.

An qui jurat, nihil affirmando, nec negando, contineatur sub hac damnatione? nu. 29. & seqq.

Et quid, si habeat consuetudinem jurandi? n.30.

26. DUbitabis primò, an qui narrat juramentum alterius exprimendo formam juramenti, quam alter dixit, peccet saltem venialiter; & propositio affirmans, eum non peccare, contineatur sub hac damnatione Pontificis? Et videtur afferenda esse pars affirmativa. Ideò enim diximus peccare saltem venialiter eum, qui jurat sine animo jurandi, quia profert verba juratoria sine eo animo: sed qui refert formam juramenti alterius, profert verba juratoria, & ipse non habet animum jurandi; ergò peccat saltem venialiter.

27. Dicendum tamen est, eum ex hoc capite non peccare, ne venialiter quidem. Et ratio est: quia profert materialiter verba juratoria, dum refert juramentū alterius: & dum materialiter ea profert, non verificatur, quod ipse jurat sine animo jurandi, quia ipse non jurat, neque externè, neque internè. Et hinc patet ad rationem dubitandi.

28. Dubitabis secundò an ille, qui sine restrictione, sed per amphibologiam licitam ait hæc verba: *Dico, me jurare per Crucem* cùm ea intentione, ut solum affirmet se dicere; comprehendatur sub hac damnatione? Respondeo hunc casum pertinere ad dissertationem sequentem, ubi de amphibologiis; de quo ibi agendum est.

29. Dubitabis tertiò, an qui jurat, nihil affirmando, nec negando, contineatur sub hac damnatione? Multi enim sunt præcipuè in Hispania, qui quasi ex prava quadam consuetudine ita frequenter jurant. V g. *Ne discedas inde, juro per Christum.* Et tabellarius quidam, cui videbatur, me, dum essem Rector cujusdam Collegii, apponere in epistolis parvam portationis mercedē, scripsit ad me in quadam cartha hæc sola verba. *Pongase mas porte, juro à Christo* Id est: *Apponatur major portationis merces, juro per Christum.*

30. Nec dubitamus, esse peccatum mortale, si ea consuetudo talis sit, ut homo paratus sit jurare quidquid in buccam venerit, sive verum, sive falsum. Sic enim peccat mortaliter, quoties jurat cum ea dispositione. Solum ergò est dubium, quando sine tali modo consuetudinis jurat quis, nihil affirmando vel negando. Et ratio dubitandi est, quia qui sic jurant, videntur jurare sine animo jurandi, cùm nihil affirment, aut negent

31. Neque dubitatur, eos peccare saltem venialiter (etsi adsit scandalum, etiam mortaliter) quia negari non potest, esse irreverentiam contra nomen Domini.

32. Aliqui existimant, præfatam materi-

am non contineri sub hac damnatione. Et ratio eorum est: quia ut juramentum sit sine animo jurandi, necesse est, quod habeatur expressa intentio non jurandi: sed qui ita inconsideratè jurant, nihil affirmantes, neque negantes, non habent eam expressam intentionem, sed proferre volunt ea verba in tota sua significatione, quam habent: ergò non jurant sine animo jurandi. Ergò materia hujus casus non continetur sub ea damnatione.

33. Assero tamen, contineri. Nam illud est juramentum exterius, quod affert indecentiam; & reverà est sine animo jurandi.

DISSERTATIO XIX.

Quam sit illicitum uti in sermone restrictionibus mentalibus? Et quæ praxis tenenda sit in manifestanda, aut celanda veritate?

1. HUc veniunt exponendæ tres propositiones, quas tamquam scandalosas damnavit, & prohibuit Sanctissimus Dominus Innocentius XI. in Decreto suprà relato, quæ sunt tenoris sequentis.

2. Vigesima sexta. *Si quis vel solus, vel coram aliis, sive interrogatus, sive propria sponte, sive recreationis causa, sive quocumque alio fine juret, se non fecisse aliquid, quod reverà fecit, intelligendo intra se aliquid aliud, quod non fecit, vel aliam viam* (fortè, aliam diem) *ab ea, in quo fecit, vel quodvis aliud additum verum, reverà non mentitur, nec est perjurus.*

3. Vigesima septima. *Causa utendi his amphibologiis est, quoties id necessarium, aut utile est ad salutem corporis, honorem, res familiares tuendas, vel ad quemlibet alium virtutis actum, ita ut veritatis occultatio censeatur tunc expediens, & studiosa.*

4. Vigesima octava. *Qui mediante commendatione, vel munere ad Magistratum, vel officium publicum promotus est, poterit cum restrictione mentali præstare juramentum, quod de mandato Regis à similibus solet exigi, non habito respectu ad intentionem exigentis, quia non tenetur fateri crimen occultum.*

CAPUT I.

Quam fuerit olim reputata probabilis opinio damnata; & quam certum sit eam jam esse improbabilem?

SUMMARIUM.

Quam multi tradiderint opinionem de restrictione mentali: n. 5.
Fundamenta ejus opinionis desumpta ex variis Scripturæ locis. numer. 6. & seqq.
Certum est jam, eam opinionem non esse probabilem, n. 12.
An restrictio mentalis damnata sit solùm, quando fit cùm juramento, an etiam quando fit absque illo? n. 13.

5. MAgno Doctorum plausu excipiebatur olim opinio de restrictionibus mentalibus pro occultanda veritate, quando ex causa justa eam celare oportebat. Et eam tradidit *P. Thom. Sanchez, lib. 3.*

sum.

*sum cap.6.num.*15 & apud ipsum *Angelus, Sylvester, Navarrus, & Philiardus*, & plures alii. Addit *Lumbier tom 3. sum num.*1825. tenuisse hanc opinionem plusquam quinquaginta Authores.

6. Fundamentum desumebant Authores ex Sacris Scripturis. Primum. Nam Christus Joann.7.dixit : *Vos ascendite ad diem festum hunc: ego autem non ascendo ad diem festum istum , quia meum tempus nondum impletum est.* Et tamen posteà ascendit, licèt non manifestus : ergò illud dictum Christi Domini verum fuit ex restrictione mentis, scilicet [non ascendam manifestè]

7. Secundum. Tobiæ 5. Angelus dixit Tobiæ: *Ex filiis Israel ego sum Azarias, Anania magni filius.* Quæ verba secundum propriam significationem non sunt vera; videntur autem suam veritatem retinere ex aliqua interpretatione mente Angeli retentâ.

8. Tertium. Genesis 27. Jacob dixit, se esse Esau, & fecisse, quæ ei Isaac præceperat Et tamen multi interpretes eum à mendacio vindicant propter sensum mente retentum.

9. Quartum. Nam Judith multa dixit Holopherni, & militibus ejus, quæ sine mendacio subsistere non possent, nisi restrictione mentis adhibita. Ut cùm dixit cap.11. *Certum est quod in perditionem dabuntur* scilicet Israelitæ: & illud; *Misit me Dominus hac ipsa nunciare tibi.* Et illud: *Ego adducam te per mediam Hierusalem , & habebis omnem populum Israel , sicut oves, quibus non est pastor.* Et multa alia similia.

10. Quintum. Exod.1 Præcepit Pharao obstetricibus, ut pueros masculos ex Israelitis interficerent, aitq; textus sacer: *Timuerunt autem obstetrices Deum, & non fecerunt juxta præceptum Regis Ægypti , sed conservabant mares. Quibus ad se accersitis Rex ait: Quidnam est hoc, quod facere voluistis, ut pueros servaretis? Quæ responderunt: Non sunt Hebrææ sicut Ægyptiæ mulieres: ipsæ enim obstetricandi habent scientiam, & priusquam veniamus ad eas pariunt. Benè ergo fecit Deus obstetricibus, &c. Et quia timuerunt obstetrices Deum , ædificavit eis domos.* Ex quibus constare videtur, obstetrices dixisse falsum , nisi cum restrictione mentis loquerentur; dum dixerunt, fæminas Israelitas parere, antequam obstetrices accessissent ad eas ; cùm tamen constet ex textu, quod obstetrices servaverint masculos Constat etiam Deum affecisse præmio obstetrices, cùm tamen si dixissent mendacium, illud non esset laudabile , neque dignum præmio.

11. Multa alia similia afferuntur ex Sacra Scriptura , quæ videri possunt apud *Caramuelem* in libro , qui inscribitur *Haplotes art.1 à numer.* 8. quæ libenter omitto, quia ex iis, quæ ad hæc responderimus, facilis fiet responsio ad reliqua.

12. Quibus tamen non obstantibus, dicendum est, jam esse certum ex oraculo Romanæ Cathedræ , non esse licitum usum restrictionum mentalium : quia ubi nobis certò innotuit, aliquam doctrinam esse reprobatam à Romana Cathedra , præcipuè circa mores , tenemur & nos eam reprobare ; eo quod Pontifex errare non possit in doctrina morum ; ut tamquam certissimum latè demonstravi in 1. *part. Chrys Theol. disp 9. cap. 6. art. 1. & 2.* & hic in dissert. proœmiali.

13. Rogabis, an reprobatus maneat usus restri-

restrictionum mentalium, solum dum usurpatur cum juramento; an etiam, quando absque juramento usurpatur? Et respondeo, circa utrumque reprobari restrictionem mentalem. Id enim satis clarè constat ex ipsa censura ex illis ultimis verbis propositionis damnatæ 26. *Revera non mentitur, neque est perjurus.* Ubi utrumque damnat Pontifex. Imò & ex eo verbo, *neque est perjurus*, sufficienter declaratur, restrictionem mentalem esse mendacium, cùm in perjurio includatur mendacium.

CAPUT II.

Quinam scrupuli, & dubitationes exortæ fuerint occasione hujus damnationis?

NON EGET SUMMARIO.

14. ADeò erat communis praxis restrictionum mentalium, ut statim atque exiit in publicum hæc damnatio earum, accurrerint fideles ad viros doctos, turbati scrupulis, & dubitationibus, ad capiendum consilium, quomodo cælare debebant ea, quæ non oportet manifestare. Eò quod assueti erant ea cælare restrictionibus mentalibus; vel quia illis non erat modus alius cælandi veritatem; vel quia existimabant, omnem omninò amphibologiam amputari. Ideò proponam plurima dubia ex iis, quæ ad consultationem veniebant, ut ex iis melius explicetur praxis quæ tenenda est.

15. Primò. Confessarius, qui jure Divino tenetur ad sigillum, ex confessione Sacramentali novit, Petrum fuisse adulterum: & interrogatur ab amico, an Petrus commiserit adulterium? Si dicit simpliciter, se ignorare, mentitur; si fatetur, violat sigillum; si tacet, consentire videtur: ergò ad vitanda hæc extrema, debet dicere, se nescire cum restrictione mentali, scilicet, *ut tibi dicam.* Sic enim fiebat discursus dubitationis ab aliquibus confessariis.

16. Secundò. Qui via occultissima novit adulterium nobilis fæminæ, cognoscitque, se jure naturali obstrictum ad secretum; si de hoc interrogetur, dubitat, quid sibi faciendum est, ne peccet. Nam si negat, mentitur; si affirmat, ignominiosam irrogat injuriam. Ergò debet dicere, *Nescio*; cùm restrictione mentali, *ut tibi patefaciam.*

17. Tertiò. Fœmina nobilis adulterio polluit thorum conjugalem, vir autem suscipione delicti affectus, & armans pugione dexteram, postulat ab uxore, ut sub jurejurando dicat, an adulterium commiserit; occisurus si fateatur. Quid ergo faciet? Si negat, peierat; si fateatur, occiditur. Ut ergo vitet utrumque extremum debebit dicere, *Non commisi*; cùm restrictione mentali, *ut tibi declarem.*

18. Quartò. Secretarius Inquisitionis jurejurando obstringitur ad observandum secretum: & interrogatur ab amico, ad quem statum processerit causa cujusdam Judæi? Si declarat, violat juramentum; si dicit, se nescire, mendax est: debebit ergo dicere cum præfata restrictione mentali, se nescire.

19. Quintò. Sæpissimè contingit, ut quis nolit conveniri ab hominibus, & præcipit famulo, ut quærentibus se respondeat [Dominus meus non est domi.] Premitur famu-

famulus angustia dubitationis, eo quod si ita dicat, mentitur; si vero dicat, illum esse domi, timet iram Domini: quare videtur debere dicere cùm prædicta restrictione mentali, illum non esse domi.

20. Sextò. Vir nobilis, cujus pater, vel filius mortuus est, invisitur ex communi consuetudine à reliquis nobilibus ejus oppidi, ut cùm illo cōdoleant. Sunt aliqui, qui præ tristitia vel ob aliam causam nolunt visitari; & janua semiclausa, jubent famulis, ut adventantibus respondeant, se esse in hæreditate agresti. Si famuli obtemperant, mentiri videntur; si dicunt in domo esse, imminet illis ira Domini. Et ideò sibi videntur, uti posse eâ restrictione mentali.

21. Septimò. Petrus petit mutuos à Joanne centum aureos: Joannes non vult dare, vel propter difficultatem recuperandi, vel ob aliam causam. Si dicat: *Nolo mutuare*, orietur rixa; videtur ergo sibi necessarium dicere, *Non habeo*, cùm solita restrictione mentali.

22. Octavo. Commune est, ut in visitationibus nobilium fœminarum ministretur potio Ciocolatica; est etiam commune, quod domina domûs interroget, an potio sit optima; & quandoque potio est pravæ qualitatis. Si ergo respondet, *optima est*, existimat se mentiri; si respondeat, *prava est*, magnam sibi injuriam irrogari putat fœmina, quæ dedit potionem; & ingens oritur rixa. Fœmina ergò, quæ accipit potionem, ne mentiatur, & ne rixam excitet, videtur sibi satisfacere, si respondeat *Optima*, cùm aliqua restrictione mentali.

23. Nono. Quæritur Petrus ab aliis, ut vulneretur, aut occidatur; & transivit coram me fugiens. Et è vestigio accedunt illi homines, & me interrogant, an hac via transierit Petrus. Si respondeo, non transisse hac via, mentior, si dico, transiisse, facilè invenitur ad mortem. Quid ergo faciam, nisi dicere cum restrictione mentali, illum hac non transiisse.

24. Decimo. Nam nisi mentali restrictione limitentur, videntur esse mendacia multa verba, quæ homines urbanitatis causa dicere assueverunt; & quæ evitare est dificillimum. Scilicet *osculor manus tuas*, cùm tamen re ipsa non osculetur. *Ad tuos pedes provolvor*; & tamen id non præstat. *Servus tuus sum*; & tamen qui id dicit, est ingenuus. *Omnia, quæ domi mea sunt, tua sunt, & de illis potes disponere pro libito.* Et tamen per hæc verba nihil alteri donat.

25. Undecimo. Qui soluturus est gabellam evidenter injustam, coram Judice sistitur, ut declaret, quantum vini, olei, aceti, &c. contineatur in doliis; & cum evidenter injusta sit gabella, non tenetur declarare totum id, quod ad eam gabellam spectat. Sed tamen Judex exigit ab eo, ut sub jure jurando id declaret. Quid faciet, si non est usurus restrictione mentali? Nam si non declarat, pejerat; si declarat exigitur ab eo gabella evidenter injusta.

26. Duodecimò. Reus criminis capitalis, contra quem est semiplena probatio, sistitur coram judice, ut sub juramento declaret, an id delictum commiserit: & quia probabilis est sententia Doctorum asserentium, reum non teneri ad declarandum delictum, ex quo imminet sententia capitis, si non recurrat ad restrictionem mentalem, quomodo poterit se eripere à

Ddd morte,

morte, & à perjurio? Nam si negat sine restrictione mentali, pejerare videtur; si autem declarat delictum, incidit in sententiam capitis.

27. Tredecimò. Reus quandoquè illegitimè, & non juridicè interrogatur à Judice de delicto; quia indicia sunt parva, & insufficientia: in quo casu non tenetur declarare delictum. Quomodo ergo sine restrictione mentali poterit liberari à perjurio, si neget delictum, quod non tenetur declarare?

CAPUT III.

Quam certum sit, amphibologias usurpatas cum restrictione mentali esse mendacia?

SUMMARIUM.

Qui Authores, & quo fundamento rejecerint restrictiones mentales? n. 29.

Refellitur præfatum fundamentum. Ubi an aliquando liceat occultare veritatem ex causa justa n. 30.

Demonstratio desumpta ex eo, quod humana loquela non formatur per conceptus mentis, num. 31.

28. EX censura Innocentii XI. fulminata in eam propositionem 26. clarè constat, eas restrictiones mentales esse mendacia; ut patet ex illis verbis, *nec mentitur, neque est perjurus*, quorum verborum assertio damnatur ut scandalosa. Et consequenter propositio contradictoria asserenda est ex Magisterio Romanæ Cathedræ, nempè quod qui utitur ea restrictione mentali, & sub ea jurat, *mentitur, & est perjurus*.

29. Ante hanc censuram Innocentii XI. suffragati sunt huic sententiæ [quod amphibologia cum restrictione mentali sit mendacium.] Authores non pauci. Qui quidem hoc argumento utuntur. Nam si liceret uti his restrictionibus, vix esset ullum verbum, quod non posset dici cum simili restrictione. Unde fieret quod cessaret hominum commercium, & nemo posset reddi certus de veritate.

30. Sed hoc argumentum infirmum est. Quia negari non potest, sæpè esse necessarium occultari veritatem, & aliquando obligatorium; ut constat ex *S. Augustino in Psalm 5. & refertur in capit. Nequis* 22. q. 2. illis verbis: *Aliud est mentiri, & aliud verum occultare: siquidem aliud est falsum dicere, aliud verum tacere. Ut siquis fortè non velit ad istam visibilem mortem hominem prodere, paratus esse debet verum occultare, non falsum dicere, ut neque prodat, neque mentiatur.* Deinde certum est apud omnes, non licere uti amphibologia, nisi quando datur justa causa occultandi veritatem. Potest ergo responderi, non propterea cessare convictum humanum; est enim certum, quod sit illicitum uti amphibologia, quando non adest justa causa ad cælandam veritatem; & est etiam certum, quandoque esse necessarium occultari veritatem, quin propterea cesset convictus humanus.

31. Jam vero posita securitate doctrinæ Romanæ Cathedræ, quæ in materia morum errare non potest, pronuntio, hoc argumentum esse demonstrativum pro hac assertione. Humana loquela neque totaliter,

taliter, neq; partialiter formatur per conceptus mentales, sed per voces; nam soli Angeli, & spiritus loquuntur per conceptus: ergò ut propositio vocalis sit vera, non debent attendi conceptus mentis, sed sola verba, & signa externa. Ergò qui occidit Petrum in die veneris, si dicat verbis: *Non occidi Petrum* & per conceptum mētalem restrictivum dicat *in die Dominica*, ad veritatem, aut falsitatem ejus propositionis non est attendendus conceptus mentalis restrictionis, sed sola propositio vocalis: sed hæc est evidenter mendax: ergò amphibologia usurpata per restrictionem mentalem est mendacium; & si confirmetur juramento, est perjurium.

CAPUT IV.

Quinam sint modi utendi licitè amphibologiis?

SUMMARIUM.

Primus modus amphibologiæ licitæ est, qui fit per verba æquivoca, n. 32. & seqq.

Quomodo hoc genus amphibologiæ non subjaceat damnationi? n. 35.

Secundus modus, cùm verba ex quibusdam circumstantiis limitantur ad diversam significationem, n. 36 & 37.

Ex quibus circumstantiis verba limitentur, præcipuè circa verba Scio, & Nescio, n. 38. & seqq.

Tertius modus desumptus ex metaphoris, & allegoriis, n. 46. & seqq.

Quartus. Cùm responsum verificatur ad mentem interrogantis, n. 48.

Et quomodo is modus usurpetur à S Thomâ num. 49.

Et quomodo confessarius respondebit licitè ad intentionem debitam interrogantis? num. 50.

Et quid si Iudex interrogat indebitè, n. 51.

An liceat respondere cum suppositione materiali? n. 52.

An per circumlocutionem, quæ nihil affirmat, vel negat? n. 53.

32. PAter *Thomas Sanchez*, *lib. 3. sum. cap. 6. à numer.* 13. proponit duos modos amphibologiæ, quos reputat esse certò licitos, nempè quando adest justa causa occultandi veritatem. Primus est, quando verba sunt æquivoca, & ego utor eis in uno sensu, & auditor putat, me loqui in altero sensu. In quo casu, si non adsit justa causa occultandi veritatem, ea amphibologia est illicita, sed non est mendacium. Ut si quis occiderit hominem natione gallum, sine mendacio dicit, se non occidisse gallum, usurpando hanc vocem pro gallo gallinaceo. Similis est ea amphibologia, quam ponit Glossa in cap. Ne quis 22. q. 2. illis verbis: *Per æquivocationem cautè deludat interrogantem, dicendo: Non est hic, id est, non comedit hic.* Nam verbum *Est* est æquivocum, & habet ambas significationes, nempè assistentiam, & manducationem.

33. Huc etiam pertinet id, quod dixit S. Raphael: *Ego sum Azarias, Ananiæ magni filius.* Nam Azarias significat duo, & personam humanam hujus nominis; & specialem significatum vocis Hebreæ, sicut & Ananias, ut dicam cap. 5 ad 2. Et Angelus non locutus est juxtà primam significationem, sed juxtà secundam.

34. In idiomate Hispano sunt multæ voces æquivocæ habentes duas, aut plures significationes. Hæc vox *dientes* significat dentes oris,& grana alliorum.Ita mater minitatur filio,*te quebrarè los dientes*,intelligendo grana alliorum:quæ quidem non est restrictio mentalis sed significatio propria idiomatis Hispani. Quibus sunt plurima similia.

35. Hunc modum amphibologiæ non damnari ab Innocentio XI. certum est: quia Ille solum damnat amphibologias, quæ fiunt per restrictionem mentalem,addendo verbis aliquid retentum in mente. In hoc autem modo nihil additur retentum in mente : quia illæ diversæ significationes sunt propriæ verbi æquivoci.

36. Secundus modus amphibologiæ, qui sine mendacio potest usurpari , est, quando verba ex sua significatione non sunt ambigua ; sed tamen attentis circumstantiis loci,temporis, & personæ limitantur ad aliud significatum.

37. Ad hunc modum amphibologiæ spectat illud,quod Sancto Francisco attribuitur : nam cùm latrones quidam transivissent illâ viâ,caventes à Ministris justitiæ, & paulò post advenissent Ministri justitiæ, & interrogassent Divum Franciscum, an latrones transiissent illac, Sanctus Franciscus mittens manus in manicas respondit: *Non transierunt hac.* Quod verissimū fuit, quia non transierunt per manicas. Et similiter si fixisset pedem super uno lapide,posset sine mendacio dicere : *Non transierunt hac*, quia per illum lapidē non transierunt. Ubi nulla est restrictio mētalis, sed per circumstantiam fixionis pedis determinatur ea vox ad transitum per illum lapidem.

38. Huc possunt referri verba aliqua,quæ licèt ex se unam tantum habeant significationem , tamen ex variis modis usurpandi illa inter homines usitatis, sunt æquivoca , sine ulla restrictione mentali. Tale videtur esse verbum *Scio* , quod significat cognitionem evidentem ; usurpatur autem quandoque pro ea cognitione,quam ex fide humana accepimus , quæ re vera non est evidens,sed fallibilis. Et similiter verbum *Nescio*, quod significat defectum scientiæ evidentis.& sumitur quandoque pro defectu cujuslibet notitiæ. Ita *P.Suarez,tom.4 in 3.part.disp.33.sect. 6.n. 5.*Ita qui audivit ab aliquibus,Petrum commisisse furtum,si interrogatus dicat *nescio*, id est (non habeo scientiam evidentem ejus furti) non mentitur.

39. Paulò aliter id explicat *Lugo Card.disp.23.sect 4.num 75.* ubi prius supponit : *Ad veritatem propositionis , & responsionis externæ,necesse esse, quod voces capaces sint talis significationis , ut possint ex se eum sensum facere.* Per quæ verba supponit, illicitam esse quamlibet restrictionem mentalem,& postea dicit , eam vocem,*non scio* , & similes , *si absolutè proferantur,certum videtur , quod possent ex se habere illum sensum , scilicet per scientiam,& auditionem, quæ utilis sit ad respondendum.* Et ponit exemplum : *Sic enim locutus est Christus Dominus juxtà communem interpretationem , Marc. 13.quando dixit:(De illo die nemo scit,neque filius hominis) hoc est,illa scientia , quæ utilis esset ad respondendum discipulis interrogantibus:quia licèt Christus ut homo id sciret,sed secretò tamen , quod manifestare non poterat.* Cui dicendi modo videtur suffragari *S.Augustinus , tom.4.lib.83.qq.q 60.dum* ait;

ait; *Quod dictum est, nescire filium, sic dictum esse, quia facit nescire homines, id est, non prodit eis, quod inutiliter scirent.* Eodem modo loquitur lib. 1. de Trin. cap. 12. *Hoc enim nescit, quod nescientes facit, id est, quod non ita sciebat, ut tunc discipulis indicaret.* Idem docet *S Gregorius Magnus, lib. 8. Registri epist. 42.* citans *S. Augustinum.* Et ita quoties quis habet obligationem occultandi infamiam alterius, cum veritate dicit, *Nescio*: quia verbum illud per circumstantiam rei occultæ, significat idem, ac (non habeo scientiam utilem ad respondendum.)

40 Subdit *Lugo Card.* Etiamsi interrogatio excludat reflexè æquivocationē, posse Confessarium cum veritate negare peccatum auditum in confessione. Pro quo supponit, voces institutas esse ad explicandos conceptus mentis, sive ad significandam scientiam, quæ apta sit ad respondendum. Hinc fit, quod cùm Confessarius dicit: (Petrus non commisit tale peccatum) hæc propositio vocalis significat hanc mentalem. (Non scio scientiâ utili ad respondendum, Petrum commisisse tale peccatum,) In qua materia fusius prosequitur, sub quibuscumque reflexionibus interrogatum Confessarium, semper negare posse, quia semper reflectitur super scientiam inutilem ad respondendum. Quam doctrinam approbat etiam *P. Martinus Perez de Pœnit. disp. 54. sect. 9. num. 7.*

41. Ego tamen in Institutionibus Dialecticis propugnavi, voces non esse institutas ad significandos conceptus, sed solùm supponi, sive substitui pro conceptibus. Et video id etiam placere *P. Roderico de Arriaga, tom. 8. cursus Theologici, disp. 46. sect. 1.* quod probat ex eo, quod si voces immediatè essent impositæ ad significandum conceptum mentis; idem esset dicere: *Petrus currit*, ac dicere: *Ego censeo Petrum currere.* Unde fieret, quod quamvis Petrus non curreret, vera esset ea propositio; quia verum est, me ita judicare.

42. Sed non urget nimis hoc argumentum: respondebit enim *Lugo Card.* eam propositionem esse virtualiter hypotheticam, & compositam ex una propositione directa, & altera reflexa, sic: *Petrus currit, & ego censeo currere.* Quo pacto tota propositio evadit falsa, ex prima ejus parte, quæ falsa est, quamvis secunda sit vera.

43. Sive ergò voces significent immediatè conceptus mentis, sive supponantur, & substituantur pro illis, eamdem vim retinet argumentum *Ioannis de Lugo.* Nam eo ipso quod hæc propositio: *Petrus non commisit tale peccatum*, instituta sit, ut supponatur pro conceptu mentis, supponitur pro conceptu, sive pro scientia utili ad respondendum. Unde quamvis Confessarius audierit à Petro, se commisisse tale peccatum; ex ipsa propositione vocali, & ex institutione, quam habet, ut supponatur pro conceptu utili ad respondendum, quæ aliquid externum est, conflatur integer sensus, scilicet quod (Petrus non commisit tale peccatum ut manifestabile) non enim est manifestabile, ubi non datur scientia illius utilis ad respondendum.

44. Parum distat ab hoc, quod ait *S. Augustinus ibid.* nempe cum veritate dici, *quod nescitur*, quod est omninò occultum: quod intellige præcipuè, dum adest obligatio occultandi, aut non adest obligatio declarandi. Sic enim ait: *Eo namque genere locutionis nescire quisque dicitur,*

tur, quod occultat, quo dicitur fossa cæca, quæ occulta est. Neque enim aliquo genere loquuntur Scripturæ, quod in consuetudine humana non inveniatur; quia utique hominibus loquuntur. Ex quibus verbis patet, in consuetudine humana usitatum esse, assumere verbum *nescio*, pro eo, quod est non scire, nisi occultè; vel non scire tamquàm manifestabile. In quo nulla est restrictio mentalis, quia ipsum verbum *nescio* id significat juxta humanam loquendi consuetudinem.

45. Huic assertioni *S. Augustini* consonat *S. Thomas in cap 2. epistola ad Philipp.* ad ea verba: *Donavit illi nomen, quod est super omne nomen.* Ubi Angelicus Doctor habet hæc verba: *In Sacra Scriptura tunc dicitur aliquid fieri, quando innotescit.* Ex quo sequitur, quod juxtà hanc phrasim potest cum veritate dici, non esse, quod nondum est manifestabile. In quo nulla est restrictio mentalis, sed specialis usurpatio vocum consueta, & communis. Quod quidem intelligendum est de illis occultis, quæ non sunt in præjudicium Reipublicæ, aut Communitatis, aut in damnum tertii: hæc enim juridicè interroganti aperienda sunt; & in quibuscumque aliis, in quibus fuerit obligatio declarandi.

46. Tertiò, *S. Augustinus, lib. contra mendacium, cap.* 10. affirmat, eum, qui loquitur per metaphoram, & allegoriam, non mentiri, quamvis sub metaphora occultet veritatem audientibus. Et ita affirmat, Jacobum cum veritate dixisse: *Ego sum primogenitus tuus* Esau, propter mysticam, & metaphoricam significationem, quæ non percipiebatur tunc ab Isaac patre ejus. Relegenda sunt verba S. Augustini, etsi notissima: *Iacob autem quidquid matre fecit authore, ut patrem fallere videretur, si diligenter, & fideliter attendatur, non est mendacium, sed mysterium. Quæ si mendacia dixerimus, omnes etiam parabola, ac figura significandarum quarumcumque rerum, quæ non ad proprietatem accipiendæ sunt, sed in eis aliud ex alio est intelligendum, dicentur esse mendacia. Quod absit omninò. Nam qui hoc putat, tropicis etiam tam multis locutionibus omnibus potest hanc importare calumniam, ita ut hæc ipsa, quæ appellatur metaphora.:. possit ista ratione mendacium nuncupari.* Prosequiturque multis exemplis hanc rem explicans: & ita vindicat ab omni suspicione mendacii Jacobum, Josephum, & David Regem. In quibus omnibus neque mendacium, neque restrictio mentalis invenitur.

47. Et juxtà hanc doctrinam multi viri spirituales mortificationis studiosi, cùm invitantur ad cibi sapidi delicias, affirmant, illum cibum suæ valetudini nocere, intelligentes id in sensu spirituali, & metaphorico: quia licet ille cibus non noceat corporibus; nocet tamen perfectioni, quam profitentur. Item ægritudinis doloribus afflicti respondent, benè se valere: quia licet malè se habeant, quoad corporis valetudinem, benè tamen se habent quoad robur spiritus: & valetudinem quæ significat corporis sanitatem, metaphoricè usurpant pro sanitate spiritus. Sic etiam Religiosus quidam Minorita (ut refertur in *2. part. Chronici S. Francisci*) accepit quasdam aves à viro sæculari, ut deferret in domum ejus, & pergens ad templum misit eas in sepulchrum, quod sibi construxerat sæcularis ille. Qui non inveniens aves in

ves in domo sua, obviam factus Minoritæ expostulavit cum eo de dolo, & mendacio. Dei autem servus duxit sæcularem illum ad templum, & ostenso sepulchro dixit: (Ecce aves tuæ; hæc est enim domus tua.) Quare dum per sensum spiritualem, & metaphoricum, sepulchrum ejus appellavit domum illius, non est mentitus; & præterea dedit illi monitum salutis. Quare in urgenti necessitate occultandi veritatē, licitum erit respondere per metaphoram, præsertim timore mortis.

48. Quartus amphibologiæ modus licitus est, cùm quis respondet ad mentem interrogantis: quæ quidem, propriè loquendo, non est amphibologia, sed justa veritatis declaratio, quamvis eam non rectè percipiat, qui interrogat. Ita *P. Suarez, tom. 4. in 3. part. disp. 33. sect. 6. num. 5. & Lugo Card. disp. 23. de Pœnit. sect. 4. n. 75.* ubi ponit exemplum: *Qui habet unum panem sibi omninò necessarium, verè respondet, se nullum habere, ei, qui petit panem commodatum: quia nullum habet, quem commodare possit, de quo sola ille interrogat, & loquitur.* Sic etiam si quis commisit furtum, & illud Sacramentaliter confessus est: & postea iterum confitens, interrogatur à Confessario, an fecerit furtum; iste sine mendacio dicit: *Non feci*; quia licet ista sit negatio universalis, limitatur tamen ex intentione Confessarii interrogantis; cujus est solùm interrogare de iis, quæ non sunt exposita alteri confessioni. Et ideò ea propositio, *Non feci furtum*, in iis circumstantiis reddit hunc sensum, *Non feci furtum, quod non confessus sum*: quia sic respondet ad mentem interrogantis.

49. Hanc eamdem doctrinam tradidit *S. Thomas in 4. dist. 21. q. 3. art. 1. quæstiunc. 1. ad 2.* agens enim de obligatione sigilli, qua obstringitur Confessarius, ait: *Si præcipiatur sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, quod dicat, si aliquid sit de peccato, non debet dicere: quia debet æstimare, quod intentio præcipientis sit, si sciat ut homo.* Itaque juxta S. Thomam non mentitur Confessarius, dum respondet ad intentionem, quam debet æstimare in præcipiente.

50. Sed quid si sceleratus aliquis urgeat Confessarium interrogando, an talis fæmina confessa fuerit adulterium? Quid ergò respondebit Confessarius, si cognoscit fæminam id declarasse in sua confessione Sacramentali? Respondet *P. Suarez, tom. 4. in 3. part. disp. 33 sect. 6. n. 7.* non mentiri Confessarium, si neget: quia tunc respondet ad intentionem debitam interrogantis. Sic enim ait: *Alius modus, & melior est, ut responsio accommodetur intentioni debitæ interrogantis, quæ esse debet, an alius taliter sciat, ut respondere teneatur; quo sensu verè negat audivisse. Dices, hunc sensum repugnare interrogationi: nam qui interrogat, an audierit in confessione, hoc ipso excludit omnem alium modum. Respondetur id verum esse ex ejus formali intentione; illi tamen imputari repugnantiam in ipsis verbis, & in interrogatione; aliū verò uti jure suo respondendi, juxtà mentem legitimam, quā inesse deberet.*

51. Sic etiam cùm Judex procedit viā generalis Inquisitionis, in qua non potest denunciari crimen, sine eo quod præcedat infamia (exceptis excipiendis) qui sub secreto scit crimen alterius, cujus nulla præcessit infamia, cum veritate negat delictū occultum; quia respondet ad mentem Judicis interrogantis de delictis, quorum præcessit infamia.

52. Quin-

32. Quintò *Caramuel in Haplote, art. 2. concl. 1. num. 14 pag. 17* affirmat, licitè posse admitti eam amphibologiam, per quam voces supponantur suppositione materiali; quo pacto dum homo loquitur, nihil affirmat de objecto. Ut cùm quis dicit, *Petrus est nomen*, nihil affirmat de Petro, sed de voce Petrus. Similiter si quis fecit furtum, & interrogatus, an id fecerit, respondeat: *Dico quod non feci*, affirmans se dicere ea verba; quo pacto ea verba materialiter sumuntur. Sic cùm quis mandat memoriæ carmina Virgilii, aut recitat, nihil affirmat de objecto, sed ipsæ voces usurpantur materialiter. Et confirmari potest, quia usurpatio vocum cum suppositione materiali non videtur esse restrictio mentalis, qualis in his propositionibus damnatur. Sed ego hunc modum amphibologiæ non approbo; quia video non approbari à Censoribus Romanis. Quare censeo consuli oportere Sacram Congregationem.

53. Sextò est etiam alius modus respondendi præfatis interrogationibus, quæ extrajudicialiter fiunt; idque absque ulla amphibologia; scilicet per circumlocutionem, quæ de præsenti nihil affirmat, nec negat; v. g. interrogatur quis de actione aliqua, quæ necessariò postulat secretum. In quo casu potest respondere: *Gauderem utique id scire, ut tibi satisfacerem.* Quo pacto, neque affirmat, neque negat id scire; & qui interrogat, existimat, illum nescire, quod interrogatur. Similiter Petrus postulat à Joanne pecunias mutuas; & si Joannes respondeat: *Gauderem habere pro tuo solatio*, hoc modo neque affirmat, neque negat; quamvis Petrus intelligat, iis verbis significari, Joannem non habere. Similiter qui interrogatur de homine illac transeunte, potest respondere sine mendacio: *Gauderem vidisse, ut satisfacerem.*

54. Huc etiam spectat cum fœmina, quæ commisit adulterium, & illud Sacramentaliter confessa est, marito vel alteri interroganti, posse sine mendacio respondere; *Innocens sum, immunis sum ab hoc delicto*: quia per confessionem Sacramentalem illud peccatum jam est dimissum. Sed adverte licitè ita responderi absque juramento; cum juramento autem illicitè. Et ratio est: quia ad simplicem affirmationem sufficit probabilitas facti; ad juramentum verò requiritur certitudo. Non autem habet certitudinem de remissione peccati, quamvis habeat probabilitatem. Alii sunt modi, quibus sine restrictione mentali potest subsistere amphibologia, quando necesse est veritatem occultari. Sed quia non rectè intelliguntur, vel ad praxim ab operaturis, vel ad censuram à calumniaturis; illis libenter supersedeo.

CAPUT V.

Solvuntur objectiones capite 1. propositæ.

SUMMARIUM.

Ea Christi verba Ego autem non ascendo, *non indigent restrictione mentali.* n. 56.

In illis verbis: Dies festus *sumitur formaliter ut festus, ex S. Augustino.* n. 57.

S. Raphael locutus est mysticè, & metaphoricè. n. 59.

Iacob locutus est metaphoricè, cùm affirmavit se esse Esau. num. 60.

Quomodo sermones Iudith non egeant restrictione mentali? num. 61.

Quomo-

Quomodo obstetrices Ægyptiæ meruerint præmium à Deo, quamvis dixerint mendacium officiosum? n. 62.

Quomodo præfatæ obstetrices vindicari possint à mendacio? n. 63.

55. Solutio omnium earum objectionum, quæ desumuntur ex locis Sacræ Scripturæ, tota stat in eo, quod veritas eorum non indiget restrictione mentis, sed per ipsa signa externa subsistere potest.

56. Ad primum ergò ex *Ioan.* 7. dicendum est, veritatem ejus dicti nullâ indigere restrictione mentali. Et si quidem attendamus ad quasdam versiones, quæ leguntur in Græcis codicibus, quasque refert *P. Maldonado in cap.* 7. *Ioan. n.* 18. cessat omninò difficultas. Nam alii legunt, *nondum ascendo*; alii verò, *non ascendo nunc*, quod benè componitur cum eo, quod postea Christus ascenderit.

57. Sed retinendo versionem Vulgatæ, videat, qui velit, varias interpretationes Sanctorum Patrum, quas refert *P. Maldonado loco cit. num.* 20. quæ omnes procedunt sine eo quod necesse sit confugere ad restictionem mentalem. Mihi maximè placet interpretatio, quam tradit *S. Augustinus q.* 78. *vet. & novi testamen.* Scilicet respondisse Christum Dominum ad mentem cognatorum suorum, qui suadebant ei, ut ascenderet ad festum illum scænopegiæ, ad manifestandum in eo magnificentiam miraculorum, & ad conciliandam sibi eam gloriam. Quibus Christus Dominus respondit, se non ascendere ad diem illum festum celebrandũ cum lætitia, quia dies festus proprius ejus erat dies festus Paschatis, in quo effusurus erat sanguinem pro redemptione hominum; id enim significant ea verba, *quia meum tempus nondum impletum est.* Audiendus S. Augustinus loco citato, *quid videtur contrarium, quando non tunc ascendit, quando negavit, sed ascendit postea? Et ascendit, non quasi ad diem festum, sed quasi ad perfruendas delicias dies festi. Certum est ergò, quia non ascendit ad diem festum salvator. Is autem illi fuit dies festus, quo passione sua redemit mundum .... Hic dies festus ejus, in quo vicit mortem.*

58. Ubi vides duo asseri ab *Augustino.* Primum, quod bene componatur, dixisse, *non ascendo,* scilicet de præsenti, & quod deinceps ascenderit. Secundum, quod cum mysterio dixerit, se non ascendere *ad diem festum istum, &c.* Quia non erat celebraturus cum lætitia, nisi illum diem festum, in quo erat redempturus genus humanum. Juxtà quem sensum affirmat Christus D. se non ascensurum ad diem festum in sensu formali, id est, ad festum, ut festum.

59. Ad secundam objectionem ex *Tobia* 5. ex eo quod S. Raphael dixerit: *Ego sum Azarias, Ananiæ magni filius.* Respondendum est, Angelum locutum esse mysticè, & metaphoricè. Nam hoc verbum *Azarias* significat auxilium Domini: & id verbum *Ananias* significat nubem. Nubes autem juxtà *S. Ambrosium serm.* 61. significat Patrem æternum. Sensus ergo verborum Angeli mysticus fuit: [Ego sum auxiliator à Deo, filius adoptivus Æterni Patris.] Ad quod affirmandum nullâ indiguit Angelus restrictione mentali.

60. Ad tertiam objectionem ex eo, quod Jacob affirmaverit se esse Esau, dicendum est cum *S. Augustino lib. contra mendacium cap.* 10. totum illud fuisse mysteriũ,

& Jacobum instructum à Matre locutum esse per metaphoram seu allegoriam. Hæc autem ad sui veritatem nullâ indiget restrictione mentali.

61. Ad quartam objectionem, ex eo, quod Judith multa dixerit Holopherni, quæ videntur mendacia, dicendum est, nullâ opus esse restrictione mentali ad salvandam veritatem eorum, quæ locuta est Judith coram Holopherne. Nam quod dixit, Israelitas ob sua peccata tradendos esse in perditionem, id absolutè dicitur de peccatoribus in peccato persistentibus. Quod autem dixit missam se esse à Deo, ut hæc illi enunciaret, dubitari non potest, cum certum sit, eam Judithæ missionem speciali Dei providentiâ factam fuisse ad dicendum & operandum ea, quæ dixit, & operata est; licet ea non dixerit in eo sensu, quem intelligebat Holophernes, sed in alio longè diverso. Quod verò dixit, Holophernem ingressurum esse per mediam Hierusalē &c. verificatum est in Holopherne iam mortuo; ad quod verificandum nullâ opus fuit restrictione mentali.

62. Ad quintam objectionem ex verbis obstetricum Ægyptiarum respondetur primò, quamvis obstetrices id mendacium officiosum dixerint, nullam inde oriri difficultatem. Nam verè componuntur hæc duo, & quod id mendacium dixerint, & quod Deus præmio affecerit rectam earum operationem servandi masculos; nam cùm aliqua operatione bona admiscetur aliqua culpa venialis, remunerat Deus operationem bonam, quamvis culpam detestetur, & debito supplicio prosequatur.

63. Respondetur secundò, optimè posse obstetrices vindicari à mendacio absque ulla restrictione mentali. Nam maximè credibile est, quod ubi fœminæ Israëliticæ audierunt decretum Pharaonis de occidendis masculis Hæbræis ab obstetricibus ipsæ fœminæ Israëliticæ didicerint obstetricandi artem, ut prædicti masculi servarentur, quare dum id dixerunt obstetrices, nullo vitio mendacii infectæ sunt, neque ullâ restrictione mentali indiguerunt.

CAPUT IV.

Satis fit scrupulis, & dubitationibus, cap. 2. relatis.

SUMMARIUM.

Quomodo Confessarius respondebit, interrogatus de peccato in confessione audito? num. 65. & seqq.

Item ille, qui interrogatur de delicto secreto. num. 67.

Quid respondebit adultera, à qua vir postulat juramentum super adulterio. num. 68. & 69.

Quid respondebit Secretarius Inquisitionis interrogatus de causa arcana? n. 70.

Quid famulus, jussus negare existentiam Domini in sua domo? n. 71.

Quomodo verificetur id, quod dicitur de homine luctuoso, eum esse in agro? n. 72.

Quo pacto non mentiatur, qui petenti mutuum, dicit se non habere? n. 73.

Quomodo respondebit sine mendacio, qui cogitur laudare rem non bonam? num. 74.

Quid respondebit interrogatus de transitu hominis, cui imminet mors ab inimicis? num. 75.

Quomodo intelligantur sine mendacio quædam verba, quæ dicuntur urbanitatis gratia. num 76.

64. Cum

64. CUM cap. 4. proposuerimus quatuor modos utendi amphibologiis, licitos illos quidem, & minimè contentos sub ea damnatione Pontificis; inde desumenda est responsio ad omnes scrupulos, & dubitationes, cap. 2 propositas.

65. Ad primam, ex dictis cap. 3. respondetur, si Confessarius interrogetur de peccato alterius, quod per confessionem Sacramentalem novit, potest respondere primò juxtà secundum modum, *Nescio*, sive *Non scio*; usurpando nomen scientiæ in sua propria significatione, quamvis minus vulgari, quatenus significat scientiam evidentem deductam ex præmissis evidentibus; cùm verum sit Confessarium non scire id peccatum ex præmissis evidentibus, sed solum ex fide humana. Secundò potest respondere *Non scio*, juxtà Cardinalem de *Lugo*, quatenus hæc verba significant scientiam utilem ad respondendum. Et ita tunc idem erit dicere, *Non scio*, atque *scientia utili ad respondendum*. Tertiò juxtà *S. Augustinum*, juxtà quem secundum consuetudinem humanam *Nescire quisque dicitur, quod occultat*, scilicet quando urget justa causa occultandi. Quartò juxtà *S. Thomam* supra cit. quatenus Confessarius respondet ad mentem interrogantis, quod ipse non scit illud peccatum, *ut homo est*.

66. Si vero sceleratus quis interroget Confessarium, an audierit in Confessione Sacramentali tale peccatum, non respondebit ille mendaciter, si dicat: *Non audivi*. Nam juxtà Joannem de Lugo, ea propositio idem significat, ac ista, *Non audivi per notitiam utilem ad respondendum*. Secundò juxtà S. Augustinum, juxtà quem, *Non audivi*, idem est, ac non audivi tamquam rem manifestabilem. Tertiò juxtà S. Thomam, juxtà quem *Non audivi*, idem est, ac *Non audivi ut homo*. Quartò juxtà Suarium, dicens, *Non audivi*, respondens ad intentionem debitam interrogantis. Quæ omnia patent ex cap. 4.

67. Ad secundum de eo, qui novit occultissimè adulterium infame nobilis fœminæ, quod jure naturali tenetur occultare, respondeo, illum posse respondere per verbum *Non scio*, eisdem modis, ac Confessarius, excepto quarto; in quibus nullum est mendacium, nec restrictio mentalis. Item per circumlocutionem, ut dixi cap. 4. in modo 6.

68 Ad tertiam de fœmina adultera, quam maritus interrogat de adulterio, occisurus si fateatur, respondeo, posse illam respondere sine mendacio, & sine restrictione mentali, primò per verbum æquivocum, scilicet *Non violavi fidem*: Fides enim significat tria, & credulitatem, & fiduciam, & Fidem conjugalem: si ergo loquitur in prima, aut secunda significatione, non utitur mendacio, neque restrictione mentali. Secunda, si dicat *Non vulneravi honorem tuum*: nam vulnerare est ictus materialis, qui propriè loquendo non cadit in honorem. Tertiò si confessa est Sacramentaliter delictum suum, recepitque absolutionem, potest dicere, se esse ab ea culpâ immunem, aut non esse ream; si id dicat absque juramento. Vide quæ dixi cap. 4. in fine.

69. Quartò, in tam urgenti vitæ periculo videtur loqui posse per metaphoram in illa significatione, quæ communis est in Sacra Scriptura, in quà adulterium frequenter usurpatur pro idololatria. Ut constat *Hieremiæ cap. 13. vers. 27. & Oseæ*

ferè per totum *cap. 2. & Ezechelis cap. 23. vers. 37.* ibi. *Quia adulterata sunt, & sanguis in manibus eorum, & cum idolis suis fornicata sunt.* Et *ibid. vers. 45. & 49.* Item *Judicum cap. 2 vers. 17.* ibi. *Fornicata cum Diis alienis, & adorantes eos.* Et *capit. 8. vers. 33. Aversi sunt filii Israel, & fornicati sunt cum Baalim.* Et *Deuteronomii 1. cap. 5. vers. 25. Et fornicati sunt post Deos populorum terræ.* Et *Psalm 105. vers. 39. Fornicati sunt in adinventionibus suis.* Circa quem locum videatur *Lorinus tom. 3. in Psal.* Et quidem tempus tererem, si omnia loca Sacræ Scripturæ, quæ hunc loquendi modum tenent, recitarem. Non ergo mentitur ea fæmina, quæ negat adulterium in sensu, in quo eo verbo utitur sæpissimè Sacra Scriptura.

70. Ad quartam de Secretario Inquisitionis, qui obstrictus de juramento secreti servandi, adhuc tamen interrogatur ab amico de causa arcana cujusdam Rei, respondeo, illum posse uti omnibus modis, quibus juxtà supra dicta uti potest confessarius. Et sicut Confessarius, juxtà S. Thomam, cum dicit *Nescio*, intelligitur, quod nescit *ut homo est*; ita Secretarius potest dicere, Nescio, & intelligitur, quod nescit, *ut privatus homo est*: aliud enim scit, quà Secretarius, & aliud quà privatus homo. Et ad hoc nulla restrictio mentalis requiritur: nam id quod subintelligitur, non est ex restrictione mentis, sed ex ipso officio Secretarii, quod exercet. Item potest respondere per circumlocutionem, ut dixi cap. 4. in modo 6.

71. Ad quintam de famulo, qui jubetur negare existentiam domini in sua domo, respondeo, eum uti posse (si loquatur latinè) eâ amphibologia, quam ponit glossa in capit. *Ne quis. 22. quæst. 2. Non est domi*, id est, *Non comedit domi.* Vide cap. 4. Secundò, ut ibidem dixi, potest figere pedem in uno lapide, & sic sine mendacio, & sine restrictione mentali respondebit, *Non est hic.* Id est, in isto lapide. Tertiò potest dicere sine mendacio, & sine restrictione; *Egressus est domo*, sic enim non designat tempus; est enim verum, quod sæpè egressus fuerit, neque teneatur respondere ad mentem interrogantis; nisi fortè esset Judex juridicè interrogans; vel deesset causa justa occultandi.

72. Ad sextam de viro nobili, qui ad demonstrationem luctus non vult admittere visitationes amicorum, & jubet affirmari se esse in agro; respondeo, illum non mentiri, quia illa verba apud omnes ex communi consuetudine in Hispali, & in aliis urbibus Bœticæ, & Castellæ significant, hominem esse remotum à consortio propter luctum: & ita omnes intelligunt eam phrasim, & modum loquendi jam receptū.

73. Ad septimam, de eo, qui dicit, se non habere pecunias, cùm ab ipso postulantur mutuo; respondeo excusari posse à mendacio absque restrictione mentali, primò, respondendo ad mentem postulantis: iste enim non postulat eas, quæ alteri sunt necessariæ; unde solum postulat, ultra necessariás. Unde si ille, à quo postulantur, indiget illis, cùm veritate dicit; *Non habeo*, quia ultra sibi necessarias, non habet. Secundò. Jam omnes intelligunt, hanc vocem *Non habeo*, in talibus circumstantiis significare, se non habere ad mutuandum; idque sine ulla restrictione mentis; quia hæc est communis intelligentia. Tertiò per circumlocutionem, qualem posui c. 4. in modo 6.

74. Ad

74. Ad octavam de fœmina obligata ad laudandam potionem sibi propinatam, illam quidem insipidam; respondeo multis modis posse responderi absque mendacio, & absque restrictione mentis. Primò. Quia de quolibet ente creato cùm verit ite dicitur, quod sit bonum; omnia enim pollent bonitate transcendentali. Secundò dici potest bona, quatenus bona est ad virtutem mortificationis exercendam. Ad quod non requiritur restrictio mentalis, sed sola significatio ejus vocis *bona*, quæ universalis est, & extenditur ad quodlibet genus bonitatis.

75. Ad nonam, de eo, qui interrogatur circa transitum hominis, quem sicarii quærunt occisuri; respondeo juxtà dicta cap. 4. illum respondere posse, eo modo quo S. Franciscus respondit, cùm de transitu latronum interrogatus est. Item posse respondere per circumlocutionem positam cap. 4. in 6. modo, scilicet, *Gauderem scire, ut tibi satisfacerem*. In quo nihil affirmat, vel negat.

76. Ad decimam, de iis, quæ communiter solent dicere homines, scilicet *Osculor manus tuas, &c.* quæ si in rigore sumantur, videntur esse mendacia: quæ tamen re vera non sunt talia; quia omnes intelligunt, ea dici per metaphoram, vel hyperbolem: & eorum intelligentia recepta est apud omnes.

CAPUT VII.

De reo interrogato à Iudice.

SUMMARIUM.

Quid respondere debeat interrogatus à Iudice, interrogante circa solutionem Gabellæ evidenter injustæ? n. 77.

An reus criminis capitalis, interrogatus à Iudice de delicto semiplene probato, teneatur manifestare illud? numer. 78.

Et Authores partis affirmativæ. Ibidem.

Fundamentum ejus opinionis, ex eo quod judici legitime interroganti reus tenetur obedire n. 79. & 80.

Opposita sententia, & ejus Authores, numer. 81.

Fundamentum ejus sententiæ, ex eo quod leges humanæ non obligant cum periculo vitæ, num. 82.

Esse aliquas leges, quæ non obligant ad culpam, sed ad pœnam. Et quomodo hinc satisfiat fundamento partis oppositæ, numer. 83.

Quomodo sint correlativa jus præcipiendi, & debitum parendi, n. 84.

Facilis responsio ad objectionem Goneti, numer. 85.

Quid respondere debeat reus juridice interrogatus de delicto capitali? n. 86.

Et quid quando Iudex non interrogat juridice? n. 87.

77. AD undecimam de eo, qui ne solvat gabellam evidenter injustam, interrogatur à judice ut sub juramento dicat, quantum mercis apud se retineat, negatque partem mercis, respondeo multis modis posse excusari à perjurio; supposito quod in iis circumstantiis non interrogatur legitimè. Primò, si respondeat V.g. *Viginti amphoras olei*, non mentitur, quia dum dicit *viginti amphoras*, *olei* non negat reliquas, & verum est, quod habet illas viginti. Secundò, potest negare se habere plures quam viginti. In quo verum dicet ad mentem judicis interro-

 gantis,

gantis, nam judex solum interrogat de illis, ex quibus debet gabellam solvere. Et cum non debeat solvere eam gabellam injustam, verum est ad mentem interrogantis, quod non habeat eas, ex quibus debeat solvere gabellam. Vide quæ dixi c. 4. in 4 modo amphibologiæ.

78. Ad duodecimam dubitationem respondeo, ibi admisceri aliam quæstionem valde controversam inter Doctores, an scilicet reus criminis capitalis, contra quem est semiplena probatio, interrogatus à Judice teneatur declarare delictum? Et non pauci sunt Doctores, qui stant pro affirmativa sententia. Ii sunt ex Theologis *S. Thomas, Enricus, Gabriel, Aragon, Corduba, D. Anthonius, Paludanus, Tabiena, Armilla, Navarrus, Valencia, Toletus, Graffis, Salon, Petrus de Ledesma, Sayrus, Bannez, Philiarcus*. Item ex jurisperitis *Didacus Perez, Simancas, Antonius Gomez Archidiaconus, Panormitanus, Bernardus Diaz, Covarrubias, Gutierrez, Lucas de Penna, & Everardus*, quos refert, & sequitur *P. Thomas Sanchez lib. 6. Consilior. cap. 3. dub. 29.*

79. Authores hujus primæ sententiæ nituntur eo fundamento. Nam quoties judex interrogat juridicè, reus tenetur declarare veritatem; quia inter partes justitiæ potissima est obedientia, quà tenetur quis parere majoribus, dum justa præcipiunt: sed quando est semiplena probatio contra reum, judex interrogat juridicè, & præcipit, quod justum est: ergo reus tenetur obedire, & veritatem declarare.

80. Confirmatur. Nam implicat contradictionem, quod Judex habeat jus præcipiendi, & reus non habeat debitum parendi: nam hæc duo sunt essentialiter correlativa. Ergò si judex præcipit, quod justum est, reus tenetur obedire.

81. Sed oppositam sententiam, quæ affirmat, non teneri reum fateri suum delictum, si propter illud plectendus sit pœna capitali, vel triremium, aut alia simili, veram censeo. Pro quà sententia stant *Navarra, Panormitanus, Sylvester, Angelus, Armilla, Emmanuel Rodriguez, Salcedo, Vega, Lessius, Sa, Baldellus, Salas, Enriquez, Villalobos, Filiucius, Fagundez, Alcozer, Reginaldus, Portel, Petrinus, Diana, & Ioannes Sancius*, quos refert, & sequitur *Lugo Cardinalis tom. 2. de just. disp. 40. sect. 1. nume.14.*

82. Fundamentum hujus sententiæ est inconcussum. Leges, & præcepta humana non obligant cum periculo vitæ, aut alterius damni supparis; ut ex materia de legibus est compertum inter authores: ergò præceptum judicis non obligat reum cum periculo capitis, aut alio prope simili. Legat, qui voluerit Cardinalem Lugo citatum, qui cætera argumenta efficacissimè prosequitur.

83. Ad Fundamentum partis oppositæ respondet optimè, esse aliquas leges & præcepta, quæ non obligant ad culpam, sed ad pænam; ut notissimum est inter authores. Et ex hac doctrina optimè intelligitur, quomodo judex interroget juridicè, & adhuc reus non tenetur sub culpâ fateri delictum suum. Nam judex interrogat juridicè obligando dumtaxat ad pænam, & ideò reus non manet obligatus sub culpâ.

84. Ad confirmationem dicendum est, esse essentialiter correlativa judicē habere

bere

bere jus præcipiendi sub culpâ, & reum habere debitum apparendi sub eadem. Non tamen sunt correlativa, quod judex habeat jus Præcipiendi sub pœna, & quod reus habeat debitum obtemperandi sub culpâ.

85. Hinc colligitur facilis solutio ad illam objectionem, quam magni facit Gonetus tom. 3. in dissertation. de opinionum probabilitate numer. 95. his verbis: [Si vera esset Tamburini sententia, numquam liceret judici, reos ad confessionem criminis capitalis, quantumvis semiplenè probati, torturis adigere; quia iniquum est, quemquam ad id cogere, quod præstat non tenetur.] Respondeo enim negando sequelam. Ad probationem distinguo propositionem assumptam: iniquum est quemquam ad id cogere, quod præstare non tenetur [sub culpâ neque sub pœna,] omitto; quod præstare non tenetur [solum sub culpâ,] nego. Et quidem eâdem argumenti formâ argui posset contra aliquas leges civiles; quæ non obligant sub culpâ, sed solum sub pæna: ad quas observandas potest obstringere judex, quamvis non obligent sub culpâ.

86. Quâ quæstione sic decisa, restat inquirere modum, quo reus sine perjurio possit cælare veritatem. Assero que cælari posse eisdem modis, quibus ad tertiam dubitationem dixi de adultera, à quâ maritus exigit juramentum. Excepto primo modo, quia solum potest deservire, quando judex reum interrogat de adulterio, non vero quando de cæteris criminibus.

87. Ad tredecimam dubitationem de reo negante delictum, quia judex non interrogat juridicè; respondeo, iisdem modis amphibologiæ eum uti posse, quibus diximus ad præcedentem dubitationem.

CAPUT VIII.

An in damnatione propositionis vigesima octava damnetur aliquid præter restrictionem mentalem?

NON EGET SUMMARIO.

88. Ex dictis in superioribus constat, in damnatione propositionis 26. & 27. non contineri aliud, nisi restrictionem mentalem; sicut etiam doctrinam, quæ asserat, esse posse causam aliquam honestandi restrictionem mentalem: neque in eo decreto damnari alios amphibologiæ modos, qui sine mendacio possunt usurpari.

89. Circa propositionem tamen 28. dubitatur, an præter restrictionem mentalem damnetur aliquid aliud? Et rationem dubitandi præbent ea verba, quia non tenetur *declarare judici crimen occultum.* In quibus verbis damnari videtur propositio asserens; neminem teneri ad fatendum crimen suum occultum judici interroganti. Et ideò Filguera in expositione hujus propositionis 28. asseruit, eam doctrinam de crimine occulto non fatendo coram judice, damnari in eo decreto. Sed multò melius *Lumbier tom. 3. Summæ, num. 1857. & seqq.* affirmat, ibi solum damnari restrictionem mentalem neque sub damnatione contineri doctrinam de neganda veri-

veritate coram judice interrogante. Etenim nullus author, quem sciamus, dixit, judici legitimè interroganti posse reum negare veritatem, nisi quando imminet reo pœna capitalis, aut alia prope similis.

90. De isto autem casu an volens ascendere ad Magistratum, teneatur aut non teneatur ad manifestandum suum crimen occultum, Principi aut gubernatori interroganti; nihil decidit hæc damnatio; sed solum statuit, illum interrogatum non posse uti restrictione mentali. Circa aliam vero quæstionem, an in eo casu Princeps, vel gubernator interroget juridicè, aut non, circa crimina occulta; nihil statuit hæc damnatio. Scimus quidem, quod si Princeps interroget juridicè, interrogatus tenetur declarare; quod si ille non habeat jus interrogandi de crimine occulto, interrogatus non tenetur declarare. Hæc autem damnatio abstrahit ab ea quæstione, dummodo firmiter teneatur illi dignitatis cādidato nullatenus licere uti restrictione mentali.

91. Confirmatur ex leg. *Semper*. ff. de Regulis juris. ubi pro regula generali traditur: *Semper in obscuris* (id est in dubiis) *quod minimum est, sequimur.* Ut ex aliis etiam textibus ostendi suprà. Cùm ergò non sit certum, quin potius valde dubium, an Pontifex damnet opinionem aliquam circa manifestandum veritatem judici interroganti; quod minimum est, sequi debemus, nempè, quod ea damnatione non contineatur id, quod spectat ad manifestandum judici crimen occultum; sed solum id quod spectat ad restrictionem mentalem, quæ ex nullo capite honestari potest.

DISSERTATIO XX.

An liceat simulare administrationem Sacramentorum; saltem ex metu gravi?

CAPUT I.

Pro expositione 29. propositionis damnatæ præmittuntur aliqua.

SUMMARIUM.

Refertur propositio damnata, & ejus sensus, num. 1.

Distinctio simulationis formalis, & materialis, num. 2.

Duo requisita ad simulationem formalem, num. 3.

Quid sit simulatio materialis; & quid, quando signa externa indifferentia sunt ad plura significanda? n. 4.

Quodnam sit discrimen inter voces, & signa externa quoad significationem? num. 5.

Quomodo signa externa possint procedere à diversis causis, & ideò significare diversa? num. 6.

Qualis fuerit simulatio Iosue, & militum ejus? n. 7.

Quid quando Christus Dominus finxit, se longius ire? Luca 24. n. 8.

Duplex distinguitur simulatio materialis alia, quæ respicit circumstantiam vitiosam, & alia absq; tali circumstantia, n. 9.

Propo-

1. PRopositio 29. inter damnatas hæc est: *Urgens metus gravis est causa justa Sacramentorum administrationem simulandi.* Quæ propositio unum supponit & alterum statuit. Supponit, illicitum esse simulare administrationem Sacramentorum absque causa gravi: & statuit urgentem metum esse causam gravem, ratione cujus non sit illicitum simulare administrationem Sacramentorum. Damnata autem hac propositione, relinquitur, ita esse illicitam eam simulationem, ut non sufficiat metus urgens, ut reddatur licita. Ut autem sensus hujus propositionis, & damnationis ejus melius percipiatur, aliqua prænotari oportet.

2. Prænotandum est ex *P. Suarez de legib. lib. 9 cap. 17. numer. 15.* dupliciter usurpari posse, & solere vocem *simulationis*: alia est enim simulatio formalis, & alia simulatio materialis. Simulatio formalis juxtà *S. Thomam 2. 2. quæst. 111. art. 1. corp.* est, cùm quis per signa externa factorum, vel rerum significat aliquid contrarium ejus, quod credit. Aitque *S. Thom.* id semper esse peccatum, quia sic est mendacium. *Non refert autem, utrum aliquis mentiatur verbo, vel quocumque alio facto, ut suprà habitum est. Unde cum omne mendacium sit peccatum, ut suprà dictum est, consequens est etiam, quod omnis simulatio est peccatum.* Quæ sunt verba Angelici doctoris. Unde fit, quod simulatio formalis dicitur illa, quæ dolosa est, & mendax.

3. Hinc fit, quod sicut ad mendacium, ita & ad simulationem dolosam requiruntur duo; & quod sit falsum, saltem existimatum, id quod quis significat per signa externa; & quod sit ex intentione decipiendi, quà quis intendit, quod alii intelligant aliter, ac ipse cognoscit, rem se habere.

4. Simulatio materialis est, cùm quis dat signa externa factorum, vel rerum, indifferentia ad plura significanda, per quæ præter intentionem aliqui decipi solent. Circa quam descriptionem aliqua notanda veniunt. Primum, sicut in verbis non est mendacium, cùm quis loquitur per terminum æquivocum, licèt is, qui loquitur, intelligat unum significatum, & qui audit, intelligat alterum significatum, ita contingit in eo, qui loquitur, aut quasi loquitur per signa externa, quando hæc sunt indifferentia ad plura significanda.

5. Secundum, magnum esse discrimen inter voces, & res quoad significationem. Voces enim significant ad placitum, juxtà impositionem hominum. Res autem sunt signa naturalia: gemitus enim est signum naturale angoris animi; risus est signum naturale lætitiæ. Quamvis aliquando significent ad placitum, non quidem ex communi impositione hominum, sed ex privata intentione ejus, qui utitur tali signo. Sic enim cum quis non advertit externum cultum, quem exhibere debet magnati occurrenti, amicus propè stans percutit leviter brachium ejus non advertentis: quæ percussio in talibus circumstantiis ex intentione percutientis est signum ejus cultus exhibendi tali magnati; & sic in multis aliis.

6. Tertium, hæc signa externa naturalia ut in plurimum sunt effectus alicujus causæ; nam effectus est signum naturale suæ causæ. Quia tamen contingere solet, quod unus effectus possit procedere à multi-

multiplici causa ; ideò solet etiam contingere, quod unus ponat effectum procedentem à causa A. & qui videt, existimet procedere à causa B. & ita is, qui videt, decipiatur. Unde fit, quod possit, & soleat dari simulatio materialis, per quam qui videt factum, existimet procedere ab una causa, à qua re vera non procedit : & ita qui materialiter simulat, non intendit decipere, sed permittit deceptionem alterius.

7. Et ita cap. 8. libri Josue, iste præcepit militibus fugam, ut commodiorem haberent occasionem debellandi hostem. Et ita num. 5. dicitur : *Cumque exierint contra nos, sicut ante fecimus, fugiemus, & terga vertemus, donec persequentes ab urbe longius protrahantur; putabunt enim, nos fugere, sicut prius.* Et numer. 15. *Josue vero, & omnis Israel cesserunt loco, simulantes metum, & fugientes per solitudinis viam.* Quam simulationem excusant à peccato Interpretes, utpote simulationem materialem : quia fuga potest procedere à diversis causis, nempè vel à timore vel à desiderio habendi commodiorem occasionem pugnandi In hoc ergo casu istud desiderium erat causa, à qua procedebat fuga, non metus; hostes autem putabant, eam fugam procedere à metu. Dicuntur autem Josue, & ejus milites *simulantes metum*, non quia intendebant decipere, sed quia permittebant deceptionem.

8. Sic etiam intelligitur illud factum Christi D. quo coram duobus discipulis accedentibus ad Emmaus, *finxit se longius ire*. Luc. cap. 24. dicitur enim finxisse per simulationem materialem ; quia discipuli putabant, motum corporis Christi D. significare viam materialem ; & ipse Dominus significabat suum ad cœlos iter : quarè discipuli decipiebantur, præter intentionem Christi D. non enim intendebat deceptionem illorum, sed permittebat.

9. Quartum. Simulatio materialis est in duplici differentia. Alia est, quæ respicit objectum, aut circumstantiam vitiosam, quæ non potest excusari à culpâ. Nam Catholicus, qui simulat se Judæum, aut Lutheranum, quamvis non simulatione formali, quia non ita se simulat ex intentione decipiendi, sed ex alia diversa intentione, nullatenus excusatur à culpâ. Alia est simulatio materialis (quam libenter vocarem materialissimam) quæ respicit rem, aut circumstantiam omninò indifferentem, quæ nihil continet vitii, aut culpæ. Talis est illa simulatio Machabæorum, & illa, quâ Christus D *finxit se longius ire*; ut suprà dixi.

CAPUT II.

An propositio damnata loquatur de simulatione formali, an etiam de materiali?

SUMMARIUM.

Argumenta pro damnatione solius simultationis formalis, n. 11. & seqq.

Damnatio comprehendit tàm simulationem materialem, quàm formalem n. 14.

Et quomodo simulatio materialis afferat irreverentiam Sacramentis. Ibidem.

Simulatio materialis, qua respicit circumstantiam vitiosam, non excusatur à culpâ, num. 15.

Quo-

10. VT perfectè calleamus sensum hujus damnationis, inquirimus, an solum damnetur propositio, quatenus adstruit licitam simulationem formalem administrationis Sacramentorum, nempè ex intentione decipiendi, saltem virtuali; an etiam damnetur propositio, quatenus respicit simulationem materialem, scilicet in qua præter intentionem administrantis decipiuntur fideles.

11. Et propositioni asserenti, quod damnetur solum simulatio formalis, videntur suffragari hæc argumenta. Primum, nam sola simulatio formalis est propriè, & strictè simulatio: ergò cùm in his damnationibus standum sit pro verborum proprietate, dicendum est, damnationem intelligi de simulatione formali; nam simulatio materialis non est propriè, & strictè simulatio.

12. Secundùm. Nam in dubiis cujuslibet legis, semper debemus intelligere id, quod est minus obligatorium. Ita cap. *In obscuris, quod minimum est, sequimur.* Et eadem regula habetur in L. *Semper in obscuris.* ff. de Regul. jur. item in leg. *Quidquid astringendæ* ff. de verbor. obligationibus. *Quidquid astringendæ obligationis causâ dictum est, id nisi palam exprimatur, omissum esse censendum est.* Ergò cum non palam exprimatur simulatio materialis, omissa esse censenda erit, atque ideò non mansisse sub damnatione. Et cap. contra eum. De Regul. jur. in 6. dicitur. *Contra eum, qui legem dicere potuit apertius, facienda est interpretatio.* Cùm ergo damnatio potuerit explicare, an intelligatur propositio de simulatione materiali, videtur facienda esse interpretatio contra rigorem legis, & hæc intelligenda esse juxtà minimam obligationem, quam potest imponere.

13. Tertium. Nam damnatio eo respicere videtur, ne fiat dolus in administratione Sacramentorum: sed simulatio materialis, in quâ præter intentionem contingit deceptio passiva, non est dolus: ergo damnatio non respicit simulationem materialem.

14. Dicendum tamen est, damnationi huic subjacere tàm simulationem materialem, quàm formalem factam in administratione Sacramentorum. Hoc probatur primò. Etenim constat, damnari eam propositionem, quia continet irreverentiam respectu Sacramentorum; ut amplius constabit ex dicendis capitibus sequentibus: atqui quando fit irreverentia rebus sacris per simulationem, eodem modo affert simulatiò irreverentiam rebus sacris, sive simulatio sit formalis, sive materialis; ergò in hoc decreto utraq; simulatio damnatur. Probatur minor. Nam qui corã idolo thus projicit in thuribulum coram aliis, non excusatur à peccato, per hoc quod fiat simulatione materiali, & sine intentione significandi astantibus affectum

adorationis, imò cum sola intentione olfaciendi odorem thuris; non solum propter scandalum, sed etiam, quia est cultus externus idoli: ergò sicut reverentia externa exhibita idolo, etiam cum simulatione materiali non excusatur à peccato contra præceptum adorandi solum Deum: ita irreverentia contra rem sacram, etiam cum simulatione materiali, non excusatur à peccato irreverentiæ: cùm reverentia rei non sacræ, & irreverentia in rem sacram æquo jure censeantur proportione servatâ.

15. Similiter si quis in Missâ, dum elevatur hostia, ostendat caput coopertum galero, vel pileo, simulans omissam adorationem debitam, quamvis simulatio sit materialis, & solum ex intentione propriæ commoditatis, irreverentiam committit ingentem, quin excusetur ex eo, quod simulatio sit materialis: ex quo patet, actionem non excusari ab irreverentia in rem sacram, ex eo quod simulatio sit materialis, & ea simulatio non fiat ex intentione decipiendi. Nam, sicut dixi cap præced. Datur simulatio materialis, quæ respicit rem, vel circumstantiam vitiosam, quæ non potest excusari à culpâ. Et talis est simulatio in administratione Sacramentorum propter reverentiam illis debitam.

16. Probatur secundò conclusio. Quia nomine *simulationis* in communi modo loquendi, non solum venit simulatio formalis, sed etiam materialis: cujus manifestum signum est, quod Authores, qui concedunt, vel negant, licitam esse simulationem in administratione Sacramentorum, non distinguunt inter simulationem formalem, & materialem, sed indistinctè de omni simulatione loquuntur: ergò propositio damnata loquitur indistinctè de qualibet simulatione formali, & materiali, atque adeò hæc damnatio condemnat utramque.

17. Confirmatur. Nam Sacerdos, qui diceret verba consecrationis super panem sine intentione consecrandi, ab omnibus dicetur simulasse consecrationem, quamvis non faceret ex intentione decipiendi, sed solum ex intentione gloriandi de bona pronuntiatione verborum: hæc autem est simulatio materialis: ergò etiam simulatio materialis censetur ab omnibus vera, & absoluta simulatio.

18. Probatur tertiò. Sicut se habet in verbis amphibologia, quæ usurpatur per terminum æquivocum significantem plura ut plura, ita se habet in factis, & rebus significativis simulatio materialis per signa externa significantia res diversas; sed amphibologia, quæ datur in termino æquivoco significante tum blasphemiam, tum aliud etiam objectum, non excusatur à peccato contra Religionem, eò quod illam proferens non intendat illam proferre juxtà significationem blasphemiæ; sub quacumque enim intentione proferatur, affert irreverentiam blasphemiæ: ergò idem censendum est de simulatione materiali.

19. Minor probatur. Et exemplum sit in eo, qui asserit; *Ita est, per vitam Dei*, quæ ab omnibus Doctoribus numeratur inter blasphemias, eo quod sensus sit, *deficiat vita Dei, si hoc non est ita*, ideò autem numeratur inter blasphemias, quia significatur vita Dei ut defectibilis. Sed quid si non dicatur sub ea intentione, & significatione, sed sub qua vita Dei non significetur ut defectibilis? Sanè quamvis

ea

ea verba possint admittere alium sensum non irreligiosum, adhuc ea verba continent blasphemiam, quia sufficit, quod significent in una usurpatione contumeliam Dei, quamvis in alia id non significent.

20. Probatur quartò. Qui simulat utcumque administrationem Sacramenti, fingit, se dispensare merita Christi: sed fingere quod dispensat merita Christi Domini, cùm reverà illa non dispensat, illudit Christo D. ergò qui simulat utcumque administrationem Sacramenti, Christo D. illudit. Quæ omnia confirmantur ex cap. *De homine.* De celebr. Missar. ut referam *cap. 4.*

21. Objectiones sub initium hujus capitis propositæ nullius momenti sunt. Ad primam respondeo, falsum esse antecedens: nam simulatio materialis vera, & propria simulatio est; ut constat ex communi modo loquendi, & respectu Sacramenti affert circumstantiam irreverentiæ.

22. Ad secundam respondeo, verum esse, quod in dubiis, & obscuris, quod minimum est, sequi debemus. Nego tamen de hoc esse posse dubium circa Sacramenta, cùm simulatio materialis sit verè, & propriè simulatio, & in hoc casu afferat irreverentiam.

23. Ad tertiam neganda est major: quia non damnatur solùm propter vitandum dolum; sed quia quævis simulatio administrationis Sacramentorum est contra reverentiam Sacramentis debitam.

*** † ***

CAPUT III.

An huic damnationi subjaceat propositio asserens, licere aliquando ministrare hostiam non consecratam pro consecrata?

SUMMARIUM.

24. Licitam esse hanc simulationem in aliquibus casibus, ministrando hostiam non consecratam pro consecrata, aliqui Authores asseruerunt. Nam Altisioderensis (ut refert *P. Suar. tom. 3. in 3. p. disp. 67. sect. 4. §. Circa tertiam*) affirmat, si homo sit in articulo mortis, & nulla sit reservata hostia consecrata, ad vitandum scandalum, licitum esse dare hostiam non consecratam pro consecrata. Quam opinionem dicit P. Suarez esse *improbabilem, & intolerabilem.* Alii verò dicunt, quod si fiat conventio inter Sacerdotem & peccatorem, licebit ministrari peccatori hostiam non consecratam: ne, si indignè recipiat, fiat reus corporis Domini; & ne si ei

si ei denegetur communio, infamatus maneat peccator. Posse autem ita disponi, ut ea forma non consecrata non exponatur adorationi fidelium, si omninò occulta deferatur. Ita S. *Bonavent. Albertus Magnus, & Adrianus*; quos refert *P. Suarez* ubi suprà. Item *Villalobos tom.* 1. *sum. tract.* 7. *diff.* 38. *num.* 7. & *Ludovicus de S. Iuan t.* 1. *sum. quest.* 7. *de Euch. art.* 8. *diff.* 7. apud *P. Moya tom.* 1. *select. tract.* 4. *quest.* 2. *num.* 5.

25. Et fortasse videbitur alicui, eam opinionem non subjacere huic damnationi. Etenim si Sacerdos, & peccator sciunt, non esse consecratam, non erit simulatio, maximè si ministretur, nullo alio adstante; simulatio enim supponit ignorantiam: cùm ergò damnetur in hoc decreto simulatio administrationis Sacramentorum, si hic non intervenit simulatio, non subjacebit damnationi.

26. Sed hæc objectio fingit casum impracticabilem, nempe illum, in quo necesse sit ministrare hostiam non consecratam peccatori consentienti, nullo alio adstante: quià si nullus alius adest, & dat illi consentienti hostiam non consecratam, quomodo verificatur, quod dat non consecratam pro consecrata, hoc enim supponit ignorantiam saltem adstantium; & dare peccatori hostiam non consecratam, nullo alio adstante, potius erit ludere, quàm fingere communionem. Casus ergò præsens est, in quo adstantes ignorant illam fictionem communionis, quamvis Sacerdos, & peccator sciant, hostiam non consecratam ministrari.

27. Dicendum ergò est, illam opinionem eorum Authorum subire hanc damnationem. Patet. Damnat enim hoc decretum propositionem asserentem, licere simulationem in administratione Sacramentorum, etiam ex causa metus urgentis: cùm ergò manifestum sit, eam fictam communionem esse simulationem in administratione Eucharistiæ; quia fingitur esse Eucharistia eà, quæ non est talis; patet, talem opinionem subjici huic damnationi.

28. Et quidem illam opinionem rejiciendã putat communior sententia Theologorum. Ita *P. Suarez ubi suprà, P. Vasquez. de Euchar. disp.* 209. *cap.* 1. *P. Castro Palao tom.* 1. *tract* 2. *disp.* 1. *punct.* 13 *num.* 8. qui affirmat, quod opposita sententia *audaciam, & temeritatem videtur redolere.* Et alii passim Doctores.

29. Aliquod tamen dissidium est in reddenda ratione hujus assertionis. Commune argumentum pro hac conclusione est: hostia enim non consecrata exponitur adorationi adstantium, ex quo sequitur idololatria materialis. Hoc argumentum *P. Vasquez* non putat efficax; ait enim nullum esse periculum idololatriæ, eò quod affectus adorantis Eucharistiam fertur in solum Christum. Sed non assentior: quia ille cultus externus exhibitus rei creatæ omninò est illicitus; & ita peccaret lethaliter, qui exhiberet cultum externum coràm idolo, etiamsi ejus affectus internus ferretur in Christum Dominum. Et ita peccator ipse sciens, hostiam non esse consecratam, peccaret exhibendo eum cultum externum genuflexionis; & ut bene advertit *P. Suarez* relatus, ipsa susceptio communionis, quamvis fictæ, esset cultus externus, ideoque graviter illicitus.

30. Aliud Argumentum malitiæ hujus communionis fictæ desumitur ex *cap. De homine de celebrat. Missar.* ubi Innocentius III. re-

III. refert casum in hæc verba: *Quæsivistis, quid de incauto Presbytero videtur, qui cùm sciat, se in mortali crimine constitutum, Missarum solemnia, quæ non potest propter necessitatem quamlibet intermittere, propter sui facinoris conscientiam dubitat celebrare, peractisque cæteris circumstantiis Missam celebrare se fingit, & suppressis verbis, quibus conficitur corpus Christi, panem, & vinum tantùmmodo puré sumit, ita credens per id, quod prætendit populo satisfacere, ut per hoc, quod intendit, Deum non debeat provocare.*

31. Ad hunc casum respondet immediatè Pontifex hoc tenore verborum: *Cùm ergò falsa sint abjicienda remedia, quæ veris sunt periculis graviora: licet is, qui pro sui criminis conscientia reputat se indignum, peccat graviter, si se ingerit irreverenter ad illud; gravius tamen videtur offendere, qui sic fraudulenter illud præsumpserit simulare: cum ille in solius misericordis Dei manum incidat; iste verò non solùm Deo (cui non veretur illudere) sed populo, quem decipit, se astringat.*

32. Ex quibus verbis patet primò, peccasse gravissimè Presbyterum ratione falsitatis, & simulationis. Patet secundò, non solùm fuisse reum, quia decepit populum, sed quia non est veritus illudere Deo, nam simulare fraudulenter rem Divinam, juxtà modum loquendi Pontificis, est Deo illudere. Patet tertiò, gravius deliquisse Presbyterum, simulando consecrationem, quàm si reus fuisset corporis, & sanguinis Domini, sacrificando, & manducando indignè.

33. Hinc etiam manifestè colligitur primò, Sacerdotem, qui ministrat hostiam non consecratam etiam consentienti, peccare peccato falsitatis, & simulationis. Colligitur secundò, illum peccare non solùm quatenus decipit adstantes, sed etiam, quatenus simulat fraudulenter rem Divinam, atque adeò illudit Deo. Colligitur tertiò, gravius peccare, qui sic simulat fraudulenter communionem corporis Domini, quam si hostiam consecratam indignè sumeret: *Gravius* enim *videtur offendere, qui sic fraudulenter præsumpserit simulare.* Nam eadem ratio militat in Presbytero fictè celebrante, ac in peccatore fictè communicante.

CAPUT IV.

An damnationem incurrat propositio docens, esse licitum proferre super panem verba consecrationis sine intentione consecrandi?

SUMMARIUM.

Opinio Ioannis Sancii. num. 34.
Argumenta pro ea opinione, num. 35. & 36.
Ea propositio incurrit damnationem. num. 37.
Damnatio contenta in hoc decreto per propositionem universalem. n. 38.
Et damnat propositionem, sive universalem, sive particularem. n. 39.
Solvuntur objectiones suprà posita. num. 40. & 41.
Quid si simularet consecrationem per alia diversa verba? num. 42.
Et quid si fieret per simulationem formalem, & quid per materialem. num. 43. & 44.

34. *Ioannes Sancius in selectis disp. 35. num. 3.* proponit hypothesim, in qua hæreticus minaretur mortē Sacerdoti, nisi consecraret

9. Tum etiam, quia sicut indefinitè procedit propositio damnata, ita etiam indefinitè procedit damnatio: quæ quidem damnat propsitionem, sive hæc loquatur tanquam universalis, sive loquatur tanquam particularis: & ideò damnatio damnat illam utroque modo, ita ut si propositio damnata procedat tanquam particularis, damnatio procedit tanquam universalis negativa, *Nullus urgens metus, &c.* quo pacto contradicit particulari affirmativæ. Et si propositio damnata procedat tanquam universalis affirmativa, damnatio sit particularis negativa. Quia ergò propositio damnata potest intelligi utroque modo, ideò damnatio intelligitur utroque modo.

40. Ex his facillimum est solvere argumenta superius proposita. Ad primum respondeo, propositionem damnatam obnoxiam esse, ut intelligatur tanquam universalis, & tanquam particularis; & ideò damnatio procedit tamquam universalis, reprobando utroque modo eam propositionem. Quare licèt propositio damnata indefinita sit, juxta mentem suorum Doctorum sit universalis; at ex mente Decreti, juncto *cap. De homine.* relato, etiam damnatio est universalis, quia contradicit propositioni, sive sumptæ universaliter, sive particulariter.

41. Ad secundum respondeo, eam propositionem damnatam posse ante damnationem censeri tenuiter probabilem; at post damnationem, nihil omninò habere probabilitatis practicæ; & ideò jam neque tenuiter probabilem censeri debere.

42. Rogabis, quid dicendum sit in hypothesi, in qua hæreticus ignarus verborum consecrationis minaretur mortem Presbytero, si non consecraret illum panem expositum venditioni; iste autem, ut evaderet mortem, recitaret orationem dominicam, simulando in hunc modum consecrationem illius panis?

43. Cujus decisio indiget distinctione. Potest enim Presbyter in ea hypothesi per simulationem formalem, & potest per materialem: id est, potest procedere ex intentione deceptionis illius; & procedere non intendendo, sed permittendo deceptionem ejus. Primo modo peccat, sicut peccaret, si diceret, (iste panis jam est consecratus) est enim mendacium, significare alteri per signum externum aliquid aliud contra id, quod ipse judicat.

44. Secundo modo non peccaret ille Presbyter, quia licèt verum sit, illicitam esse simulationem materialem in administratione Sacramentorum; at in ea hypothesi non datur simulatio circa administrationem Sacramentorum; quia recitare orationem Dominicam omninò indifferenter se habet ad administrationem, & confectionem Sacramenti; est enim latissimum discrimen inter hoc, quod est, dicere verba Consecrationis absque intentione consecrandi, & recitare orationem Dominicam; nam verba Consecrationis instituta sunt à Christo Domino, ad consecrandam Eucharistiam; non sic Oratio Dominica.

****
**

secraret totum panem, qui esset expositus venditioni in platea civitatis In qua hypothesi affirmat, licitum esse ei Sacerdoti proferre verba consecrationis sine intentione consecrandi.

35. Quod autem casus iste non contineatur sub hac damnatione, videtur suaderi his argumentis. Primò. Hæc propositio: *Urgens metus gravis est causa Sacramentorum administrationem simulandi*; est indefinita, & ex mente suorum Doctorum videtur æquivalere universali; docent enim, quemlibet urgentem metum esse causam gravem, & sufficientem ad justificandam eam simulationem. Atqui damnationes istæ ita procedunt, ut statuant, veram esse contradictoriam propositionis damnatæ, Ergò damnatio hujus 29. propositionis fit per hanc contradictoriam: *Non omnis urgens metus est gravis causa Sacramentorum administrationem simulandi*, sive, quod idem est, *Aliquis urgens metus non est gravis causa, &c.* Quæ contradictoria est particularis negativa, Sed à particulari non valet ad singularem, neque à propositione indeterminata ad determinatam: ergò non valet, *Aliquis urgens metus non est gravis causa; ergo metus mortis non est gravis causa.* Erit ergò metus mortis causa sufficiens ad eam simulationem, quamvis alii metus minoris momenti non sint ad id causæ sufficientes.

36. Secundò. In gravissima necessitate licitum est uti opinione tenuiter probabili, ut docent Authores relati suprà *differt.* 4. sed opinio præfata, quod metus mortis sit causa sufficiens ad simulationem administrationis Sacramentorum, est saltem tenuiter probabilis; neque ulla est urgentior causa, quàm metus mortis; ergò is sufficit, ut simulari possit Sacramentorum administratio.

37. Sed his non obstantibus dicendum est tamquam omninò certum, eam propositionem subjacere huic damnationi. Patet assertio. Nam hæc damnatio insistit vestigiis Innocentii III. in cap. *De homine*, De celebrat. Missar. suprà relato in *cap.* 3. ex quo textu (sumpto argumento à minori ad majus) constat, eam simulationem proferendi verba consecrationis sine intentione consecrandi esse intrinsecè pravam: nam multò graviùs est contra reverentiam Sacramenti, proferre verba consecrationis, quæ instituta sunt à Christo D. pro confectione Sacramenti; proferre, inquam, sine intentione conficiendi, quàm supprimere, seu omittere verba ipsa, cùm dicenda erant. Declarat autem Pontifex, eam simulationem esse *illudere Deo*, & id esse gravius peccatum, quam esse reum corporis, & sanguinis Domini; quod idem à fortiori convenit in eum, qui verba consecrationis profert sine intentione consecrandi. Atqui hoc, quod est, illudere Deo ita est intrinsecè malum, ut nullam ob causam justificari possit: ergò.

38. Ex quo ulterius constat, eam damnationem fieri per propositionem universalem, & sensus ejus est iste: *Nullus urgens metus est gravis causa Sacramentorum administrationem simulandi.* Tum quia cùm ea simulatio, juxtà Innocentium III. sit *illudere Deo*, & ad illudendum Deo nullus metus urgens possit esse causa id licitum reddens, sequitur, quod ejusmodi damnatio admittenda sit tamquam universalis negativa, ita ut nullus metus urgens sufficiat.

29. Tum

39. Tum etiam, quia ficut indefinitè procedit propofitio damnata; ita etiam indefinitè procedit damnatio: quæ quidem damnat propfitionem, five hæc loquatur tanquam univerfalis, five loquatur tanquam particularis: & ideò damnatio damnat illam utroque modo, ita ut fi propofitio damnata procedat tanquam particularis, damnatio procedit tanquam univerfalis negativa, *Nullus urgens metus, &c.* quo pacto contradicit particulari affirmativæ. Et fi propofitio damnata procedat tanquam univerfalis affirmativa, damnatio fit particularis negativa. Quia ergò propofitio damnata poteft intelligi utroque modo, ideò damnatio intelligitur utroque modo.

40. Ex his facillimum eft folvere argumenta fuperius propofita. Ad primum refpondeo, propofitionem damnatam obnoxiam effe, ut intelligatur tanquam univerfalis, & tanquam particularis; & ideò damnatio procedit tamquam univerfalis, reprobando utroque modo eam propofitionem. Quare licèt propofitio damnata indefinita fit, juxta mentem fuorum Doctorum fit univerfalis; at ex mente Decreti, juncto *cap. De homine.* relato, etiam damnatio eft univerfalis, quia contradicit propofitioni, five fumptæ univerfaliter, five particulariter.

41. Ad fecundum refpondeo, eam propofitionem damnatam poffe ante damnationem cenferi tenuiter probabilem; at poft damnationem, nihil omninò habere probabilitatis practicæ; & ideò jam neque tenuiter probabilem cenferi debere.

42. Rogabis, quid dicendum fit in hypothefi, in qua hæreticus ignarus verborum confecrationis minaretur mortem Presbytero, fi non confecraret illum panem expofitum venditioni; ifte autem, ut evaderet mortem, recitaret orationem dominicam, fimulando in hunc modum confecrationem illius panis?

43. Cujus decifio indiget diftinctione. Poteft enim Presbyter in ea hypothefi per fimulationem formalem, & poteft per materialem: id eft, poteft procedere ex intentione deceptionis illius; & procedere non intendendo, fed permittendo deceptionem ejus. Primo modo peccat, ficut peccaret, fi diceret, (ifte panis jam eft confecratus) eft enim mendacium, fignificare alteri per fignum externum aliquid aliud contra id, quod ipfe judicat.

44. Secundo modo non peccaret ille Presbyter, quia licèt verum fit, illicitam effe fimulationem materialem in adminiftratione Sacramentorum; at in ea hypothefi non datur fimulatio circa adminiftrationem Sacramentorum; quia recitare orationem Dominicam omninò indifferenter fe habet ad adminiftrationem, & confectionem Sacramenti; eft enim latiffimum difcrimen inter hoc, quod eft, dicere verba Confecrationis abfque intentione confecrandi, & recitare orationem Dominicam; nam verba Confecrationis inftituta funt à Chrifto Domino, ad confecrandam Evchariftiam; non fic Oratio Dominica.

****
**

veritate coram judice interrogante. Etenim nullus author, quem sciamus, dixit, judici legitimè interroganti posse reum negare veritatem, nisi quando imminet reo pœna capitalis, aut alia prope similis.

90. De isto autem casu an volens ascendere ad Magistratum, teneatur aut non teneatur ad manifestandum suum crimen occultum, Principi aut gubernatori interroganti; nihil decidit hæc damnatio; sed solum statuit, illum interrogatum non posse uti restrictione mentali. Circa aliam vero quæstionem, an in eo casu Princeps, vel gubernator interroget juridicè, aut non, circa crimina occulta; nihil statuit hæc damnatio. Scimus quidem, quod si Princeps interroget juridicè, interrogatus tenetur declarare; quod si ille non habeat jus interrogandi de crimine occulto, interrogatus non tenetur declarare. Hæc autem damnatio abstrahit ab ea quæstione, dummodo firmiter teneatur illi dignitatis candidato nullatenus licere uti restrictione mentali.

91. Confirmatur ex leg. *Semper*. ff. de Regulis juris. ubi pro regula generali traditur: *Semper in obscuris* (id est in dubiis) *quod minimum est, sequimur*. Ut ex aliis etiam textibus ostendi suprà. Cùm ergò non sit certum, quin potius valde dubium, an Pontifex damnet opinionem aliquam circa manifestandum veritatem judici interroganti; quod minimum est, sequi debemus, nempè, quod ea damnatione non contineatur id, quod spectat ad manifestandum judici crimen occultum; sed solum id quod spectat ad restrictionem mentalem, quæ ex nullo capite honestari potest.

DISSERTATIO XX.

An liceat simulare administrationem Sacramentorum; saltem ex metu gravi?

CAPUT I.

Pro expositione 29. propositionis damnatæ præmittuntur aliqua.

SUMMARIUM.

Refertur propositio damnata, & ejus sensus, num. 1.

Distinctio simulationis formalis, & materialis, num. 2.

Duo requisita ad simulationem formalem, num. 3.

Quid sit simulatio materialis; & quid, quando signa externa indifferentia sunt ad plura significanda? n. 4.

Quodnam sit discrimen inter voces, & signa externa quoad significationem? num. 5.

Quomodo signa externa possint procedere à diversis causis, & ideò significare diversa? num. 6.

Qualis fuerit simulatio Iosue, & militum ejus? n. 7.

Quid quando Christus Dominus finxit, se longius ire? Luca 24. n. 8.

Duplex distinguitur simulatio materialis alia, quæ respicit circumstantiam vitiosam, & alia absq; tali circumstantia, n. 9.

Propo-

1. PRopositio 29. inter damnatas hæc est: *Urgens metus gravis est causa justa Sacramentorum administrationem simulandi.* Quæ propositio unum supponit & alterum statuit. Supponit, illicitum esse simulare administrationem Sacramentorum absque causa gravi: & statuit urgentem metum esse causam gravem, ratione cujus non sit illicitum simulare administrationem Sacramentorum. Damnata autem hac propositione, relinquitur, ita esse illicitam eam simulationem, ut non sufficiat metus urgens, ut reddatur licita. Ut autem sensus hujus propositionis, & damnationis ejus melius percipiatur, aliqua prænotari oportet.

2. Prænotandum est ex *P. Suarez de legib. lib. 9 cap. 17. numer. 15.* dupliciter usurpari posse, & solere vocem *simulationis*: alia est enim simulatio formalis, & alia simulatio materialis. Simulatio formalis juxtà *S. Thomam 2. 2. quæst.* 111. *art. 1. corp.* est, cùm quis per signa externa factorum, vel rerum significat aliquid contrarium ejus, quod credit. Aitque *S. Thom.* id semper esse peccatum, quia sic est mendacium. *Non refert autem, utrum aliquis mentiatur verbo, vel quocumque alio facto, ut suprà habitum est. Unde cum omne mendacium sit peccatum, ut suprà dictum est, consequens est etiam, quod omnis simulatio est peccatum.* Quæ sunt verba Angelici doctoris. Unde fit, quod simulatio formalis dicitur illa, quæ dolosa est, & mendax.

3. Hinc fit, quod sicut ad mendacium, ita & ad simulationem dolosam requiruntur duo; & quod sit falsum, saltem existimatum, id quod quis significat per signa externa; & quod sit ex intentione decipiendi, quà quis intendit, quod alii intelligant aliter, ac ipse cognoscit, rem se habere.

4. Simulatio materialis est, cùm quis dat signa externa factorum, vel rerum, indifferentia ad plura significanda, per quæ præter intentionem aliqui decipi solent. Circa quam descriptionem aliqua notanda veniunt. Primum, sicut in verbis non est mendacium, cùm quis loquitur per terminum æquivocum, licèt is, qui loquitur, intelligat unum significatum, & qui audit, intelligat alterum significatum, ita contingit in eo, qui loquitur, aut quasi loquitur per signa externa, quando hæc sunt indifferentia ad plura significanda.

5. Secundum, magnum esse discrimen inter voces, & res quoad significationem. Voces enim significant ad placitum, juxtà impositionem hominum. Res autem sunt signa naturalia: gemitus enim est signum naturale angoris animi, risus est signum naturale lætitiæ. Quamvis aliquando significent ad placitum, non quidem ex communi impositione hominum, sed ex privata intentione ejus, qui utitur tali signo. Sic enim cum quis non advertit externum cultum, quem exhibere debet magnati occurrenti, amicus propè stans percutit leviter brachium ejus non advertentis: quæ percussio in talibus circumstantiis ex intentione percutientis est signum ejus cultus exhibendi tali magnati; & sic in multis aliis.

6. Tertium, hæc signa externa naturalia ut in plurimum sunt effectus alicujus causæ; nam effectus est signum naturale suæ causæ. Quia tamen contingere solet, quod unus effectus possit procedere à

multiplici causâ; ideò solet etiam contingere, quod unus ponat effectum procedentem à causa A. & qui videt, existimet procedere à causa B. & ita is, qui videt, decipiatur. Unde fit, quod possit, & soleat dari simulatio materialis, per quam qui videt factum, existimet procedere ab una causa, à qua re vera non procedit: & ita qui materialiter simulat, non intendit decipere, sed permittit deceptionem alterius.

7. Et ita cap. 8. libri Josue, iste præcepit militibus fugam, ut commodiorem haberent occasionem debellandi hostem. Et ita num. 5. dicitur: *Cumque exierint contra nos, sicut ante fecimus, fugiemus, & terga vertemus, donec persequentes ab urbe longius protrahantur; putabunt enim, nos fugere, sicut prius.* Et numer. 15. *Josue vero, & omnis Israel cesserunt loco, simulantes metum, & fugientes per solitudinis viam.* Quam simulationem excusant à peccato Interpretes, utpote simulationem materialem: quia fuga potest procedere à diversis causis, nempè vel à timore vel à desiderio habendi commodiorem occasionem pugnandi. In hoc ergo casu istud desiderium erat causa, à qua procedebat fuga, non metus; hostes autem putabant, eam fugam procedere à metu. Dicuntur autem Josue, & ejus milites *simulantes metum*, non quia intendebant decipere, sed quia permittebant deceptionem.

8. Sic etiam intelligitur illud factum Christi D. quo coram duobus discipulis accedentibus ad Emmaus, *finxit se longius ire*. Luc. cap. 24. dicitur enim finxisse per simulationem materialem; quia discipuli putabant, motum corporis Christi D. significare viam materialem; & ipse Dominus significabat suum ad cœlos iter: quarè discipuli decipiebantur, præter intentionem Christi D. non enim intendebat deceptionem illorum, sed permittebat.

9. Quartum. Simulatio materialis est in duplici differentia. Alia est, quæ respicit objectum, aut circumstantiam vitiosam, quæ non potest excusari à culpâ. Nam Catholicus, qui simulat se Judæum, aut Lutheranum, quamvis non simulatione formali, quia non ita se simulat ex intentione decipiendi, sed ex alia diversa intentione, nullatenus excusatur à culpâ. Alia est simulatio materialis (quam libenter vocarem materialissimam) quæ respicit rem, aut circumstantiam omninò indifferentem, quæ nihil continet vitii, aut culpæ. Talis est illa simulatio Machabæorum, & illa, quâ Christus D *finxit se longius ire*; ut suprà dixi.

CAPUT II.

An propositio damnata loquatur de simulatione formali, an etiam de materiali?

SUMMARIUM.

Argumenta pro damnatione solius simulationis formalis, n. 11. & seqq.

Damnatio comprehendit tàm simulationem materialem, quàm formalem n. 14.

Et quomodo simulatio materialis afferat irreverentiam Sacramentis. Ibidem.

Simulatio materialis, quæ respicit circumstantiam vitiosam, non excusatur à culpâ, num. 15.

Quo-

Quomodo nomine simulationis veniat tàm materialis, quàm formalis? n.16.
Sacerdos proferens verba consecrationis cum simulatione materiali, peccat gravissime, n.17.
Comprehendi simulationem materialem, probatur à paritate amphibologia, n.18.
Item ex eo, quod fingit, dispensari merita Christi, n.20.
Solvuntur objectiones, numer. 21. & seqq.

10. VT perfectè calleamus sensum hujus damnationis, inquirimus, an solum damnetur propositio, quatenus adstruit licitam simulationem formalem administrationis Sacramentorum, nempè ex intentione decipiendi, saltem virtuali; an etiam damnetur propositio, quatenus respicit simulationem materialem, scilicet in qua præter intentionem administrantis decipiuntur fideles.

11. Et propositioni asserenti, quod damnetur solum simulatio formalis, videntur suffragari hæc argumenta. Primum, nam sola simulatio formalis est propriè, & strictè simulatio: ergò cùm in his damnationibus standum sit pro verborum proprietate, dicendum est, damnationem intelligi de simulatione formali; nam simulatio materialis non est propriè, & strictè simulatio.

12. Secundùm. Nam in dubiis cujuslibet legis, semper debemus intelligere id, quod est minus obligatorium. Ita cap. *In obscuris, quod minimum est, sequimur.* Et eadem regula habetur in L. *Semper in obscuris*. ff de Regul. jur. item in leg. *Quidquid astringenda* ff. de verbor. obligationibus. *Quidquid astringenda obligationis causa dictum est, id nisi palam exprimatur, omissum esse censendum est.* Ergò cum non palam exprimatur simulatio materialis, omissa esse censenda erit, atque ideò non mansisse sub damnatione. Et cap contra eum. De Regul. jur. in 6. dicitur. *Contra eum, qui legem dicere potuit apertius, facienda est interpretatio.* Cùm ergo damnatio potuerit explicare, an intelligatur propositio de simulatione materiali, videtur facienda esse interpretatio contra rigorem legis, & hæc intelligenda esse juxtà minimam obligationem, quam potest imponere.

13. Tertium. Nam damnatio eo respicere videtur, ne fiat dolus in administratione Sacramentorum: sed simulatio materialis, in quà præter intentionem contingit deceptio passiva, non est dolus: ergo damnatio non respicit simulationem materialem.

14. Dicendum tamen est, damnationi huic subjacere tàm simulationem materialem, quàm formalem factam in administratione Sacramentorum. Hoc probatur primò. Etenim constat, damnari eam propositionem, quia continet irreverentiam respectu Sacramentorum; ut amplius constabit ex dicendis capitibus sequentibus: atqui quando fit irreverentia rebus sacris per simulationem, eodem modo affert simulatiò irreverentiam rebus sacris, sive simulatio sit formalis, sive materialis; ergò in hoc decreto utraq; simulatio damnatur. Probatur minor. Nam qui corā idolo thus projicit in thuribulum coram aliis, non excusatur à peccato, per hoc quod fiat simulatione materiali, & sine intentione significandi astantibus affectum

adorationis, imò cum sola intentione olfaciendi odorem thuris; non solum propter scandalum, sed etiam, quia est cultus externus idoli: ergò sicut reverentia externa exhibita idolo, etiam cum simulatione materiali non excusatur à peccato contra præceptum adorandi solum Deum: ita irreverentia contra rem sacram, etiam cum simulatione materiali, non excusatur à peccato irreverentiæ: cùm reverentia rei non sacræ, & irreverentia in rem sacram æquo jure censeantur proportione servatâ.

15. Similiter si quis in Missâ, dum elevatur hostia, ostendat caput coopertum galero, vel pileo, simulans omissam adorationem debitam, quamvis simulatio sit materialis, & solum ex intentione propriæ commoditatis, irreverentiam committit ingentem, quin excusetur ex eo, quod simulatio sit materialis: ex quo patet, actionem non excusari ab irreverentia in rem sacram, ex eo quod simulatio sit materialis, & ea simulatio non fiat ex intentione decipiendi. Nam, sicut dixi cap. præced. Datur simulatio materialis, quæ respicit rem, vel circumstantiam vitiosam, quæ non potest excusari à culpâ. Et talis est simulatio in administratione Sacramentorum propter reverentiam illis debitam.

16. Probatur secundò conclusio. Quia nomine *simulationis* in communi modo loquendi, non solum venit simulatio formalis, sed etiam materialis: cujus manifestum signum est, quod Authores, qui concedunt, vel negant, licitam esse simulationem in administratione Sacramentorum, non distinguunt inter simulationem formalem, & materialem, sed indistinctè de omni simulatione loquuntur: ergò propositio damnata loquitur indistinctè de qualibet simulatione formali, & materiali, atque adeò hæc damnatio condemnat utramque.

17. Confirmatur. Nam Sacerdos, qui diceret verba consecrationis super panem sine intentione consecrandi, ab omnibus diceretur simulasse consecrationem, quamvis non faceret ex intentione decipiendi, sed solum ex intentione gloriandi de bona pronuntiatione verborum: hæc autem est simulatio materialis: ergò etiam simulatio materialis censetur ab omnibus vera, & absoluta simulatio.

18. Probatur tertiò. Sicut se habet in verbis amphibologia, quæ usurpatur per terminum æquivocum significantem plura ut plura; ita se habet in factis, & rebus significativis simulatio materialis per signa externa significantia res diversas; sed amphibologia, quæ datur in termino æquivoco significante tum blasphemiam, tum aliud etiam objectum, non excusatur à peccato contra Religionem, eò quod illam proferens non intendat illam proferre juxtà significationem blasphemiæ; sub quacumque enim intentione proferatur, affert irreverentiam blasphemiæ: ergò idem censendum est de simulatione materiali.

19. Minor probatur. Et exemplum sit in eo, qui asserit; *Ita est, per vitam Dei*, quæ ab omnibus Doctoribus numeratur inter blasphemias, eo quod sensus sit, *deficiat vita Dei, si hoc non est ita*, ideò autem numeratur inter blasphemias, quia significatur vita Dei ut defectibilis. Sed quid si non dicatur sub ea intentione, & significatione, sed sub qua vita Dei non significetur ut defectibilis? Sanè quamvis

ea

ea verba possint admittere alium sensum non irreligiosum, adhuc ea verba continent blasphemiam, quia sufficit, quod significent in una usurpatione contumeliam Dei, quamvis in alia id non significent.

20. Probatur quartò. Qui simulat utcumque administrationem Sacramenti, fingit, se dispensare merita Christi: sed fingere quod dispensat merita Christi Domini, cùm reverà illa non dispensat, illudit Christo D. ergò qui simulat utcumque administrationem Sacramenti, Christo D. illudit. Quæ omnia confirmantur ex cap. *De homine*. De celebr. Missar. ut referam *cap. 4*.

21. Objectiones sub initium hujus capitis propositæ nullius momenti sunt. Ad primam respondeo, falsum esse antecedens: nam simulatio materialis vera, & propria simulatio est; ut constat ex communi modo loquendi, & respectu Sacramenti affert circumstantiam irreverentiæ.

22. Ad secundam respondeo, verum esse, quod in dubiis, & obscuris, quod minimum est, sequi debemus. Nego tamen de hoc esse posse dubium circa Sacramenta, cùm simulatio materialis sit verè, & propriè simulatio, & in hoc casu afferat irreverentiam.

23. Ad tertiam neganda est major: quia non damnatur solùm propter vitandum dolum; sed quia qua vis simulatio administrationis Sacramentorum est contra reverentiam Sacramentis debitam.

*** † ***

CAPUT III.

An huic damnationi subjaceat propositio asserens, licere aliquando ministrare hostiam non consecratam pro consecrata?

SUMMARIUM.

Authores docentes præfatam opinionem. num. 24.

Argumentum pro illa. num. 25.

Eo argumento fingitur casus impracticabilis. num. 26.

Ea opinio subjicitur huic damnationi. num. 27.

Ejus improbabilitatem affirmant communiter Theologi. num. 28.

An hostia non consecrata, & simulatè ministrata, exponatur periculo idololatriæ. num. 29.

Aliud argumentum ex jure canonico. num. 30. & seqq.

Aliqua consequentia ex eo textu consequuta. num. 31.

24. Licitam esse hanc simulationem in aliquibus casibus, ministrando hostiam non consecratam pro consecrata, aliqui Authores asseruerunt. Nam Altisiodorensis (ut refert *P. Suar. tom. 3. in 3. p. disp 67. sect. 4. §. Circa tertiam*) affirmat, si homo sit in articulo mortis, & nulla sit reservata hostia consecrata, ad vitandum scandalum, licitum esse dare hostiam non consecratam pro consecrata. Quam opinionem dicit P. Suarez esse *improbabilem*, *& intolerabilem*. Alii verò dicunt, quod si fiat conventio inter Sacerdotem & peccatorem, licebit ministrari peccatori hostiam non consecratam: ne, si indignè recipiat, fiat reus corporis Domini; & ne si ei

si ei denegetur communio, infamatus maneat peccator. Posse autem ita disponi, ut ea forma non consecrata non exponatur adorationi fidelium, si omninò occulta deferatur. Ita S. *Bonavent. Albertus Magnus, & Adrianus*; quos refert *P. Suarez* ubi suprà. Item *Villalobos tom.* 1. *sum. tract.* 7. *diff.* 38. *num.* 7. & *Ludovicus de S. Iuan t.* 1. *sum. quaest.* 7. *de Euch. art.* 8. *diff.* 7. apud *P. Moya tom.* 1. *select. tract.* 4. *quaest.* 2. *num.* 5.

25. Et fortasse videbitur alicui, eam opinionem non subjacere huic damnationi. Etenim si Sacerdos, & peccator sciunt, non esse consecratam, non erit simulatio, maximè si ministretur, nullo alio adstante; simulatio enim supponit ignorantiam: cùm ergò damnetur in hoc decreto simulatio administrationis Sacramentorum, si hic non intervenit simulatio, non subjacebit damnationi.

26. Sed haec objectio fingit casum impracticabilem, nempe illum, in quo necesse sit ministrare hostiam non consecratam peccatori consentienti, nullo alio adstante: quià si nullus alius adest, & dat illi consentienti hostiam non consecratam, quomodo verificatur, quod dat non consecratam pro consecrata, hoc enim supponit ignorantiam saltem adstantium; & dare peccatori hostiam non consecratam, nullo alio adstante, potius erit ludere, quàm fingere communionem. Casus ergò praesens est, in quo adstantes ignorant illam fictionem communionis, quamvis Sacerdos, & peccator sciant, hostiam non consecratam ministrari.

27. Dicendum ergò est, illam opinionem eorum Authorum subire hanc damnationem. Patet. Damnat enim hoc decretum propositionem asserentem, licere simulationem in administratione Sacramentorum, etiam ex causa metus urgentis: cùm ergò manifestum sit, eam fictam communionem esse simulationem in administratione Eucharistiae; quia fingitur esse Eucharistia eà, quae non est talis; patet, talem opinionem subjici huic damnationi.

28. Et quidem illam opinionem rejiciendã putat communior sententia Theologorum. Ita *P. Suarez ubi suprà, P. Vasquez de Euchar. disp.* 209. *cap.* 1. *P. Castro Palao tom.* 1. *tract* 2. *disp.* 1. *punct.* 13 *num.* 8. qui affirmat, quod opposita sententia *audaciam, & temeritatem videtur redolere.* Et alii passim Doctores.

29. Aliquod tamen dissidium est in reddenda ratione hujus assertionis. Commune argumentum pro hac conclusione est: hostia enim non consecrata exponitur adorationi adstantium, ex quo sequitur idololatria materialis. Hoc argumentum *P. Vasquez* non putat efficax; ait enim nullum esse periculum idololatriae, eò quod affectus adorantis Eucharistiam fertur in solum Christum. Sed non assentior: quia ille cultus externus exhibitus rei creatae omninò est illicitus; & ita peccaret lethaliter, qui exhiberet cultum externum coràm idolo, etiamsi ejus affectus internus ferretur in Christum Dominum. Et ita peccator ipse sciens, hostiam non esse consecratam, peccaret exhibendo eum cultum externum genuflexionis; & ut bene advertit *P. Suarez* relatus, ipsa susceptio communionis, quamvis fictae, esset cultus externus, ideoque graviter illicitus.

30. Aliud Argumentum malitiae hujus communionis fictae desumitur ex *cap. De homine de celebrat. Missar.* ubi Innocentius III. re-

III. refert casum in hæc verba: *Quæsivisti, quid de incauto Presbytero videtur, qui cùm sciat, se in mortali crimine constitutum, Missarum solemnia, quæ non potest propter necessitatem quamlibet intermittere, propter sui facinoris conscientiam dubitat celebrare, peractisque cæteris circumstantiis Missam celebrare se fingit, & suppressis verbis, quibus conficitur corpus Christi, panem, & vinum tantùmmodo purè sumit, ita credens per id, quod prætendit populo satisfacere, ut per hoc, quod intendit, Deum non debeat provocare.*

31. Ad hunc casum respondet immediatè Pontifex hoc tenore verborum: *Cùm ergò falsa sint abjicienda remedia, quæ veris sunt periculis graviora: licet is, qui pro sui criminis conscientia reputat se indignum, peccat graviter, si se ingerit irreverenter ad illud; gravius tamen videtur offendere, qui sic fraudulenter illud præsumpserit simulare: cum ille in solius misericordis Dei manum incidat; iste verò non solùm Deo (cui non veretur illudere) sed populo, quem decipit, se astringat.*

32. Ex quibus verbis patet primò, peccasse gravissimè Presbyterum ratione falsitatis & simulationis. Patet secundò, solùm fuisse reum, quia decepit populum, sed quia non est veritus illudere Deo, nam simulare fraudulenter rem Divinam, juxtà modum loquendi Pontificis, est Deo illudere. Patet tertiò, gravius deliquisse Presbyterum, simulando consecrationem, quàm si reus fuisset corporis, & sanguinis Domini, sacrificando, & manducando indignè.

33. Hinc etiam manifestè colligitur primò, Sacerdotem, qui ministrat hostiam non consecratam etiam consentienti, peccare peccato falsitatis, & simulationis. Colligitur secundò, illum peccare non solùm quatenus decipit adstantes, sed etiam, quatenus simulat fraudulenter rem Divinam, atque adeò illudit Deo. Colligitur tertiò, gravius peccare, qui sic simulat fraudulenter communionem corporis Domini, quam si hostiam consecratam indignè sumeret: *Gravius* enim *videtur offendere, qui sic fraudulenter præsumpserit simulare.* Nam eadem ratio militat in Presbytero fictè celebrante, ac in peccatore fictè communicante.

CAPUT IV.

An damnationem incurrat propositio docens, esse licitum proferre super panem verba consecrationis sine intentione consecrandi?

SUMMARIUM.

Opinio Ioannis Sancii. num. 34.
Argumenta pro ea opinione, num. 35. & 36.
Ea propositio incurrit damnationem. num. 37.
Damnatio contenta in hoc decreto per propositionem universalem. n. 38.
Et damnat propositionem, sive universalem, sive particularem. n. 39.
Solvuntur objectiones suprà posita. num. 40. & 41.
Quid si simularet consecrationem per alia diversa verba? num. 42.
Et quid si fieret per simulationem formalem, & quid per materialem. num. 43. & 44.

34. JOannes Sancius *in selectis disp. 35. num. 3.* proponit hypothesim, in qua hæreticus minaretur mortē Sacerdoti, nisi consecraret

39. Tum etiam, quia sicut indefinitè procedit propositio damnata; ita etiam indefinitè procedit damnatio: quæ quidem damnat propsitionem, sive hæc loquatur tanquam universalis, sive loquatur tanquam particularis: & ideò damnatio damnat illam utroque modo, ita ut si propositio damnata procedat tanquam particularis, damnatio procedit tanquam universalis negativa, *Nullus urgens metus, &c.* quo pacto contradicit particulari affirmativæ. Et si propositio damnata procedat tanquam universalis affirmativa, damnatio sit particularis negativa. Quia ergò propositio damnata potest intelligi utroque modo, ideò damnatio intelligitur utroque modo.

40. Ex his facillimum est solvere argumenta superius proposita. Ad primum respondeo, propositionem damnatam obnoxiam esse, ut intelligatur tanquam universalis, & tanquam particularis; & ideò damnatio procedit tamquam universalis, reprobando utroque modo eam propositionem. Quare licèt propositio damnata indefinita sit, juxta mentem suorum Doctorum sit universalis; at ex mente Decreti, juncto *cap. De homine.* relato, etiam damnatio est universalis, quia contradicit propositioni, sive sumptæ universaliter, sive particulariter.

41. Ad secundum respondeo, eam propositionem damnatam posse ante damnationem censeri tenuiter probabilem; at post damnationem, nihil omninò habere probabilitatis practicæ; & ideò jam neque tenuiter probabilem censeri debere.

42. Rogabis, quid dicendum sit in hypothesi, in qua hæreticus ignarus verborum consecrationis minaretur mortem Presbytero, si non consecraret illum panem expositum venditioni; iste autem, ut evaderet mortem, recitaret orationem dominicam, simulando in hunc modum consecrationem illius panis?

43. Cujus decisio indiget distinctione. Potest enim Presbyter in ea hypothesi per simulationem formalem, & potest per materialem: id est, potest procedere ex intentione deceptionis illius; & procedere non intendendo, sed permittendo deceptionem ejus. Primo modo peccat, sicut peccaret, si diceret, (iste panis jam est consecratus) est enim mendacium, significare alteri per signum externum aliquid aliud contra id, quod ipse judicat.

44. Secundo modo non peccaret ille Presbyter, quia licèt verum sit, illicitam esse simulationem materialem in administratione Sacramentorum; at in ea hypothesi non datur simulatio circa administrationem Sacramentorum; quia recitare orationem Dominicam omninò indifferenter se habet ad administrationem, & confectionem Sacramenti; est enim latissimum discrimen inter hoc, quod est, dicere verba Consecrationis absque intentione consecrandi, & recitare orationem Dominicam; nam verba Consecrationis instituta sunt à Christo Domino, ad consecrandam Eucharistiam; non sic Oratio Dominica.

****
**

CAPUT V.

An subjaceat damnationi dicere, quod liceat simulare administrationem Sacramenti Pœnitentiæ & quomodo?

SUMMARIUM.

Ratio dubitandi ex scandalo, quod potest resultare ex absolutione negata indigno. n. 46.
Sigillum servandum est non solùm verbis, sed etiam factis. n. 46.
Modus dicendi Felguera. n. 47.
Modus dicendi Magistri Hozes. n. 48.
Illicitum est proferre verba absolutionis sine intentione absolvendi. n. 49.
Et an id sit illudere Deo? n. 50.
Et opposita propositio subjacet damnationi. n. 51.
Quid debeat facere Confessarius, qui coram aliis negat absolutionem indigno. n. 52.
Et quid, si intendat deceptionem circumstantium? n. 54.
Quomodo hic modus negandi absolutionem non subjaceat huic damnationi? n. 55.
Responsio ad rationem dubitandi. n. 56.
An modus dicendi Magistri Hozes subjaceat huic damnationi? n. 57. & seqq.
An metus mortis sit sufficiens, ut Confessarius simulet se absolvere, eodem modo, quo fit pro servando sigillo? num. 60. & seqq.
Aliud dubium solvitur. n. 63.

45. Circa præfatam quæstionem inquires primò, an liceat Confessario aliquãdo simulare absolutionem Sacramentalẽ? Et ratio dubitandi est: quia plerumq; contingit, hominem confiteri peccata sua in magno pœnitentium concursu, qui circumstant; Confessarium autem cognoscere, quod ille non vult deserere occasionem proximam peccandi, aut non habere propositum de cætero non peccandi. Quid ergò facere debeat Confessarius? Nam si absolvit indignum, peccat gravissimè. Si non absolvit, circumstantes animadvertunt, illum peccatorem esse indignum absolutione, atque adeò Confessarius violat sigillum sua absolutionis omissione, manifestans indignitatem peccatoris: ergò saltem debet simulare, seu fingere, quod absolvit, ne manifestetur indignitas peccatoris contra præceptum sigilli.

46. Et confirmatur. Nam, ut observavit *P. Suar. to. 4. in 3. p. dis. 33. sect. 6. n. 2.* secretũ confessionis jure Divino injunctũ servandum est, non solùm verbis, sed etiam factis; ut constat ex *c. Omnis utriusq; sexus. De Pœnit. & remiss.* ubi dicitur: *Caveat autem* (cõfessarius) *omninò, ne verbo, aut signo, aut alio quovis modo aliquatenus prodat peccatorem.* Si ergò eo facto dimittendi peccatorem absq; absolutione manifestatur indignitas cognita in ipsa confessione peccatoris, vel violandum est jus Divinum sigilli, vel utendum est simulatione absolutionis, ne manifestetur circumstantibus talis indignitas.

47. *Felguera* in expositione ejus propositionis fine asserit, posse confessarium per signa externa significare, se absolvisse; eo quod tunc poterit absolvere pro foro externo, non autem pro interno Sed non explicat, quomodo id fiat sine simulatione formali, quæ includit mendacium facti; neque explicat, quomodo possit pœnitens absolvi à peccatis tantum pro foro externo;

no; neque explicat, quomodo id non sit simulatio in administratione Sacramenti: quæ omnia explicatione indigent.

48. *Hozes* in expositione propositionis 29. *n.* 11. quamvis neget, posse fieri simulationem in reliquis Sacramentis, concedit illam fieri posse in Sacramento pœnitententiæ, quando urget obligatio sigilli, scilicet in casu proposito in ratione dubitandi. Deindè superaddit, licitam esse in hoc casu simulationem absolutionis; quia in illa simulatione, qua fingit se absolvere indignum, exercet potestatem ligandi, quam Confessarius habet.

49. Sit prima conclusio. Non licèt Confessario in ea hypothesi proferre verba absolutionis sine intentione absolvendi. Ratio est: quia est magna irreverentia, quæ immediatè versatur circa immediatam formam Sacramenti, institutam à Christo Domino ad hunc solùm finem dimittendi peccata. Primò, quia qui affirmat *Ego te absolvo*, sine intentione absolvendi, mentitur; affirmat enim se absolvere, cum re vera non absolvat; mentiri autem circa formam Sacramenti est magna irreverentia Sacramento illata.

50. Secundò. Quia non est minor irreverentia Sacramenti: sed fortasse major, dicere verba absolutionis sine intentione absolvendi, quam supprimere verba consecrationis in casu, quod teneatur ea proferre: sed sic supprimere verba consecrationis declarat Innocentius III. esse illudere Deo, verbis supra allatis: ergò proferre verba absolutionis sine intentione absolvendi, est illudere Deo.

51. Sit secunda conclusio. Propositio affirmans, licitum esse proferre in eo casu ea verba absolutionis sine intentione absolvendi, subjacet huic damnationi. Patet conclusio. Nam damnatio hæc reprobat quamcumque simulationem Sacramenti, quæ verè, & propriè est simulatio ejus: prolatio autem verborum absolutionis sine intentione absolvendi verè, & propriè est simulatio Sacramenti: ergò id hac damnatione reprobatur. Et quidem solùm excipitur ab hac damnatione ea simulatio, quæ versatur circa rem indifferenter se habentem ad Sacramentum, vel ad materiam ejus, aut formam, ut mox dicam.

52. Sit tertia conclusio. Confessarius, qui in conspectu plurium circumstantium videt, pœnitentem indignum esse absolutione ob defectum dispositionis, ne prodat indignitatem peccatoris violando sigillum, debet, quasi obmurmurando, recitare aliquam brevem orationem, aut quid simile, non quidem intendendo deceptionem circumstantium, sed permittendo illam. Probatur conclusio. Nam ex una parte habet strictissimam obligationem juris Divini non prodendi indignitatem peccatoris cognitam in confessione; ex altera verò parte hæc non est propriè, & in rigore simulatio Sacramenti; quia ea simulatio indifferenter se habet respectu Sacramenti, & cujusvis partis illius; nam si tunc obmurmurando dicat: *Pater noster qui es in cœlis*, *&c.* hæc verba nihil pertinent ad verba absolutionis; & ideò ea simulatio omninò materialiter se habet ad Sacramentum & partes essentiales ejus.

53. Idem est, si dicat: *Ego te absolvo à censuris in quantum possum*, *& indiges*, ita ut ea vox *à censuris* dicat subobscurè, taliter quod nō intelligatur distinctè à circumstan-

cumstantibus. Potest etiam dicere : *Ego neutiquam te absolvo*; ita ut id verbum *neutiquam* dicatur subobscurè, ne intelligatur à circumstantibus.

54. Dixi *non intentendo deceptionem circumstantium*, quia si id signum externum daret, intentendo, quod intelligant rem aliter, ac est in mente Sacerdotis, nempè quod intelligant absolutum eum, qui non est absolutus, esset mendacium, sicut si verbis expressis diceret: *Ego absolvi illum*, sine ulla amphibologia.

55. Et ex dictis patet, hunc modum, quo utitur Sacerdos, ne prodat indignitatem pœnitentis, non reprobari hac damnatione. Constat enim hanc non esse propriè, & strictè simulationem in administrando Sacramentum. Et quidem ex terminis repugnat, quod aliqua actio sit impletio præcepti juris Divini, & quod sit simulatio damnabilis, ut perpendenti patebit. Cùm ergò ea actio necessaria sit, ne violetur jus Divinum sigilli, omninò exuit rationem simulationis damnabilis.

56. Item ex dictis constat ad rationem dubitandi initio hujus capitis propositam: debet enim Confessarius ita se gerere proferendo aliqua verba saltem subobscura pronuntiatione, taliter quod circumstantes non possint cognoscere, pœnitentem abire absque absolutione. Quod fiet modo dicto in tertia conclusione. Ex qua etiam patet, eam non esse propriè, & strictè simulationem Sacramenti. Ad confirmationem concedo non solùm verbis sed facto etiam posse violari sigillum: sed ex dictis constat, quomodo in eo eventu se gerere debet Confessarius, ne illud violet. Patet etiam, quid dicendum sit in illis tribus, quæ in modo dicendi *Filguera* supra notavimus.

57. Hinc colliges, modum dicendi, quem tradit *Hozes* proximè citatus, subjici huic damnationi; si admittit, posse uti Sacerdotem verbis absolutionis sine intentione absolvendi. Probatur. Nam hic modus simulandi non est necessarius ad vitandum scandalum, cùm possit vitari aliis modis supra positis; & is modus simulandi versatur immediatè circa ipsam formam absolvendi.

58. Deindè illud quod subjungit, scilicet à potestate ligandi, quam habet Sacerdos, procedere illam simulationem, falsum est. Etenim negare absolutionem indigno, & simulare absolutionem, sunt duo valdè diversa, & quæ inter se nullam habent connexionem; præcipuè si sermo sit de simulatione, quæ fiat dicendo verba absolutionis sine intentione absolvendi. Quare negare absolutionem indigno procedit à potestate ligandi; simulare autem absolutionem modo licito, non procedit à potestate ligandi, sed ab obligatione servandi sigillum.

59. Sed quia verba scriptorum benignè interpretanda sunt, ideò credendum est, non esse mentem hujus Authoris, quod fiat simulatio, proferendo verba illa absolutionis absque intentione absolvendi, sed alio modo licito ex suprà numeratis, quod tamen revera debuit cum ea distinctione explicare.

60. Inquires secundò, an metus mortis sit causa sufficiens, ut Confessarius simulet se absolvere, eodem modo, ac potest id simulare, quando est periculum violandi sigillum? Et casus potest contingere, quando peccator, qui confessus est sua peccata, & non vult ea deserere, auditque à Confessario negari sibi absolutionem, minitatur

minitatur mortem confessario, nisi absolvat. Quod non semel accidisse, audivi non semel.

61. Dicendum est primò, in eo casu non esse licitum simulare absolutionem, dicendo formam absolutionis Sacramentalis, quamvis dicatur sine intentione absolvendi à peccatis. Ratio est eadem, quæ supra: quia hæc est simulatio immediatè versans circa partem essentialem Sacramenti: quæ quia est contra reverentiam Sacramenti, nullo metu justificari potest.

62. Dicendùm est secundò, licitum esse in eo casu simulare absolutionem, per alia verba distincta à forma absolutionis Sacramentalis, eo modo, quo suprà dixi in tertia conclusione; neque hoc est contra præsentem damnationem. Patet hæc conclusio ex dictis in tertia conclusione. Hæc enim propriè, & strictè non est simulatio administrationis Sacramenti; & sicut licita est ad declinandum peccatum violationis sigilli, ita etiam, & ad vitandam mortem violentam.

63. Dicees. Quid si pœnitens minitetur mortem confessario; nisi expresśè, & distinctè dicat verba absolutionis Sacramentalis? Respodeo, verba essentialia absolutionis Sacramentalis esse: *Ego te absolvo*; hæc autem verba possunt etiam significare absolutionem à censuris, si cum ea intentione proferantur, aut absolvendi dumtaxat à censuris, & submissa voce pronunciando *à censuris.* Confessarius ergò metuens sibi mortem à pœnitente, nisi dicat expresśè, & distinctè verba absolutionis Sacramentalis, poterit dicere ea verba, quæ essentialia sunt absolutioni Sacramentali, non ut talia, sed cum intentione absolvendi à censuris, & pronunciando submissa voce *à censuris*; quo pacto non est forma Sacramentalis.

CAPUT VI.

Aliud dubium de simulatione confessionis.

SUMMARIUM.

An sit simulatio Sacramenti accedere ad confessionale ad tractanda negotia? num. 64.

An hac damnatio reprobet simulationem, non solùm administrationis Sacramenti, sed etiam susceptionis? n. 65.

Susceptio non reprobatur expresśè. n. 66.

Reprobatur tamen virtualiter. n. 67.

Si fiat hac simulatio ad sollicitandum confessarium ad venerea, non solùm est peccatum mortale sollicitationis, sed etiam simulationis Sacramenti. n. 68.

Et illa est simulatio formalis. n. 69.

Propositio, qua doceat, non esse speciale peccatum eam fictionem, virtualiter subjicitur huic damnationi. n. 70.

Qui accedit eo modo ad confessarium negotii causa cum simulatione formali Sacramenti, reus est mendacii, & irrogat injuriam Sacramento. n. 71. & 72.

Qui accedit eo modo ad confessarium sine simulatione formali, non peccat, neque subit hanc damnationem. n. 73. & 74.

64. INquires tertiò, an faciat simulationem Sacramenti, cùm quis accedit ad confessarium in loco confessionali sedentem, & flexis genibus (eo modo quo solent pœnitentes confiteri) tractat negotium aliquod cum confessario, taliter quod cir-

circumstantes existiment, eum Sacramentaliter confiteri? Et casus est frequens, præsertim in mulieribus: hæ enim sic apparent coram confessario, quia inveniunt occasionem opportunam eum alloquendi, vel ut interrogent aliquid pertinens ad suam conscientiam extra confessionem, vel ut eleemosynam procurent, vel ut aliud negotium tractent. Neque vidi authorem, qui de hoc casu tractet.

65. Et quidem quæstio hæc postulat, ut prius satisfaciamus alteri quæstioni, nempe an hæc damnatio, de qua in præsenti agimus, reprobet non solùm simulationem administrationis in Ministro, sed etiam simulationem susceptionis in eo, qui suscipit Sacramentum. Et breviter dicendum, non damnari expresè, & formaliter simulationem susceptionis Sacramenti; reprobari tamen virtualiter, sicut in simili dixi *dissert.1.cap.4.*

66. Prima pars constat: quia propositio damnata solùm loquitur expresè de simulatione administrationis: hæc autem solùm spectat ad ministrum, vel ad eum, qui se fingit ministrum.

67. Secunda verò pars probatur. Tunc enim ex damnatione Pontificiâ manet damnata virtualiter propositio, quando ex ea damnatione manifestè infertur reprobatio ejus propositionis: sed ex damnatione simulationis circa administrationem Sacramenti infertur reprobatio simulationis circa susceptionem Sacramenti: ergò ex hac damnatione manet damnata virtualiter simulatio susceptionis Sacramenti. Minor ostenditur. Nam cùm constet, damnationem hanc fundari in eo, quod simulare administrationem Sacramenti sit irreverentia contra Sacramentum, ex eo infertur, à paritate rationis, esse quoque similem irreverentiam simulare susceptionem Sacramenti. Sic enim irrogaret injuriam Sacramento, qui fingeret, se accipere Baptismum; sicut Minister, qui fingeret, se baptizare. Et sicut irreverentiam committeret in Eucharistiam, qui fingeret, eam ministrare se; ita etiam, qui fingeret se Eucharistiam recipere. Neque propterea negamus, majus peccatum esse simulare administrationem, quàm simulare susceptionem Sacramenti.

68. Deveniendo ergò ad præcipuam quæstionem, de eo qui accedit ad confessionem, eo modo quo cæteri pœnitentes accedunt; accedit tamen sine intentione confitendi; assero primò. Si fiat hæc simulatio ad sollicitandum confessarium ad venerea, non solùm est peccatum mortale sollicitationis, sed etiam simulationis Sacramenti, quæ in tali casu est simulatio formalis, id est, ex intentione decipiendi circumstantes, ut credant esse confessionem Sacramentalem. Ratio est: quia est magna irreverentia contra Sacramentum illud fingere ad tam perversum finem.

69. Quod autem ea sit simulatio formalis, patet. Nam sicut confessarius sollicitator ejusmodi quærens talem occasionem, ut sollicitet ad venerea, procurat cælare suum crimen prætextu confessionis simulatæ; ita & fæmina, cupiens cælari delictum suum suæ sollicitationis, vult uti prætextu confessionis Sacramentalis. Optatque, ut circumstantes non intelligant suam perversam intentionem; sed potius, ut existiment se pergere ad confitendum Sacramentaliter. Et idem dicendum est, si fiat

fiat ejusmodi fictio ad suadendum confessario aliud quodlibet crimen, ob eamdem rationem.

70. Hinc infertur, quod propositio, quæ docet oppositam assertionem, subjicitur huic damnationi, saltem virtualiter. Id est, licèt non damnetur expressè, infertur tamen ex damnatione, eam reprobari debere. Nam ut constat ex proximè dictis, idem genus peccati invenitur in eo, qui fingit susceptionem, ac in eo, qui fingit administrationem Sacramenti; & ex hoc infertur alterum. Cùm ergò constet, eam simulationem Sacerdotis hoc decreto damnari; constat etiam similem simulationem ficti pœnitentis virtualiter reprobari.

71. Assero secundò Qui eo modo accedit ad confessarium ad tractandum negotium, cum simulatione formali Sacramenti, id est, cum ea intentione, ut circumstantes decipiantur, putantes illum confiteri Sacramentaliter, reus est mendacii, & irrogat injuriam Sacramento. Prima pars, nempe quod ille mentiatur, patet ex iis, quæ diximus *cap. 1. ex S. Thoma*, maximè illis verbis: *Non refert autem, utrum aliquis mentiatur verbo, vel quocumque alio facto.* Et sicut quis mentitur, cum verbis asserit aliquid falsum, contra id, quod ipse censet; ita etiam mentitur, qui signo aliquo externo significat, quod non est, contra id, quod ipse censet. Sed qui utitur eo signo externo genuflectendi coram confessario parato ad confessiones audiendas, & cum ea intentione prædicta, utitur eo signo, ad significandum circumstantibus, se confiteri Sacramentaliter, cùm id falsum sit, & contra id, quod ipse censet: ergò per id signum externum mentitur.

72. Secunda pars, nempe quod sic mentiendo per signa externa, injuriam irroget Sacramento, patet ex dictis. Nam sicut Sacerdos simulans administrationem Sacramenti, injuriam irrogat Sacramento; ita & simulans susceptionem Sacramenti, ut constat ex dictis supra, maximè cùm in hoc casu sit simulatio formalis, & ex intentione decipiendi.

73. Assero tertiò. Qui accedit ad confessarium ad tractandum negotium pium, vel indifferens, accedit, inquam, genibus flexis, & modo, quo pœnitentes solent accedere sine intentione tamen decipiendi circumstantes, id est, sine simulatione formali; non peccat, neque subit damnationem hujus decreti. Ratio est. Nam ex eo ipso, quod sit valde usitatum, quod fœminæ sic accedant ad confessarium, vel causa petendi eleemosynam, vel poscendi intercessionem pro aliquo negotio, vel consulendi scrupulum; colligitur, eam actionem non esse signum externum determinatum, significans confessionem, sed potius significans unum è duobus, vel confessionem, vel tractationem negotii. Cùm ergò in tali casu illa fœmina præstet actionem, quæ neque ex se, neque ex intentione illius significet determinatè confessionem; manifestum est, quod ea non sit simulatio confessionis Sacramentalis.

74. Confirmatur ex iis, quæ dixi *cap. 1. prænotat. 1.* Etenim sicut dantur verba æquivoca, quæ habent duas significationes diversas; ita etiam dantur signa externa, quæ habent significationes diversas; & sicut qui profert verbum æquivocum, solet illud dicere in una significatione, & circumstantes intelligunt in alia; ita similiter contingit in signis externis. Quare homo acce-

dens

dens ad confessarium præfato modo, non dat signum determinatum confessionis; cùm illud etiam sit signum diversæ collocutionis.

CAPUT VII.

An incurrat hanc damnationem propositio docens, licitè fieri simulationem circa matrimonium ex gravi metu ineundum?

SUMMARIUM.

Variæ opiniones circa materiam, & formam matrimonii. n.75.

Vera sententia circa utramque. n.76.

Ratio contractus, & ratio Sacramenti sunt in matrimonio res diversa n.77.

Qui simulat matrimonium in ratione Sacramenti, peccat graviter contra Sacramentum. n.78.

An qui ex metu mortis simulat consensum in contractum matrimonii, non attendens ad rationem Sacramenti, irroget injuriam Sacramento? n.79.

Proposita hypothesi, probatur efficaciter, n.80. & seqq.

Contractus irritus non est materia, neque forma Sacramenti. n.83. & seq.

Referuntur Authores docentes, esse peccatum lethale conficere Sacramentum irritum, simul docentes, non esse tale celebrare contractum matrimonii, quando datur causa urgens, ut fiat sine animo contrahendi. n.36. & seq.

Qui fictè contrahit, non significat se dispensare merita Christi in Sacramento. n.90.

75. PRæmitto primò, varias esse sententias Doctorum circa materiam, & formam Sacramenti matrimonii. Prima est, quam docuit *Canus lib. 8. de locis, cap. 5. ad 3.* verba contrahentium esse materiam, & verba Parochi esse formam; censet enim matrimonia clandestina ante Tridentinum non fuisse Sacramenta. Sed *Bellarminus lib. 1. de Matrim. cap. 6.* & alii eam opinionem appellant temerariam. Secunda est, consensus contrahentium esse materiam, verba autem formam. Tertia est, consensum esse formam, verba autem materiam. Quarta est, contrahentes esse materiam, verba autem formam. Quinta est, verba, quæ à priori contrahente dicuntur, esse materiam, & quæ à posteriori, formam. Quæ omnes sententiæ habent suos Patronos, ut refert *P. Thomas Sanchez citandus*; quas omnes ibidem optimè refutat.

76. Vera sententia, est quam docet ipse *Thomas Sanchez lib. 2. de matrim. disp. 5. num. 6.* nempe verba, seu signa, quibus consensus utriusque exprimitur esse materiam & formam, sub diversa tamen ratione. Nam quatenus exprimunt traditionem corporum, sunt materia; quatenus acceptant eam traditionem esse formam. Quàm optimis rationibus confirmat: & probat, eam esse sententiam *S. Thomæ*, & citat pro ea *Bellarminum, Suarium, Sotum, Lodovicum Lopez, Angles, Spinum, Petrum de Ledesma, & Emmanuelem Rodriguez.*

77. Præmitto secundò, rationem contractus, & rationem Sacramenti esse in matrimonio res diversas, & intentionem contrahentiũ de facto posse ferri in contractũ, quin feratur in rationem Sacramenti. In quo casu illud matrimonium non erit Sacramentum defectu intentionis. Verum quidem est, inde oriri quæstionem, an inter fideles id matrimonium sit validum in ratio-

ratione contractûs. Quam optimè decidit *P. Thomas Sanchez lib. 2. de matrim. disp. 10. num. 6. cum Suario, & Petro de Ledesma*, illud matrimonium non est validum in ratione contractus, quia ex institutione Christi sunt inseparabiles hæ duæ rationes contractus, & Sacramenti inter contrahentes fideles.

78. Jam verò in præsenti quæstione sit prima conclusio. Qui simular matrimonium in ratione Sacramenti, sive quatenus Sacramentum est, ita ut expresè dicat se velle matrimonium sine intentione conficiendi Sacramentum, peccat lethaliter contra Sacramentum; neque potest ab eo peccato excusari ex metu quamtumvis gravi. Et propositio docens id esse licitum, incurrit hanc damnationem. Patet assertio. Nam simulatio in administratione Sacramenti irrogat injuriam Sacramento, ut constat ex dictis. Et in hac conclusione ponitur ea reduplicatio, *quatenus Sacramentum est*, quia cùm in matrimonio sint duo diversa, esse contractum, & esse Sacramentum, taliter quod intentio contrahentium possit de facto (non de jure) ferri ad unum, quin feratur ad alterum; dicimus in præsenti simulationem Sacramenti, saltem quatenus Sacramentum est, irrogare injuriam Sacramento.

79. Sit secunda conclusio. Qui ex metu mortis, vel alterius gravissimi nocumenti, simulat consensum in contractum matrimonii, non attendendo ad rationem Sacramenti, non irrogat injuriam ipsi Sacramento, atque adeò non peccat contra Sacramentum. Et ita necessario dicendum esse videtur probari à posteriori ex hypothesi, quæ potest, & solet contingere.

80. Petrus contraxit sponsalia cum Maria, & postea ex humana fragilitate cognovit carnaliter sororem ejus, contraxitque consequẽter impedimentum dirimens, per quod ineptus manet ad celebrandum cum Maria id matrimonium, mansit tamen omninò occultum id impedimentum. Ipse quia nimis pauper non habet modum ad petendam Romæ dispensationem impedimenti; & quamvis plurimi Authores dicant, in casu magnæ necessitatis posse Episcopum dispensare ante contractum matrimonium, quando non datur aditus ad Pontificem; multi tamen Episcopi nolunt sic dispensare. Et supponimus ejus esse dictaminis Diæcesanum Petri. Cùm ergò Petrus propter id impedimentum desistere velit ab eo matrimonio, accedit Maria ad tribunal Ecclesiasticum, ut cogatur Petrus implere promissionem sponsalium. Et quia admonitus à Judice Ecclesiastico non vult implere promissionem nuptiarum, incarceratur, excommunicatur, & denunciatur.

81. Quo ergò consilio utatur Petrus in his angustiis constitutus? Unum è duobus necessarium est, vel quod obediat Judici contrahendo, vel quod persistat in ea apparenti contumacia non contrahendi. Si hoc secundum faciat, magnum imminet periculum animæ ejus: nam quoad vixerit Maria, Petrus persistet incarceratus, & excommunicatus, privabiturque fortè per totam vitam auditione Missæ, & receptione Sacramentorum; imò in articulo mortis constitutus, utpote in foro exteriori contumax, privabitur Sacramentis, & Ecclesiasticâ sepulturâ. Ex quibus quantum animæ periculum immineat, clarè conspicitur.

82. Quod si dicat, se velle obtemperare Judici, contrahendo matrimonium; uno

no è duobus modis id exequi necesse est, vel contrahendo ex animo, vel simulando contractum. Si velit contrahere ex animo, & cum intentione tradendi sponsæ potestatem in corpus suum, peccabit lethaliter; quia id est velle inire matrimonium, quod est omninò nullum, & ab Ecclesia prohibitum; imò & prohibitum esse jure naturali contrahere matrimonium etiam cum impedimento dirimenti ex jure Ecclesiastico, tamquam certum affirmat *P. Thomas Sanchez, lib. 7 de Matrim. disp. 5. num.* 1. Ergò necesse est, quod obediat exterius contrahendo, ita ut simulet contractum sine intentione se obligandi; ut sic possit fugere, & per absentiam liberare se ab eo crimine ducendi uxorem cum impedimento detrimenti. Licèt non cum intentione simulandi Sacramentum, sed taliter, quod intentio simulandi solùm feratur in contractum humanum matrimonii.

83. Probatur secundò conclusio à priori. Quia non est materia, neque forma Sacramenti matrimonii contractus irritus, & nullus, sed dumtaxat contractus validus: atqui contractus matrimonii ex gravi metu injustè illato non est materia, neque forma Sacramenti. Ergò qui ex metu gravi injustè illato simulat contractum, scilicet non habens intentionem contrahendi, non simulat aliquid pertinens ad Sacramentum, sed potius ad aliquid impertinenter se habens ad Sacramentum.

84. Major probatur: nam, ut optimè perpendit *P. Thomas Sanchez lib. 4. de matrim. disp. 16. num. 6.* Christus D. non alteravit naturam contractus matrimonii, sed eam illæsam retinens, eam elevavit, ut sit Sacramentum: ex quo manifestè patet, ubi contractus matrimonii est invalidus, illum non esse elevatum à Christo D. ut sit Sacramentum; atque adeò verba sic contrahentium, nullatenus pertinent ad materiam, neque ad formam Sacramenti.

85. Si autem contractus matrimonii fiat metu justè illato à Judice (justè, inquam, quoad forum externum, & juxta allegata, & probata) cùm adest impedimentum dirimens omninò occultum, manifestum est, quod talis contractus est irritus, ut in casu primæ probationis: ergò neque sic pertinet ad materiam, neque ad formam hujus Sacramenti. Quibus autem verbis simulare debeat contractum ejusmodi, ne mentiatur; constat, non debere fieri per restrictionem mentalem, sed per aliud verbum amphibologicū. De quo vide dissertationē 18.

86. Probatur tertiò conclusio. Nam Authores docentes, esse peccatum lethale conficere Sacramentum irritum, simul docent, non esse tale celebrare contractum matrimonii, quod est irritum, quando datur causa urgens, & celebratur fictè, & sine animo contrahendi, constituentes discrimen inter contractum matrimonii, & reliqua Sacramenta. Sic *P. Thom. Sanch. lib 1. de matrim. disp.* 11. *num.* 2. nam cùm dixisset esse licitum, ex urgenti causa fictè contrahere matrimonium sub aliqua amphibologia, subjungit. *Quod si opponas irritum reddi Sacramentum, dico... diversum esse in hoc Sacramento, & in aliis sentiendum: cùm enim ultra Sacramenti rationem, contractus naturam induat, potest ea ratione, qua contractus est, absque Sacramenti injuria, irritum reddi, quando causa justa ad id cogit.* Ecce quomodo ex sententia illius, fictio non tangit Sacramentum sed solùm contractum.

87. P. Hen-

87. *P. Henriquez lib. 11. de matrim. cap. 9.* agens de contractu matrimonii initio ex metu gravi, etiamsi contrahens sciat esse nullum, ait: *Nec incurrit Sacrilegii culpam ex Sacramento invalido; habet enim jus ad eum contractum, ut vitet mortis periculum. Qui tamen alia Sacramenta ministraret, sciens esse irrita, sacrilegus est, eo quod non habent rationem humani contractus.* Qui author, licèt non loquatur de contractu ficto, loquitur tamen de contractu scienter invalido. Est autem eadem ratio de Sacramentis fictè administratis, atque de invalidè confectis: & discrimen, quod agnoscit inter matrimonium invalidè celebratum, & reliqua Sacramenta invalidè ministrata, eodem modo se habet quoad fictam, atque quoad invalidam administrationem.

88. *P. Castro Palao tom. 4. disp 2. punct. 12. n. 3.* agens de eo, qui coactus metu gravi contrahit, sive fictè, sive ex animo, celebratque proinde contractum nullum, addit: *Ex alia parte nullam injuriam Sacramento irrogat, quia contractus metu extortus irritus est, & consequenter nec materia, nec forma Sacramenti esse potest. Secus contingit, quando quis compelleretur proferre formam Sacramenti super materiam indebitam, quia tunc injuriam irrogat Sacramento, cùm ejus formam irritam faciat.*

89. *P. Ægidius de Coninck disp. 28. de matrim. dub. 3.* cùm dixisset, non peccare eum, qui ex metu gravi contraheret fictè matrimonium, si id fiat sine mendacio, subjungit sequentia num 33. *Dices, Peccat mortaliter, qui etiam metu mortis aliquem indispositum fictè absolvit: ergò etiam qui fictè contrahit, quia illudit Sacramento. Respondeo negando consequentiam: quia ille ex persona Dei falsum judicium exterius profert: & consentit ei, qui directè aliquid impium, & Sacrilegum petit; unde externum Sacrilegium committit: matrimonium autem directè tantùm petitur, quatenus est contractus, non autem qua Sacramentum. Quare contrahentes non sustinent immediate personā Christi dispensantis sua merita, sed privatam personam ineuntis contractum, cui per accidens adjuncta est à Christo participatio Sacramenti. Atque adeò metu contrahens non fingit, se sacrilegè dispensare merita Christi; sed tantùm se inire contractum; qui si non ponatur, nulla materia, aut forma Sacramenti ponitur. Quare cùm palam sit actus ejus, qui metu contrahit, non posse constituere validum contractum; palam etiam est, eos non posse esse materiam Sacramenti; quare eos ita ponens, non significat, se ponere Sacramentum.* Huc usque *P. Ægidius.*

90. Ex quibus verbis probatur quartò conclusio. Ideò enim Confessarius, qui metu mortis constrictus absolvit fictè, & sine intentione peccatorem indispositū, peccat, quia significat, se dispensare merita Christi in Sacramento: sed qui metu mortis constrictus contrahit fictè matrimonium, non significat, se dispensare merita Christi in Sacramento: ergò in contractu ficto matrimonii ex metu mortis, non est eadem ratio, ac in eo, qui fingit absolutionem erga peccatorem indispositum. Probatur Minor. Nam contractus validus præsupponitur ad rationem Sacramenti ergò donec adveniat contractus validus, non datur significatio Sacramenti: atque adeò si contractus est fictus, non potest significari dispensatio meritorum Christi in Sacramento.

DISSERTATIO XXI.

Quando, & quomodo sit illicitum, occidere prætextu defensionis calumniatorem, percussorem, furem, & impedientem potiri quem jure suo?

CAPUT I.

Referuntur quatuor propositiones damnatæ; & prænotantur aliqua.

SUMMARIUM.

Prima pars propositionis 30. similis est aliis damnatis ab Alexandro. n. 5.

Authores, qui eam primam partem propugnaverunt ante damnationem. n. 6.

Opinio Filguera extendentis damnationem ad omnem occisionem invadentis honorem. n. 7.

Sententia Caramuelis cum variis limitationibus. n. 8.

Sententia P. Lessii cum distinctione speculativè, & practicè. n. 9.

1. PLacuit conjungere quatuor propositiones damnatas, quia illæ omnes agunt de quodam genere defensionis iniquo, ratione cujus defensionis perperam docent, licitam esse offendentis occisionem. Itaq; propositio 30. est: *Fas est viro honorato occidere invasorem, qui nititur calumniam inferre, si aliter hæc ignominia vitari nequit. Idem quoque dicendum, si quis impingat alapam, vel fuste percutiat, & post impactam alapam; vel ictum fustis fugiat.*

2. Propositio 31. hæc est. *Regulariter occidere possum furem pro conservatione unius aurei.*

3. Propositio 32. est. *Non solùm licitum est defendere defensione occisiva, quæ actu possidemus, sed etiam ad quæ jus inchoatum habemus, & quæ nos possessuros speramus.*

4. Propositio 33. est hujus tenoris. *Licitum est tam hæredi, quàm legatario contra injustè impedientem, ne vel hæreditas adeatur, vel legata solvantur, se taliter defendere: sicut & jus habenti in Cathedram, vel præbendam contra eorum possessionem injuste impedientem.*

5. Propositio trigesima habet duas partes, quæ decisionem suam desumunt à diversis principiis; ideò prius de priori, deinde de posteriori nobis agendum est. Et quidem prima pars est valde similis propositionibus 17. & 18. ex illis, quas damnavit Alexander VII. hæc enim, & illæ duæ ex eisdem principiis refelluntur. Sic enim se habet illa propositio 17. *Est licitum Religioso, vel Clerico, calumniatorem gravia crimina de se, vel de sua Religione spargere minantem occidere, quando alius modus defendendi non suppetit; uti suppetere non videtur, si calumniator sit paratus vel ipsi Religioso, vel ejus Religioni publicè, & coram gravissimis viris prædicta impingere, nisi occidatur.* Et propositio 18. ex damnatis ab Alexandro, hæc est. *Licèt interficere falsum accusatorem, falsos testes, ac etiam Iudicem, à quo iniqua certo immineat sententia, si alia via non potest innocens damnum evitare.*

6. Circa primam partem propositionis hujus 30. oportet referre aliquos dicendi modos, ut clarius cognoscamus, quæ opiniones sunt, quæ subeunt hanc damnationem.

tionem. Primam partem propositionis 30. damnatæ, ante damnationem propugnaverunt multi, apud *P. Matthaeum de Moya tom.* 1. *tract.* 3. *disp.* 3. *cap.* 6. *num.* 55. & *Amadaeum Guimenium tract. de just. prop.* 1. & *apud Leandrum à SS. Sacr. to* 5 *de irregular. tract.* 2. *disp.* 12. *quæst.* 30. qui hanc partem sequitur.

7. Secundò. *Filguera* in expositione hujus propositionis 30. existimat manifestum, hac damnatione comprehendi opinionem quomodolibet docentem, quod possit quis occidere invasorem honoris cum moderamine inculpatæ tutelæ contra eos, qui id admittunt fieri posse in aliquibus casibus. Hi sunt *Sotus lib.* 5. *de Just. quæst.* 1. *art.* 6. *Zanardus in direct. ubi de homicidio cap.* 2. *Cajet.* 2. 2. *qu.* 64. *art.* 7. & *alii, quos refert, allatis eorum verbis Amadæus ubi supra.*

8. Tertiò Caramuel in Theolog. fund. fundamento 55. *num.* 1580. ait, stando in jure naturali, posse occidi infamatorem pro defensione proprii honoris; stando verò humanis legibus, non posse. Quod post varias conclusiones, his verbis explicat. *Conclusionum conclusio. Si Titium Albericus homo laicus infamat (hoc est infamare pergit) perfidè nimirùm, & injustè; & verum est, Titii opinionem, & authoritatem calumniis his graviter lædi (nam leves jacturæ indignæ sunt remediis gravibus) si verbis non se possit defendere; si eum Respublica protegere, & defendere nolit, aut nequeat; & tandem si suum honorem verè tueri possit, occidendo Albericum, & non aliter; in tali, inquam, circumstantiarum concurrentia stando juri naturæ poterit Titius Albericum occidere*, statim verò subjungit. *An ne eadem doctrina poterit admitti, stando juri civili, aut Canonico? Respondeo, ex neutro posse.*

9. Quartò *P. Lessius lib.* 2. *de just. cap.* 9. *dub.* 12. *num.* 81. affirmat in ea quæstione, (An possit occidere eum, qui nititur calumniam inferre?) quod, etsi speculativè vera esset, tamen in praxi non potest habere locum.

CAPUT II.

Quibus argumentis probetur efficaciter falsitas propositionis damnatæ quoad priorem partem; & quomodo intelligenda sit ejus damnatio?

ARTICULUS I.

Duo argumenta proponuntur.

SUMMARIUM.

Non licet occidere hominem propter solam opinionem probabilem. n. 10.

Sicut non licet spoliare hominem bonis fortunæ propter solas rationes probabiles. n. 11.

Sicut etiam non licet Judici occidere reum cum sola probabilitate, nempe ex semiplena probatione. n. 12.

Jus certum unius non potest amitti per jus incertum alterius. n. 13.

Jus defendendi se à calumniatore per occisionem, non potest esse plus quam probabile. nu. 14.

Non est licita defensio occisiva, nisi constet evidenter de moderamine inculpatæ tutelæ. n. 15.

Et demonstratur hæc assertio. n. 16.

Per occisionem non impeditur effectus calumniæ. n. 17.

Non potest constare evidenter de damnificatio-

catione secutura ex calumniis. n. 18.
Occisio falsi testis non est medium unicum ad evadendum supplicium. n. 20. & 21.

10. EAm primam partem propositionis esse evidenter falsam censeo, etiam independenter ab hac damnatione propter hæc argumenta. Primùm. Non licèt occidere hominem propter solam opinionem probabilem: sed solùm est probabile (do, & non concedo) quod occidi possit, qui calumniam inferre pergit: ergò non licèt occidere hominem, qui calumniam inferre pergit.

11. Quæ ex his tribus propositionibus nō est evidens? Inprimis consequentia legitimè infertur. Major ex terminorum apprehensione evidens est. Primò Si enim non licèt spoliare hominem bonis fortunæ, propter sòlas rationes probabiles de proprietate, quando habet homo legitimam possessionem talium bonorum; ut ostendi in 1. *part. Crisis Theol. disp. 16. c. 8. art. 3. & seqq.* à fortiori non erit licitum privare hominem vita, quam à Deo possidet, propter solas rationes probabiles.

12. Secundò probatur eadem Major. Quando interest Reipublicæ, nempè in vindicta publica malefactorum, non est licitum Magistratui occidere hominem cum sola semiplena probatione juris, vel facti: semiplena autem probatio quid aliud est, quam probabilitas; sicut plena probatio facit certitudinem moralem: ergò à fortiori cùm non intersit Reipublicæ, neque intervenit authoritas publica, sed privata dumtaxat, non licebit occidere hominem propter solas rationes probabiles.

13. Tertiò. Nam jus certum unius non potest amitti per jus incertum alterius; si enim jus certum, & jus incertum in statera rationis appendantur, necesse est, quod jus incertum superetur à certò. Tum sic. Homo, ex quo editur in lucem, habet jus certum ad vitam suam; neque illud amittit, nisi per aliud certum jus Reipublicæ ortum ex jure puniendi delicta, aut per aliud jus certum alterius defendendi vitam suam: ergò per jus alterius incertum non potest amitti illud jus certum ad vitam. Sed jus probabile est jus incertum: ergò jus certum ad vitam non potest amitti per jus probabile alterius.

14. Jam verò Minor prioris syllogismi, nempè jus defendendi se defensione occisiva à calumniatore, non potest esse plus quàm probabile, ostenditur. Tùm quia statim atque hæc assertio edita est in lucem, quamplurimi viri sapientes in tota Republica Christiana acriter refragati sunt, & toto conatu restiterunt: si autem id jus certum esset, non est credibile, quod ita ei resisteretur à sapientibus. Tùm etiam, quia rationes partis oppositæ habent facilem solutionem, ut minimum probabilem, ut ex dicendis constabit: rationes autem, quæ habent probabilem solutionem, non possunt evehere conclusionē ad gradū certitudinis.

15. Secundum argumentum pro eadem conclusione est. Ut licita sit defensio occisiva, debet constare evidenter de moderamine inculpatæ tutelæ: sed in defensione occisiva contra calumniatorem non potest constare evidenter de moderamine inculpatæ tutelæ: ergò non potest esse licita defensio occisiva contra calumniatorem.

16. Major patet: nam ut talis defensio sit licita, debet constare evidenter, occisionem esse medium ad impediendam damnificationem, & nullum aliud esse medium ad illam impediendam: sed in hoc consistit tale moderamen: ergò debet constare evidenter

ter de tali moderamine. Tum etiam, nam cùm invaditur vita alicujus per ensem, ideò fit defensio occisiva cum moderamine inculpatæ tutelæ, quia clarè videt invasus occisionem alterius esse medium evadendi mortem, & illud esse unicum medium, in eo scilicèt, qui non tenetur, aut non potest fugere, aut qui ex fuga prudenter timet majus periculum. Ergò ad moderamen inculpatæ tutelæ requiritur ea evidentia.

17. Jam verò Minor prioris syllogismi, nempè in defensione occisiva contra calumniatorem non posse constare evidenter de moderamine inculpatæ tutelæ, ostenditur. Et inprimis non potest constare illud esse medium, quo impediatur effectus calumniæ; solet enim plerumque contingere, quod calumniator sparserit in vulgus calumnias: in quo casu nihil prodest occisio calumniatoris, sic enim non impeditur effectus calumniæ: quomodo ergò constabit evidenter patienti, quod per occisionem calumniatoris impeditur effectus calumniæ?

18. Deinde non potest constare evidenter patienti de damnificatione sibi alias secutura: nam sæpissimè contingit, quod calumniator spargit calumnias, & quod audientes non habeant Fidem calumniatori. Quomodo ergò patienti constabit evidenter, quod audientes habent Fidem dictis calumniatoris? Quomodo ergò occisio calumniatoris erit evidens medium ad propulsandam calumniam, quæ fortasse non sortitur effectum. Imò verò, si sciant, à patiente occisum calumniatorem, ea occisio erit medium, ut augeatur fides calumniæ; audientes enim credent, reum esse eorum delictorum, quæ calumniator spargit, ex eo quod delictum occisionis perpetraverit. Facilè enim credent homines esse furem, vel adulterum eum, qui est homicida. Undè tantum abest, ut occisio calumniatoris sit medium ad propulsandam calumniam, ut potiùs sit medium ad credendum, occisorem esse reum eorum omnium, quæ in eum conjiciuntur.

19. Dices, his rectè probari ad occidendum eum, qui extrajudicialiter calumniatur, vel non esse medium, vel non esse unicum occisionẽ calumniatoris; ast respectu falsi testis, aut dolosi accusatoris, videntur nihil probare eæ rationes propositæ. Nam occisio falsi testis impedit testificationem faciendã in judicio, & præterea quia testificatio facta in judicio communiter affert præjudicium ei, contra quem fit.

20. Hæc objectio militat contra damnationem, quam decrevit Alexander VII. de qua suo loco dicendum est, interim tamen contra est. Nam occisio falsi testis si practicè consideretur, nec est medium, ut quis evadat supplicium; & casu, quo esset mediũ, non esset unicum. Non est medium, ut evadat supplicium, quia potiùs ea occisio est medium, ut incidat in majus supplicium pœnæ capitalis, quæ incurritur propter occisionem: neq; enim ullũ tribunal admittit excusationem defensionis in ea hypothesi. Neq; obstat, quod occultè occidatur: experientia enim quotidiana comprobatur delicta occultissimè patrata manifestari ex variis conjecturis.

21. Sed quamvis esset medium, non potest esse medium unicum evadendi supplicium. Nam statim atque occidit quis hominem, per absentiam conatur evadere è manibus Magistratus: ergò etiam potuit evadere à damnificatione falsi testis per absentiam à loco. Si ergo duo sunt media ad

ad evitandum damnum resultans ex falso teste, nempè absentia à loco, & occisio testis falsi; cùm non liceat occisio defensiva, nisi quando est medium unicum; fit non posse occidi falsum testem, quando potest per absentiam vitari malum imminens in judicio: maximè cum facta occisione testis, assumenda sit absentia pro medio ad evadendum supplicium.

ARTICULUS II.

Alia duo argumenta pro eadem Conclusione.

SUMMARIUM.

Implicat jus privata defensionis, quod sit contra jus Reipublica. n. 22.

Quomodo defensio occisiva calumniatoris sit contra jus Reipublica. n. 24.

Quomodo legibus civilibus, & Canonicis interdicatur occisio privata calumniatoris. num. 25.

Quomodo leges civiles oriantur ex praxi populorum? n. 27.

Qua ratione jure Canonico interdicatur ea occisio? n. 29

An ea interdictio constet ex traditione, & quomodo? n. 30.

An similis interdictio sit in jure civili? n. 31.

22. Tertium argumentum est ex *P. Lessio lib. 2. de Iust. cap. 9. dubit. 12. nu. 82.* Ubi sic ait: *In jure defensionis semper considerandum, ne ejus usus in perniciem Reipublica vergat.* Ex quibus verbis sic construitur argumentum. Implicat, quod detur jus privatæ defensionis, quod vergat in perniciem Reipublicæ: sed jus defensionis privatæ occisivæ contra calumniatorem, si daretur, vergeret in perniciem Reipublicæ: ergò implicat tale jus. Consequentia est evidens.

23. Major demonstratur. Implicat enim jus privatum contra jus publicum. Nâm ubi agitur de jure privato, & de jure publico sibi invicem adversantibus, jus publicum prævalere necesse est. Atqui jus publicum est in communitate, vel Republica, nequid agatur in sui perniciem: ergò si defensio occisiva privata cedat in perniciem ipsius Reipublicæ, tale jus defensionis est contra jus publicum Communitatis, sive Reipublicæ, atque adeò est implitorium.

24. Minor verò prioris syllogismi ostenditur. Illud est in perniciem Reipublicæ, quod est perniciosum multitudini; atqui tale jus defensionis occisivæ contra calumniatorem esset perniciosum multitudini; nam cum in Republica sint multæ querelæ, detractiones, invidiæ, item cum commune sit hominibus philautia (amore sui ipsorum) plenis, famæ detractiones, quamvis tenues, reputare ingentes; fieret, quod homines plurimi existimarent, sibi esse jus occidendi; unde innumeræ fierent occisiones, & Respublica assiduis odiis, bellisque civilibus arderet. Esset ergò jus illud defensionis occisivæ contra calumniatorem in perniciem Reipublicæ.

25. Quartum argumentum ex Caramuele relato *c. 1.* sic instruitur. Legibus humanis Civilibus & Canonicis prohibita est occisio defensiva contra calumniatorem; quæ leges quia versantur in materia gravissima, & pro bono publico, sive pro vitanda pernicie publica maximè sunt obligatoriæ; leges enim eò magis obligant, quò magis bono publico prospiciunt. Ergò nemini licèt occisio defensiva contra calumniatorem.

26. An-

26. Antecedens probatur. Quamvis enim non inveniantur leges scriptæ sub his terminis; tamen moribus hominum illæ stabilitæ sunt. Etenim nulla Respublica (nisi barbara) est in orbe, quæ non puniat gravissimè eos, qui occidunt, quamvis provocatos quolibet calumniarum, aut detractionum genere; item nulla est Respublica (nisi barbara) quæ non judicet justè puniri tales occisores: quomodo ergò punientur justè, si nec lege Divina, nec humana sit prohibita ea occisio? Dicendum ergò est, moribus, & consuetudinibus, imò & praxi ipsa apud omnes nationes prohibitam esse talem occasionem calumniatorum.

27. Et quidem si agamus de legibus civilibus, constat, eas quandoque oriri ex moribus, & praxi ipsius populi. Sic enim habetur *in l. De quibus. ff. de legibus.* illis verbis: *Inveterata enim consuetudo pro lege non immeritò custoditur: & hoc est jus, quod dicitur moribus constitutum. Nam cum ipsæ lege; nulla alia ex causa nos teneant, quam quod judicio populi receptæ sunt; meritò & ea, quæ sine ullo scripto populus probavit, tenebunt omnes. Nam quid interest, suffragio populus voluntatem suam declaret, an rebus ipsis, & factis?* Idem habetur *ex l. Sed ea.l. Diuturna, & l. Imò ff. de legibus, & in jure Hispano l.3.4.5. & 6 tit.2 part.1.*

28. Major difficultas reperitur circa jus Ecclesiasticum, in quo nihil potest populus, cum tota jurisdictio Ecclesiastica dimanaverit à Christo Domino in Ecclesiæ Principem, & ab hoc in cæteros Prælatos. Præterea quia *in 2 part. Crist. Theol. disp 23. cap.5.* asserui, obligationem consuetudinis præceptivæ, & prohibitoriæ oriri ex traditione præcepti. Cum ergò non inveniatur lex scripta sub his terminis prohibens defensionem occisivam contra calumniatorem; neque sciamus, datum esse voce tenus hoc præceptum (quale est omne præceptum in traditione constitutum) videtur dici non posse, dari talem prohibitionem scriptam, vel traditam in jure Ecclesiastico.

29. Sed hæ duæ difficultates facilem habent explicationem. Et quod attinet ad priorem, ea prohibitio defensionis occisivæ contra calumniatorem, in jure Ecclesiastico non oritur à populo, sed à tribunalibus tam supremo, quàm inferioribus. quæ dum puniunt ejusmodi occisionem, quamvis allegetur, factam fuisse propter calumnias; satis declarant, eam non tolerari, atque adeò prohibitam esse in Republica Ecclesiastica.

30. Quod attinet ad posteriorem difficultatem, quælibet prohibitio non scripta, in traditione subsistit. Traditio autem non petit necessariò, quod præceptum datum fuerit voce tenus; dummodo significetur per alia signa externa. Dum ergò tribunalia Ecclesiastica puniunt occisionem calumniatoris, sufficiens signum proferunt detestationis, & prohibitionis. *Quid enim interest* (ut loquamur verbis citatæ legis *De quibus.*) *Suffragio* Magistratus Ecclesiastici *Voluntatem suam declarent, an rebus ipsis, & factis*? Et ideò dicendum est, hanc prohibitionem non scriptam traditione subsistere, & moribus, praxique Prælatorum Ecclesiasticorum esse constitutam.

31. Imò vero loquendo de legibus civilibus, quæ pendent à populo, dicendum est, eodem modo inductam esse hanc prohibitionem à Principibus sæcularibus, quatenus

tenus tribunalia suprema, & infima ipsa punitione hujus delicti dant sufficiens signum externum detestationis, & prohibitionis delicti, quamvis cum majori dependentia ab acceptione populi.

ARTICULUS III.

Discrimen defensionis occisivæ contra invasorem vitæ, & similis defensionis contra calumniatorem.

SUMMARIUM.

Argumentum à paritate. num. 32.

Prima disparitas, quod defensio vitæ per occisionem est certo licita, non autem defensio contra calumnias. num. 33.

Secunda disparitas, quod qui modo dicto defendit se à gladio, habet evidentiam de moderamine, non autem qui defendit se à calumnia. num. 34.

Tertia disparitas, quod qui defendit se à calumniatore per occisionem, agit contra jus Reipublicæ, non autem, qui se defendit ab occisione. num. 35.

Quarta disparitas; quod defensio vitæ cum moderamine nulla lege interdicitur; non sic defensio occisiva calumniatoris. n. 36.

Eadem quadruplex disparitas tenet; etiamsi desumatur paritas à defensione bonorum fortunæ. num. 37.

32. PRæcipuum fundamentum, quo nitebatur ea propositio damnata, desumebatur à paritate rationis. Etenim non est minor violentia, nec minus nociva homini honorato, invadere illum per calumnias, & detractiones falsas, quàm invadere illum per ensem, aut per alia arma: sed invasus per ensem potest se defendere defensione occisiva, scilicet cum moderamine: ergò invasus per calumnias, & detractiones falsas potest se defendere defensione occisiva cum moderamine.

33. Hoc tamen argumentum evanescit assignato discrimine inter utrumque. Illud autem est multiplex. Primum est ad normam primi argumenti, propositi *art. 1.* Nam quod quis defensione occisiva defendat vitam cum moderamine inculpatæ tutelæ, est certo licitum; quod autem simili defensione se defendat contra calumnias, & detractiones, est ad summum probabile speculativè (do, & non concedo) unde practicè non est licitum occidere hominem propter jus merè probabile & incertum. Vide ergò, quam latum sit discrimen inter jus certum, & jus merè probabile.

34. Secundum discrimen ad normam secundi argumenti est: quod ille, qui defendit vitam adversus gladium, habet evidentiam de moderamine inculpatæ tutelæ, & de justitia ejus: qui autem defendit famam à lingua detrahente, aut calumniante, defendit, inquam, per occisionem calumniatoris, non potest habere evidentiam de moderamine inculpatæ tutelæ; tum quia fortasse audientes non adhibebunt fidem; tum etiam quia contingere potest, quod per eam occisionem non liberetur à nocumento calumniæ, & ideò occisio non sit medium ad vitandam calumniam, atque adeò neque ad defensionem intentam. Tum præterea, quia occisio calumniatoris potius est medium ad augendum nocumentum detractionis; quia homines

mines facilius credent detractionem de eo, quem vident esse homicidam.

35. Tertium discrimen est, quod, ut constat ex tertio argumento, jus defensionis occisivæ calumniatorum est in perniciem Reipublicæ, atque adeò contra jus ipsius Reipublicæ; jus autem privatæ defensionis non potest prævalere contra jus publicum Communitatis. Quod non contingit in defensione propriæ vitæ, quæ non cedit in perniciem Reipublicæ.

36. Quartum discrimen ad normam quarti argumenti est, quod defensio vitæ cum moderamine inculpatæ tutelæ nulla lege interdicitur, in nullo tribunali punitur; defensio autem occisiva calumniatoris legibus humanis prohibetur, & in omnibus tribunalibus punitur.

37. Denique advertendum est, hanc paritatem, quæ pro damnata propositione urgeri solet, à nobis solum esse propositam per comparationem ad defensionem vitæ; quæ tamen solet etiam proponi per comparationem ad defensionem bonorum fortunæ. Sed eodem modo respondendum est, sive fiat comparatio ad defensionem vitæ, sive ad defensionem bonorum fortunæ, si hæc sint in magna quantitate, & cum ingenti nocumento.

ARTICULUS IV.

An subjaceat huic damnationi opinio docens, esse licitum in aliquibus casibus defendere honorem defensione occisiva cum moderamine?

SUMMARIUM.

Filguera existimat, quod opinio affirmativa incurrit damnationem. num. 38.

Opinio docens, posse defendi honorem occisione invadentis per verba, subjacet damnationi. num. 39.

Opinio, qua loquitur de honore invaso, non verbis, sed factis, non subjacet damnationi formaliter. num. 40.

Neque virtualiter. num. 41.

Quando honor impetitur factis ignominiosis, licitum est tueri se armis; sed plerumque hac defensio non est solius honoris. Et explicatur relatione cujusdam casus. num. 43.

Notantur aliqua circa casum propositum. num. 44.

Secundus casus, in quo licet is modus defensionis. num. 46.

Tertius casus de aggressore virginis. n. 47.

Confirmatur ex jure Civili, & Canonico. num. 48.

Solvitur objectio. num. 50.

38. VIdimus *cap. 1.* existimare Filgueram, opinionem affirmativam subjacere huic damnationi. Nam loco citato sic asserit, [Ad damnationem opinionis asserentis, esse licitum, alium occidere cum moderamine inculpatæ tutelæ, in defensione proprii honoris. profectò existimo esse

recurrendum; nec alia via posse explicari, manifestè deduco.] Ita Filguera.

39. Præmitto, honorem posse invadi tum verbis, tum factis. Et dico primò. Opinio docens, cum quis invadit verbis honorem alterius, posse honorem protegi defensione occisiva, subjacet huic damnationi. Patet conclusio ex ipsis terminis conclusionis damnatæ. Nam ea verba. *Qui nititur calumniam inferre*, significant quamlibet detractionem famæ, sive coram, sive in absentia factam. Et ejusmodi defensionem occisivam esse illicitam, satis evidenter constat ex *art 2. & 3.*

40. Dico secundò, eam opinionem, quæ loquitur de honore invaso, non verbis, sed factis, non subjacere huic damnationi formaliter, neque virtualiter. Non formaliter. Tunc enim formaliter subjacet propositio damnationi, quando expressis, æquivalentibus terminis continetur in propositione damnata: sed propotio docens, quod [potest quis defendere se defensione occisiva ab ignominiosa percussione arundinis, vel fustis, si alia via non potest se defendere.] Non continetur expressis, & formalibus terminis in propositione damnata, quæ in priori parte loquitur de occisione calumniatoris, & in posteriori de occisione ejus, qui prius percusserat; sed neque continetur in illa æquivalentibus terminis, non enim possunt esse æquivalentes propositiones, quæ de diversis objectis loquuntur. Ergo ea opinio non subjacet formaliter, & expressè huic damnationi. Quomodo enim poterit expressè damnare ea, de quibus non loquitur expressè neque æquivalenter.

41. Sed neque virtualiter subjacet huic damnationi. Tunc enim propositio subjacet virtualiter damnationi, quando est antecedens, unde infallibiliter infertur propositio damnata, nam eo ipso quod propositio damnata sit falsa, necesse est, quod sit falsum antecedens, ex quo illa legitimè infertur; & ideò ex regula Dialecticæ, bene valet à contradictorio consequentis ad contradictorium antecedentis Sed propositio asserens, licitam esse defensionem honoris occisivam in casu proximè proposito, non est antecedens, unde inferatur propositio damnata; ex eo enim, quod licitum sit defendere se per occisionem ab ignominiosa percussione fustis, nullo modo infertur, quod licitum sit defendere se per occisionem à detractionibus, & calumniis; & ex eo, quod liceat armis defendere honorem factis invasum, non infertur, quod liceat defendere honorem verbis impetitum, ut satis constat ex articulis præcedentibus. Ergo præfata propositio de honore tuendo per occisionem in casibus, in quibus honor factis invaditur, neque virtualiter subjacet huic damnationi.

42. Supposito ergo, quod præfata propositio de honore factis invaso, sic tuendo non maneat damnata formaliter, neque virtualiter, restat inquirere, an ea vera sit.

43. Dico tertiò. In illis casibus, in quibus honor impetitur factis ignominiosis, licitum est tueri honorem ferro, & armis; sed plerumque contingit, quod defensio occisiva cum moderamine inculpatæ tutelæ non sit propter solum honorem tuendum. Explicatur, & probatur conclusio proponendo casum, qui propter pravitatem cordis humani solet frequenter accidere. Homo carnalis obstinata audacia intendit violare thorum viri nobilis. Ille audax promisso, aut etiam præmisso auro init

factum

pactum cum famulo domus, ut aperiat qua hora noctis herus nobilis absit à domo: famulus monet ab hora noctis nona usque ad undecimam exiltere herum in domo (quam vocant) conversationis. Condictis die, & hora, ille herus nobilis monetur paulò ante nonam de ausu temerario aggressuri. Nec tunc aliud occurrit ei medium defensionis, nisi expectare aggressorem districto gladio. Quem cum videt ingredientem, eum excipit objecto mucrone. Ille vult resistere, & districto gladio incipit pugna. Contingit autem sæpè, quod aggressor, tum conscientiâ suæ iniquitatis oppressus, tum armis viri nobilis justitia sua freti constrictus, retrocedit paulatim, & hostis conspectum fugit.

44. Circa quem casum aliqua notanda veniunt. Primum, quod nemo potest optimatem illum arguere de culpa, quod districtum gladium opposuerit aggressori sui honoris, cum non habuerit aliud medium occurrendi illi ignominiæ. Secundum, quod si ille aggressor persisteret in pugna, & invasus occidisset illum cum moderamine inculpatæ tutelæ, non occidisset solum propter tuendum honorem, sed etiam propter tuendam vitam. Propter tuendum honorem opposuit ferrum licitè: & quia aggressor discessit, non licuit illi amplius offendere aggressorem. Si autem aggressor persisteret, jam non solum esset aggressor honoris, sed etiam aggressor vitæ; ideoque poterat occidi cum moderamine inculpatæ tutelæ.

45. Ex quibus clarè patent ea duo, quæ in conclusione proposui: & quod licitum sit marito tueri suum honorem ferro, & armis, ne suus honor, & uxoris honestas deformetur; & quod maritus utens defensione occisiva contra aggressorem persistentem in usu gladii contra maritum, non utitur defensione occisiva solum propter honorem, quia jam iste pugnat tunc etiam pro tuenda vita. Adhuc tamen in hoc sensu dicitur, quod maritus possit uti defensione occisiva contra aggressorem honoris, quatenus provocatio incepit à defensione honoris; quamvis incepta pugna defensio occisiva immediatè processerit à defensione vitæ, contra quam etiam aggressor persistens in pugna, invasionem fecerit.

46. Secundus casus, in quo licet defendere honorem ferro, & armis, est, cum aggressor intentat percussionem ignominiosam fustis, vel arundinis contra virum nobilem: cui, ut impediat percussionem, licitum est opponere gladium. Quod si videns aggressor districtum gladium suum opponat denuo, aut arma alia, jam non est solum aggressor honoris, sed etiam vitæ. Et ideò si non possit invasus alia via evadere periculum mortis de novo imminens, poterit uti defensione occisiva cum justo moderamine.

47. Tertius casus est, in quo aggressor conatur deflorare virginem: illa enim, si fugere non potest, etsi proclamatio est illi inutilis aut ignominiosa, potest suum honorem tueri etiam defensione occisiva. In quo casu talis defensio occisiva potest contingere, quod fiat propter solum honorem virginitatis. Et idem est de sodomita invasore pudicitiæ contra virum, qui licitè potest se defendere ab ea contumelia, si alia non posset, defensione occisiva. Nam ea violentia tanta est, & tam gravis, ut licitè possit per quodlibet genus violentiæ repelli.

48. Et hi tres casus, & alii ejusdem generis

neris admittendi sunt ab omnibus ex regula *Vim vi repellere licet. l. Ut vim. ff. de Iust. & Iur. & cap. Si vero. 1. de sent. Excom.* ubi dicitur: *Si vero clericum vim sibi inferentem, vi quis repellat, vel lædat, non debet propter hoc ad Sedem Apostolicam transmitti, si in continenti vim vi repellat. Cum vim vi repellere, omnes leges, omniaque jura permittant.*

49. Dices. Non licet occidere hominem propter solam opinionem probabilem, ut nos ipsi statuimus supra *art. 1. in 1. argum.* Sed solum est probabile, quod quis possit se defendere defensione occisiva, ab alapa, aut alia percussione ignominiosa: ergò non licet defensio occisiva contra alapam, aut percussionem ignominiosam. Probatur minor. Nam opppositam opinionem docent *Major, Sylvius, Tannerus, & Malderus apud Dianam part. 5. tract. 4. resol. 4.*

50. Respondetur, nullum Authorem negare quod nos asseruimus. Nempe quod is vir nobilis, qui videt aggressorem accedere ad se ad impingendam alapam, possit objicere ferrum, aut alia arma, ne accedat. Quod si propterea aggressor discedit, non potest vir nobilis illum percutere. Quod si aggressor distringat gladium contra virum nobilem, jam est aggressor non solum contra honorem, ut antea, sed contra vitam: quare vir nobilis poterit tueri vitam occidendo cum moderamine inculpatæ tutelæ alia via non potest vitam tueri. Quod quidem non est solum probabile, sed omninò certum.

* * *

ARTICULUS V.

An tertia, & quarta sententia relata cap. 1. subjaceant huic damnationi?

SUMMARIUM.

Sententia Caramuelis. num. 51.
Ea sententia non subjacet damnationi. n. 52.
Et explicatur in quo sensu. num. 53.
An si dicatur, propositionem damnatam esse solum speculativè probabilem subjaceat damnationi. num. 54.
Quomodo intelligatur, quod una propositio sit probabilis speculativè, & improbabilis practicè num. 55.
Quomodo propositio affirmata ut solum speculative probabilis non subjaceat damnationi? num. 56.
An, & quomodo in hoc decreto damnentur propositiones speculativa. n. 57. & seqq.
An ex propositione speculativè probabili inferatur, propositionem esse practicè probabilem? num. 60. & seqq.
Resolvitur falsum esse, eam propositionem esse speculativè probabilem. num. 63.

51. Tertia sententia, quam tradidit Caramuel relatus *cap. 1.* sub quibusdam limitationibus ibidem propositis, admittit, quod stando in jure naturali licitum est viro nobili defendere se defensione occisiva à calumniis, quando Respublica non potest, aut non vult eum defendere; stando vero legibus Civilibus, & Ecclesiasticis, non est licitum. Et inquirimus, an hæc sententia subjaceat huic damnationi?

52. Et dicendum est, minimè subjacere. Ratio est. Nam hæc sententia nihil discedit

discedit à damnatione ejus propositionis. Etenim damnatio affirmat, non esse licitum viro honorato occidere invasorem, qui nititur calumniam inferre; sed id ipsum concedit Caramuel: ergò nihil discedit ab ipsa damnatione. Minor patet. Nam si propter aliquid censeretur Caramuel aliud dicere oppositum decreto, & damnationi, maximè, quia sub quibusdam circumstantiis dicit esse licitum jure naturali, quamvis non jure humano: atqui damnatio nihil dicit de jure naturali, sed solum id negat esse licitum, sicut negat etiam Caramuel: ergò id ipsum, quod dicit damnatio, asserit etiam Caramuel.

53. Adverte tamen, cum dicitur jure naturali licitum esse defendere se defensione occisiva à calumniatore, dupliciter posse intelligi. Primò, ita ut invasus habeat jus naturale se ita defendendo. Secundò, ita ut id non sit prohibitum jure naturali. Et quidem Caramuel non defendit eam conclusionem primo modo: nam si privatus homo haberet jus naturale ad talem defensionem, non esset facilè intelligere, quomodo possent leges humanæ illud prohibere. Quare solum secundo modo intelligitur Caramuelis assertio.

54. Quarta sententia relata *cap.* 1. est Patris Lessii asserentis, etiam si propositio damnata esset speculativè probabilis, adhuc non posse admitti tamquam practicè probabilem. Et quamvis P. Lessius non dicat absolutè, illam esse speculativè probabilem; disputationis gratia inquiritur, an subjaceat damnationi huic, opinio docens, propositionem damnatam speculativè esse probabilem, practicè vero improbabilem.

55. Et in limine hujus quæstionis dubitatur, quomodo possit una propositio esse probabilis speculativè, & improbabilis practicè? De hac quæstione latè egi *in 1. part. Crit. Theolog. disp. 14.* in cujus *cap. 2.* ostendi, sæpissimè dari opinionem speculativè probabilem, quæ sit practicè improbabilis; quia ea opinio speculativè probabilis non potest deduci ad praxim sine nova circumstantia, quæ vitiat actionem. Ibidem etiam ostendi, omnem opinionem practicè improbabilem esse etiam speculativè improbabilem; quia in speculatione considerantur omnes circumstantiæ, quæ reperiuntur in praxi, sed non omnem opinionem speculativè probabilem, esse practicè probabilem; quia potest considerari in speculatione sine illa circumstantia, quæ vitiat praxim. Ubi hujus asserti plura exempla dedi.

56. Accedendo ergo ad præcipuam quæstionem, dicendum est, si in speculatione considerentur omnes circumstantiæ, quæ in praxi; subjacere huic damnationi propositionem, quæ asserit illam esse speculatione probabilem, non autem subjacere huic damnationi propositionem, quæ asserit, esse speculativè probabile, & practicè improbabile, (scilicet, quatenus in speculatione non considerantur omnes circumstantiæ, quæ in praxi) nimirum quod [liceat viro honorato occidere invasorem, qui nititur calumniam inferre, si aliter hæc ignominia vitari nequit.] Prima pars constat. Nam si speculatio considerat omnes circumstantias, quæ sunt in praxi, implicat, quod speculatio sit probabilis, & praxis improbabilis. Secundæ partis ratio est. Nam SS. D. Innocentius XI. in hoc decreto solum intendit, ut fideles in praxi sequantur opiniones omninò

tutas

tuas & in quibus nullum omninò sit periculum peccandi. Ideò initio decreti dicitur: *Sanctissimus Dominus noster, re postea maturè considerata, statuit, & decrevit pro nunc, sequentes propositiones, & unamquamque ipsarum, sicut jacent, ut minimum tamquam scandalosas, & in PRAXI PERNICIOSAS esse damnandas &c.* Et in fine decreti prohibet praxim his verbis: *Insuper districte in virtute Sanctæ obedientiæ ... prohibet omnibus Christi fidelibus ... ne prædictas opiniones, aut aliquam ipsarum ad praxim deducant.* Ex quibus satis clarè colligitur, in rebus practicabilibus solum damnari ejusmodi opiniones quoad praxim: ergò non damnatur propositio, quæ doceat, talem opinionem esse practicè improbabilem, quamvis simul doceat esse speculativè probabilem modo dicto.

57. Dices primò. In hoc decreto etiam damnantur aliæ propositiones speculativæ, & quæ non respiciunt praxim. Sic enim damnatur propositio 48. quæ sic proponitur: *Tam clarum videtur, fornicationem secundùm se nullam involvere malitiam, & solum esse malam, quia interdicta, ut contrarium omninò rationi dissonum videatur.* Quæ propositio non respicit praxim: nam ipsa propositio supponit esse peccatum lethale ex hoc, quod fornicatio sit interdicta. Similiter propositio 49. sic asserens. *Mollities jure naturæ prohibita non est. Unde si Deus eam non interdixisset, sæpè esset bona, & aliquando obligatoria sub mortali.* Perperam ergò diximus, in hoc decreto solum damnari propositiones in ordine ad praxim.

58. Respondeo in hoc decreto ut in plurimum damnari propositiones in ordine ad praxim; & eas duas solum propositiones proximè relatas damnari, quamvis sint solum speculativæ. Adverte tamen, quando voluit propositionem speculativam damnare, id specialiter expressit, propositionem damnatam modo speculativo. Nam dum in 48. dicitur: *Solum esse malam, quia interdicta*, supponit ipsa propositio damnata, fornicationem esse malam in praxi: unde hoc decretum condemnat illam, quia speculativam. Et dum in 49. dicitur: *Si Deus eam non interdixisset*, ipsa propositio damnata supponit esse interdictam, & nullo modo licitè practicabilem; & adhuc expressè eam damnat, quatenus speculativam, etsi non practicabilem.

59. Hoc autem non invenitur in hac propositione 30. in qua nihil dicitur de jure naturæ, neque de interdictione positiva. Et ideò intelligenda est eodem modo, ac reliquæ omnes propositiones respicientes praxim.

60. Dices secundò. Opinio, quæ dicit, id esse speculativè probabile, saltem virtualiter damnatur. Quod sic probo. Illa enim propositio virtualiter damnatur in hoc decreto quæ est antecedens inferens propositionem damnatam; si enim consequens est falsum, & damnabile, necessariò debet esse falsum, & damnabile antecedens, unde infertur. Sed hæc propositio, ut speculativè, probabilis est antecedens, unde infertur propositio ut practicè probabilis; & sic dãnatur, ergò hæc propositio, ut speculativè probabilis, virtualiter damnatur. Probatur Minor. Nã propositio speculativè probabilis in materia morum, ut non sit antecedens inferens propositionem practicè probabilem, debet esse talis, ut non possit poni in praxi, nisi addita aliqua nova circumstantia vitiosa: sed hæc propositio, sicut est in specula-

ſpeculatione, poteſt poni in praxi, nullâ addirâ aliquâ aliâ circumſtantiâ vitiosâ: ergò hæc propoſitio ſpeculativè probabilis infert practicè probabilem. Ergò propoſitio damnata erit practicè probabilis; vel ſi eſt practicè improbabilis, & damnabilis, etiam ſpeculativè erit improbabilis, & damnabilis.

61. Reſpondeo, ſi quis dicat, eam opinionem eſſe ſpeculativè probabilem, & practicè improbabilem, dicet conſequenter, in ſpeculatione conſiderari ſolùm jus defenſionis unius privati hominis contra calumniatorem; in praxi autem non poteſt id præſtari ſine eo, quod fiat contra jus publicum Communitatis, ſeu Reipublicæ; cùm ea defenſio occiſiva ſit in perniciem Reipublicæ. Quod ſi ſpeculatio conſideret omnes circumſtantias, quæ in praxi, ea, ut diximus, ſubjacet damnationi. Hinc ad primum ſyllogiſmum conceſsâ Majori, neganda eſt Minor, ad cujus probationem ſimiliter conceſsâ Majori, neganda eſt Minor juxtà proximè dicta; cùm illud jus privati hominis, quod ſolùm conſideratur in ſpeculatione, non poſſit deduci ad praxim ſine violatione júris publici, quod habet Reſpublica, ne fiat defenſio in perniciem boni publici. Quod ſi in ſpeculatione conſideretur illud jus Reipublicæ, non poteſt talis opinio eſſe ſpeculativè probabilis.

62. Diximus, non ſubjacere huic damnationi, qui dixerit eſſe ſpeculativè probabile, & practicè improbabile, licitum eſſe uti defenſione occiſiva contra calumniatorem. Reſtat modò examinare, an ea opinio vera ſit.

63. Et dicendum eſt, eam eſſe prorſus falſam. Nam argumenta, quæ propoſui *art. 1. & 2.* probant, eam non ſolùm practicè, ſed etiam ſpeculativè eſſe falſam. Et ratio eſt: quia in fere omnibus argumentis ibi propoſitis, conſiderantur in ſpeculatione eædem circumſtantiæ, quæ reperiuntur in praxi, quando autem in ſpeculatione conſiderantur omnes circumſtantiæ, quæ in praxi, idem judicium ferendum eſt de ſpeculatione, ac de praxi; ut multis oſtendi in *1. part Criſ. Theol. diſp.* 14. *cap.* 4.

CAPUT III.

Quàm digna ſit damnatione ſecunda pars propoſitionis trigeſimæ?

SUMMARIUM.

Authores putantes, alapâ percuſſum poſſe repercutere. n. 64.

Fundamentum eorum à paritate furti. n. 65.

Authores defendentes oppoſitam ſententiam, quæ jam eſt certa ex definitione Pontificis. num. 66.

Et quomodo non infertur probabilis practicè, ex eo quod ſit probabilis ſpeculativè. n. 67.

Quomodo ea recuperatio honoris ſit adverſaria legi Dei? n. 68.

Diſcrimen inter hoc, quod eſt, impedire alapam, & poſt impactam alapam uti vindicta privata. n. 69.

Celebres periodi P. Vaſquez. n. 70.

Quomodo repercuſsio non ſit defenſio, ſed vindicta privata? n. 71.

Quomodo per repercuſsionem non recuperetur ille honor, qui ablatus eſt? n. 72.

Non licèt tibi comburere ſegetem ejus, qui combuſſit ſegetem tuam. Et quid inde pro concluſione? n. 73.

Quomodo qui impegit alapam, & fugit, non eſt invaſor? Et quid inde pro concluſione? num. 74.

Ex eo quod marito non sit licitum occidere adulterum, confirmatur nostra sententia ex Cardinali Lugo.n.75

64. Aliqui Authores putarunt, esse licitum, post impactam alapam, quod homo sic percussus repercutiat graviter offensorem injustum, quantum satis sit ad honorem recuperandum. Ita *Navarrus*, *Petrus de Navarra*, *Mercatus*, *Victoria*, *Enriquez*, *Corduba*, *Mantius*, *Penna*, *Fernandez*, *Hurtado*, *Villalobos*, *Marchantius*, *Faber*, quos refert, & sequitur *Diana*, *part.1 tract.15.resol.15. & part.5 tract.5. resol.11.* Quam etiam sequitur *Leander à SS. Sacr. tract. 2. de Irregular. disp.14. quaest.3.* referens utra relatos, *S. Antonium*, *Armillam*, *Antonium Gomez*, *Plazam*, *Ant. Gabrielem*, *Duennas Abulensem*, *Laymannum*, *Dicastillum*, & *Gibalinum*. Quamvis horum aliqui immeritò citentur pro ea opinione, quos non vacat secernere.

65. Fundamentum hujus sententiae est. Nam si fur auferat à me vas aureum magni pretii, licitum est mihi, cùm fur fugit, illum sequi, & vi illata illud vindicare; imò etiam si fur domo sua jam sit conclusus: sed qui impegit viro nobili alapam, abstulit ab illo honorem, quem potest recuperare, percutiendo in continenti offensorem: ergò iste poterit post alapam percutere, vel occidere offensorem.

66. Opposita sententia, quam Pontifex definit in hoc decreto, propugnat, id esse omninò illicitum. Hanc sententiam tuentur *Cardin. Toletus lib. 5 cap. 6. num. 16. P. Molina, tom. 4 de just. tract. 3. disp. 17. num. 8. P. Vasquez, in opusc. de restit. cap. 2. §. 1. dub. 9. numer. 37. & seqq. P. Luisius Turrianus, 2. 2. disp. 27. dub. 3. Lugo Cardinal. tom. 1. de just. disp 10 sect. 10 num. 90. & seq. Sotus, de just. lib. 5. q. 1. art* 8 & apud ipsum *Bannez*, *Salon 2. 2. quaest. 64. art. 7. controv. 2. concl 1. Malderus de just. tract. 1. cap 1. dub 24. Rodriguez, tom. 1. sum. cap. 135. num. 11.* & multi alii. Citandus etiam est pro hac sententia *P. Lessius de just. cap 9. dubit. 12. num. 80.* qui quamvis dixerit, eam esse speculativè probabilem, asserit tamen esse practicè improbabilem.

67. Neque quos ad hoc benè impugnant *Lugo & Leander citati*, ex eo quod omnis opinio speculativè probabilis est etiam practicè probabilis, si sit in materia morum. Istud enim, quod assumunt, est falsum. Nam, ut proximè dixi, considerari solet in speculatione aliqua actio, quae si poneretur sine nova alia circumstantia vitiosa, esset licita; & tamen non potest deduci ad praxim sine nova circumstantia vitiosa.

68. Fundamentum hujus sententiae desumitur primò ex fundamento ipso partis oppositae. Ideò enim esset licitum post impactam alapam, repercutere in continenti offensorem, quia apud existimationem hominum per illam percussionem, aut occisionem recuperatur honor amissus; sicut licitum est homini spoliato re sua, illam vindicare de manibus furis, etiam percutiendo furem, si omninò necessarium fuerit: sed ea hominum existimatio est adversaria legi Dei; est enim lex mundanorum (quam vocant legem Duelli) praecipiens mundanis suis, ut si quis alapa, fuste, arundine, aut galero ictus fuerit, occidat suum offensorem, etiam si multum tempus elapsum fuerit, statuitque lex praefata sic recuperari honorem amissum, etiam per vindictam privatam lege Dei prohibitam. Ergò post impa-

impacatam alapam non est licita ea honoris recuperatio falsò existimata.

69. Itaque aliud est impedire alapam, & aliud est post impactam uti vindicta privata. Primum est licitum; & secundum Evangelii lege condemnatum. Neque simile est de fure, qui rem meam secum defert. Nam qui impegit alapam, non defert rem aliquam, quæ mea sit; non enim defert secum honorem meum, sed quasi destruxit illum. Sic enim quia Petrus combussit segetem meam, non licèt mihi incendere segetem Petri.

70. Ideò P, *Vasquez*, suprà citatus dixit: *Hæc doctrina non Christiana, sed gentilitatem sapere videtur: quoniam inde sequeretur, quod ei, qui alapam recepit, liceret inimicum, si potest, ibi fuste cadere; quod lex mundi ad tuendum honorem requirit: & si aliquis fuste casus est, potest statim insequi percussorem, & ipsum occidere, quia aliter non potest honori satisfacere: vel denique poterit aliquod aliud malum statim illi inferre in retributionem: quod est legem Evangelicam, imò & Decalogi destruere.* Et *num. 38.* hæc subjungit. *Et sane opinionem Navarri, & Mercati, etiam sceleratissimi reprobabunt, qui quamvis passione veluti coacti id faciant; benè tamen vident, & fatentur, se peccare graviter.* Et hæc dicta à *Vasquio* approbat *Lugo Cardinalis* relatus.

71. Secundum fundamentum veræ sententiæ est. Non licèt occidere offensorem propter privatam vindictam, sed solùm propter defensionem, ut vel ipsi adversarii admittunt: sed repercussio offensoris non est defensio, sed vindicta privata: ergò in eo casu non licèt percutere, aut occidere offensorem. Minor probatur primò. Eatenus enim repercussio offensoris est apud mundanos homines restauratio honoris, quatenus existimant, honorem recuperari per ipsam læsionem inimici: sed lædere inimicum non est defendere se: ergò ea repercussio non est defensio.

72. Probatur secundò eadem Minor. Nam per repercussionem offensoris non recuperatur ille honor, qui ablatus est, sed attribuitur alius novus honor, qui apud mundanos consistit in alio novo honore, quem attribuunt ulciscenti se de injuria illata: ergò honor ablatus non defenditur, sed acquiritur apud mundanos novus ille honor se ulciscendi. Ergò illa non est defensio honoris, sed vindicta privata.

73. Probatur tertiò eadem Minor. Nam si esset defensio honoris adquirere eum novum honorem ulciscendi, etiam esset defensio, comburere segetem inimici, quia combussit segetem meam: nam si esset defensio lædere vitam proximi, quia læsit me; eodem modo esset defensio reddere malum in quovis genere. Quæ omnia absurda sunt, & à lege Dei longissimè distant.

74. Probatur quartò. Quia nemo se defendit, nisi ab invadente: sed qui impegit alapam, & fugit, non est invadens, ergò illius repercussio non est defensio. Et dixi jam, non esse simile de fure, qui dum portat rem meam invadit illam rem alienam. Minor hujus syllogismi probatur. Nam invasio respicit damnum inferendum statim de futuro: sed qui impegit alapam, & fugit, non intentat damnum inferendum statim de futuro: ergò ille non est invadens.

75. Tertium fundamentum est, quod desumit *Lugo* à posteriori *ibid. num. 192.* in hæc verba: [si licita est percussio invasoris, saltem in continenti, postquam jam ipse tuum honorem læsit, & vult recedere, fru-

ſtra, & immeritò Theologi communiter, & ipſi etiam Authores contrariæ ſententiæ dicunt, maritum non poſſe in foro conſcientiæ licitè occidere adulteram in adulterio deprehenſam, quia conſequenter deberent dicere, id licere: ſi enim licitè occidis eum, qui te colapho v. g. vel fuſtibus cædit, quando id neceſſe eſt ad retinendum tuum honorem, ſaltem in continenti poſt injuriã acceptam: quæſo, cur non licebit in continẽti occidere eum, qui majori injuria, & contumelia actu lædit tuum honorẽ per adulterium, ſi aliter honorem retinere, vel recuperare non potes, pro ut re vera non potes, multò magis quàm in priori caſu de contumelia, verbis, vel fuſtibus illata, quæ dehonoratio poſſet per publicam, & magnam offenſoris humiliationem deleri? Ego certè non video differentiam, nec rationem apparentem, cur ſi licèt percuſſio contumelioſi in continenti, non liceat etiam occiſio adulteri in flagranti, quando in ipſo crimine invenitur. Conſequens autem ipſi non concedunt, ſed expreſsè negant, ut ſupra vidimus: ergò nec antecedens debent illo modo admittere.] Huc uſque argumentum Cardinalis.

CAPUT IV.

Quomodo intelligenda ſit propoſitio trigeſima prima?

ARTICULUS I.

An intelligatur de ſola tenuitate valoris; an etiam de alia injuria?

SUMMARIUM.

Senſus propoſitionis. num. 76.

Poſſe bona temporalia protegi defenſione occiſiva eſt communis ſententia. n. 77.

Sed omnes affirmant quantitatem eſſe debere magni valoris. n. 78.

An P. Molina perperam citetur pro opinione damnata? n. 79.

An in caſu P. Molinæ interveniant duæ malitiæ, furti & violentiæ. n. 80.

An damnatio cadat ſolùm ſupra malitiam furti? n. 81.

Non ſubjacet damnationi, ſi propoſitio loquatur de defenſione contra rapinam verè ignominioſam. n. 82.

Damnatio ſubſiſtit aſſerendo contradictoriam propoſitionis damnatæ. n. 83.

In obſcuris quod minimum eſt, ſequimur, & quomodo intelligenda ſit hæc regula? n. 84.

Confirmatio ex Lugo Cardinali. n. 85.

Secunda concluſio pro explicatione primæ concluſionis. n. 86.

Dum fur abſtulit unum aureum; & fugit, non poteſt vir nobilis procedere ad defenſionem occiſivam. n. 87.

76. PRopoſitio trigeſima prima, nempe *Regulariter occidere poſſum furem pro conſervatione unius aurei*, eo reſpicit, ut repugnet, etiam pro defendendis rebus exigui valoris, quamvis non excedant valorem unius aurei, poſſe quemlibet uti defenſione occiſiva. Damnatio autem ejus propoſitionis eò tendit, ut declaret, eſſe ſcandaloſum aſſerere, licitum eſſe occidere furem pro defenſione rei exigui valoris.

77. In 3. *part. Criſ. Theol. diſp.* 57. *cap.* 3. *art.* 5. oſtendi, erraſſe Fagnanum, dum inter propoſitiones ſcandaloſas conſtituit opinionem aſſerentem, poſſe quem tueri bona temporalia contra furem defenſione occiſiva, accuſans Molinam, quod hæc docuerit.

euerit. Ibi enim ostendi esse communem, & ab omnibus Theologis receptam opinionem docentem, quod sit licita ea defensio, dummodo sit cum moderamine inculpatæ tutelæ. Pro qua sententia retuli quadraginta duos Authores.

48. Sed omnes conveniunt in eo, quod quantitas à fure intentata debet esse magni valoris. Et quia unus vel alter affirmavit contra reliquos, sufficere valorem unius aurei ad tale genus defensionis, ideò Pontifex meritissimè damnat hanc propositionem.

79. *Lumbier tom. 3. sum. num. 1875.* in explicatione hujus propositionis 31. & *Filguera* in expositiones ejusdem propositionis, & *Hozes ibid. num 9.* attribuunt *Molina* propositionem damnatam; eo quod *tom. 4. de just. disp. 16. num. 7.* asseruerit, si fur intentat rem auferre per rapinam, contradicente Domino, non audere se condemnare ad culpam, vel ad pœnam eum, qui defendit rem valoris unius aurei defensione occisiva cum moderamine inculpatæ tutelæ.

80. Hinc oritur quæstio, an iste sit casus in quo loquitur propositio damnata. Pro cujus claritate, præmittendum est, in hoc casu, in quo *P. Molina* loquitur, intervenire duas malitias, alteram furti unius aurei, alteram violentiæ, quæ continetur in rapina ratione cujus furtum differt specie à rapina, ut tradunt communiter doctores; de quo videndus est *Lugo Cardinalis*, qui hanc diversitatem specificam constituit *tom. 1. de just disp. 16. sect. 1. nu. 11. cum S. Thom. 2. 2. q. 66. art. 4. & Cajetano, Soto, Covarrubia, Molina, Salon, & Turriano.* Et subjungit *Lugo* [Vis ergò illa affert novam speciem malitiæ propter diversam injuriam, quatenùs ut notavit *Molina*, per simplex furtum injuria fit solùm circà pecunias v. g. & per violentiam videtur fieri circa personam, cui vis infertur.]

81. Est ergo quæstio, an hæc damnatio cadat supra malitiam furti unius aurei, an etiam extendatur ad malitiam violentiæ, quæ infertur ipsi personæ? Circa quam duæ quæstiones resultant. Prima an extendatur damnatio ad eum casum violentiæ? Secunda, An casu quo non extendatur damnatio, verùm sit, quod liceat in casu violentiæ uti defensione occisiva?

82. Sit prima conclusio. Non subjacet damnationi propositio, quæ asserit licitum esse saltem viro nobili defendere defensione occisiva unum aureum, quem in manibus portat, si fur intentat rapere de manibus ejus, & is raptus sit viro nobili ignominiosus. Probatur primò. Nam damnatio loquitur in eodem sensu, in quo loquitur propositio damnata: sed propositio damnata non loquitur de fure auferente rem per rapinam, aut violentiam ignominiosam: ergò damnatio non se extendit ad casum rapinæ, seu violentiæ ignominiosæ. Minor patet. Nam in propositione damnata nullum est verbum de casu talis violentiæ, aut rapinæ, sed solum de quantitate unius aurei, & furto ejus.

83. Probatur secundò. Nam damnatio intelligitur integrè subsistere per hoc, quod asseramus contradictoriam propositionis damnatæ: sed contradictoria propositionis damnatæ est, *Non licet occidere furem pro conservatione unius aurei*; cujus veritas salvatur, intelligendo illam de sola malitia furti, & non de malitia violentiæ ignominiosæ: ergò damnatio solùm intelligitur

ligitur de malitia fuir, & non de malitia violentiæ ignominiosæ. Itaq; quamvis dicatur, esse licitum uti defensione occisiva contra rapinam ignominiosam unius aurei; adhuc stat inconcussa veritas damnationis, quod non licèt occidere furé pro conservatione unius aurei. Nam in illa hypothesi nō occiditur pro conservatione aurei sed pro ignominiæ propulsatione. Advetendum tamen est, non quamcunque rapinam esse ignominiosam. Nam si Princeps rapiat aurum de manu plebeii hominis, non censebitur ignominiosum; secùs verò si plebejus rapiat de manu Principis.

48. Probatur tertiò. Nam *cap. In obscuris. de Regul. jur. in 6.* dicitur. *In obscuris, quod minimum est, sequimur.* Quæ verba ejusdem tenoris habentur in *leg. Semper in obscuris. ff. de Regul. jur.* Quando ergò cum fundamento dubitatur, an lex extendatur ad aliquem casum specialem, qui non exprimitur in lege, debemus sequi, quod minimum est, scilicèt quod lex non extendatur ad talem casum. Et idem traditur multis aliis juribus, *cap. contra eum. de Regul. jur. in 6. & l. Quidquid astringenda. ff. de verbor. obligat.* & ita tradunt *P. Suarez tom. 5 in 3. part. disp. 40. sect. 5. num. 5. P. Thomas, Sanchez lib. 2. de matrim. disp. 41. num. 36 lib. 1 sum. cap* 10. *num. 32. P. Enriquez, lib. 8. sum. cap. 45. in Comment. lit. P. Salas 1. 2. q 21. tract. 8. disp. sect 25.* & communiter doctores. Licèt ergò obscurum sit, & incertum, an damnatio loquatur de casu furis violentiam ignominiosam inferentis, dicendum est, damnationem non extendi ad hunc casum.

85. Probatur quartò. Nam *Lugo Card.* (qui securitati doctrinæ semper attentissimè prospicit) *tom. 1 de just. disp.* 10. *sect* 9. *num. 178.* postquam dixit, ut possit fieri defensio occisiva pro facultatibus temporalibus, debere rem esse non exigui valoris, subjungit hæc verba tanquam ex communi sententia Doctorū [quando res valoris unius ducati aufertur cum resistentia domini, aut custodis rei illius, nec fur desistere velit à *violentia*, posse occidi; quia monitus cum re illa *honorē* etiā auferre vult: quare merito te defendere poteris adversus ingentem illam injuriam & contumeliam.] Censet ergò Cardinalis illam ablationem cum violentia esse ingentem contumeliam; de qua non loquitur propsitio damnata. Quod intelligo juxta dicta *nu.* 83 fine

86. Sit secunda conclusio. Si homo, præcipuè si sit nobilis, portet in manibus rem valoris unius aurei, & fur intentet eam rapere de manibus ejus, potest rem defendere opponendo gladium; quod si fur desistat, non licet illum percutere: si verò fur educat gladium contra dominum illius rei, jam fur non est solum invasor rei, & honoris, sed etiam vitæ; quare poterit se defendere defensione occisiva cum moderamine inculpatæ tutelæ. Neque Authores loquentes in hoc casu de defensione occisiva refragabuntur huic conclusioni; solùm enim id asserunt conditionaliter, si non supersit alia defensionis via. Ego tamen existimo, vix esse possibilem casum, in quo non sit alia defensionis via: nam ubi dominus rei opponit gladium, vel desistit fur, & fugit; vel educit etiam gladium contra dominum rei? Si primum; jam facta est defensio sine percussione furis. Si secundum; jam est aggressor contra vitam domini, & non contra solam rem materialem.

87 Ex

87. Ex dictis infertur, quod si fur per rapinam abstulit unum aureum, quem portabat Titius in manibus, & fugit, non potest Titius pergere insequendo furem, ut per defensionem occisivam auferat aureum raptum. Nam licèt per illam rapinam & violentiam fuerit invasor honoris; dum fugit rem illam secum portans, jam non invadit honorem, sed solam rem arreptam. Quod si Titius illum fugientem occideret, jam ea occisio fieret in defensionem illius aurei, & non in defensionem honoris, qui jam ablatus est, & non recuperatur occisione furis, ut constat ex *cap.* præcedenti. Fieret ergò illa defensio occisiva solùm pro conservatione tenuis quantitatis, contra damnationem in hoc decreto contentam.

ARTICULUS II.

Duo aliæ dubitationes.

SUMMARIUM.

Distinguendus est valor parvus, mediocris, & magnus. n. 88.

Quomodo hoc triplex genus valoris computandum est in ordine ad hanc quæstionem? num. 89.

An in aliquo casu necessitatis liceat uti defensione occisiva pro conservatione unius aurei. n. 90.

88 ROgabis primò, quantus esse debeat valor, pro cujus conservatione possit uti quis defensione occisiva? Et respondent communiter Doctores, id judicio prudentis censendum esse. Et videtur mihi hoc judicium prudentis debere distinguere in ordine ad occisivam defensionem valorem parvum, mediocrem, & magnum, sive plus quam mediocrem. Et in hoc ordine censeo valorem parvum centum argenteos, magnum esse quadringentos argenteos, mediocrem verò infra quadringentos.

89. Hac distinctione posita censeo valorem magnum reputandam esse talem absolutè; valorem verò parvum, & mediocrem reputandum esse sufficientem pro defensione occisiva, non absolutè, sed respectivè, scilicèt attenta necessitate, ratione cujus dominus rei indiget illa pro sustentatione, conservatione status sui, & suorum. Itaq; si fur subripiat quadringentos argenteos (vulgò quarenta patacones) secundùm se est quantitas sufficiens pro intentanda defensione occisiva cum moderamine, etiam si ablatio illorum non fit cum extremo detrimento damni. Si verò ablatio fiat infrà quadringentos argenteos, mensura valoris in ordine ad defensionem occisivam desumenda est à detrimento, quod patietur is, à quo ea quantitas aufertur. Si enim ex quantitate ablata detrimentum, quod patitur dominus rei, sit maximum, erit sufficiens pro ejusmodi defensione. Si verò detrimentum non sit maximum, præfata quantitas non erit sufficiens pro talimodo defensionis.

90. Hinc oritur altera dubitatio, juxta quam rogabis secundò an damnatio ejus propositionis 31 ita sit universalis, ut in nullo casu necessitatis liceat uti defensione occisiva pro conservatione unius aurei? Cui quæstioni facilè satisfacies, dicendo, sæpè contingere, quod ratione gravis necessitatis unus aureus æquivaleat multis aureis: v. g. Si fur intentat auferre ab artifice

fice

fice instrumentum artis, quod valeat unum aureum, imò unum argenteum, casu quo non possit invenire aliud instrumentum simile, quo ablato instrumento necessè est artificem cessare ab opere, atque adeò cessare sustentationem suam & suorum. In hoc casu non attenditur ad valorem unius aurei, vel argentei, sed ad detrimentum, quod ex ablatione ei resultat; quod fortasse multis aureis æstimabitur. Potest ergò artifex uti quacumque defensione cum moderamine, ut defendat illud instrumentum, quamvis vilioris pretii. Ideòque manifestum est, damnationem ejus propositionis 31. non esse ita universalem, ut excludat hunc, & similes casus ingentis necessitatis.

ARTICULUS III.

Evidentia justæ damnationis.

NON EGET SUMMARIO.

91. EX dictis fit evidens justissimam esse damnationem propositionis 31. Etenim occidere hominem propter modicum detrimentum, ipsa ratio naturalis dictat, esse absurdum. Quæ enim comparatio esse potest detrimenti levis cum detrimento gravissimo proximi.

92. Dices primò; Omnia jura clamant, licitum esse vim vi repellere: sed qui furatur unum aureum vim infert: ergò licitum rit etiam per vim repellere usque ad internecionem, si non potest aliter vis repelli.

93. Respondeo, vim levioris momenti non esse repellendam per vim gravissimi detrimenti, nam inter vim, quæ infertur, & vim, qua repellitur, debet esse proportio, ut ipsa ratio naturalis dictat. Et hoc modo intelligenda sunt jura, quæ ita damnant.

94. Dices secundò. Ablatio unius aurei est peccatum lethale: sed peccatum lethale non potest esse materia levis, alioqui esset solùm culpa venialis: ergò ablatio unius aurei est materia gravis: ergò falso fundamento nitimur, dum dicimus, ideò furem unius aurei occidi non posse, quia unus aureus est materia levis.

95. Respondeo concessa Majori, distinguendo Minorem: peccatum lethale non potest esse materia levis (in ordine ad reatum culpæ) concedo (in ordine ad defensionem occisivam) nego. Quæ distinctio patet ex dictis.

CAPUT V.

Ostenditur falsitas propositionum trigesima secunda, & trigesima tertia.

SUMMARIUM.

Explicantur tria, quæ in his propositionibus damnantur. n. 96.
Argumentum desumptum ex inæqualitate juris ad rem, & juris in re. n. 97.
Refutatur. n. 98.
Ex inæqualitate juris in aliqua bona nihil probatur contra jus defendendi illa. nu. 99.
Proponuntur argumenta efficacia contra propositionem trigesimam secundam damnatam. n. 100.

Eadem

Eadem argumenta militant contra utramque partem trigesima tertia propositionis. num. 101.

96. Tria sunt, quæ damnantur in his duabus propositionibus. Nam trigesima secunda dicit, esse licitum defendere defensione occisiva ea bona, *ad qua jus inchoatum habemus, & qua nos possessuros speramus*; quæ duo de jure inchoato, & de spe possessionis copulanter videntur accipi, ita ut utrumque requiratur. Et trigesima tertia dicit duo, scilicet defendere se posse eodem genere defensionis hæredem, & legatarium contra impedientem; deinde posse eodem modo se defendere, qui habet jus in Cathedram, vel præbendam, contra impedientem possideri.

97. *Filguera* in explicatione propositionis 32. sibi videtur convincere manifestè falsitatem ejus hoc argumento, quod in hæc verba proponit: [Hæc propositio non solùm scandalum, sed etiam temeritatem explicat, nam aliud est actu possidere, aliud autem habere jus ad possidendum, sicut diversum est habere jus ad rem, ac habere jus in re, ut patet in habente domum, aut agrum: & habente jus, & actionem ad domum, vel agrum: nam primum importat ipsam possessionem; secundùm verò solùm jus in illam. Ex qua vera, & communiter recepta doctrina propositio damnata refutatur. Nullus habet æquale jus aliquid defendendi, nisi æquale etiam habeat jus in illud, ut per se manifestum est; sed jus in ea, quæ actualiter possidemus, non est æquale, ac in illa, ad quæ jus inchoatum habemus, & quæ nos possessuros speramus; siquidem primum est in re, secundum verò ad rem: ergò etiam si sit licitum defendere defensione occisiva, quæ actu possidemus, non tamen ea ad quæ jus inchoatum habemus, & quæ nos possessuros speramus.]

98. Sed majorem efficaciam in argumento desidero. Nam pro veritate certa non sufficit argumentum debilis consequentiæ. Etenim si Titius domi suæ custodiat quinquaginta millia aureorum aliena, suæ tamen Fidei commissa, & fures accedant ablaturi eam aureorum quantitatem, certum est, quod potest ea defendere ferro, & armis cum moderamine inculpatæ tutelæ. Argumentum autem *Filguera* tale ust, ut in simili forma probare possit, non posse Titium defendere ferro, & armis eam aureorum summam suæ Fidei creditam. Nam juxta hunc Authorem nemo habet æquale jus aliquid defendendi, nisi æquale etiam habeat jus in illud: sed jus in ea, quæ actualiter possidemus non est æquale, ac in illa, quæ sunt aliena, & solùm Fidei nostræ commissa sunt titulo pignoris, vel depositi: ergò etiam si sit licitum defendere defensione occisiva, quæ actu possidemus, non tamen ea, quæ nostræ Fidei sunt commissa titulo pignoris, vel depositi

99. Constat ergò, inæqualitate juris in aliqua bona nihil probari circa jus defendendi illa. Quid enim prodest quod jus sit æquale, si est verum jus defendendi ferro, & armis? Vel quomodo probatur, jus defendendi debere esse inæquale, ex eo quod unum, & alterum jus ad bona sit inæquale? Quare major ejus syllogismi falsa est. Et adhuc si esset vera, nihil probaret: quia non repugnat, unum; & alterum jus defendendi esse inæquale, & tamen utrumq; esse verum jus defendendi.

100. Rejectâ ergò ea argumentandi ratione, propositio damnata convincitur de falsitate eisdem ferè argumentis, quibus de falsitate convincimus *cap.* 2. propositionem trigesimam de defensione occisiva contra calumniatorem. Primò, quia non licet occidere hominem propter solam opinionem probabilem; dato, & non concesso, quod ea opinio esset probabilis. Secundò, nam in hoc casu non est evidentia de moderamine inculpatæ tutelæ; cum in Republica sint destinata media ad defendendum jura civium. Tertiò, nam Respublica habet jus publicum contra jus privatum defendendi ferro, & armis privata jura; & jus publicum prævalet juri privato. Quartò, nam legibus humanis interdicitur, quod homines privatim defendant jura ad aliqua bona. Vide ea argumenta ibi latius proposita.

101. Eadem argumenta militant contra utramque partem propositionis 33. de impediente hæreditatem, aut legatum & de impediente possessionē Cathedræ, aut præbendæ. Et præterea hoc etiam argumento convincitur. Non enim licet defendere ferro, & armis, nisi cum quis actualiter invaditur: sed non invaditur actualiter, cùm videt alium negotiatione verbali, etiam dolosa, impedire additionem hæreditatis, solutionem legati, aut possessionem Cathedræ, vel præbendæ: ergò non licèt defendere id ferro, & armis.

****
**

DISSERTATIO XXII.

An liceat procurare abortum ante animationem fœtus, ne puella, cognita gravedine, occidatur, aut infametur? Ubi, an fœtus animetur in utero?

CAPUT I.

Quid olim docuerim de improbabilitate sententiæ affirmantis?

SUMMARIUM.

Quomodo non valeat consequentia à probabilitate speculativa ad practicam? n. 1.
Quomodo sit practicè improbabilis opinio de abortu fœtus inanimati? n. 2.
An sit dubius dies animationis fœtus? n. 3.
An quilibet fœtus etiam abortivus, & nondum formatus sit baptizandus, saltem sub conditione? n. 4.
Quo nitantur fundamento, qui dicunt, animam rationalem infundi prima, secunda, aut tertia die post conceptionem? n. 5.
An sit certum, animam rationalem non infundi, donec corpus sit perfectè formatum? Et an id probetur ex versione septuaginta Interpretum? n. 7.
Textus vulgata diversus est ab ea versione. num. 7.
Quam certitudinem accipiat ea assertio à præfata versione? n. 8. & 9.
Quomodo persistat argumentum, quod in hac materia non valet consequentia à probabilitate speculativa ad practicam? n. 10.
Tunc non valet ea consequentia, quando propositio speculativa est conditionalis, cujus conditio non potest esse in praxi, n. 11.

1. In

1. IN 1. *part. Crit. Theol. disp.* 14. c. 3. egi de hac materia, non pro dignitate quæstionis, sed solum ex ea parte ex qua assumpsi probandum, in multis materiis non valere à probabilitate speculativa ad probabilitatem practicam. Dixi enim, eam propositionem 34. quæ in hoc Decreto damnatur: *Licet procurare abortum ante animationem fœtus, ne puella deprehensa gravida occidatur, aut infametur*, esse speculativè probabilem ab extrinseco, nempè ob authoritatem septem scriptorum, quos ibidem allegavi; & esse practicè improbabilem: atque adeò malam esse consequentiam à probabilitate speculativa ad probabilitatem practicam.

2. Quod autem ille conatus ad abortum fœtus inanimati sit practicè improbabilis, ex illo capite ostendebam, quod improbabile est, licere expellere fœtum, ubi dubitatur, an sit animatus, nec ne, semper autem est dubium an sit animatus: ergò semper manet improbabile, quod liceat expellere fœtum, quantumvis prætextu inanimationis.

3. Quod verò semper id sit dubium, probabam ex summa Authorum varietate in assignando die animationis. Nam pro viris alii assignant trigesimum, alii trigesimum secundum, alii quadragesimum, & alii quadragesimum secundum; & pro fœmellis quadragesimum, alii septuagesimum, alii octogesimum. Imò *Thomas Fienus* insignis Medicus ex propriis experimentis probat, prima quandoque, quandoque etiam secunda, aut tertia ad summum die infundi animam rationalem.

4. Et ideò in eodem *cap. 3. num. 29. & 30.* hæc verba subjunxi [Et ideò *Maximilianus Deza* (cujus tractatus simul cum Apologia *Francisci Verde* editus est, propter hoc dubium de tempore animationis fœtus, doctissimè, & solidissimè probat, fœtum quemlibet abortivum, licet imperfectissimè figuratum, sub conditione baptizandum esse. Ubi citat *Harvaum* anatomicæ artis peritissimum, qui ex pluribus experimentis propriis affirmat, fœtum à tertia die manifestare motum, & sensum. Imò & à paucis diebus observari motum, & sensum in fœtu, affirmant apud ipsum *Hypocrates*, & octo alii Authores. Et cùm probabile sit, non aliam, quam animam rationalem, introduci in materiam fœtus, fit probabile quod prima, vel secunda, vel tertia die introducatur; aut saltem, quod id sit dubium Quare prædictus *Maximilianus num.* 173. ait: *Si Dei Vicarius* (Paulus V.) *baptizari præcipit fœtum, si vivat, si vitalem indicit motum; solere autem vivere, & moveri præcipuis membris circa diem tertium, non tam suadetur, quàm ostenditur; erit ne trigesima dies exspectanda nobis, ut de baptismo deliberemus?* Et idem traditum fuisse, ait *Maximilianus, ab Hieronymo Florentino in libello de hac quæstione.*] Et insuper addidi, eandem doctrinam traditam esse à *Francisco Verde citato, & à Caramuele* in censura Apologiæ *Francisci Verde n. 193. & in Theol. fundam. nu. 1622. fund. 55.*

5. Est tamen in his aliquid, quod reformem, re maturius perpensa. Nam suprà citati Authores, & Medici; & artis anatomicæ periti duo statuunt: unum est, quod ex variis exprimentis constet, embrionem, prima, secunda, aut tertia die effusum ex utero habere motũ, & sensum; quatenus si acu pungitur, sentit ictum, & ipso motu ostendit sensum ictus. Alte-

rum est, probabile esse, non infundi aliam animam vegetativam, & sensitivam à rationali distinctam.

6. Videtur tamen certum esse, quod anima rationalis non infunditur, donec formatum sit & organizatum corpus pueri aut puellæ. Nam *Exodi 21. vers. 22* juxta versionem LXX Interpretum dicitur: *Qui percusserit mulierem pragnantem, & illa abortum fecerit, si fœtus erat formatus dabit animam pro anima; si nondum erat formatus, mulctabitur pecunia.* Ex quibus verbis clarè infertur, fœtum nondum formatum carere anima rationali: nam cùm dicatur dari debere animam pro anima (intelligitur enim de rationali) & pro fœtu nondum formato assignetur solum mulctatio pecuniæ, & pro hoc non debeat dari anima pro anima evidenter infertur, ejusmodi fœtum nondum formatum expertem esse animæ rationalis.

7. Verum est tamen, quod textus vulgatæ nihil dicit de formato aut non formato: sic enim se habet: *Si rixati fuerint viri, & percusserit quis Mulierem pregnantem, & abortum quidem fecerit, sed ipsa vixerit; subjacebit damno, quantum maritus mulieris expetierit, & arbitri judicaverint. Sin autem mors ejus fuerit subsecuta, reddet animam pro anima.*

8. Hinc oritur difficultas, an vi textus septuaginta Interpretum maneat omninò certum, quod infunditur anima rationalis, ubi formatum est corpus pueri, & non antea? & quidem id non manet certum de Fide, quia ea versio septuaginta Interpretum non est recepta ab Ecclesia tanquam de Fide; tum quia exemplaria in aliquibus locis mendosa sunt; tum quia membrana, in qua erat scripta, & ex qua editio Romana transumpta est, erat ex parte corrosa; tum etiam quia Hebræi in aliquibus locis eam vitiarunt. Adhuc tamen in locis, in quibus non est suspicio vitii, maximam habet authoritatem: tum quia Christus Dominus citavit aliquos Scripturæ textus secundùm hanc versionem: tum quia etiam Apostoli secundum eam versionem citarunt textus aliquos Sacræ Scripturæ: tum etiam quia Sancti Patres eadem versione sæpissimè usi sunt. Audiendus est S. Augustinus *lib. 18. de Civit. cap. 44. Ego pro meo modulo vestigia sequor Apostolorum, quia & ipsi ex utrisque, id est, ex Hebræo textu, & versione septuaginta, testimonia Prophetica posuerunt, utraque authoritate utendum putavi; quoniam utraque una atque divina est.* Qui de his plura velit, legat *P. Nicolaum Serarium in Prolegomenis Biblicis, cap. 17. quæstiunc. 17. & 19.* Illos autem fecisse hanc versionem ex Spiritus Sancti speciali inspiratione, testantur communiter Ecclesiæ Patres; *Irenæus, Clemens, Justinus, Eusebius, Chrysostomus, Cyrillus, Epiphanius, S. Augustinus,* multis in locis *S. Ambrosius, Cassiodorus, Ruffinus, Leo, Castro, Salmeron,* & qui præfationem scribit in editione Romana, quod refert, & sequitur *P. Serarius* ubi supra *quæstiuncula 16.*

9. Ex hoc textu versionis septuaginta Interpretum, & ex communi sententia Medicorum, & Theologorum, dicendum videtur esse certum, non infundi animam rationalem, donec formatum, & organizatum sit corpus pueri. Quod si id certum est, non erit probabilis sententia Thomæ Fieni Medici, & Harvæi anatomicæ artis periti, quos supra retuli: quod

quod nimirum anima rationalis infundatur quandoque prima, secunda, aut tertia die. Experimenta eorum eo perveniunt, ut cognoverint, prima, aut secunda die effusum fuisse ex utero fœminæ frustum carnis, quod acu punctum ostendebat signa sensus, & motus: quod non sufficit ad colligendum, tunc fætum habuisse animam rationalem; sed habere ad summum aliam animam sensitivam, quam in embrione multi admittunt.

10. Nec propterea evanescit argumentum, quod in ea *disp.* 14. *cit. cap.* 3. ego construxi, ut probarem, non valere consequentiam à probabilitate speculativa ad probabilitatem practicam. Efficacia enim ejus argumenti sic instauratur. Etenim si sit speculativè probabile, quod liceat procurare abortum fætus inanimati propter vitandam occisionem, aut infamiam fœminæ; id non est practicè probabile. Etenim admissâ sententia Fieni, & Harvæi, & aliorum, quos supra retuli, numquam est dubium, fætum esse inanimatum: sed in hoc dubio de animatione, grande piaculum est abortum facere: ergò semper est grande piaculum abortum facere.

11 Et quidem frequens est, quod non valeat à probabilitate speculativa ad probabilitatem practicam, quando probabilitas speculativa est propositionis conditionalis, cujus conditio non potest in praxi reperiri v.g. multi censent speculativè probabilem propositionem: *Dum abest periculum ulterioris consensus, non est peccatum lethale parvitas materiæ in delectatione venerea.* Et tamen id est practicè improbabile, quia numquam potest abesse tale periculum; ut demonstravi in 2. *part. Crist. Theol. disp.* 45. sic similiter etiam si sit speculativè probabile, quod liceat procurare abortum in casu proposito, si sit certum esse inanimatum, non valet consequentia ad probabilitatem practicam; admissa sententia Fieni, & aliorum; nam juxta eorum sententiam numquam id potest esse certum. Et hoc modo intelligendum est argumentum, quod proposui in ea *disp.* 14. *c.* 3.

CAPUT II.

Quàm certa sit negativa sententia; & quodnam firmum ejus fundamentum?

NON EGET SUMMARIO.

12. Est ergò certissima sententia, tàm in speculativa, quàm in praxi, nunquam licere procurari abortum fætus inanimati ad vitandum periculum, sive infamiæ, sive occisionis. Hæc est communis sententia Theologorum, quam tuentur S. Antoninus *part.* 3. *tit.* 7. *cap.* 2. §. 2. *citans Ioannem de Neapoli, & Sylvester, Fumus, & Henriquez*, quos refert, & sequitur *P. Lessius de Iust. cap.* 9. *dub.* 10 *num.* 60. *P. Thomas Sanch. lib.* 9 *de matrimonio, disp.* 20. *num.* 10 *P. Vasquez de Restitut. cap.* 3. §. 2. *dub.* 6 *num.* 52. *Lugo Card. tom.* 1. *de just. disp.* 10. *sect.* 6. *num.* 131. *Covarubias in Clem. si furiosus. part.* 2. § 3. *num.* 1. *P. Moya tom.* 1. *tract.* 6. *disp.* 3 *quæst.* 4 & communiter Doctores.

13. Solida hujus assertionis ratio est. Etenim abortus etiam fætus inanimati est peccatum gravius pollutione: sed pollutio non licet etiam ad vitandam mortem: ergò neque abortus fætus inanimati.

14. Majorem sic probat *Caramuel. in*

Theol. præter intentionali, *ad 5. pracep. casu 38. num. 2799.* [Quod pollutione gravior sit, probatur: quia opponitur proximius generationi: quia per gradus ascendendo pollutio generationi opponitur; abortus fœtus inanimis propius; proximèque abortus fœtus animati; unde siquidem illa est contra legem naturæ, à fortiori uterque abortus esse debet.] Cui consonat *P. Moya* proximè relatus ajens; [Non aliter de ejectione fœtus inanimati, quàm de effusione seminis philosophandum censeo.]

15. Et prior utroque *P. Lessius* supra relatus *num.* 61. sic ait: [Imò est magis directa, & propinqua contra naturam generationis expellere fœtum, quàm procurare pollutionem; sicut fœtus, etsi nondum animatus, longè propinquior est naturæ humanæ, quam fœmina nondum commixta. Deinde in pollutione solùm expellitur semen rude unius generis, idque ex sede non ultima, sed instrumentaria; in abortu expellitur semen geminum, commixtum, elaboratum, idque ex sede primaria, & finali, à natura ad hoc destinata]

CAPUT III.

An ex hoc decreto maneat antiquata opinio docens, licitam esse expulsionem fœtus inanimati propter sanitatem tuendam?

SUMMARIUM.

Doctores asserentes licitum esse procurare directè expulsionem fœtus inanimati, qui affert matri periculum vitæ. n. 16.

Quomodo Basilius Ponze adversetur ei sententiæ per consequentiam disjunctivam. num. 17.

Quomodo probatur, primam sententiam antiquari ex hoc decreto? n. 18. & seq.

Ea prima opinio non damnatur in hoc decreto. num. 21.

Quomodo propositio damnata non inferatur ex illa prima opinione? n. 22.

Discrimen quoad hoc inter fœtum animatum, & inanimatum. n. 23.

Discrimen inter expulsionem fœtus, & effusionem seminis. n. 24.

Discrimen periculi procedentis ab intrinseco, & procedentis ab extrinseco. num. 25. & 26.

An, & quare liceat abscindere manum, propter periculum extrinsecum, & non liceat expellere fœtum inanimatum propter idem. n. 27.

Probabilius est, non licere expulsionem directam fœtus inanimati, etiam propter periculum ab intrinseco. n. 28.

16. Opinio est plurium Doctorum, licitum esse procurare directè expulsionem fœtus inanimati, quando ipse fœtus affert matri periculum mortis ex puerperio; ita ut mater periclitetur de vita, nisi expellatur fœtus. *Ita P. Thomas Sanchez lib. 9. de matrim. disp. 20. num. 9.* asserens, nullum à se inveniri Doctorem dissentientem huic sententiæ, præter *Navarram*, & pro sua opinione affert *S. Antoninum* suprà citatum, *Ioannem de Neapoli*, *Sylvestrum*, *Covarrubiam*, *Armillam*, *Navarrum*, *Cordubam*, *Margaritam Confessorum*, *Henriquez*, *Grassis*, *Palacios*, *Sa*, & *Vegam*. Quæ sententia non solùm admittit, licitam esse expulsionem fœtus inanimati indirectam, scilicet per medicamenta tendentia ad sanitatem matris, scissionem venæ, purgationem humorum &c. ex quibus per accidens resulta-

resultare solet expulsio fœtus; sed etiam per medicamenta directè intendentia ipsam expulsionem.

17. Adversus *Thomam Sanch.* insurrexit *Basilius Ponze lib.* 10. *de matrim. cap.* 13 *numer.* 2. (quem postea Authores alii secuti sunt) aitque, esse consequentiam necessariam ab uno ad alterum, scilicet ex eo, quod liceat expellere fœtum inanimatum pro sanitate matris, inferri, licere etiam expellere eundem pro conservanda fama, aut vitanda occisione matris; aut si hoc non licet, neque primum licere.

18. Hinc desumitur argumentum ad probandum, eam sententiam *Thomæ Sanchez*, ex hoc decreto manere antiquatam. Etenim illa sententia antiquatur, quæ est antecedens, unde evidenter infertur opinio reprobata, ut multis ostendi supra *diss.* 1 *c.* 14. ea præcipuè ratione, quod *ex vero non, nisi verum*, ut clamant Dialectici; quare si consequens est falsum, antecedens non potest non esse falsum; sed ea opinio, quod liceat expellere fœtum inanimatum, ubi matris vita periclitatur ex puerperio, est antecedens, unde infertur hæc propositio damnata, quod licet expellere fœtum inanimatum pro vitanda occisione, aut infamia matris: ergò prima illa opinio maneat antiquata. Probatur minor: quia jam admittitur, quod propter periculum vitæ matris liceat expellere fœtum inanimatum. Quod autem id periculum procedat ab intrinseco, an ab extrinseco, nihil refert.

19. Confirmatur primò. Eadem est vis periculi ab intrinseco, & periculi ab extrinseco: sed periculum ab intrinseco potest vitare mater expulsione fœtus inanimis: ergò etiam potest vitare periculum ab extrinseco expulsione fœtus inanimis. Ergò si conceditur minor, concedendum est consequens. Ergò opinio docens, posse expelli fœtum inanimem propter sanitatem matris, est antecedens, unde manifestè infertur opinio damnata docens, posse expelli fœtum inanimem propter vitandum periculum occisionis, aut infamiæ.

20. Confirmatur secundò. Nam ut refert *P. Moya citatus cap. præced.* multi sunt casus, in quibus ex eo, quod liceat assumere media nociva propter periculum ab intrinseco proveniens, inferunt Doctores, licere assumere eadem propter periculum extrinsecum. v g. ex eo, quod liceat abscindere manum morbidam ad conservationem vitæ, inferunt *Bannez*, *Ledesma*, *Sotus*, *Acacius de Velasco*, *Serra*, & alii Doctores, idem licere, si tyrannus jubeat sub comminatione mortis. Et sic in multis aliis casibus. Ergò idem dicendum in præsenti, propterea quod eadem est ratio periculi procedentis ab intrinseco, & procedentis ab extrinseco.

21. Sed his non obstantibus, dicendum est, eam opinionem nihil detrimenti accipere ab ea damnatione. Et inprimis certum est, quod ea opinio non damnatur expressè in hoc decreto; est enim longè diversa à propositione damnata.

22. Quod autem non antiquetur ex hoc decreto, probatur. Et quidem si esset evidens consequentia ab hac opinione ad opinionem damnatam, illa quidem antiquata maneret, & reprobanda; ea autem consequentia non est evidens, cùm, quæ pro ea consequentia afferuntur, habeant probabilem solutionem. Nam quando fœtus inanimis constituit ab intrinseco matrem in extremo vitæ periculo, ille quidem ex una parte est aggressor, ex alia verò non deser-

vit

vit suo naturali fini conservandi speciem humanam; nam mortua matre, non nascetur homo. At verò quando periclitatur honor, aut fama puellæ prægnantis, aut ei imminet occisio aut consanguineis, fætus inanimis non est aggressor. Sicut si Titius aggrediatur Semproniū evaginato gladio occisurus; potest Sempronius occidere Titium cum moderamine inculpatæ tutelæ: Si autem Joannes minitetur Sempronio mortem, nisi occidat Titium, non licèt ei occidere Titium. Quare? nisi quia in primo casu Titius est aggressor, non in secundo.

23 Et hinc cognoscitur discrimen quo ad hoc inter fætum animatum, & inanimatum: nam licèt fætus animatus soleat esse aggressor vitæ matris eodem modo, ac fætus inanimis; tamen fætus animatus mortua matre potest manere superstes, & ita consequi non solum spem salutis æternæ, sed etiam finem naturalem multiplicationis speciei humanæ, ad quam ordinatur generatio: quare non potest mater pugnare contra vitam pueri. Cum quo stat, quod licitè possit uti mater medicamentis directè tendentibus ad propriam sanitatem, nempe balneis, phlebotomia &c. quamvis per accidens, & præter intentionem sequatur expulsio fætus animati.

24. Neque valet instantia, quod etiam copia seminis potest esse aggressor vitæ; nocere enim potest sanitati, & vitæ. Non, inquam, valet: quia sicut nemini licet occidere invasorem, si aliud est medium evadendi mortem; ita neque expellere semen ratione illius periculi; quia contra id nocumentum procedens ex copia seminis providit natura multa remedia, nempe sanguinis emissionem, abstinentiam à cibis, maximè calidis &c. & quamvis nulla remedia providisset natura, certum omninò est, pollutionem esse jure naturæ interdictam pro omni eventu.

25. Ad argumentum, quo probare conabantur vim consequentiæ ab hac opinione ad opinionem damnatam; facilè respondetur negando minorem. Ad cujus probationem respondetur, magnum esse discrimen periculi procedentis ab intrinseco, & procedentis ab extrinseco. Nam in eo, quod est ab intrinseco, fætus inanimatus est aggressor; non in eo, quod est ab extrinseco. Ideò enim si jubeatur Sempronius sub comminatione mortis occidere Titiū, non licèt Sempronio occidere, quia in eo eventu Titius non est aggressor.

26. Ad primam confirmationem neganda est major, scilicet eamdem esse rationem periculi procedentis ab intrinseco, & procedentis ab extrinseco, propter dicta. Ad secundam confirmationem dico: in aliquibus casibus esse eamdem rationem periculi, sive procedat ab intrinseco, sive ab extrinseco; non tamen in omnibus: sicut neque est in omnibus eadem ratio periculi extrinseci unius generis, ac periculi alterius generis, ut in exemplo posito de occidente invasorem cum moderamine inculpatæ tutelæ; in eo enim periculo extrinseco potest occidere; non verò in periculo alterius minitantis mortem, nisi occidat Titium. Nam in diversis periculis possunt esse speciales rationes, propter quas in altero liceat, in altero non liceat talem actionem exercere.

27. Quare autem liceat abscindere manum propter periculum mortis imminentis à Tyranno jubente abscissionem, (probabilis est ea opinio) non autem liceat expellere fætum inanimē propter periculū occi-

occasionis; non est difficilè ostendere discrimen. Quia cum per abscissionem manus, solum noceatur individuo, & per expulsionem fœtus noceatur speciei humanæ, & multiplicationi ejus, strictior multo est obligatio retinendi fœtum, quam retinendi manum.

28. Rogabis tandem, an veram censeam hanc opinionem, quæ admittit directam expulsionem fœtus inanimis, quando affert periculum mortis in puerperio. Et respondeo, probabiliorem esse oppositam sententiam, quæ id negat esse licitum: quia licet discrimen assignatum sit probabile; probabilius tamen est, argumentum allatum contra propositionem damnatam, quod proposui *cap.* 2. præcipuè ex *P. Lessio*, militare etiam contra hanc opinionem propter periculum mortis in puerperio.

CAPUT IV.

An ex hoc decreto damnata maneat opinio, quæ admittit licitam eam expulsionem fœtus ad vitandam infamiam communitatis.

SUMMARIUM.

Refertur placitum Lumbierii. num. 29.

Quod odia sunt restringenda, non intelligitur de decretis doctrinalibus. num. 30.

Neque de illis, quæ de jure naturali sunt interdicta. num. 31.

In jure aliquando proponuntur casus in individuo, & intelligi debent in specie. n. 32.

Eadem ratio militat in infamia parentum, & consanguineorum, ac in infamia fœminæ, quoad evitandam expulsionem fœtus. num. 33.

In decretalibus, proposito casu in individuo, intelligitur de specie ob identitatem rationis. num. 34.

Dato quod non subjaceat damnationi hæc opinio; saltem certum est, eam manere antiquatam. num. 29.

29. Lumbier in expositione hujus propositionis 34. *num.* 1887. proponit casum, in quo Monialis in cœnobio Religioso, & eximiæ recollectionis concepit ex viro: in quo quæritur, an ea Monialis licitè possit expellere fœtum inanimem, & non quidem ob propriam infamiam, sed ne infametur Religiosi cœnobii Sacra communitas, asseritque: *No sabemos de cierto, si esta comprehendida en esta condenacion* Latinè: *Nec certo scimus, an contineatur sub hac damnatione*, & ponit rationem dubitandi, nempè *damnationem hanc esse strictæ interpretationis*. Qui Author resolvit, illicitum esse in eo casu procurare expulsionem fœtus: quia ad vitandam infamiam coram sæcularibus est aliud medium, scilicet præcipiendo in virtute sanctæ obedientiæ, & sub censuris observationem secreti.

30. Dicendum tamen est ut certum, hunc casum contineri sub hac damnatione. Pro cujus certitudine observandum est, eam regulam juris, *quod odia sunt restringenda*, intelligi de legibus humanis præceptivis, vel prohibitoriis; de decretis autem doctrinalibus, sive quæ doctrinam veram & certam statuunt, non ita strictè intelligendam esse; in his enim magis ad mentem Pontificis Romani, quam ad sonitum verborum attendendum est.

31. Deinde, quia ea, quæ jure naturali interdicta sunt, non vocantur odia; neque subjiciuntur interpretationi constitutionis

 nis

nis odiosæ. Quis enim dixit, præceptum non occidendi esse odiosum, & tanquam odiosum interpretandum? Constat autem ex hac damnatione Pontificis, esse jure naturali interdictum, facere eam expulsionem fætus propter periculum ab extrinseco proveniens.

32. Et quidem in his damnationibus aliquando proponuntur casus in individuo, & intelligi debent in specie, quia individuum propositum est exempli gratia. Tunc autem id ita intelligitur, quando eadem omninò ratio militat in cæteris casibus similibus.

33. Jam vero hunc casum contineri sub hac damnatione probatur. Etenim quando puella violat pudicitiam, amissa virginitate, non solum infamatur ipsa, sed cedit in dedecus patris, & matris, & consanguineorum. Nunquid ergò proderit hæc tergiversatio contra damnationem à Pontifice factam, ut dicatur, posse puellam procurare abortum fætus inanimis, non ut vitet infamiam propriam, sed infamiam parentum, & consanguineorum, quam non expressit damnatio? Absit. Quare? nisi quia præsuppositis duabus opinionibus, quarum altera docet, licitum esse procurare eum abortum, propter periculum procedens ab intrinseco; & altera docet, licitum id esse propter periculum procedens ab extrinseco, damnat Pontifex hanc secundam, posito exemplo in eo, quod frequentius contingit? Cum enim infamia parentum, & consanguineorum sit damnum extrinsecum, eadem omninò ratio militat in periculo infamiæ parentum, & consanguineorum, ac in periculo infamiæ puellæ.

34. Ita contingit in maxima parte decretalium constitutionum, in quibus proposito uno casu in individuo, omnes juris Interpretes assumunt decisionem illius casus individui pro regula generali ob identitatem rationis. Quæ quidem majorem locum habent in iis, quæ sunt juris naturalis, in quibus magis attenditur ratio, quam verborum tenor.

35. Eodem ergo modo, & ob eandem rationem damnata manet opinio docens, licitum esse procurare eum abortum propter periculum ab intrinseco proveniens, sive proveniat ab infamia puellæ, sive ab infamia parentum, & consanguineorum, sive ab infamia communitatis Religiosæ.

36. Dato autem, & non concesso, quod iste casus non contineatur sub hac damnatione; dicendum est, vi hujus damnationis manere antiquatam opinionem, quæ dicat, licitum esse procurare eum abortum Monialis, ne periclitetur fama cœnobii Religiosi. Hæc enim opinio, est antecedens, ex quo infertur propositio damnata. Nam si licet, procurare ejusmodi abortum propter vitandam infamiam cœnobii; & cum jus naturale non possit limitari ad gradum infamiæ paulo majorem, aut paulo minorem; idem erit dicendum, sive sit propter infamiam puellæ, sive sit propter infamiam cœnobii.

CAPUT V.

Aliud dubium de puella vim passa.

SUMMARIUM.

Refertur placitum Lumbierii num. 37.
Proponuntur tria circa id placitum refellenda num. 38.

Quo-

Quomodo assertio relata subjaceat damnationi? num. 39.
Qui fuit aggressor, & jam non est, non potest denuo impeti. num 40.
Quomodo dici possit semen aggressor castitatis? num. 41.
Et an fœmina qua patitur violentiam possit in continenti repellere semen. ibid.
Quomodo non sit aggressor in eo tempore, in quo non violatur castitas. num 42.
Et quando non instat tempus defensionis. num. 43.
Eo tempore, quo quis non est aggressor, instrumentum illius non potest esse aggressor. num. 45.
Discrimen inter jus fœmina defendendi occisivè castitatem, & expellendi fœtum inanimem. num. 46.
Objectio solvitur. num. 47.
Refertur assertionem impugnatam neque speculativè esse probabilem. num. 49.

37. HUnc casum proponit Lumbier, *ibid. num.* 1888. scilicet quando fœmina omninò invita inculpabiliter passa est violentiam viri, & facta est prægnans; an licete possit ad vitandam infamiam expellere fœtum inanimem. Et respondet his verbis: *Contra la condenacion parece, que no seria. Contra la razon parece, que tan poco: pues entonces tambiem el semen como instrumento, ò virtud del varon, es agressor injusto, y violento de su castidad. Y si es doctrina corriente de los Theologos, y lo ensenna Tapia con otros, assi de que puede la muger matar al agressor violento de su castidad; parece que tambiem ha de poder al feto inanimado. Del animado no se habla aqui, porque por la salud espiritual de aquella alma, que està en extrema necesiidad puede aver diferente razon, que se dexa por aora à la disputa de los Theologos.* Quæ verba propter ignaros hispani idiomatis sic fideliter in latinum sermonem transferuntur. [Videtur id *non esse contra damnationem*. Videtur etiam, neque contra rationem esse: quia tunc etiam semen, tanquam instrumentum, aut virtus viri, *est aggressor* injustus, & violentus castitatis ejus. Et si quidem est communis doctrina Theologorum (& ita docet Tapia cum aliis) quod *fœmina potest occidere* aggressorem violentum suæ castitatis, videtur etiam, quod potest expellere eum fœtum inanimem. De animato autem non loquimur in hoc casu: nam propter salutem spiritualem illius animæ existentis in extrema necessitate potest adesse diversa ratio; quæ modo remittitur ad Theologorum disputationem.]

38. In quibus verbis multa veniunt notanda, & rejicienda, tum quia adversantur huic damnationi; tum quia perperam colliguntur ex doctrina Theologorum. Primum, quod dicat, eam opinionem non esse contra damnationem; secundum, quod semen est aggressor castitatis in eo eventu; tertium, quod ex defensione occisiva castitatis sumat paritatem ad expulsionem fœtus inanimati.

39. Quod attinet ad primum, dicendum est, eam opinionem contineri sub hac damnatione, scilicet quæ docet, posse expelli fœtum inanimem, quando fœmina passa est omnimodam violentiam castitatis. Probatur primò. Nam hæc damnatio universaliter damnat opinionem, quæ doceat licere expulsionem fœtus inanimis propter vitandam infamiam, aut occisionem fœminæ corruptæ; sed hæc opinio id affirmat: ergò hæc damnatio illam damnat.

40. Probatur secundò: (quo argumento, & tribus sequentibus refellitur secun-

uum dictum ejus Authoris) quia licet ſemen, dum actualiter infunditur per vim in uterum fœminæ, poſſit dici aggreſſor caſtitatis fœminæ; at poſtquam converſus eſt in fœtum, jam pro tunc non eſt aggreſſor caſtitatis: ſed quod fuerit aggreſſor, & jam non ſit, non eſt ſufficiens ad illud expellendum à ſuo naturali loco; ſicut quod aliquis fuerit aggreſſor contra vitam Petri, cùm jam non ſit, id non eſt ſufficiens, ut tranſacto priori aggreſſionis tempore, poſſit Petrus illum occidere: ergò cum ſola ratione aggreſſoris contendat is Author liberare eam opinionem à damnatione, & jam ratio aggreſſoris evanuerit; nulla eſt ratio, ob quam ea opinio poſſit à damnatione excludi.

41. Et quidem ſemen, dum violenter immittitur in uterum fœminæ, non poteſt negari, quod ſit aggreſſor caſtitatis. Ideò opinio fuit *P. Thomæ Sanchez, lib. 2. de matrim. diſp. 22. num. 17.* & *Marchantii part. 1. c. 6. quæſt. 21.* quem refert Diana, nec improbat, *part. 7. tract. 5. reſol 21.* fœminam, quæ omnimodam violentiam patitur contra caſtitatem, illam quidem renitentem immiſſioni ſeminis, poſſe repellere ſemen eodem impetu, quo illius immiſſioni renititur, ſcilicet in eodem momento: quia id nihil aliud eſt, quam ſe defendere ab immiſſione ſeminis, tanquam aggreſſoris violenti, & injuſti ſuæ caſtit. Et quamvis modo non vacat, eam opinionem examinare; illam tamen refero, ut conſtet, quomodo, & quo tempore ſemen poſſit dici aggreſſor violentus caſtitatis.

42. Probatur tertiò. Quia ſemen viri non eſt aggreſſor caſtitatis fœminæ eo tempore, in quo non violatur caſtitas: ſed quando datur in utero fœtus inanimis, tunc non violatur caſtitas: ergò tunc ſemen non eſt aggreſſor caſtitatis.

43. Probatur quartò. Quia tunc aliquis non eſt aggreſſor, quando non inſtat tempus defenſionis, aut impediendi injuriam: ſed poſtquam tranſiit immiſſio ſeminis, & conceptus eſt fœtus, jam non eſt tempus defenſionis, neque tempus impediendi injuriam contra caſtitatem: ergò tunc ſemen non eſt aggreſſor caſtitatis. Minor evidens eſt: quia jam violata caſtitate, non eſt tempus impediendi eam violationem; cum ad præteritum non detur potentia.

44. Major etiam conſtat. Nam poſtquam Petrus percuſſit Joannem, & abiit, ideò jam non eſt aggreſſor, quia jam tranſiit tempus impediendi percuſſionem, & defendendi ſe ab illa: ergò cum violata caſtitate, tranſierit jam tempus impediendæ violationis, jam illud ſemen non poteſt dici aggreſſor.

45. Probatur quintò. Nam eo tempore, quo mœchus violentus non eſt aggreſſor caſtitatis, ipſum inſtrumentum illius non poteſt eſſe aggreſſor: ſed tempore, quo fœtus jam eſt conceptus, mœchus ipſe non eſt aggreſſor caſtitatis: ergò, & ſemen, quod eſt inſtrumentum malefactoris, & malefacti, non eſt aggreſſor caſtitatis.

46. Quod attinet ad tertium dictum ejus Authoris, ſcilicet paritatem deſumptam à defenſione occiſiva caſtitatis ad expulſionem fœtus inanimis; aſſero, diſcrimen eſſe meridiana luce clarius. Nam fœmina, cujus caſtitas impetitur, ſi alia via non poteſt impedire illam injuriam, poteſt illam impedire occiſione invaſoris; poſtquam autem facta eſt injuria violationis caſtitatis, non poteſt illum occidere, quia jam non poteſt impedire eam injuriam jam illatam.

illatam. In altero autem casu per expulsionem fætus jam concepti non impeditur invasio ejus castitatis, nec violatio, cum jam præterierit.

47. Dicet aliquis. Licet tunc fætus inanimis non sit aggressor castitatis, est tamen aggressor famæ propter infamiam inde secuturam; vel aggressor vitæ, propter occisionem, quæ fortasse imminet à consanguineis!

48. Sed hæc responsio non minuit, imò auget difficultatem. Sic enim ingreditur ad ipsam formalissimam rationem, ob quam damnatur ea 34. propositio, nempè propter periculum occisionis, aut infamiæ inde secuturæ: cum jam non fiat recursus ad hoc, quod fætus inanimis sit aggressor castitatis in sua radice.

49. Id tamen placet in assertione Lumbierii, quod cum vir timoratus sit, hæc verba subjunxit. *Todo esto especulatıvamẽ teparece probabel: si lo sea en la practica, los Doctos lo verán.* Id est, [hæc omnnia speculativè videntur probabilia: an sint probabilia in praxi, docti judicabunt.] Argumenta autem hucusque instructa manifestè probant, eam Lumbe ri assertionem neque speculativè, neque practicè esse probabilem: maximè cum *in 1. part. Crist. Theol. disp. 14.* ostenderimus, quoties in speculatione inveniuntur eædem omninò circumstantiæ, ac in praxi; id totum est practicè probabile, quod fuerit probabile in speculatione. Quia tamen sæpè, quæ considerantur in speculatione, non possunt reduci ad praxim sine nova circumstantia vitiosa; ideò aliquando non valet à probabilitate speculativa ad practicam.

CAPUT VI.

Aliud dubium de fœmina vim passa à dæmone incubo.

SUMMARIUM.

Quorumdam placitum refertur circa abortum fætus concepti arte dæmonis. n. 50.
Ex dæmone incubo proles monstrosa irrationalis aliquando generatur. num. 51.
Ejus generis exemplum ex Delrio. num. 52.
Ex putrefacto semine generari solent monstra irrationalia num. 53.
Præfati viri docti fortasse consuluerunt illum abortum, quia censuerunt non esse prolem, sed vivens monstrosum. num. 54.
Casu quo arte Sathanæ fœmina concepit prolem humanam, illicitus est omnis abortus, & opposita propositio subjacet damnationi. num. 55.
Argumenta pro conclusione. Ibid. & seqq.
Imo opposita conclusio neque speculativam probabilitatem habet. num. 58.

60. IDem Lumbierius loco citato ex assertione relata cap. præced. infert hanc aliam his verbis. *De aqui toma luz un parecer de hombres doctos, los quales ha annos, que consultados, si era licito dar una bebida para abortar à una Religiosa muy sierva de Dios, con la qual el demonio avia tenido violentamente congreso y se hallava con muchas sospechas de prennada al parecer de los medicos, resolvieron, que si: porque si era prennado, era agressor injusto, y violento de su castidad.* Quæ sic in latinum sermonem transfero. [Hinc lucem accipit quædam sententia virorum doctorum, qui nonnullis ab hinc annis consulti, an liceret propinare potionem in ordine ad abortum cuidam sanctimoniali valde Deo devotæ,

 cum

cum qua Cacodæmon violéter fuerat congressus, & medicorum judicio ex multis indiciis prægnans visa est; consuluerunt partem affirmativam: nam si verè fœta erat, aggressor castitatis fuerat injustus, & violentus.] Hæc Lumbierius; quamvis assertionem hanc limitet, sicut præcedentem, nempe asserendo loqui se de probabilitate speculativa.

51. Et quidem possibile censeo, quod Cacodæmon, si fiat succubus (ultra alios modos, quibus idem disponere potest) recipiat semen à viro, & postea factus incubus immittat semen in uterum fœminæ. Sed non credo, Deum talia permissurum, ut virgini Deo devotæ sic illudat Sathanas, imò neque fœminæ peccatrici in ordine ad prolem humanam. Scimus aliquando contigisse, quod fœmina incubum Cacodæmonem amplexa pepererit. Sed quam prolem? Non humanam, sed irrationalem, & monstrosam; fortasse de genere eorum viventium, quæ putridis seminibus generari possunt.

52. *P. Martinus Delrio lib. 6. disquisition. Magic. cap. 2 sect. 3. pag. mihi 51. ex edit. Lugdunensi anno 1608.* refert horribilem historiam de puella complexa ejusmodi incubum: quam ita concludit. *Fœmina periculo servata, enixa est monstrum undequaque fœdum aspectu, quale nusquam antea (ut ferunt) inter nostrates visum. Id obstetrices, ne observatum contumelia esset familiæ, accensa ingenti pyra citissimè concremarunt.* Id ita refert contigisse anno 1588. Brunæ in Moravia.

53. Neque insolitum est, ex putrefacto semine generari, etiam ex copula conjugali, vivens irrationale; scimus enim ita accidisse non semel in hac provincia, ita ut natum fuerit animalculum porcello simile, quod vulgò appellant *Engendro*; quod ubi ex utero prodiit, cucurrit velociter per terram.

54. Illi ergo viri docti, quos suppressis nominibus refert Lumbier, fortasse ex sufficientibus indiciis cognoverunt, illum fœtum, quem Sanctimonialis Deo devota ab incubo violento conceperat, esse non prolem humanam, sed vivens monstrosum. Sic enim rectè consuluissent, propinari pharmacum ad ejusmodi abortum. Nescimus enim, ipsos inductos esse ea ratione de aggressore violento castitatis.

55. Sed utcumque casus acciderit, inquirimus, an casu quo, arte Sathanæ succubi, & incubi, fœmina vim passa conceperit; & judicio medicorum portet in utero fœtum humanum adhuc inanimem, licitum sit procurare abortum ad vitandam infamiam? Asseroque, assertionem affirmativam contineri sub hac damnatione; quæ quidem assertio eodem modo ostenditur, ac præcedens. Primò. Etenim damnatio est universalis; damnat enim propositionem, quæ doceat, licere expellere fœtum humanum adhuc inanimem, propter vitandam infamiam, aut occisionem fœminæ prægnantis: sed in eo casu propositio loquitur de fœmina, quæ vult expellere fœtum humanum adhuc inanimem, propter vitandam suam infamiam, aut occisionem: ergò ea propositio subjacet damnationi.

56. Secundò. Quia licet in ipso congressu, semen humanum à Sathana immissum sit aggressor violentus castitatis, ast postquam semen conversum est in fœtum, eo tempore non est aggressor castitatis, cum solum sit aggressor illius, dum violat castitatem.

57. Ter-

57. Tertiò. Quia nullus est aggressor, nisi in eo temporis momento, quo instat jus defendendi se, & impediendi injuriam. Quartò. Nam eo tempore, quo Sathanas non est aggressor contra castitatem, nec instrumentum illius, id est, semen humanum ab eo immissum, potest esse aggressor. Vide hæc argumenta latius proposita *cap. praced.*

58. Nec satisfacit Lumbier, etiamsi dicat, se loqui solum de probabilitate speculativa. Tum quia argumenta probant, neque probabilitatem speculativam convenire ei assertioni: tum etiam quia quæ speculativè probabilia sunt, si nulla alia circumstantia superaddatur in praxi, utique sunt practicè probabilia; cum tamen in hoc casu speculatio consideret omnes circumstantias, quas in praxi.

CAPUT VII.

An liceat fœmina expellere medicamento indirecto fatum inanimem propter vitandam infamiam, aut occisionem?

SUMMARIUM.

Duplex genus medicamenti, aliud directum, & aliud indirectum. num.58.

Opinio docens matri periclitanti licitum esse assumere indirecta cum periculo prolis etiam animata. num.60.

An sicut propter periculum vita potest uti medicamentis indirectis, possit etiam illis uti propter vitandam infamiam. num.61.

Et quæstio solum est, quando fœtus est inanimis. num.62.

Quando scissio vena sit medicamentum directè tendens ad expulsionem fœtus? n.63.

Nefas est, quod fœmina non laborans graviter utatur medicamento indirecto propter periculum extrinsecum; & opposita opinio subjacet damnationi. num.64.

Procurat abortum, qui ponit media probabiliter efficacia. num 65.

Qui ponit causam per accidens ex intentione consequendi effectum, procurat effectum. num.67.

59. Duplex genus medicamenti (quod ad præsens attinet) distinguendum est. Alterum, quod directè tendit ad nocendum fœtui, v. g. quod tendit ad vulnerandum fœtum. Alterum, quod solum respicit sanitatem matris, ut venæ scissio, pharmacum humoris purgativum, balneum &c. quæ aliquando solent nocere fœtui; & hoc dicitur medicamentum indirectè tendens in detrimentum prolis.

60. Deinde præmittendum est esse opinionem inter plures Theologos receptam, matri periclitanti ex gravi morbo licitum esse assumere medicamenta secundi generis, quamvis probabiliter timeatur nocumentum prolis, etiam animatæ. Ita *P. Thom. Sanch. lib.9. de matrim. disp.*10. *num.*34. & apud ipsum *Corduba, Navarra, Rodriguez, Ludovicus Lopez, Vega, Bannez, Enriquez, Benzonius, & Sa*: quia mater jus habet ad suam vitam tuendam; præcipuè cum fœtus, licet animatus, maximum nocumentum accipiat à morbo matris: quod si fœtus propter scissionem venæ, & emissionem sanguinis periclitetur, tunc id nocumentum prolis contingit indirectè, & præter intentionem.

61 Inquirimus ergò, an sicut fœmina propter

propter periculum gravis morbi potest uti medicamentis secundi generis, ita ut præter intentionem periclitetur fœtus animatus, possit fœmina propter vitandum periculum ab extrinseco, nempe infamiam, aut occisionem, uti eisdem medicamentis indirectè expulsivis, quando fœtus est adhuc inanimis.

62. Et supponimus, id non licere, quando fœtus est animatus, & mater non infirmatur graviter, sive periculosè: nam Authores citati solum id concedunt matri, quando ei imminet periculum vitæ. Quare solum inquirimus, quando fœtus est inanimis, & mater non infirmatur graviter.

63. Supponimus etiam, si fœmina ita prægnans patiatur scissionem venæ, & conetur prodire tantam sanguinis quantitatem, ut deficiat sanguis necessarius ad procreationem prolis, id esse nefas: quia tunc scissio venæ non est enumeranda inter medicamenta secundi generis; cum ea sanguinis emissio directè tendat ad destructionem prolis.

64. In præsenti ergo quæstione dicendum est, illicitum esse, quod fœmina nullo morbo gravi laborans, propter infamiam, aut occisionem vitandam, utatur illis medicamentis indirectè tendentibus ad expulsionem fœtus inanimis; & propositionem affirmantem, id esse licitum, subjacere huic damnationi. Probatur. Nam juxta damnationem hanc illicitum est procurare talem abortum, propter vitandam infamiam, aut occisionem; sed in præfato casu ea fœmina procurat abortum propter vitandam infamiam, aut occisionem: ergò juxta damnationem hanc, id genus medicamenti est illicitum huic fœminæ.

65. Minor patet: tum quia supponimus, id non facere ex intentione sanitatis, sed ex intentione vitandæ infamiæ, aut occisionis; & idem est procurare, ac intendere. Tum etiam, quia non solum procurat aliquid is, qui ponit media certo efficacia, sed etiam is, qui ponit media, probabiliter efficacia, sive quæ probabiliter habebunt effectum. Sic non solū procurat simoniacè beneficium Ecclesiasticū, qui paciscitur de pretio; sed etiam, qui adhibet intercessores, qui consequantur ejusmodi emptionem, aut pactum: cum tamen intercessio soleat esse solum probabiliter efficax. Fœmina ergo, quæ sanguinem emittit eo fine, ut abortiatur; quamvis sanguinis emissio non sit medium omninò efficax ad abortum, verè illum procurat.

66. Dices. Non procurat effectum, qui ponit causam per accidens: sed emissio sanguinis est causa per accidens abortus: ergo fœmina prægnans, quæ ponit talem causam per accidens, non procurat abortum.

67. Respondeo distinguendo majorem: non procurat effectum, qui ponit causam per accidens, (ex intentione consequendi effectum.) nego; (absque ea intentione) omitto. Sic enim *in 2. part. Crist. Theol. disp. 43. cap. 1. num. 6.* docui, quando ponitur causa per accidens pollutionis ex intentione habendi talem pollutionem, esse pollutionem volitam in tali causa.

CAPUT VIII.

Fit periculum de propositione. 35.

SUMMARIUM.

Quomodo hæc propositio speculativa respiciat praxim. num. 68.

Dilem-

68. PRopositio 35. ex damnatis est: *Videtur probabile, omnem fœtum, quamdiu in utero est, carere anima rationali; & tunc primum incipere eandem habere, cùm paritur; ac consequenter dicendum erit in nullo abortu homicidium committi.* Quæ propositio licèt speculativa videatur; ea tamen à suo Authore ordinatur ad consequentiam practicam, scilicet ne peccatum procurandi abortum, dicatur esse homicidium; & ut probabile sit, facientem abortum non incurrere irregularitatem ex homicidio provenientem.

69. Et quidem prima pars propositionis speculativa non est dicenda opinio, sed delirium; pugnat enim contra evidentiam oculorum. Nam vel infusio animæ rationalis requirit totum tempus novem mensium, vel non requirit? Si primum; infero: ergò quando infans nascitur septimo, quinto, aut quarto mense non nascitur cum anima rationali. Quæ consequentia evidenter infertur, cum sit evidenter falsa; videmus enim in infantibus sic in lucem editis evidentia signa animæ rationalis. Si verò dicatur secundùm, nempè infusionem animæ rationalis non requirere novẽ menses, sed quinto, aut quarto mense infundi; evidenter infertur, infundi animam rationalem, antequam adveniat tempus pariendi.

70. Est etiam delirium, quod dicatur probabile, quod nullo gravi fundamento innititur. Nam ad essentiam probabilitatis fundamentum grave requiritur, illud quidem dignum existimatione prudenti.

71. Maximum autem delirium esse convincitur ex eo, quod adversetur pluribus locis Sacræ Scrpturæ. *Nam Luc.* 1. dicitur de Joanne Baptista in utero matris existente: *Ut audivit salutationem Mariæ Elizabeth, exultavit infans in utero ejus.* Neque potest responderi, habuisse tunc animam sensibilem, non autem rationalem, & ratione animæ sensibilis potuisse exultare: tùm quia ea vox *infans* attribui non potest animali irrationali, quale esset, si non haberet animam rationalem, sed solam sensibilem. Tum quia posteà dixit Elizabeth, *exultavit in gaudio*; gaudium autem non convenit supposito irrationali. Et id multò urgentius convincitur ex verbis Angeli ad Zachariam dicentis: *Et Spiritu Sancto replebitur adhuc ex utero matris suæ*: nisi enim haberet animam rationalem non potuisset Spiritu Sancto repleri existens in utero matris. Et ideò pro sententia, quæ asserit, Joannem præventum gratia habuisse usum rationis ad cognoscendum, & adorandum Redemptorem, *P. Ioannes Maldonatus in Luc. cap.* 1. *num.* 153. refert, singulorum locis citatis, *Irenæũ, Origenem, Cyrillum Hierosolymitanum, Ambrosium, Hieronymum,* Authorem operis imperfecti, *Chrisostomum, Maximum, Chrisologum, Bernardum, Theophylactum, & Euthimium.*

72. Dicere autem, quod per miraculum Joanni infusa fuit anima rationalis existenti

existenti in utero, ridiculum est; cum absque necessitate, & absq. fundamento non sint adstruenda miracula in generatione naturali. Deindè cùm Angelus dixit Zachariæ: *Spiritu Sancto replebitur adhuc ex utero matris suæ*; Zacharias, qui dubitavit de prole vaticinata, ob sterilitatem Elisabethæ, multo magis dubitaret de repletione Spiritus Sancti, si puer in utero non haberet animam rationalem; resisteret enim Angelo arguens, quomodo possit Spiritus Sanctus replere animam non rationalem, sed dumtaxat sensibilem?

73. Deindè adversatur eis textibus *Genesis cap.* 25. & Apostoli ad *Rom. cap.* 9. de duobus parvulis Esau, & Jacob, *qui collidebantur in utero matris*. Tùm quia Scriptura in eo loco *Genesis* eos vocat absolutè parvulos, quod nomen nunquam Scriptura attribuit, nisi individuis rationalibus. Prætereà de ijs ait *Paulus loc. cit. Cùm enim nondum nati fuissent, aut aliquid boni egissent, aut mali.* Et quamvis vera sit propositio, quæ dicit: (Equi, & Leones nihil boni egerunt, aut mali moralis,) incongruè, & impropriè loqueretur *Paulus*, si id non affirmaret de eisdem subjectis qui posteà acturi essent aliquid boni, aut mali. Quod satis significatur per eam dictionem *nondum*: de eisdem enim subjectis dicit, nondum egisse aliquid boni, & mali, quæ postea agere possent aliquid boni aut mali. Quomodo autem essent eadem sub ecta in utero, & extra uterum, non composita ex anima rationali in utero extrà illum composita ex anima rationali?

74. Quod attinet ad consequentiam, quæ in ea propositione infertur, nempè: *Consequenter dicendum erit, in nullo abortu homicidium committi*; ea quidem est indigna viro Dialecticæ perito. Etenim etiamsi esset probabile, non infundi animam rationalem, nisi in ipso momento partus; adhuc reus esset homicidii, qui paulò antè partum efficeret abortum. Quod sic ostendo. Dum probabile est, hominem esse mortuum, & probabile est, esse vivum, non licet pugione illum configere, essetque reus homicidii, qui sic configeret. Quare? Quia eo ipso exponitur periculo probabili occidendi hominem. Nam (ut loquitur *P. Suarez disp.* 18. *de censuris sect.* 3. *num.* 16.) *In moralibus ejusdem malitiæ est, constituere se voluntariè in morali periculo, & proximo committendi aliquod crimen, & committere illud.* Sic etiam si probabile est id, quod à longe video, esse suppositum humanum, & probabile est esse feram, homicidii reus ero, si telum in illud conjiciam; quia sic me constituo in probabili periculo proximo occidendi hominem. Ut latè ostendi in 3. *part. Crit. Theol. disp.* 56. *cap.* 3. *art.* 2. & prius *in* 1. *part. Crit. disp.* 15. *c.* 4. *art.* 2. *nu.* 185. Eodem ergò modo, si probabile esset, puerum in utero præditum esse anima rationali; & ita existentem vulnerarem lethaliter (potione, an gladio, nihil interest) periculo probabili proximo me exponerem occidendi hominem, ideòque reus essem homicidii.

75. Sicut ergò hæc est prava consequentia: *Probabile est illud, quod à longe video esse feram, non hominem, ergò qui illud sagitta confixerit, licitè operabitur, & non erit reus homicidii*; eodem modo hæc est pessima consequentia: *Probabile est, fœtum in utero non esse rationalem: ergò qui illum lethaliter vulnerat, non est reus homicidii.*

DIS-

DISSERTATIO XXIII.

An sint aliquæ causæ excusantes furtum aut subreptionem famulorum, aut restiutionem consulentis furtum?

CAPUT I.

An furtum excusari possit ratione alicujus necessitatis.

1. QUia quatuor sequentes propositiones pertinent ad tractationem de de furto, placuit eas sub una dissertatione continere. Igitur 36. propositio de damnatis hæc est: *Permissum est furari, non solùm in extrema necessitate, sed etiam in gravi.* Et quidem de hac materia latè egi in *1. part. Crit. Theol. disp. 20. & in 3. part. disput. 56. cap. 8. art. 6. & disput. 57. cap. 3. artic. 6. à num. 150. & disput. 80. cap. 1.* In quibus locis latè explicui discrimen inter necessitatem extremam, gravem, & communem: & etiam quæ dicantur bona superflua naturæ, & quæ superflua statui, ex quibus superfluis teneantur divites opitulari indigentibus. Et quia hæc materia latissima est, eam coarctabo ad ea solùm explicanda, quæ necessaria sunt ad perfectam intelligentiam hujus damnationis.

****

**

ARTICULUS I.

An hæc propositio, permissum est furari in extrema necessitate, subjaceat huic damnationi?

SUMMARIUM.

In extrema necessitate licitum esse subripere, certum est apud omnes. n. 2.

Subjacet damnationi propositio, quæ dicit licitum esse furtum in extrema necessitate. n. 3.

Præcipua intentio decreti est docere, in nullo casu furtum esse licitum. n. 4.

S. Thomas docet, omne furtum esse peccatum. n. 5.

Doctores Lovanienses censuerunt, in nullo casu permissum esse furari: & oppositam propositionem detulerunt Pontifici condemnandam. n. 6.

Quamvis liceret subripere in necessitate gravi, hæc propositio, (licitum est furari in necessitate gravi) damnata manet. n. 7.

2. IN extrema necessitate licitum esse indigenti subripere à divite, quæ necessaria sunt ad talem necessitatem sublevandam, extra controversiam est. Id enim docent unanimiter Theologi cum S. *Thoma 2. 2. quæst 66. art. 7.* Et adhuc inquirimus, an subjaceat huic damnationi ista propositio, *Permissum est furari in extrema necessitate.* Tres illi Scriptores *Lumbier, Filguera, & Hozes,* qui explicationem harũ propositionum aggressi sunt, nihil de hac quæstione dicunt, supponentes solũ damnare Pontif. eam opinionem, quæ admittit,

posse pauperem in gravi necessitate constitutum subripere à divite, quæ necessaria sunt ad eam necessitatem sublevandam.

3. Dicendum tamen est, istam propositionem subjacere huic damnationi. Probatur. Nam præcipua intentio hujus damnationis est damnare eam assertionem, quod *in aliquo casu licitum sit furtum*: sed hæc propositio admittit, quod in aliquo casu licitum sit furtum: ergò hæc propositio incurrit eam damnationem. Admittendum itaque est, quod in extrema necessitate licitum est subripere à divite necessaria ad illam sublevandam; sed omninò negandum, quod illud sit furtum.

4. Jam verò major ejus syllogismi probatur primò. Etenim Pontifex præcipuè intendit damnare id, quod in propositione turpius est: sed in hac propositione 36. turpius est dicere, quod furtum est licitum in aliquo casu, quam dicere, quod in necessitate gravi licèt aufferre à divite superflua, asserendo simul habere jus ad illa, & ideò non esse furtum ut constat ex ipsa apprehensione terminorum: ergò præcipua intentio damnationis est, damnare id assertum, quod in aliquo casu furtum sit licitum.

5. Probatur secundò eadem major. Nam multo credibilius est, Pontificem damnare doctrinam, quam reprobat *S. Thomas* cum communi Thologorum: sed *S. Thomas* reprobat eam doctrinam, quod liceat furtum in aliquo casu: ergò Pontifex illam damnat. Probatur Minor. Nam *S. Thomas 2. 2. quæst. art. 5. cujus titulus est: Utrum furtum semper sit peccatum?* Cùm in corpore articuli proponat duas circumstantias malitiæ in furto repertas, concludit: *Unde manifestum est, quod omne furtum est peccatum.* Et nota illud, *manifestum est*, quod denotat evidentiam moralem. Et consequenter ad hanc doctrinam, mox *in art. 7. corp.* ait: *Si tamen adeo sit evidens, & urgens necessitas, ut manifestum sit, instanti necessitati de rebus occurentibus esse subveniendum, puta cum imminet personæ periculum, & aliter subveniri non potest, tunc licitè potest aliquis ex rebus alienis suæ necessitati subvenire, sive manifestè, sive occultè sublatis, nec hoc propriè habet rationem furti, vel rapinæ.* Ex quibus patet, *S. Thomam* negare, esse furtum eam actionem, qua quis in extrema necessitate sibi provider de alieins. Et eodē modo procedunt Theologi in hac materia Ideo *P. Less. c. 12. de Just. dub. 1. n.* 4 ait. *Unde qui occultè accipit in extrema necessitate, non est fur.* Esset autem prolixæ operæ referre omnes Theologos, qui hæc eadem tradunt.

6. Probatur tertiò eadem Major. Nam, ut refert *Fagnanus in lib. 1. decreti in cap. Ne innitaris, de Constit. n* 339. *Episcopus Gandavensis an.* 1657. *die* 4 *Maii* consuluit Doctores Lovanienses, ut censuram suam proferrent circa hanc eandem propositionem: *Permissum est furari, non solùm in extrema, sed etiam in gravi necessitate.* Ipsi autem placitum suum exposuerunt in hæc verba. *Furari in nullo casu permissum est, quia intrinsecè malum*: id est, non solùm non licèt furari in necessitate gravi, sed neque in extrema. Postea verò ipsi Doctores Lovanienses hanc eandem propositionem detulerunt inter plures alias Sanctissimo D. Innocentio XI. Ut qua digna esset censura, eam inureret, ut constat ex libello supplici, quem obtulerunt Romano Pontifici, cujus exemplar tran-

transcriptum apud me habeo. Cùm ergò Pontifex damnaverit propositionem eodem modo, ac Lovanienses proposuerunt, pro certo habendum est, eam fuisse intentionem Romani Pontificis, scilicet damnandi eam in hoc sensu, quod neque in extrema necessitate liceat furari.

7. Ex dictis infertur, hanc propositionem. *Permissum est furari in necessitate gravi*, manere damnatam; idque etiam si esset probabilis opinio docens, quod in gravi necessitate licitum est subripere à divite necessaria ad illam sublevandam, quia juxta hanc damnationem, numquam concedendum est, quod in aliquo casu furtum sit licitum: & quamvis esset probabile, quod tunc licèt subripere, non esset probabile, quod tunc liceret furari propter dicta.

ARTICULUS II.

An opinio docens licitum esse in gravi necessitate subripere à divite necessaria, incurrat hanc damnationem?

SUMMARIUM.

An damnetur propositio docens, in necessitate gravi licere, non furari, sed subripere. n. 8.

Fundamenta pro parte negante, quod opinio affirmativa subjaceat damnationi. nu. 9. *& seqq.*

Fundamenta pro parte, qua affirmat, eam opinionem manere damnatam. n. 12. *& seq.*

Quàm sit evidens, egentem graviter non habere jus ad rem hujus divitis determinati? num. 13. *&* 14.

Quid censuerint Doctores Lovanienses? num. 15.

8. Vidimus, damnatam esse eam propositionem sub termino furti; quia furari numquam est licitum: restat modo examinare, an damnata maneat ea opinio sub termino *subreptionis*, ita ut quamvis vi hujus damnationis non liceat furari in necessitate gravi; liceat tamen subripere necessaria in tali necessitate.

9. Et pro parte negante, quod ea opinio sub termino *subreptionis* maneat damnata, hæc fundamenta stare videntur. Primum. Hæc damnatio docet, esse illicitum furari in necessitate gravi; sed ea opinio non admittit, quod licitum sit furari in tali necessitate: ergò hæc damnatio non tangit eam opinionem.

10. Secundum Nam *Semper in obscuris, quod minimum est, sequimur.* Ut dicitur in *l. Semper ff. de Regul. juris, & cap. Contra eum, de Regul. juris in 6. Contra eum, qui potuit dicere apertius, facienda est interpretatio.* Ergò cùm obscurum sit, & dubium, an damnatio loquatur solùm in sensu furti, ut furti, an etiam in sensu subreptionis eorum quæ necessaria sunt pro gravi necessitate sublevanda; minimum sequi debemus, atque adeò non extendere ad subreptionem necessariorum. Et siquidem Pontifex intendebat damnare non solùm rationem furti, ut furti, sed etiā subreptionem, quæ dicatur non habere rationem furti; videtur debuisse dici clarius, & apertius; atque adeò contra decretum videtur facienda interpretatio.

11. Tertium. Nam Theologi, qui interfuerunt consultationibus habitis circa propositiones damnatas, sæpius dixerunt,

 suf-

sufficienter intelligi has damnationes, per hoc quod statuatur, & salvetur propositio contradictoria propositionis damnatæ: sed admissa opinione, quæ docet licitè posse subripi necessaria in necessitate gravi, salvatur contradictoria propositionis damnatæ; scilicet *Non est permissum furari in necessitate gravi*, eo quod dicat, eam subreptionem non esse furtum: ergò per hoc sufficienter intelligitur hæc damnatio.

12. Sed pro parte, quæ affirmat, eam opinionem manere damnatam, etiam in sensu meræ subreptionis, & non in sensu furti, ut furti, militant etiam fundamenta non vulgaria. Primum fundamentum est. Evidens enim est, eum, qui subripit necessaria in necessitate gravi, committere furtum: sed ea damnatio condemnat furtum in necessitate gravi: ergò condemnat eum, qui subripit necessaria in necessitate gravi. Et quidem si vera est major, evidenter convincitur intentum.

13. Quod autem ea vera sit, probatur. Est enim evidens assertio illa, quam ponit *S. Thomas* 2. 2. *quæst.* 66. *art.* 7. *Sed quia multi sunt necessitatem patientes, & non potest ex eadem re omnibus subveniri, committitur arbitrio uniuscujusque dispensatio propriarum rerum, ut ex eis subveniat necessitatem patientibus.* Ex quibus, sic efformatur demonstratio. Ille committit furtũ, qui rem subripit, ad quam nullũ habet jus: sed pauper constitutus in necessitate gravi nullum habet jus ad rem Petri: ergò si rem subripit ab illo, committit furtum. Major, & consequentia certissimæ sunt.

14. Probatur minor. Eo ipso quod sint plures gravem necessitatem habentes, vel dicendum est, omnes habere jus ad subripiendam rem Petri, vel non omnes, sed unum determinatum, aut duos determinatos. Si dicatur primum, id quidem falsum est, & impossibile; quia ut loquitur *S. Thomas supra*: *Non potest ex eadem re omnibus subveniri.* Si verò dicas, unum determinatum, aut duos determinatos habere jus ad rem Petri, id etiam omninò est falsum: nulla enim Authoritas determinavit, quis cui teneatur opitulari. Sicut enim quamvis Episcopus teneatur ad conferenda beneficia Clericis, nullus tamen clericus habet jus, ut sibi aliquod eorum conferatur, ita licèt Petrus, quia dives, ex superfluis teneatur ad elargiendum eleemosynam pauperibus in gravi necessitate constitutis, nullus tamen habet jus ad hoc, quod sibi succurratur à Petro.

15. Secundum fundamentum est. Nam Doctores Lovanienses consulti ab Episcopo Gandavensi circa hanc eamdem propositionem, ut suprà retuli *art. præced.* ultra ea verba relata, addiderunt: *Subripere autem alienum, permissum est in extrema necessitate, quando aliter haberi non potest, sed illud extendere indefinitè ad necessitatem gravem, est dare ansam pauperibus ad passim furandum.* Ipsi ergò Lovanienses propter hoc inconveniens proposuerunt sanctissimo D. Innocentio XI. hanc eamdem propositionem in eodem sensu, à quo ipsi abhorrebant; & videtur Pontifex annuisse: ergò mens Pontificis est, damnare propositionem, quatenus extensa ad necessitatem gravem, dat ansam furandi pauperibus. Hæc sunt fundamenta, quæ pro utraque parte videntur urgere.

ARTI-

ARTICULUS III.

Resolvitur quæstio.

SUMMARIUM.

Non intelligitur hæc damnatio respectu necessitatis gravis Reipublicæ. n.16.

Neque intelligitur de necessitate quasi extrema, n.17.

Si ea propositio intelligatur sine ordinatione ad praxim, subjicitur damnationi: & qua ratione sit evidens, id esse furtum. n.18.

Responsio impugnatur. n. 19.

Quàm injustum sit spoliare possidentem ob solas rationes probabiles de proprietate; & quid inde pro conclusione? n.20.

Ea propositio, ut solùm prodest ad speculationem, & non ad praxim, non subjacet damnationi, n.21.

Quando dicitur, licitum esse talem actionem sub tali conditione, & impossibile est conditionem reduci ad praxim, tunc opinio solùm prodest speculationi. n.22.

Quomodo hæc damnatio loquatur solùm de opinione in ordine ad praxim. n. 23.

Enumerantur conditiones, quæ praxim reddunt moraliter impossibilem. num. 24. & seq.

Quando valeat à propositione speculativa ad practicam. n.27. & seq.

Solvuntur argumenta initio articuli 2. proposita n.30. & seq.

Altera instantia solvitur. n.32. & 33.

Neque in speculatione admittendum est, licere pauperi subripere necessaria in necessitate gravi. n.34.

16. SUppono primò, non extendi hanc damnationem ad necessitatem gravem totius Reipublicæ, in qua Respublica, aut ejus nomine Magistratus aufert superflua divitum, ut opituletur ei necessitati communi. Nam, ut ostendi *in 3. part. Chris. Theol. disp 80. cap. 2. num. 15. cum S. Thoma 2. 2. quæst. 32. art 6. Cajetano ibid. P. Suario de Charit. disp. 7. sect. 4. conclus.* 1. & illustris *Tapia in eisdem quæst. & art. S. Thomæ* docui, necessitatem gravem Reipublicæ æquivalere extremæ necessitati.

17. Suppono secundò, neque sub hac damnatione comprehendi sententiam, quam docui in eadem *disp. 80 cap. 1.* nempe licitum esse in necessitate *evidenter urgenti* quam alii vocant *quasi extremam*, auferre necessaria ad talem necessitatem sublevandam v. g cùm evidenter instat periculum gravissimi damni, puta si Petro evidenter immineat à Mauris periculum captivitatis, & Petrus videat equum alienum sibi proximum; potest enim illum usurpare ad fugam: & sic in similibus. Hæc enim non est necessitas gravis, de qua loquitur decretum; ea enim potius reducitur ad necessitatem extremam. Vide hæc latius tractata in ea *disp* 80.

18. Dico primò. Si taliter affirmetur propositio, quod non dicatur solùm speculativè probabilis, sed affirmetur re ipsa posse deduci ad praxim, talis propositio subjacet damnationi. Hæc conclusio efficaciter probatur primo eo primo arguméto, quod *art. præced.* proposui pro parte affirmante: nempe quia evidés est, esse furtum, quod pauper graviter egens, aufert à Petro, cùm nullum habeat jus ad rem Petri. Cùm ergò hæc damnatio condemnet furtum in necessitate gravi, condemnat utique hanc subreptionem rei alienæ.

19. Di-

19. Dices, quod licèt pauper graviter egens non habeat jus ad rem Petri determinatè; habet tamen jus ad inquirendum quidquid obvium occurrerit sufficiens ad sublevationem suæ necessitatis. Sed contra est: instat enim adhuc argumentum S. Thomæ, *quod sunt multi gravem necessitatem patientes, & non potest ex eadem re omnibus subveniri, ideò committitur arbitrio uniuscujusque dispensatio propriarum rerum.* Ex quo infertur, quod pauper graviter egens non habeat jus ad quodcunque obvium ex bonis alienis; alioqui omnes pauperes graviter egentes, si solùm haberent obviam rem Petri, possent illam omnes sibi acquirere ad medelam: quo facto cito spoliaretur Petrus. Est autem summa inæqualitas, quam justitia fugit, quod unus spolietur, cæteris indemnibus.

20. Probatur secundò. Nam, ut demonstrabo *cap. 2.* manifesta injustitia est, spoliare possidentem re possessa propter solas rationes probabiles: sed dives possidet res suas, & pauper graviter egens solùm habet pro se rationes probabiles: ergò manifesta injustitia est, quod pauper graviter egens subripiat à divite ea, quibus eget. Sed quod subripitur cum manifesta injustitia, est manifestè furtum: ergò evidens est, quod pauper in tali casu committit furtum.

21. Dico secundò. Opinio, quam docui in 1. *part. Crist. Theol. disp. 20.* nempè servatis decem conditionibus enumerandis, posse graviter egentem subripere levamen suæ necessitatis, & non aliter, eo quod solùm speculativè procedat, & nihil profit ad praxim, non subjacet damnationi.

22. Dixi, *speculativè procedat, & nihil ad praxim*: quia quoties dicitur, licitam esse talem actionem sub tali determinata conditione; & constat, esse impossibile in praxi, quod talis conditio ponatur; ea assertio solùm deservit speculationi, & nihil prodest ad praxim: sed quando dicimus, licitam esse subreptionem levaminis in necessitate gravi, sub illis decem conditionibus; conditiones sunt tales ut moraliter impossibile sit, eas conditiones conjûgi in praxi: ergò quando dicimus, licitã esse subreptionem levaminis in necessitate gravi sub illis decem conditionibus, hæc assertio solùm deservit speculationi, & nihil prodest ad praxim.

23. Quod autem non incurrat hanc damnationem opinio, quæ solùm speculativè procedit; & nihil prodest ad praxim, satis constat ex ipso decreto, cujus scopus est, ne deducantur ad praxim hæ opiniones, quarum praxis relaxat conscientias, ut constat ex illis verbis decreti, *tamquam scandalosas, & in praxi perniciosas.*

24. Jam verò quod ea opinio sub illis decem conditionibus speculativè procedat, & nihil profit ad praxim, ex enumeratione, & consideratione earum conditionum satis clarè constat, ut ostendi in 3 *par. Crist. Theol. disp. 56. cap. 8. art. 6.* ex quibus eas quinque, quæ reddunt impossibilem praxim, hic oportet repetere. Prima est, quod pauper graviter egens sciat evidenter, nullum alium esse pauperem, qui graviter egeat, præter ipsum. Nam cùm constet ex verbis relatis S. Tho. ideò pauperes graviter egentes non posse sibi assumere levamẽ suæ necessitatis; *quia multi sunt necessitatem patientes, & non potest ex eadem re omnibus subveniri.* Propterea ut pauper possit sibi assumere levamen suæ necessitatis taliter, debet esse unicus, ut sciat eviden-

videnter, nullum alium pati gravem necessitatem.

25. Secunda conditio est, ut pauper sciat evidenter illum divitem, à quo vult auferre levamen suæ necessitatis, habere superflua naturæ, & status. Tertia est, ut sciat evidenter, diviti illi non esse consanguineos pauperes; etiam extra illud oppidum, omninò præferendos. Quarta, ut etiam sciat, evidenter e., quæ diviti superfluunt, non esse necessaria ad æs alienum solvendum, aut ad satisfaciendum debitis legalibus. Quinta, ut sciat evidenter, nullam diviti esse obligationem faciendi donationes remuneratorias, quæ cùm urget, præfertur eleemosynis faciendis. Igitur ubi gentium erit pauper, qui hæc omnia possit evidenter cognoscere, saltem evidentia morali: cùm ergò concurrere debeat cognitio evidens horum omnium, etiam quod nullus alius est graviter egens in eo oppido, & hanc evidentiam eorum omnium obtinere sit impossibile; fit, impossibile esse in praxi, quod conjungantur conditiones requisitæ ad hoc, quod pauper graviter egens possit licitè subripere levamen suæ gravis necessitatis.

26. Hinc fit, quod hæc opinio sic intellecta, & explicata, & ad solam speculationem redacta, non incurrat hanc damnationem; intellecta verò ut practicabilis, scilicet sine præfatis conditionibus, subjaceat damnationi, utpote de qua verificatur, quod docet, posse pauperem assumere ea, ad quæ non habet jus; atque adeò posse furari.

27. Dices, probabile est, quod benè valet à propositione speculativa circa objectum practicabile, ad practicam, quæ versatur circa idem objectum: ergò si speculativè probabile est, quod liceat pauperi subripere necessaria sub illis conditionibus, id etiam erit practicè probabile.

28. Respondetur primò, improbabile esse, quod si propositio speculativa est vera sub quibusdam conditionibus, quæ in praxi nullo modo possunt concurrere, possit valere à tali speculativa ad practicam, ut constat ex dictis.

29. Respondetur secundò, improbabile esse, quod valeat à speculativa ad practicam, quando in praxi datur circumstantia, quæ non reperitur in speculatione: in hoc autem casu datur in praxi nova circumstantia, quæ non reperitur in speculatione, scilicet impossibilitas concursus earum conditionum, sub quibus verificatur propositio speculativa.

30. Ad argumenta posita *art. preced.* pro parte negante, damnationem incurri, quatenus nostræ assertioni officere possunt, respondeo. Ad primum, concessa majori, negando minorem, si loquatur de opinione, quæ non respicit eas conditiones enumeratas: quia quamvis præfata opinio dicat, id non esse furtum, est tamen evidenter furtum, cùm juxta eam subripiat pauper ea, ad quæ nullum habet jus, ut ostendi suprà.

31. Ad secundum, verum est, quod *semper in obscuris, quod minimum est, sequimur*; nego tamen obscurum esse, aut dubium, quod pauper subripiens ea, ad quæ nullum habet jus, committat furtum; est enim certum quod illud committit. Furari autem etiam in gravi nessitate nunquã licet, juxta hoc decretum. Ad tertium, patet ex dictis, illud esse furtum, atque adeò eam opinionem non eximi à damnatione.

32. Instabis contra responsionem *ad 2.*

& 3. Ante hanc damnationem censebatur probabile inter sapientes, quod ea subreptio in necessitate gravi erat licita, eò quod censebatur, id non esse furtum: sed hæc damnatio non videtur declarare, id esse furtum: ergò ea opinio non manet damnata.

33. Respondeo, me hucusque locutum esse cum attentione dumtaxat ad principia intrinseca; virtute quorum existimo, tamquam certum asserendum esse, illam subreptionem in necessitate gravi esse furtum. Attendendo autem ad principia extrinseca, & ad vim hujus instantiæ, censeo, circa hoc punctum consuli oportere Romanam Cathedram.

34. Hucusque dixi, non subjacere damnationi opinionem, quæ solùm deservit speculationi, & nihil prodest ad praxim; modò restat inquirere, an ea opinio sistens in speculatione vera sit. Asseroque re melius consíderata, libenter à me revocari, etiam pro speculatione, ea, quæ dixi in 1. *& 3. part. Crif. Theol* & asserere, neque in speculatione admittendum esse, quod liceat pauperi graviter egenti subripere necessaria, etiam sub illis conditionibus, quæ reddunt praxim impossibilem.

35. Ratio, quæ me movet, est: quia etiam in speculatione non sufficiũt rationes probabiles, ut possessor spolietur re possessa, ut dicam *cap. seq.* Sed dives possidet res suas; & pauper graviter egens, etiam sub illis conditionibus, solùm habet rationes probabiles pro se: ergò etiam in speculatione, non licet illi ea subreptio.

36. Ad extremum, palam omnibus fiat, si quid in *1. aut 3. part. Crif. Theol.* dixi, quod quomodo adversetur huic damnationi, me libenter revocare; sicut etiam protestatus sum in *3. part. disp. 56. cap. 8. art. 6. disp. 80 cap. 1.*

CAPUT II.

An liceat famulis occultè subripere ab heris aliquid in compensationem majoris pretii, quod censent sibi deberi?

ARTICULUS I.

Præmittuntur principia certa.

SUMMARIUM.

Refertur propositio damnata. n. 37.

Hac damnatio non loquitur, quando constat evidenter de injustitia heri. n. 38.

Non possunt famuli uti compensatione ex sola probabilitate juris, & facti. n. 39.

Iniquum est deturbare aliquem à possessione ob solas rationes probabiles, n. 40.

Referuntur pro hac sententia plurimi Doctores. n. 41. & seq.

Possessio legitima dat jus certum retinendi, Remissivè. n. 45.

37. Trigesima septima propositio ex damnatis hæc est: *Famuli, & famulæ domesticæ possunt occultè heris suis subripere ad compensandam operam suam, quam majorem judicant salario, quod recipiunt.* Quæ propositio jure meritò damnatur ut scandalosa; inducit enim famulos ad plurima furta.

38. Sed in primis notandum est, in hac damnatione non loqui Pontificem de casibus in quibus meridiana luce clarius est, heros committere injustitiam, vel minuendo salarium ex justitia debitum, vel non solvendo mercedem pacto promissam. Nam in hac evidenti injustitia licet famulis petere in judicio æqualitatem mercedis sibi debitæ; aut si ex aliqua causa non pos- sint

sint in judicio sui juris qualitatem consequi, poterunt extrajudicialiter sibi occultè compensare. Qualis autem debeat esse hæc evidentia injustitiæ, dicam inferius.

39. Dicendum ergò est, propositionem damnari, quatenus docet, sine evidenti injustitia posse famulos subripere ab heris, quando ipsi famuli judicant, operam suam esse dignam majori pretio, sive ad id inclinent dubitantes, sive id judicent cum apparenti, sive cum vera probabilitate juris, & facti.

40. Ratio evidens hujus assertionis est, quam latissimè tradidi in *1. part. Crif. Theol. disp. 16. cap. 8. art. 3. & seqq.* nempe injustum esse, & nefas contra justitiam, deturbare aliquem à possessione suorum bonorum ob solas rationes probabiles (multò minus propter rationes dubias) & consequenter iniquam esse compensationem, ubi debitum non est omninò certum. Pro qua sententia eo *art. 3.* citavi *P. Thomam Sanchez lib. 1. sum. cap. 10. num. 9. & lib. 6. sum. cap. 3 numer. 7. & 29 & lib. 2. de matrim. disp. 44. numer. 3.* ubi hæc verba habet: *Ut possim alium sua possessione spoliare, oportet, me certum esse rem non esse suam. Et ita universi Doctores, ut licita sit compensatio, petunt certitudinem in utenti illa.*

Idem principium tamquam certum supponunt *P. Suarez lib. 5. de legib. cap. 18. numer. 20. & P. Vasquez Opusc. de Restit. cap. 6. §. 3. num. 83.* ita ut mirandum sit, quod citentur à *Bernardo de Hozes* (sumpta citatione ex *Diana*) pro opposita sententia; verba enim *Vasquii* sunt hæc: *In hoc æqualitas justitiæ consistit, quod quamdiu non constat evidenter, aut per sententiam judicis, possessor sibi rem retineat.* Quando autem in *Opusc. de Restitut. cap. 5. dub. num. 57.* aliquid concedit famulis, est in casu evidentis injustitiæ.

42. Eodem modo loquitur *P. Lessius de just. cap. 12. num. 58.* & præcipuè notanda sunt verba ejus ex *cap 14. n. 25. In dubio possessio illi favet, ita ut nisi moraliter certum sit, ejus non esse, non possit ea spoliari: & ita in omnibus tribunalibus apud omnes gentes judicatur.*

43. *P. Molina tom. 3. de just. disp. 691. num. 1.* enumerans conditiones requisitas ad justam compensationem debiti occultam, ait: *Prima, ut debitum, quod quis ita compensat, sit liquidum, ac certum omninò. In dubio enim, etiam probabili, an aliquid alicui debeatur, nefas est ei occultam accipere compensationem.* Ubi explicat, id ita esse ratione possessionis.

44. Idem tradunt *P. Castro Palao. 1. tract. disp. punct. 2. numer. 11. Diana part. 4. tract. 3. resol. 26. Caramuel. lib. 3. Theol. intention. disp. quæst. 10. num. 1451. Salas 1. 2. tract. 8. disp. unic. sect. 23 num. 226. Molina jurisperitus lib. 3. de Primog cap. 4. num. 32. Villalobos tom. 1. sum. tract 1. diffic. 1. num. 7. Ioannes Sancius disp. 42. num. 7. P. Lusius de Torres, de just disp. 13. dub 3. num. 13. P. Tamburinus lib. 2. decal. cap 3 §. 3. num. 14* quos adduxi loco cit.

45. Quod autem possessor non possit spoliari re possessa per solas rationes probabiles, nititur in eo, quod possessio legitima dat jus certum retinendi. Quam positionem latissimè probavi in ea *disp. 16 c 8. a. 4.* tum ex multis juris textibus, præcipue ex *cap. Dilecta §. finali, de verb. signi. & l. Peregrè. ff. de adquirenda possess. & ex L. Possessio quoque. In princ. eod. tit.* & multis aliis. Tum ex authoritate plurium Docto-

 rum,

ctorum, *Covarrubia, tom. 2. in Regul. Possessor malæ Fidei. part. 2. num. 3.* & apud ipsum *Bartoli, Ripæ, Innocentii, Romani, Alexandri, Felini, Abbatis Deicii, Ludovici Gomez, Iasonnis, & Carrasis.* Item *Antonii Gomez in l. 45. Tauri num. 17.* & apud ipsum *Socini, Vinceni, Vincentii, Ancharrani*, & aliorum. Item ex communi sensu Theologorum. Quod etiam confirmavi multis argumentis.

ARTICVLVS II.

Demonstratur falsitas propositionis damnatæ.

SVMMARIVM.

Non potest famulus ex rationibus probabilibus spoliare herum possidentem. n. 46.

Herus habet jus certum retinendi, & ideò repugnat, quod habeat debitum probabile restituendi. n. 47.

Jus certum retinendi, & debitum probabile restituendi sunt incompossibilia. num. 48. & seq.

Non est probabile, quod herus irroget injuriam famulo in prædicto casu. n. 50.

Fortius est jus heri, quàm jus famuli in casu relato. n. 51.

46. EX his evidentibus principiis demonstratur falsitas ejus propositionis damnatæ, primò Nisi debitum sit certum, & evidens, non licèt facere compensationem, neque spoliare eum, qui possidet, sed quando famulus ex rationibus probabilibus contendit, herum debere majus pretium famulatus, hoc debitum non est certum, & evidens: ergò non licèt famulo facere eam compensationem, neque spoliare herum possidentem. Consequentia est inevitabilis. Major patet ex positionibus prænotatis. Nec minus evidens est minor: quia non potest esse certum, & evidens illud debitum, cui sola probabilitas suffragatur.

47. Demonstratur secundò Implicat, herum habere jus certum retinendi res suas, & debitum probabile restituendi illas: sed dum est certa possessio rerum suarum, habet jus certum retinendi: ergò implicat, quod habeat debitum probabile restituendi. Sed ex eo, quod famulus habeat jus probabile subripiendi ab hero infertur, quod herus habeat debitum probabile restituendi, cùm jus creditoris, & jus debitoris sint necessario correlativa: ergò implicat, quod in eo casu famulus habeat jus probabile subripiendi.

48. Perpende singulas propositiones ejus syllogismi, & comperies primam consequentiam esse manifestam, sicut & quæ ex illa inferuntur. Major verò est demonstrabilis. Nam jus certum retinendi, & debitum probabile abdicandi à se eamdem rem sunt incompossibilia: nam si probabile est, quod debet, non potest esse certum, quod non debeat; atque adeò non potest esse certum jus retinendi.

49. Et urgetur amplius. Nam quod herus habeat jus certum retinendi illum excessum salarii, & debitum probabile solvendi illum, contradictionem implicat: quia si certum est, quod potest retinere illum, est certò falsum, quod non potest retinere, sive (quod idem est) quod debet illum restituere: ergò non potest esse probabile, quod debet illum retinere; implicat enim contradictionem, quod debitum sit certò falsum, & simul sit probabile.

50. Con-

50. Confirmatur primò. Demus enim, esse rationes probabiles pro utriusque proprietate quoad excessum illum salarii. Tum sic. Herus, dum retinet illum excessum salarii, non est probabile, quod irrogat injuriam famulo: ergò non est probabile, quod debeat solvere famulo excessum illum; atque adeò neque quod possit famulus subripere. Probatur antecedens. Non est probabile, quod irrogat injuriam in retinendo ille, qui habet jus certum retinendi: sed herus dum retinet illum excessum salarii, de quo loquimur, habet jus certum retinendi illud; habet enim legitimam possessionem juris, quæ nihil aliud est, quàm jus retinendi: ergò non est probabile, quod herus irroget injuriam famulo, retinendo prædictum excessum.

51. Confirmatur secundò. Nam quantumvis famulus habeat jus probabile ad proprietatem illius excessûs salarii, quem subripere (nam possessionem non habet) adhuc herus habet fortius jus ad illum excessum, quàm jus famuli. Etenim herus habet jus probabile ad proprietatem illius excessus salarii, & præterea habet jus certum retinendi ratione possessionis legitimæ; famulus autem solùm habet jus probabile ad proprietatem: atqui jus probabile ad proprietatem simul cum jure certo retinendi est jus fortius, quàm solùm jus probabile ad proprietatem, quod habet famulus; ergò herus habet jus fortius, ad illum excessum salarii, quàm famulus. Ergò jus postulat, quod prævaleat jus heri.

***

ARTICULUS III.

Tres dubitationes expediuntur.

SUMMARIUM.

An hæc damnatio extendenda sit, ultrà famulos, ad alios ministros? n. 52.

Pars affirmativa propugnatur n. 53.

Probationes ejusdem extensionis num. 54. & seqq.

Lex etiam pœnalis, in qua identitas rationis est expressa, extenditur ad similem casum. n. 56.

Qualis debeat esse evidentia injustitiæ, propter quam possit famulus compensare operam suam. nu. 58.

Non sufficit evidentia, quæ apparet famulo, aut viro mediocriter docto. num. 59. & seqq.

Confirmatur ex P. Molina. n. 62.

Iudicium cujusdam Recentioris quomodo interpretandum. n. 63

Ex quibus capitibus dignoscatur evidentia injustitiæ adversus famulum. nu. 64.

Distingui debet triplex genus stipendii, & plures circumstantiæ n. 65.

52. DUbitabis primò. Quinam veniant nomine famulorum in hac propositione damnata? Id est, An damnatio sit restringenda ad solos eos, quibus competit propriè, & strictè obsequium famulatus; an potiùs extendenda sit ad omnes eos, qui præstant munera, aut officia, accepto stipendio pro obeundo munere sibi commisso?

53. In quo dicendum est, eam damnationem extendi ad omnes illos Et ita licet administratores vectigalium Regis, aut Rei-

Reipublicæ non sint propriè famuli, ad illos extenditur hæc damnatio; sicut etiam ad administratore srei familiaris Communitatum, patronatuū, privatorum, ad custodes etiam montium, agrorum, vectigalium, item ad Prætores, Judices, ad quoscunque alios, qui ex condicto stipendio, operam laborem, aut industriam suam impendunt.

54. Probatur primò. Nam propositio damnata de his omnibus loquitur: sed damnatur secundùm totam extensionem sui significati: ergò damnatur, secundùm quod extenditur ad omnes ministros, qui ex condicto stipendio aliquod munus exercent.

55. Probatur secundò. Nam propositio, & ejus damnatio loquuntur de iis omnibus qui accipiunt salarium pro opera sua præstanda: sed salarium est nomen universalissimum pro omnibus eis officiis: ergò propositio, & damnatio ejus extenduntur ad omnes eos, qui præfata officia exercent.

56. Probatur tertiò. Nam lex, etiam pænalis, ubi est identias rationis expressa in lege, extenditur ad similem casum; sed ratio, quæ exprimitur in hac damnatione est, quod famulis videatur salarium esse minus sua opera; & hæc est eadem in famulis, ac in quibuscunque aliis, qui ex salario condicto exercent sua munera: ergò hæc lex damnatoria extenditur ad omnes eos casus similes.

57. Major est communis inter jurisprudentes. Et eam docet *P. Thomas Sanchez lib. 3. de matrim: disp.* 42. *num.* 4. & pro ea refert *Abbatem, Lambertinum, Sylvestrum, Rolandum, Covarrubiam, Antonium Gomez, Molinam. 1. cap. Gutierrez, Navarrū, Minchacam, Antonium Gabrielem, Bolognetum, Mattensum, Ripam, & Rochum*.

58. Dubitabis secundò. Qualis esse debeat evidentia injustitiæ, ob quam famulo liceat compensare operam suam? Id est, An ad eam compensationem sufficiat, quod famulus censeat, irrogari sibi evidenter injustitiam?

59. In qua quæstione dicendum est, non sufficere quod famulus censeat, irrogari sibi evidentem injustitiam in quantitate salarii; imò neque fidendum esse judicio Confessarii mediocriter docti: sed dumtaxat judicio hominis valde docti, & in re morali versatissimi. Quare subest huic damnationi opinio, quæ doceat, licere famulo facere eam compensationem propter injustitiam, quæ suo judicio sit evidens.

60. Probatur prima pars conclusionis. Nam damnatio eò tendit, ut quia philautia, sui ipsius amor decipit hominem, & credere facit evidens, quod vix est probabile; hæc ratio justitiæ non committatur judicio ipsius famuli: ergò si dicatur, sufficere evidentiam injustitiæ, quam vociferatur famulus, subijcitur huic damnationi.

61. Probatur secunda pars conclusionis, scilicet, quod neque ad hoc sufficiat judicium Confessarii mediocriter docti. Etenim res est non parum difficilis ferre judicium de adæquatione mercedis ad operam, & laborem; præcipuè ubi initum est pactum de tanta quantitate pretii, in quo multæ circumstantiæ sunt consideranda: ergò ad rectum indicium ferendum non sufficit vir mediocriter doctus, sed necessè est, quod sit valdè doctus, & in re morali nimis versatus.

62. Utrique

62. Utrique parti hujus assertionis suffragatur *P. Molina tom. 2. de just. disp. 506.* cujus hæc sunt verba: *Hinc facilè excludes multorum obtendicula, & excusationes in confessionibus, qui cum Regis officia habeant, aut alia publica, aut inserviant nobilibus, comitando illos, aut ipsorum uxores, vel assistendo in domo illorum, aut alia officia in illorum domibus obeundo, ultra suum stipendium, aliquid accipiunt, vel ab iis, qui secum pro suo munere habent negotia, vel occultè de bonis Regis, vel de bonis illorum, quibus serviunt; causantes se efficere, eo quod stipendium sit tenue, neque illo se possunt sustentare, vel liberos, & familiam quasi ea sit justa causa id usurpandi, & qua, ipsos à restitutionis onere excuset. Si enim alii sint, qui libenter pro illo stipendio id munus obirent, constat stipendium esse justum; ac proinde hos teneri restituere, quidquid ita usurpant.* In quibus verbis quamvis non expressè dicat, excludendum esse judicium Confessarii mediocriter docti, sed solùm loquatur de obtendiculis, quæ allegant famuli pro stipendio occultè augendo; ex verbis ejus satis colligitur, rem esse difficilem, annuere ejusmodi excusationibus, & causis, quas allegant famuli.

63. *Filguera* in expositione hujus propositionis propè finem, docet posse famulos subripere ad compensandam operam suam, quæ major est salario, quod recipiunt dummodo ipsi famuli de ea majoritate salarii non judicent, sed id faciant judicio Confessarii docti, prudentis, ac pii. Circa quam assertionem benignè est interpretandus, ut solùm velit, quando fuerit evidens injustitia: nam quando fuerit dumtaxat probabilis, propositio id permittens subjacebit huic damnationi, propter dicta.

64. Dubitabis tertiò, ex quibus capitibus dignoscatur evidentia injustitiæ, quam herus irrogat famulo in diminutione salarii? Hanc quæstionem optimè tractat *P. Molina* proximè citatus, & *P. Vasquez, in Opusc. de Restitut. cap. 5. §. 1. dub. 10. & P. Lessius de just. cap. 12. dubit. 10. num. 63. & novissimè P. Zamorano de compensationibus disp. 4. cap. 12.*

65. Et quidem sicut in mercibus est triplex pretium, summum, medium, & infimum; ita & in ministeriis famulorum. Sumitur autem mensura hæc stipendii tùm ex lege, tùm frequentiùs ex consuetudine; ita ut stipendium sit evidenter injustum, si sit minus infimo. Sed ad hoc mensurandum sunt attendendæ plures circumstantiæ. Primò, quod stipendium non debet mensurari cum integra sustentatione famuli, & ejus familiæ: sed solùm cum valore sui laboris, aut industriæ, quam impendit. Secundò attendendum est, stipendium, etsi famulo videatur tenue, esse tamen justum, si sint alii, qui pro eodem pretio servirent. Tertiò, sicut merces ultroneæ vilescunt, ita cùm famulus rogat herum pro suo famulatu, justa erit conventio pro minori pretio. Quartò, quando cogitur invitus servire pro minori pretio, ita ut non attingat infimum, aut, secundùm aliquos, medium, tunc fit manifesta injustitia. Quintò si herus solvat famulo stipendium in rebus, quibus non eget, & quas cogitur vendere minori pretio, est evidēs injustitia. Sextò, si famulus in ipsa conventione condonet hero partem justi stipendii, non potest allegare sibi irrogatam esse injuriam. Hæc sunt præcipua, quæ attendenda sunt pro commensuranda justitia salarii.

ARTI-

dubia, debitum, & obligatio solvendi secundùm considerationem Theologicam dicitur possidere: erat enim debitum certum, antequam adveniret dubitatio; & sola dubitatio obligationis non potest deturbare præceptum solvendi ab illa certitudine præcedenti.

70. Quod autem in hoc casu mutuatarius dubius de solutione teneatur solvere, resolvit *P. Thomas Sanch. lib. 1. Sum. cap. 10. num. 12.* cum *P. Vasquio 1. 2. disp. 66. cap. 7. num. 43.* & subjungit *P. Thomas Sanch. Nec credo, quempiam dubitare de hoc. Quare non semper in dubio est melior possidentis conditio.* (loquitur de possessione juridica rei materialis) *sed quando est in reliquis par utriusque causa* (id est, quando non datur alterum genus possessionis secundùm considerationem Theologicam) *Et ita regula in Pari de regul. jur. in 6. cui axioma illud innititur, non dicit, in dubio, sed, in pari causa, potiorem esse possidentis conditionem. Et ratio est, quia cum justitia æqualitatem petat, nec debito certo sit æqualis solutio dubia, hæc inæqualitas alterius possessioni prævalet.*

71. His prænotatis, dico primo. In eo casu, in quo famulus debet hero pecunias, & habet probabilitatem speculativam de excessu salarii sibi debito, non potest compensare operam suam retinendo pecunias debitas. Probatur primò ex dictis. Nam herus habet duo jura possessionis certa secundùm considerationem Theologicam; aliud jus est ad debitum pecuniarum, quo obstrictus est famulus: & aliud est jus ad valorem contractus circa salarium initi; stat enim possessio valoris in contractu, quoties non constat de ejus nullitate. Est autem manifestum, quod non servatur qualitas propria justitiæ, si neglectis his duobus juribus heri, dicatur prævalere illa probabilitas speculativa famuli de dignitate majoris salarii.

72. Probatur secundò. Debitum pecuniarum, quod debet famulus hero, est debitum certum, ut supponimus; & debitum excessus salarii, quod debet herus famulo, est solùm probabile, atque adeò incertum: sed debito certo non satisfit solutione incertâ; est enim evidens inæqualitas, atque adeò injustitia: ergò contra justitiam est, quod unum debitum cum alio compensetur.

73. Et hinc patet ad argumentum propositum in ratione dubitandi. Distinguenda enim est major: ideo enim famulus subripere non potest excessum illum, quia herus possidet, (& quia nulla possessio secundùm considerationem Theologicam stat ex parte famuli,) sic enim concedenda est, & non aliter. Et similiter distinguenda est minor: famulus enim licet possideat possessione juridica, ex parte heri sunt duo jura possessionis secundùm considerationem Theologicam. Et hinc patet ad confirmationem.

74. Dico secundò. Opinio, quæ docet, in eo casu, quo famulus debet pecunias hero, posse famulum facere compensationem illius excessus imaginarii retinendo pecunias debitas, subjicet huic damnationi. Probatur conclusio: nam licet damnetur propositio docens, posse famulum subripere excessum salarii pro compensatione suæ operæ; & retinere famulum pecunias debitas hero, non sit propriè subripere; ast non tam attendendum est ad verba, quàm ad mentem Pontificis: constat enim velle damnare hoc genus com-

Ppp

compensationis ex eo solùm, quod videatur famulo, suam operam majori mercede dignam esse.

75. Confirmatur. Nam, ut dixi *art. 3. dub. 1. in 3. probatione conclusionis*, lex, etiam pœnalis, ubi est identitas rationis expressæ in lege extenditur ad casus similes. Sed in hac lege damnatoria ratio prohibitionis expressa in lege est, quod famulus velit compensare operam suam, judicans majorem salario, quod recipit; & hæc ratio est eadem in famulo, qui vult compensare operam suam, retinendo pecunias debitas hero: ergo ea damnatio extenditur etiam ad hunc casum.

76. Dubitabis quintò, an in hypothesi, in qua famulus ex errore invincibili, bonâ Fide (putà, ex consilio Confessarii indocti) subripuit domino excessum illum imaginarium salarii, existimans id sibi licere, posteaquam cognoscit, id esse illicitum, teneatur illum hero restituere?

77. In qua quæstione dico primò, Si adhuc durat in famulatu, certum existimo, teneri, remittendo tantam partem salarii, quantam subripuerat. Probatur. Nam dum durat famulatus, tenetur stare contractui; sed contractus excludit illam partem salarii, quam subripuerat: ergò dum durat famulatus, tenetur remittere tantam partem salarii, quantam subripuerat.

78. Si verò jam est finitus famulatus, videbitur alicui dicendum, illum non teneri restituere, quæ omninò consumpsit, sed illud solùm, in quo factus est ditior. Et ratio suffragari videtur: nemo enim tenetur restituere, nisi ratione rei acceptæ aut injustæ damnificationis. Et quidem ratione rei acceptæ, solùm tenetur restituere rem, quæ extat, vel id, in quo factus est ditior: sic enim extat res in æquivalenti. Ratione autem injustæ damnificationis non tenetur, nisi quando commissum est peccatum lethale injustitiæ: iste autem famulus cum subripuerit ex consilio Confessarii, & cum ignorantia invincibili, & bonâ Fide, non peccavit lethaliter: ergò non tenetur restituere ratione injustæ damnificationis.

79. Dico secundò. Etiam in casu, quo finitus est famulatus, tenetur famulus restituere non solùm id, in quo factus est ditior, sed tantam partem ejus quantitatis, quantam sub prætextu salarii subripuit. Probatur. Etenim obligatio ex contractu durat, donec impleatur: sed contractus inter herum, & famulum fuit tantùm pro quinque, & famulus accepit septem; & consequenter nondum implevit contractum ex parte sua: ergò adhuc durat obligatio ex contractu; atque adeò tenetur illum adimplere, solvendo ea, quæ subripuit.

80. Confirmatur, Nam quando herus, finito famulatu, nondum solvit partem salarii, etiamsi bonâ fide sit in mora solvendi, aut in voluntate non solvendi ex aliquo prætextu probabili; adhuc durat in hero obligatio ex contractu, ita ut quando adverterit, malè retineri eam partem salarii, teneatur vi contractus præteriti ad solvendum integrè: cùm ergò herus non debeat esse pejoris conditionis, ex contractu retinebit eodem modo jus suum adversus famulum. Ad rationem dubitandi respondeo, præter eas duas radices restitutionis, esse eam, quæ est ex obligatione contractus.

CA-

CAPUT III.

An qui notabilem quantitatem furatus est per minima furta, teneatur sub mortali ad restitutionem?

ARTICULUS I.

Refertur propositio damnata; & an prima opinio subjiciatur huic damnationi?

SUMMARIUM.

Prima opinio, qua excusat à restitutione. num. 81.

Eam opinionem esse improbabilem. num 82.

Sententia P. Thomæ Sanchez, & Granado, quos perperam citat Recentior pro opinione damnata. n. 83.

Opinio damnata non solùm est falsa ratione retentionis, sed etiam ratione ablationis, num. 84.

Ea opinio manifestè subjacet huic damnationi. num. 85.

Quàm certum sit peccare mortaliter eum, qui furatur eam ultimam parvitatem, quæ constituit quantitatem gravem? num. 86.

81. PRopositio 38. ex damnatis in hoc decreto hujus tenoris est: *Non tenetur quis sub pœna peccati mortalis restituere, quod ablatũ est per parva furta quantumcumq; sit magna summa totalis.* Circa quam damnationem discernere oportet, quænam opiniones subjiciantur huic damnationi, scilicet ex illis, quæ aliquos habuerunt Patronos. Prima opinio, de qua potest excitari quæstio, est, quæ docet, illum, qui commisit furta parva, subripiendo parvitates ab uno, & eodem subjecto, & pervenit ad ultimum parvum, quod constituit quantitatem gravem, memor furtorum præcedentium, non peccare mortaliter in hoc ultimo furto; & inde infert, non teneri ad restituendum sub mortali: nam qui committit culpam venialem furti, solùm tenetur restituere sub veniali peccato.

82. *P. Moya tom. 1. selectar. tract. 6. disp. 4. quæst. 4. num. 3.* jure merito dixit, hanc opinionem esse improbabilem. Quia eo ipso quod per illud ultimum furtum parvum perveniat ad quantitatem gravem; per illud fit retentor quantitatis gravis: quis ergò potest dubitare, retentorem quantitatis gravis alienæ teneri restituere?

83. Hæc est communis sententia, quam expresſè docet *P. Thomas Sanchez lib. 7. sum. cap. 21. num. 3.* quamvis pro opposita perparam illum citat *Bernardus de Hozes in expositione hujus propositionis 38. num. 5.* Sic enim differit *Thom. Sanchez* ibi: *Est certum, hunc, etiamsi non habuerit animum in singulis furtis furandi amplius, teneri sub mortali restituere, quando pervenit ad notabilem quantitatem; atque adeò peccare mortaliter retinendo totam illam quantitatem, vel habendo animum non restituendi, cum opportunitas fuerit; & ita docent universi Authores citandi.* Citat etiam *Hozes* pro opposita *P. Granadum 1. 2. controv. 6. tract. 2. disp. 12. sect. 5.* sed hic Author non loquitur de hoc casu, sed de eo, in quo quis immemor furtorum antecedentium, furatur parvam quantitatem.

84. Quod argumentum non procedit solùm propter retentionem; sed etiam propter ablationem; nam licet quantitates parvæ antecedentes non retineantur, sed con-

consumptæ fuerint; multæ ablationes parvæ constituunt unam ablationem gravem, quia constituunt Dominum graviter damnificatum, & graviter invitum; & ultima ablatio parva, quæ constituit ablationem gravem, quod dominus sit graviter damnificatus, & graviter invitus; atque adeò quod oriatur obligatio restituendi sub mortali. Quod amplius constabit ex dicendis circa secundam opinionem.

85. Eam autem opinionem subjacere huic damnationi, manifestum est. Damnat enim Pontifex opinionem, quæ negat obligationem restituendi gravem quantitatem ablatam per parva furta: sed illa opinio proximè relata id negat: ergò illam damnat Pontifex.

86. Et hinc patet, quàm certò falsa sit prima pars ejus opinionis, quod qui furatur eam ultimam parvitatem, quæ constituit quantitatem gravem, non peccat mortaliter. Etenim ex hac damnatione certum est, propter eam actionem, teneri ad restitutionem: sed actio furti, quæ obligat ad restitutionem sub mortali, si advertenter fiat, non potest non esse culpa mortalis: ergò fatendum est, esse mortalem.

ARTICULUS II.

Quid censendum sit de secunda opinione, cùm fur est immemor antecedentium furtorum?

SUMMARIUM.

Fundamentum opinionis negativæ, & ejus confirmatio. n. 87.

Opinio affirmativa defenditur. num. 88.

Ex pluribus obligationibus levibus ejusdem ordinis resultat obligatio gravis. num. 89.

Et hæc positio probatur multis exemplis. n. 90. & seqq.

Opinio docens ex damnificatione veniali non oriri obligationem gravem restituendi, intelligitur de veniali ex defectu deliberationis. n. 93.

Quædam instantia solvitur. n. 74. & 95.

Discrimen inter peccata venialia, & obligationes leves. n. 96.

Opinio opposita subjacet huic damnationi. num. 97.

Quædam responsio impugnatur. num. 98. & seqq.

Exponitur sensus damnationis, & declaratur, an sit universalis, aut particularis. num. 100.

Quomodo damnatio fiat, non solùm per propositionem contradictoriam, sed etiam per contrariam? num. 131.

87. SEcunda opinio, quæ venit in quæstionem, est illa, quæ docet, cùm quis oblitus quantitatum parvarum antecedenter ablatarum, aufert aliam parvam, quæ simul cum antecedentibus constituit quantitatem magnam, illum non teneri ad restitutionem. Pro qua opinione stant Authores primæ. Eoque nituntur fundamento. Etenim probabilis sententia est, quæ docet, non obligare restitutionem sub mortali, dum non committitur peccatum mortale injustitiæ: sed qui immemor quantitatum parvarum antecedenter ablatarum, aufert aliam parvam, quæ cum reliquis componit quantitatem magnã, non peccat mortaliter: ergò is non tenetur restituere sub mortali. Et confirmatur. Nam

multa

multa peccata venialia non constituunt unum mortale: ergò plures obligationes, quæ solum urgent sub veniali, non constituunt unam obligationem, quæ urgeat sub mortali.

88. In qua quæstione dico primò tamquam certum à principiis intrinsecis. Etiam in casu, quo omnes illæ quantitates parvæ ablatæ sint solum sub culpâ veniali, eo quod fur immemor est furtorum levium præcedentium modo dicto, postea quam illarum recordatur, insurgere obligationem restituendi sub mortali, non solum id, in quo factus est ditior, sed etiam omnes illas parvas quantitates, quæ consumptæ sint. Ita *P. Thom. Sanchez* (attento fundamento, quo nititur) *lib. sum. c. 4 n. 10. & Lugo Card tom. 1. de just. disp. 8. sect. 5. n. 68. & seqq.*

89. Fundamentum est inconcussum. Nam ex pluribus obligationibus levibus ejusdem ordinis resultat obligatio gravis: sed qui plura furta levia comisit sub culpis venialibus, in singulis incurrit obligationem levem; atque adeò habet plures obligationes leves: ergò resultat ex illis obligatio gravis Et suppono, saltem ultimum furtum pervenire cum antecedentibus ad quantitatem gravem.

90. Sola major eget probatione, quam censeo evidentem, & ostendo primò. Nam qui hodie accipit credito (absque numerata pecunia) unum panem valoris dimidii argentei, & sequenti die similiter alterum, & quotidie alterum usque ad vigesimum diem, incurrit viginti obligationes leves: sed ex illis viginti obligationibus levibus (imò & ex paucioribus) resultat obligatio gravis.

91. Ostendo secundò eamdem majorem: Titius in spatio quinquaginta dierum, in unoquoque die emisit votum recitandi unam salutationem Angelicam pro una vice; & transactis illis quinquaginta diebus nondum ullum votum ex illis impleverat. Tum sic: Titius incurrit plures obligationes leves ex his votis; & ex illis resultat obligatio gravis recitandi quinquaginta salutationes Angelicas; de quo dubitari non potest, cùm sit materia gravis promissa Deo: ergò plures obligationes leves constituunt obligationem gravem, scilicet cum perveniunt ad materiam gravem.

92. Idem argumentum fit in pluribus promissionibus levis materiæ factis à Titio in favorem Sempronii: nam juxtà communem sententiam docentem, simplicem promissionem acceptatam obligare ex justitia; illæ plures promissiones leves postquam pervenerunt ad materiam gravem, constituunt obligationem gravem. Similiter qui in singulis horis canonicis omisit unam parvitatem materiæ, contraxit plures obligationes leves recitandi partes leves omissas: & ex his obligationibus levibus resultat obligatio gravis, si omnes omissiones simul sumptæ faciunt materiam gravem: resultat ergo obligatio gravis ex pluribus obligationibus levibus.

93. Ad argumentum pro parte opposita instructum respondet *P. Moya tom. 1. tract. disp. 4. quæst. 4. num. 4.* in hæc verba. *Authores citati non loquuntur de obligatione restituendi gravem quantitatem minimis furtis subreptam; sed de obligatione restitutionis ex damno aliquo gravi unita actione illato absque culpâ gravi inferentis. Cujus alia longè est ratio, ut ex dicendis*

constabit, quia plena libertas ibi deficit, secus hic. Unde distinguenda est minor: probabilis enim est ea sententia, dum docet, non esse obligationem restituendi sub mortali, dum non committitur peccatum mortale injustitiæ, [defectu perfectæ deliberationis, aut plenæ libertatis] non vero ex alio capite.

94. Instabis. Cùm quis furatur ultimam quantitatem levem, quæ cum antecedentibus constituit quantitatem gravem, deficit illi advertentia de gravitate sui furti; in hoc enim casu loquitur hæc conclusio: sed ubi deficit advertentia, deficit plena libertas: atque adeò verificatur, quód defectu plenæ libertatis abest peccatum mortale injustitiæ; & consequenter cessat obligatio restitutionis.

95. Respondeo distinguendo majorem: dificit advertentia de gravitate furti, permanente plena advertentia de illa nova obligatione levi; & sic concedo; nego autem, si dicatur, non permanere perfectam advertentiam de obligatione levi denuo adveniente. Hæc autem plena advertentia facit, quod cum adverterit reliquas ablationes leves, cognoscat resultare obligationem gravem ex gravi proximi damnificatione. Quod aliter evenit in una damnificatione gravi proximi facta sine deliberatione requisita ad peccatum læthale, in qua neque circa gravem, neque circa levem adfuit plena advertentia, aut deliberatio. Et quidem in omnibus furtis parvis adfuit plena deliberatio; & ideò nihil obstat, quominus ex illis omnibus resultet obligatio gravis.

96. Ad confirmationem respondeo, latissimum esse discrimen, quia peccata venialia quantumvis multiplicentur, non auferunt gratiam justificationis, quod necesse erat ad constituendum peccatum læthale. Quæ ratio non militat in pluribus obligationibus levibus, quæ ideò constituunt obligationem gravem, quia in his gravitas, aut levitas sumitur à levitate, aut gravitate damnificationis, quam patitur proximus.

97. Dico secundò, subjacet huic damnationi præfata opinio docens, furem immemorem præcedentium furtorum levium, subripientium quantitatem parvam, quæ cum antecedentibus constituit materiam gravem, non teneri restituere sub mortali. Probatur. Vi hujus damnationis tamquam certum asserendum est, *teneri furem sub pœna peccati mortalis restistituere, quod ablatum est per parva furta, quando magna est summa totalis:* Sed quamvis fur sit immemor furtorum præcedentium, revera per illa ablata est per parva furta quantitas, cujus summa totalis magna est: ergò vi hujus damnationis tenetur sub mortali in eo casu restituere; scilicet quando adverterit ad summam totalem. Minor, & consequentia patent. Et ad probationem majoris sufficit conferre eam majorem cum propositione damnata; servant enim eumdem tenorem in affirmatione, & negatione, quia major affirmat, quod propositio damnata negat.

98. Dices. Sufficienter intelligitur tota latitudo damnationis per hoc, quod amplectamur contradictoriam propositionis damnatæ: atqui contradictoria propositionis damnatæ est hæc particularis: *Aliquis* (sivè aliquando quis) *tenetur sub pœna peccati mortalis restituere, quod ablatum est per parva furta, quantumcumque sit magna summa totalis;* & ex hac particulari non infertur falsitas istius secundæ

dæ opinionis, juxtà quam fur immemor furtorum antecedentium furatur aliam parvitatem materiæ, quæ cum antecedentibus constituit magnam damnificationem: ergò sufficienter intelligitur tota latitudo hujus damnationis, quamvis hæc secunda opinio non maneat damnata. Probatur minor quoad priorem partem. Nam hæc propositio damnata est universalis negativa; Cùm enim dicitur: *Non tenetur quis, &c.* Idem est, ac si dicat: *Nullus tenetur*: universali autem negativa contradicit particularis affirmativa: *Aliquis tenetur*, sive *Aliquando quis tenetur, &c.*

99. Id tamen manifestam patitur impugnationem: hæ enim propositiones damnatæ non sunt accipiendæ sub ea metaphysica formalitate, sed attendendum præcipuè est ad sensum verborum: alioqui sequeretur, quod neque prima opinio subjaceret damnationi. Nam ex eo, quod aliquando teneatur quis restituere sub pœna peccati mortalis, quod ablatum est per parva furta, non infertur, quod teneatur in isto casu determinato; unde sufficienter verificatur in eo casu, in quo quis ditescit ex parvis furtis acceptis à diversis subjectis. Imò neque hæc maneret damnata determinatè, sed indeterminatè prima, vel secunda, vel tertia: & ita nulla earum determinatè maneret certò damnata. Quo quid absurdius esse potest?

100. Sensus ergo damnationis est, condemnare propositionem non solum quatenus docet, numquam teneri furem sub mortali ad restituendum, quod ablatum est per parva furta, quantumque sit magna summa totalis; sed etiam quatenus docet, aliquando non teneri furem sub mortali ad restituendum, quod ablatum est per parva furta, &c. Et ita non solum contradicit propositioni damnatæ propositio particularis affirmativa, scilicet *Aliquando tenetur fur ad restituendum, quod ablatum est per parva furta, &c.* Sed etiam illi contradicit universalis affirmativa. *Semper tenetur fur ad restituendum, quod ablatum est per parva furta, quando hæc perveniunt ad hoc, quod sit magna summa totalis.*

101. Quod si quis contendat propositionem damnatam solum esse accipiendam in sensu universali negativo, fatendum est, damnationem fieri non solum per propositionem contradictoriam, sed etiam per contrariam scilicet universalem affirmativam. Cùm enim damnatio eo respiciat, ut ablatio quantitatis gravis resarcienda sit, etiamsi per parva furta facta fuerit; hoc intelligi non potest per solam præfatam propositionem particularem; sed sensus ipse postulat, quod damnatio intelligatur in sensu universali affirmativo, ut attentius perpendenti patebit.

ARTICULUS III.

An subjaceat damnationi tertia opinio de eo, qui furatur magnam quantitatem, furando à singulis parva?

SUMMARIUM.

Quanta absurda inferantur ex præfata opinione? n. 102.

Duæ rationes à priori contra præfatam opinionem, n. 103.

Præ-

Præfata opinio subjacet huic damnationi, num.104.

102. Opinio fuit *Hieronymi ab Angesto cap.6.moral.* quem pauci aliqui secuti sunt, non esse peccatum mortale auferre magnam quantitatem à diversis subjectis, auferendo parvam à singulis. Quam opinionem omnes communiter Theologi rejiciunt ut improbabilem, propter innumera absurda, quæ ex illa inferuntur. Sic enim liceret uti statera dolosa, in quâ ex unaquaque libra auferetur uncia, aut semiuncia. Cùm tamen Proverb. 11. dicatur: *Statera dolosa abominatio est apud Deum.* Et *Deuteronomii 25. Non habebis in sacculo diversa pondera, majus, & minus,&c. abominatur enim Deus eum, qui facit hoc.* Similiter venditori vini, vel olei liceret mensuram radere, ita ut unoquoque triente, vel quadrante unum obolum lucrifaceret; quod est detestabile in Republica; neque minus abominabile apud Deum quam statera dolosa. Tertiò liceret homini privato exigere gabellam unius assi ab omnibus transeuntibus per pontem: quod tamen inter enormia delicta in Bulla Cœnæ Domini enumeratur. Quartò liceret etiam imponere gabellam unius oboli Clericis: quod in eadem Bulla pœna excommunicationis latæ sententiæ reservatæ condemnatur tamquam immane piaculum. Quintò. Licitum etiam esset furari quantitatem magnam ex acervo tritici pertinente ad Rempublicam, vel communitatem: eo quod singulis ex communitate parva quantitas auferatur.

103. Ratio à priori est: nam Reipublicæ, seu communitati injuriosum est, quòd cives patiantur ea incommoda, & consequenter Respublica, vel communitas est graviter invita. Aliam rationem à priori reddit *Lugo Cardin. tom. 1. de just. disp. 16. sect. 3. num. 50.* non contemnendam in hæc verba: [Dicendum ergo est, in eo casu creditores esse notabiliter invitos. Adhoc enim non requiritur, singulos fuisse graviter læsos formaliter: satis est, læsos fuisse graviter quasi radicaliter, hoc est, in ea re, quæ nisi graviter prohibeatur, maximum sequitur inconveniens contra bonum publicum, & contra indemnitatem etiam singulorum civium. Si enim liceret unicuique ex industria ditescere ex alieno fraudando mensuras, falsificando merces, & alia hujusmodi faciendo; quæ esset facies Reipublicæ? quæ securitas? qui mores? sicut ergo graviter prohibetur pollutio procurata, quia licèt ex una, vel altera pollutione non sequatur notabile detrimentum contra prolem; sequeretur tamen maximum si non prohiberetur graviter omnis pollutio. Sic licèt in hoc casu non lædatur graviter aliquis civis, læderetur tamen gravissimè, si hæc injuria non prohibeatur graviter: atque adeo singuli sunt graviter inviti in ea injuria: timent enim rationabiliter gravissimum Reipublicæ damnum, & sibimetipsis, si eam injuriam facilè permittant.] Hucusque *Lugo Card.*

104. Dicendum prætereà est, hanc opinionem Angesti subjici huic damnationi. Etenim damnatur opinio, quæ admittit, excusari à peccato mortali eum, qui furatur quantitatem magnam per parva furta: sed hæc opinio Angesti id admittit: ergò hæc opinio Angesti damnatur.

ARTI-

ARTICULUS IV.

Quanam censeatur quantitas magna, quando aufertur per furta parva?

SUMMARIUM.

105. Antequam accedamus ad quæstionem in fronte articuli propositam, oportet investigare, quænam sit quantitas magna, & sufficiens ad peccatum mortale, quando aufertur tota simul. Oporteret autem maximè pro quiete conscientiæ quod in hac designanda Theologi omnes convenirent. Proquo sciendum est, mensuram magnitudinis, aut parvitatis moralis esse judicium prudentum. Hinc fit, quod quando judicia omnium peritorum, & prudentum conspirant in hoc, quod hæc sit materia magna peccati, est moraliter evidens, eam materiam esse magnam: quando autem alii prudentes judicant, hanc materiam esse magnam, & alii ex aliis rationibus esse parvam; tunc solum probabiliter est magna, & probabiliter est est parva. Tunc autem est probabilius magna, quando plures, & peritiores illam judicant magnam.

106. Circa assignandam quantitatem gravem, quæ sufficiat ad peccatum læthale, varia sunt Theologorum judicia. Novem opiniones refert *Diana part. tract. 3 miscell. resol. 57.* sed neque omnes enumeravit. Ex quibus solum tres referam quæ magis sunt probabiles, magisque receptæ, & communiores. Prima est *P. Thomæ Sanchez lib. 7. sum.*

*sum.cap.*10.*n.*3.ubi sic ait: ***Hodie communior sententia est, exigi in Hispania furtum quadruplicis argentei ad mortale.*** Et *n.seq.* addit: ***Respectu Principis exigitur major quantitas.***

107. Secunda opinio est, quam octavo loco ponit *Diana* relatus ex *Bonacina de contract. disp.* 2. *quæst.* 8. *punct.* 1. distinguente quatuor genera personarum: primum illustrium, quæ splendidè alunt familiam: secundum earum, quæ vivunt ex suis redditibus, quales sunt communes divites: tertium earum, quæ vivunt ex sua arte, & opera: quartum earum, quæ ex emendicato vivunt. Aitque respectu personarum primi generis unum aureum esse materiam gravem; respectu secundi generis, quatuor regales; respectu tertii duos regales; & respectu pauperum unum. Et eamdem opinionem sequitur *Navarra de restit.lib.*3.*capit.*1.*numer* 39. *& Regnaldus in praxi tom* 2.*lib.*22.*capit.quæst.* 4.*numer.*19.quos refert, & sequitur idem *Diana* citatus.

108. Tertia opinio est *Ioannis de Lugo tom.*1.*de just disp.* 16.*sect.* 2. *numer.* 28. ubi hæc habet: *Quarè non ægrè cum prædictis in re ipsa consentiam, ut in ordine ad Reges, & Magnates opulentos exigatur furtum unius aurei, ad divites, sex vel septem argentei; ad artifices quatuor; ad pauperes valor victus diurni, seu merces mediocris, quæ tempore medio inter hyemem & æstatem datur fossori.*

109. Et quidem quælibet ex his tribus sententiis potest tutò admitti ad praxim, quæ inter se parum distant, tamen cum duabus limitationibus. Prima est rarò, quod ad communes divites posse inveniri discrimen à popularibus, qui non egent; respectu quorum quatuor argentei censentur materia gravis. Etenim non debet attendi ad externam apparentiam divitiarum: frequenter enim usu venit, ut ditior sit, qui habet quingenta ducata annua, quam qui habet bismille ducata annua, si primus se ipsum dumtaxat alere debeat, & unum, aut alterum famulum; secundus vero magnam familiam alere debeat. Quarè iniquum est hanc rem gubernari ex sola externa apparentia divitiarum. Unde fit, quod nisi evidentia morali constet, hominem habere superflua statui suo, non recenseri debet inter divites quoad hunc effectum mensurandi gravitatem furti in ampliori quantitate.

110. Secunda limitatio est (quam occasione illius disjunctî *sex, aut septem regalium* contenti in verbis *Ioannis de Lugo* oportet statuere) quantitatem materiæ gravis in furto non designandam esse *plus* vel *minus*, sed omninò determinatè, ut ostendi *in* 2.*part.Chrys.Theol. disp.* 27. *capit.* 3. *numer.*41. Etenim si dicas designandam esse plus minus ve, erit materia gravis quatuor regales, uno asse minus. Rogo ergo, an isti quatuor regales uno asse minus sint computandi plus minusve, an omninò determinatè? Si adhuc ista quantitas computanda est plus minus ve, erit materia gravis quatuor regales tribus assibus minus; & sic procedetur, non in infinitum, sed usque ad ultimum as: si vero isti quatuor regales tribus assibus minus non computandi sunt plus minus ve, sed omninò determinatè; inde convincitur, materiam gravem furti designandam esse omninò determinatè, & non plus minusve. Vide hanc, & alias argumentationes, quas latè

latè instruxi loco citato. Quarè id, quod dixit *Lugo* citatus : *sex, aut septem regales* interpretandum est, ut dixerit dubitanter ; ita ut unus ex eis terminis determinatè designandus sit, & non plus, minusve.

111. Opinionem autem, quam refert *Diana* citatus ex *Emmanuele Rodriguez* in summa editionis novissimæ *tract.* 5. *capit.* 118. *numer.* 27. & 29. asserente, illam esse quantitatem gravem in furto, quæ excedit duos aureos, assero, esse improbabilem, & certò falsam. Ratio moraliter demonstrativa est: nam ut suprà dixi, tunc aliqua quantitas est evidenter moraliter magna, quando omnia, aut ferè omnia judicia prudentum, & peritorum censent, esse magnam; eo quod nulla alia sit mensura magnitudinis, aut parvitatis moralis, quàm judicium prudentum: sed omnes, aut ferè omnes prudentes censent, unum aureum, & multo minus (juxtà eas tres opiniones suprà relatas) esse materiam gravem furti; omnes enim Doctores omnium opinionum in hoc conveniunt: ergò evidens moraliter est, esse materiam gravem: ergò evidenter falsum est, non esse materiam gravem, nisi quæ excedit duos aureos.

112. Jam vero in ea quæstione, (Quænam sit quantitas gravis ablata per minima furta) distinguere oportet casum, in quo eam quantitatem subripit quis ab uno, & eodem subjecto, & casum, in quo eam subripit à diversis. Deinde considerandum est, ex interpolatione temporis magna, aut parva crescere, aut decrescere quantitatem requisitam ad peccatum mortale. Nam majus detrimentum recipit ille, à quo singulis diebus quis furatur unum argenteum, quam ille, à quo tantumdem quis furatur singulis annis. Deinde crescit, & decrescit quantitas sufficiens ad mortale ex eo, quod quantitas singularum parvitatum sit major, aut minor. Majus enim detrimentum accipit homo, si quis auferat ab eo octo argenteos, auferens singulis diebus singulos argenteos, quàm auferens singulis diebus singulos asses. In qua quæstione satis obscura dicam breviter ea, quæ magis sunt recepta inter Doctores classicos; & primum de iis, quæ quis aufert ab eodem subjecto; deinde de iis, quæ à diversis.

113. Dico primo circa ea, quæ quis aufert ab eodem subjecto. Quando quis subripit plures parvas quantitates cum brevi temporis interpolatione inter unam, & aliam ablationem, eadem quantitas, quæ sufficit ad peccatum mortale simul ablata, sufficit etiam successivè ablata. Hæc conclusio est ad mentem Authorum, quos proximè referam. Ratio est, quia idem detrimentum accipit homo, si quis subripiat ab eo quinquaginta argenteos cum brevi temporis interpolatione, quam si simul subripiat.

114. Dico secundò. Quando ablationes parvæ fiunt cum interpolationibus longi temporis, respectu ejusdem subjecti, ad peccatum læthale, & obligationem restitutionis sub mortali requiritur duplo major quantitas, quam quæ sufficit simul ablata. Sic *P. Thom. Sanchez lib.* 7 *sum. capit* 21. *numer.* 10. & apud ipsum *Navarrus in summa lat. cap.* 17. *num.* 139. *Graffis.* 1. *part. Decis. lib.* 1. *capit.* 93 *num.* 19 *Rebellus de just. part.* 1. *lib.* 3. *quæst.* 15. *sect. numer.* 37. *Lessius de just capit.* 12. *dub* 8. *numer.* 46. & *Emmanuel Rodriguez tom.* 1. *sum. m.* 2. *edit.*

edit. cap. 150. concluſ. 8. Rationem reddit *P. Thomas Sanchez ex Leſſio : Quia homines minus ægrè ferunt, ſibi auferri longo intervallo, & curſu quadam minima, quam eamdem quantitatem ſimul, vel data opera, vel brevi intervallo.*

115. Circa ea, quæ quis ſubripit à diverſis ſubjectis, dico tertiò. Adhuc major quantitas requiritur in hoc caſu ad hoc, ut ſit obligatio reſtituendi ſub peccato mortali, quam in caſibus concluſionum antecedentium Ita *P. Thomas ſanchez ubi ſup. num. 17.* ubi cum Rebello citato *ſect. 1. numer. 43.* ait : *Unde veriſimile eſt, non eſſe mortale, nec ſub mortali ad reſtitutionem obligari ſimplicem furem, qui minorem quantitatem, quam unius aurei à tota Communitate Civitatis Eborenſis, vel Connimbricenſis, vel alterius non minus populoſa furaretur.* Ubi advertere oportet adhuc minorem quantitatem, quam aurei deſignandam eſſe, quantò fuerint pauciores Domini, à quibus ſubriperentur ex minimæ quantitates. Et tantò majorem quantò fuerint plures Domini; dummodo ultimus terminus peccati mortalis ſit unus aureus.

116. Inquires, quid dicendum ſit, quando eſt dubium, an interpolatio temporis inter minima furta ſit longa, vel brevis; vel an Domini, à quibus ſubripiuntur, ſint plures, an pauciores, & ſic in ſimilibus dubiis. Reſpondeo, in his in ordine ad reſtitutionem ſemper ſtandum eſſe pro eo, qui patitur detrimentum, & non pro fure. Et ideò in ſimili dubio fur obligandus eſt ad reſtitutionem. In ordine tamen ad punitionem ſtandum eſt pro fure. Et ratio prioris partis eſt: nam utdicitur in cap. *ex tenore de Reſcriptis. Nemini ſua fraus patrocinari debet.* Patrocinaretur autem fraus furi, ſi in dubio illi eſſet favendum, in ordine ad reſtitutionem ablatorum.

117. Quid autem dicendum ſit de minimis furtis filiorum, famulorum, &c. circa eſculenta, & poculenta, non ea, quæ aliquanto pretioſiora ſunt, ſed quæ deſtinata in alimenta communia eorum, ſi ea furta non ſint ad vendendum illa, ſed ad comedendum actualiter; conſtat inter Doctores ad minus ſcrupulosè tractandum. Vide authores citatos.

118. Pro omnibus autem caſibus ſuprà dictis, & aliis minoris quantitatis optimum eſt conſilium, quod præbet *P. Leſſius de juſt. cap. 12. dubit. 8. numer. 50.* his verbis *Monendi mihi ſunt hoc loco pro his, & ſimilibus caſibus Confeſſarii, ut non facilè in furtis etiam minutis, & quæ ad peccatum mortale non pertingunt, diſſimulent; ſed pro conditione, & capacitate perſonarum ſemper aliquam reſtitutionem injungant, quæ fiat, vel reddendo rem eamdem, ſi extat, vel ejuſdem ſpeciei, vel pretium rei, vel compenſando majore obſequio, quam ex contractu teneatur : vel ſi creditoribus non poſſunt, conferendo tantum in pauperes. Hac enim ratione, cùm non impune tranſeunt, magis ab ejuſmodi peccatis abſterrentur, quam aliis pœnitentiolis; alioquin fiũt ad hujuſmodi furtula faciliores, & ad majora gradum faciunt.*

* * *

CA-

CAPUT IV.

An qui alium movet, aut inducit ad nocendum alteri graviter, excusetur à restitutione?

ARTICULUS I.

Traditur doctrina generalis.

SUMMARIUM.

Non est prolixè scrutandum, quinam fuerint Authores opinionum damnatarum? num. 119.

Iussio, consilium, & palpo pertinent ad hanc quæstionem. num. 120.

Sed præcipuè ad eam pertinet, qui consilio suo inducit alium ad nocumentum alterius. num. 122.

An qui dedit consilium de nocumento alterius, semper teneatur ad restitutionem? num. 123.

Et quid si consilium non movet cum effectu? num. 124.

119. PRopositio 39. ex damnatis hæc est: *Qui alium movet, aut inducit ad inferendum grave damnum tertio, non tenetur ad restitutionem illius damni illati.* Quis fuerit Author hujus propositionis me latet; sicut aliarum, quæ in præcedentibus retulimus, & in subsequentibus referemus. De quo non multum curo: tum quia non est curandum, quis erraverit; sed qua ratione non est errandum; tum etiam quia errant quandoque scriptores moderni, qui scripserunt explicantes hoc decretum, attribuentes authoribus classicis opiniones ab eis omninò alienas; præcipuè cum ex aliorum citationibus referunt. Sicut enim reus non damnatur, donec ejus confessio audiatur; ita non oportet damnare authorem, donec opinio in ipsius scriptis attentè legatur.

120. Ex cooperantibus ad damnum proximi, contentis in illis duobus versibus:
Iussio, consilium, consensus, Palpo, Recursus,
Participans, mutus, non obstans, non manifestans;

Tres sunt, qui spectare possunt ad hanc damnationem, scilicet jubens, consilium præbens, & adulator. Et primò quidem jussione suâ movet, & inducit herus famulum, si illi præcipiat, ut lædat graviter proximū. Quare is herus tenetur ad restitutionem damni illati, nisi ante damnificationem revocet imperium. Et si qua opinio oppositum doceat, subjacet huic damnationi.

121. Deindè adulator adulatione suâ quandoque movet, & inducit ad damnificationem psoximi. Nam si furi adveniat occasio furandi, & Titius aduletur ei laudans artificium ejus, & audaciam in furando, hac adulatione movet, & inducit furem ad inferendum damnum proximo. Et ita si fur non restituat, tenetur Titius ad restitutionem. Et si qua propositio doceat, non dari in Titio eam obligationem restituendi, illa subjacet huic damnationi.

122. Sed præcipuè extenditur hæc damnatio ad eum, qui suo consilio movet, & inducit alium ad inferendum grave damnum proximo. Affirmant enim omnes Theologi cum *S. Thoma quæst. 62. art. 7.* ejusmodi consulentem teneri ad restitutionem damni illati. Et ratio est manifesta. Tenetur enim restituere, quicumque est causa moralis damni illati: sed qui consilio suo movet, & inducit ad inferendum damnum proximo, est causa moralis damni illati: ergo tenetur ad restitutionem.

123. Et quidem *S. Thomas* loc. cit. hæc verba habet, ex quibus non bene intellectis fortè habuit ansam errandi propositio damnata: *In aliis autem casibus enumeratis, non semper obligatur aliquis ad restituendum. Non enim semper consilium, vel adulatio, vel aliquid hujusmodi, est efficax causa rapinæ. Unde tunc solùm tenetur consiliator, aut palpo, id est adulator ad restitutionem, quando probabiliter æstimari potest, quod ex hujusmodi causis fuerit injusta acceptio subsequuta.* Ex quibus verbis perperam inferes universaliter, eum, qui præbet consilium de damnificatione proximi, non teneri ad restitutionem, cùm oppositum consequens manifestè inferatur: tum quia cùm dicit *non semper*, supponit, aliquando teneri. Tum etiam quia juxta S. Thomam tunc tenetur consiliator ad restitutionem, quando probabiliter æstimari potest, quod ex hujusmodi causa fuerit injusta acceptio subsecuta: sed quando quis consilio suo movet, & inducit ast inferendum damnum proximo, probabiliter æstimari potest, quod ex causa ejus consilii fuerit ea injusta damnificatio subsecuta: ergò tunc tenetur consiliator ad restituendum.

124. Verum quidem est, quod in aliquibus casibus non tenetur consiliator ad restitutionem, quando scilicet consilium non movet, neque inducit ad damnificationem proximi, v. g. quando injustus damnificator est jam omninò determinatus ad inferendum damnum proximo, si tunc superveniat consilium, hoc non inducit, neque movet.

** † **

ARTICULUS II.

Quæstiones aliæ enodantur.

SUMMARIUM.

Primus modus præbendi consilium per simplicem suasionem, aut precationem. num. 125.

Secundus, per manifestationem artis occultæ ad nocumentum. n. 126.

Tertius, proponendo motivum, quod vehementer inclinat ad nocumentum alterius. n. 127.

Quartus, cùm imperitus consulit Theologum, an teneatur restituere, & Theologus respondet contra jus, non teneri. num. 128.

Quintus, quando vi magnæ authoritatis postulat aliquid iniquum. n. 129.

Sextus, cùm quis determinatè ad majus malum consulit, ut inferat minus. n. 130.

Septem quæstiones disputandæ. num. 131. & seqq.

125. Variis modis potest procedere consilium circà damnificationem proximi. Primò, cùm quis per simplicem suasionem suadet, ut inferat damnum Titio. Et eodem modo se habet res, quando datur consilium per modum precationis, aut petitionis.

126. Secundò, cùm quis manifestat alteri occultam viam, aut artem damnificandi Titium, v. g. si quis ostenderet furi occultam januam, aut fenestram, per quam posset ingredi ad furandum, & quam fur omninò ignoraret. Item si quis patefaceret illi secretum magicum per quod posset consequi furtum, vel damnificationem.

127. Tertiò cùm consulens proponit damnificaturo motivum, quod attentâ ejus

jus inclinatione, & passione valde illum urget, ut cum quis viro nobili, & honoris humani ambitioso proponit id motivum, quod juxta leges duellorum erit contra suuum honorem, si non occidat Titium.

128. Quartò cùm aliquis homo imperitus consulat Confessarium, aut Theologum, an teneatur in tali casu restituere, & Confessarius, vel Theologus contra jus, & fas respondeat, illum non teneri ad restitutionem.

129. Quintò, cùm quis fretus efficacia suæ intercessionis, vel propter magnam suam authoritatem, vel propter multam familiaritatem, postulat à Judice, ut dicat jus pro Titio contra Sempronium, licet jus huic suffragetur, non illi. Quo pacto hodie plurimæ fiunt intercessiones iniquæ tanto persuasionis pondere, ut non semel trahantur Judices ad manifestam iniquitatem.

130. Sextò, cum quis determinatò ad majus malum consulit, ut inferat aliud minus malum: & hoc fiat dupliciter vel respectu ejusdem subjecti, ita ut volenti occidere Titium consulat quis, ne occidat, sed vulneret leviter. Vel respectu diversorum subjectorum, ut si volenti occidere Titium consulat quis, ut vulneret famulum ejus.

131. Ex quorum consiliorum diversitate variæ exoriuntur quæstiones. Prima est, an qui revocat consilium simplex (quale proposui primo loco) teneatur adhuc ad restitutionem? Secunda, an qui revocat consilium, in quo manifestaverat speciale artificium damnificandi, maneat liber ab onere restituendi? Tertia est, in qua idem inquiritur de eo, qui præbuit consilium tertio modo, scilicet proponendo motivum, quod valde urget operaturum. Quarta, an Confessarius consulens imperitè contra jus, quod liceat non restituere, teneatur ipse Confessarius ad restitutionem tamquam præcipuus debitor? Et quid, si revocet id consilium doctrinale?

132. Quinta quæstio est, an qui magno pondere intercessionis consulit, aut postulat à Judice, ut jus dicat pro eo, cui jura non suffragantur, teneatur ad restitutionem damni illati? Et quid, si revocet, vel debito modo exponat suam intercessionem. Sexta, an qui consulit minus damnum proximi ei, qui intendebat inferre majus, teneatur ad restitutionem? Septima, an ei, qui intendebat inferre majus damnum Petro, illicitum sit consulere, ut inferat minus damnum inferendum Paulo, & consulens teneatur ad restitutionem? Et in his omnibus quæstioniqus inquiritur etiam, an pars excusans ab onere restituendi subjiciatur huic damnationi.

ARTICULUS III.

Quatuor priores quæstiones expediuntur.

SUMMARIUM.

Qui revocat consilium simplex de damno inferendo, non tenetur restituere. num. 133.

Hæc sententia non subjacet damnationi. n. 134.

Qui dedit consilium damnificandi, ostendens occultum artificium ad id, quamvis revocet consilium, tenetur restituere. num. 135.

Opposita opinio subjacet damnationi. num. 136.

Qui

133. QUod attinet ad primam quæstionem, assero, eum, qui revocat consilium simplex de damno inferendo, sive id consilium fuerit per modum suasionis, sive per modum precationis, non teneri restituere. Et nota, vocari consilium simplex, quod nullum proponit motivum, sed quasi imperativo modo, v.g. *Occide illum, Furare illam suppellectilem. &c.* Pro hac conclusione stat *Petrus Navarra lib.* 3. *de rest. cap.* 4. *num.* 27. *P. Ioannes Præpositus* 3. *part. quæst.* 4. *de Irregularit. P. Tancerus* 2.2. *disp.* 4. *sect.* 6. *dub.* 14. *num.* 394. & alii, quos refert, & sequitur *Diana* 3. *part. tract.* 5. *miscellan. resol.* 83.

134. Hinc fit, hanc sententiam non subjici huic damnationi. Patet. Huic enim damnationi subjacet, qui dixerit, illum, qui movet, & inducit ad inferendum damnũ, non teneri restituere: sed hæc sententia id non dicit, ergò non subjicitur. Constat minor. Nam consilium simplex revocatum non movet, neque inducit ad damnificandum; quia executor damni non infert illud propter tale consilium simplex, cùm jam sit revocatum, & annullatum, nec moraliter perseverat ad influendum in delictum.

135. Secunda quæstio est, an qui præbuit consilium damnificandi, ostendens occultum artificium inferendi damnum, v.g. ostendens secretum artis magicæ, si postea revocet consilium, sequatur tamen effectus damnificationis, teneatur restituere? In qua quæstione dicendum est, eum consiliatorem teneri ad restitutionem. Ita *P. Lessius de just. cap.* 13. *dubit.* 3. *num.* 16. *Lugo Card. tom.* 1. *de just. Disp.* 19. *sect.* 2. *nu.* 37. & alii. Et ratio est evidens. Ille enim quamvis revocet consilium, non propterea aufert causam, quam posuit, ostendendo illi occultum artificium nocendi; ergò ejusmodi consiliator manet causa moralis ejus damnificationis, & consequenter tenetur restituere. Confirmatur ex *P. Lessio* ubi suprà. Nam qui furenti præbet arma, ut inimicum occidat, quamvis postea præbeat consilium non occidendi, reus est damnificationis secutæ, dum re ipsa non abstulerit arma: ergò qui consuluit damnificationem, ostendendo artificium nocendi, reus erit damnificationis; dum illud artificium non impedierit: cùm ergò per revocationem consilii non impediatur re ipsa usus illius artificii ostensi ad nocendum, manet ille obnoxius oneri restituendi.

136. Et hinc clarè constat, oppositam opinionem (si fortè aliqui eam docuerint) manere subjectam huic damnationi. Etenim ea propositio subjecta manet huic dam-

damnationi, quæ docet non teneri restituere illum, qui movet, & inducit ad inferendum damnum: sed præfata opinio id docet: ergò subjecta manet huic damnationi. Probatur minor: est enim evidens, illum consiliatorem movisse, & induxisse præfato modo ad inferendum damnum; & per solam revocationem consilii non abstulisse eum influxum movendi, & inducendi: ergò opposita opinio docet non teneri ad restitutionem illum, qui re ipsa movet, & inducit.

137. Tertia quæstio est, an quando consulens damnificationem proponit damnificaturo motivum, quod attentâ ejus inclinatione, & passione urget illum ad executionem damni, si is revocet consilium, tenetur adhuc restituere. Quod quidem plerumque accidit in hominibus mundani honoris ambitiosis in occasionibus, quæ occurrunt servandi execrandas leges duellorum.

138. In quibus, & similibus casibus dicendum est, consiliatorem teneri restituere, quamvis revocet consilium datum. Sedebant Granatæ duo adolescentes nobiles vinculo amicitæ conjunctissimi, confabulabanturque familiariter; cùm unus eorum alterum galero suo leviter percussit ferè per ludum. Et cum ea levis percussio nullum generavisset fastidium percusso, accessit tertius alius, dixitq; juveni percusso, ut adverteret juxta mundi leges se mansisse *oneratum*, (sic enim vocant eum, qui patitur ignominiam, quam juxtà mundanas leges debet ulcisci) & hujus tertii pessima insinuatio ita corrupit vinculum amicitiæ, ut percussus statim provocaret alterum ad duellum. In quo conflictu provocator lethale vulnus accepit, alter verò amicitiæ memor complexus amicum, super humeros suos illum portavit in domum ejus, & vulneratus ante mortem juridicè declaravit, nolle se percussorem ulli supplicio addici. Qui eventus ostendit, quàm vehementer influat consiliator, qui ejusmodi motivum proponit. Quare etiam si ante executionem duelli conaretur suadere, ne provocaret alterum, nihil proficeret, ut liber maneret ab onere restituendi.

139. Præfata conclusio eodem argumento nititur, ac præcedens. Nam quamvis consiliator conetur suadere omissionem damnificationis, adhuc persistit influxus illius motivi urgentis, virtute cujus operatur ille, qui damnum infert. Et ideò pro ea conclusione stant Authores, qui pro antecedenti, quod etiam expressit *Mag. Tapia tom. 2. Catenæ lib. quæst. 29. art. 2. num 7.* Et cùm dicimus *motivum urgens*, non intendimus excludere motivum minus urgens, si hoc tale sit, ut moveat, & inducat ad crimen patrandum: motivum enim est satis urgens, quando aptum est movere, & inducere.

140. Et inde infertur propositionem, quæ oppositum doceat, contineri sub hac damnatione. Etenim quamvis ille, qui dedit consilium, & proposuit motivum, revocet consilium, permanet in suo vigore motivum; atque adeò per illud motivum movet, & inducit ad nocendum: propositio ergò, quæ docuerit, illum non teneri restituere, docebit, eum, qui movet, & inducit ad damnificationem, non teneri restituere: quæ propositio manifestè subjacet damnationi.

141. Quarta quæstio est, an quando homo imperitus consulit Confessarium,

vel Theologum, an teneatur restituere, & consiliarius respondeat aliquid injustum, sive ex malitia, sive ex ignorantia vincibili, & culpabili, teneatur iste restituere tamquam principaliter obligatus? Et quid si revocet consultum suum? *Lugo Card. tom.1. de just. disp.19. sect. 2. num.35.* asserit solùm consiliarium tamquam principaliter obligatum teneri ad restitutionem, non verò imperitum illum hominem, qui à Doctore accepit consilium, nisi ratione rei extantis, aut in qua factus est ditior. Et *num.37.* addit cum *Lessio* citato, si is Doctor revocet consultum, sic non teneri ad restitutionem. Quod etiam docet *Tapia ubi suprà num* 8. Et communis.

142. Quæ assertio vera est, & tenenda quoad utramque partem. Prima quidem, quia ille imperitus homo manet invincibiliter ignarus obligationis restituendi; cùm fecit totum, quod debuit consulendo Doctorem, circa quæ ipse non tenetur scire. Et si qua fuerit opinio, quæ doceat oppositum, & conetur suadere, eum Doctorem manere liberum ab onere restituendi, subjecta manebit huic damnationi; cùm certum sit, eum Doctorem movere, & inducere culpabiliter ad damnificationem, quæ stat in omissione restitutionis debitæ.

143. Secunda etiam pars est certa Nam si doctor ille, qui dedit consilium, seriò persuadeat, falsam esse doctrinam, quam illi imperito prius tradiderat, jam ex parte illius nihil est, quod influat in eam damnificationem. Et sic verum est, quod per revocationem consulti desinit movere, & inducere ad damnificationem. Et ideo hæc secunda pars non subiit damnationem.

144. Quæ dicta sunt de Theologo consulente operationes injustas, intelligenda etiam sunt, & præcipuè de Regis consiliariis, cùm consulunt Regi bellum injustum, aut gabellam iniquam, aut actionem contra immunitatem Ecclesiasticam. Rex enim, si post debitam consultationem virorum Doctorum, ex consilio eorum decernat aliquid injustum, ipse non tenetur restituere, cùm non teneatur scire, & præstet debitam diligentiam ad sciendum, quid oporteat. Ipsi verò consiliarii, qui sive ex malitia, sive ex ignorantia culpabili consulunt rem injustam, tenentur omnem damnificationem resarcire.

ARTICULUS IV.

Tres aliæ quæstiones enodantur.

SUMMARIUM.

An qui per intercessionem consulit Iudici, ut ferat sententiam iniquam, teneatur restituere? num.145.

Conclusio affirmativa probatur. n.346.

Ad quid si intercessionem revocaverit? nu. 147.

An qui inducit ad minus damnum proximi, justè operetur, nec teneatur restituere? n.148.

Conclusio affirmativa roboratur authoritate Sanctorum Patrum. n.149.

Qui consulit minus malum, consulit conditionaliter. n.150.

Si potest consilio impedire omninò damnum, peccat consulendo minus damnum, & tenetur restituere. num.151.

Objectio ex jure canonico. num.152.

Explicatio textus. num.153.

Quomodo qui consulit minus damnum, non fit causa moralis damni? num.155.

An

145. QUinta quæstio est, an ille qui magno pondere intercessionis consulit judici, ut ferat sententiam injustam, teneatur restituere damnum illatum? Et quid, si revocet intercessionem, aut illam debito modo exponat? v.g. si vir in magna dignitate constitutus, vel à quo maximè dependet Judex, vel à quo ipse Judex timet vehementiam iræ, si non annuat ejus postulatis, postulat à Judice sententiam iniquã, teneatur resarcire damnum ortum ex sententia Judicis?

146. Et dicendum est sine dubio teneri. Quæ assertio est juxtà mentem omnium Theologorum. De quo videndi Authores citati. Et ex hac damnatione manifestè constat: juxta quam ille tenetur restituere damnum illatum, qui movet, & inducit ad illud inferendum: sed qui sic postulat à judice iniquam sententiam, movet, & inducit, ad illud damnum inferendum: ergò ille tenetur restituere juxta præscriptum hujus damnationis.

147. Si autem vel iniquam intercessionem revocaverit, vel in prima intercessione seriò declaraverit, suam intentionem esse, ne Judex transiliat metas justitiæ, non tenetur ad restitutionem. Ita Authores suprà citati. Et ratio est clara: quia ea intercessio revocatione ipsa desinit influere, atque adeò jam non inducit, neque movet ad sententiam injustam; & consequenter non continetur sub hac damnatione. Præterea si ab initio declaravit, nihil petere injustum, sed id solùm, quod ex mera gratia potest Judex operari, sic ea intercessio non intendit damnum proximi, neque inducit ad illud.

148. Quæstio sexta est, an qui movet, & inducit ad minus damnum proximi illam damnificationem, qui omninò est determinatus ad majus damnum inferendum eidem, teneatur restituere, & contineatur sub hac damnatione? In qua quæstione assero, illum, qui ita movet, & inducit ad minus damnum, non teneri restituere, quin potius operari, quod licitum, & honestum est, scilicet quando non est in potestate ejus omninò impedire damnificationem. V.g. Si quis omninò est determinatus occidere Petrum, licitè possum illi persuadere, ut non auferat vitam, sed contentus sit auferre substantiam temporalem per furtum. Pro hac sententia stant *Innocentius*, *Ostiensis*, *Ioannes Andreas*,

Abbas, Ancharranus, Cardinalis, Adrianus, Angelus, Sylvester, Cajetanus, Armilla, Ioannes de Medina, Sotus, Navarrus, Veracruz, Corduba, Barth. de Medina, Nieva, Navarra, Matienco, Enriquez, Molina, Silva, Aragon, Carbo, Graffis, Ludov. Lopez, Rodriguez, Vega, & Pereira, quos refert, & sequitur *P. Thomas Sanch. lib. 7. de Matrim. disp. 11. num. 15.* Item docent *P. Lessius de just. cap. 13. dubit. 3. num. 19. Lugo Card. tit. 1. de just. disp. 19. sect. 2. num. 44.* & est valde communis contra alios oppositum opinantes.

149. Hanc conclusionem roborat *P. Thomas Sanchez*, ex testimonio S. Augustini, quod refertur in cap. *Si quod verius. 33. quæst. 2.* ubi de volenti occidere uxorem, ut frueretur aliâ muliere, ait: *Si facturus est, quod non licet, jam faciat adulterium, & non faciat homicidium: ut vivente uxore suâ alteram ducat, & non humanum sanguinem fundat.* Probat etiam ex *S. Epiphanio lib. 3 contra hæreses, hæres. 61.* & ex *S. Gregorio lib. 32. Moral. cap. 18.* & ex *S. Chrysostomo homil. 27. ad pop. Antioch.* & ex *S. Ambrosio lib. 1. de Abraham cap. 6.* & ex *S. Thom. quæst. 1. de Malo art. 5. ad 14.* & iterum ex *S. Augustino lib. de Mendacio cap. 7.*

150. Ratio est manifesta. Nam qui intendenti occidere Petrum, suadet, ut non auferat vitam, sed pecuniam, non inducit illum, ut auferat pecuniam, sed actu conditionali suadet, ut si aliquod Petro damnum illaturus sit, non fiat in vita, sed in pecunia. Deinde quia qui suadet, ne Petrus patiatur detrimentum vitæ, sed ad summum pecuniæ, rectè gerit negotium Petri; cui si daretur optio alterutrius damni infallibiliter inferendi, eligeret potius ablationem pecuniæ, quàm vitæ. Et propterea Petrus debet grates agere hujusmodi suasori.

151. Dixi. *Quando non est in potestate suadentis, impedire omnino damnificationem*: quia si consilio suo potest impedire omninò damnificationem, peccat graviter suadendo minus damnum, & tenetur restituere. Non quia teneatur ex justitia impedire damnificationem (homo enim privatus non tenetur ex justitia, sed solùm ex charitate eam impedire) sed quia cùm possit impedire, suadet illud damnum minus: tunc enim illa suasio non est conditionalis: non enim dicit, *si infallibiliter illaturus es damnum majus*, cùm supponamus posse fieri, quod ea damnificatio suasione impediatur. Et fortasse hoc solum est, quod intendunt Authores negantes licitum esse consulere minus damnum proximi.

152. Objicies primò. In cap. *Super eo.* de Usuris. dicitur. *Multò magis prohibendus est quis, ne etiam pro redimenda vita captivi, usurarum crimine involvatur.* Ex quo sic efformatur argumentum: majus damnum est occisio captivi, quàm crimen usuræ: sed non licet consulere usuram pro vitanda occisione captivi: ergò non licet consulere minus damnum ad avertendum majus.

153. Respondeo, illicitum esse facere malum, ut veniat bonum; licitum verò, determinatum ad unum è duobus malis induci ad hoc, quod faciat minus malum. Itaque nemo potest committere crimen usuræ pro redimenda vita captivi; hoc enim est, quod prohibetur in eo cap. *Super eo.* Si verò Titius firmiter apud se statuisset, unum è duobus patrare, vel occidere capti-

captivum, vel usuras admittere, licitum est, eum inducere, ne occidat, sed contentus maneat admissione usurarum.

154. Objicies secundò. Qui est causa moralis damni, tenetur restituere: sed qui inducit ad minus malum, est causa moralis illius: ergò tenetur restituere.

155. Respondeò, eum, qui inducit ad minus malum, sub conditione quod alter firmiter statuerit facere majus, non esse causam moralem damni; sed potius causam moralem melioris fortunæ proximi; cui multo melius est, pati minorem calamitatem, quam majorem.

156. Objicites tertiò. Eodem modo se habet quoad peccatum, consulens, & exequens: sed qui exequitur minus malum, peccat exequendo: ergò eodem modo peccat, qui consulit illud.

157. Respondeo, negando majorem: nam diverso modo consulitur, ac mandatur executioni. Consulitur enim sub conditione, quod delinquens nolit desistere à majori damno; executio autem damni absoluta est, neque capax ejus conditionis. Et quidem in potestate exequentis est utrumque malum omittere; in potestate autem consulentis non est retrahere ab utroque malo.

158. Objicies quartò. Minus malum adhuc verè est malum: sed non licèt inducere ad malum: ergò non licèt inducere ad minus malum.

159. Respondeo, concessa majori distinguendo minorem: non licèt inducere ad malum (sub conditione, quod quis statuerit inferre majus malum,) nego; (absolutè, & sine ea conditione,) concedo.

160. Objicies quintò. Non licèt petere, quod alius nequit justè facere; sic enim non licèt petere à malefico, quantumvis parato, ut maleficium maleficio solvat; quia ei non licèt id facere absque peccato: sed damni illator non potest inferre justè illud minus damnum: ergò neque potest peti ab illo, ut fiat.

161. Respondeò distinguendo minorem: non licèt petere (absolutè) quod alius nequit justè facere, concedo: non licèt petere (sub conditione, quod unum è duobus malis faciendum sit, ad hoc ut fiat minus malum,) quod alius nequit justè facere, nego. Id enim non est petere, quod fiat illud malum, sed quod ex duobus malis eligatur minus. Et ex his patet, hanc inductionem ad minus malum, modo explicato, non contineri sub hac damnatione.

162. Quæstio septima est, an eum, qui firmiter statuit inferre majus damnum Titio, liceat inducere, ut inferat minus damnum Sempronio? Et conveniunt omnes Theologi, id esse illicitum, contra justitiam, & ita consulentem teneri ad restitutionem. Ita *Sotus*, *Aragon*, *Salon*, *Navarra*, *Carbone*, *Ludovicus*, *Lopez*, *Graffis*, *Rodriguez*, & *Vega*, quos refert, & sequitur *P. Thomas Sanchez lib. 7. de Matrim. disp. 11. numer. 24. P. Molina tom. 2. de just. disp. 339.* qui etiam citat *Angelum*, *Sylvestrum*, *Navarrum*, & *Cajetanum*. Item *P. Lessius de just capit. 13. dubitat. 3. n. 20.*

163. Ratio conclusionis est, quia quamvis licitum sit consulere minus malum, id intelligitur esse licitum, dum modò non sit in præjudicium tertii. Et ita si volenti furari à Titio centum aureos, sua-

deas non furari ab eo eam quantitatem, sed à Sempronio quinquaginta, jam determinas furem in præjudicium Sempronii, & es causa moralis damnificationis ejus; atque adeò teneberis restituere, si fur non restituat. Deinde quia Sempronius habet jus, ne tua jussione, aut consilio illi damnum inferas: quod jus violatur eo consilio, postulatque satisfactionem.

164. Hæc tamen conclusio patitur limitationes aliquas. Prima est, in casu, quo ipse tertius teneatur subjicere se illi damno minori, ne alter patiatur illud majus. V.g. Si quis intendat occidere Regem, & Joannes videat malefactorem non posse deterreri à tali facinore, poterit illi suadere, ne occidat Regem, sed famulum ejus; quia famulus tenetur exponere vitam pro bono publico.

165. Secunda limitatio est pro casu, quo passurus minus damnum non sit rationabiliter invitus. V.g. Si fur velit subripere à Petro quantitatem magnam, per quam reducendus est Petrus ad extremam necessitatem, tum potest illum inducere, ut subripiat aliquantulum à Paulo prædivite: nam in eo casu Paulus non est rationabiliter invitus, eo quod teneatur prospicere, ne Petrus incidat in extremam necessitatem.

166. Tertia limitatio est pro casu, quo fur velit furari à Petro, & illi suadeas, ne noceat Petro, sed alteri, nullam determinando personam, nempè ut illi damnum inferat, cui minus nocebit. Ut si velit furari à Petro paupere & suadeas, ne ab eo furetur, sed ab aliquo divite indeterminatè. Quæ tres limitationes sunt ad mentem *P. Thomæ Sanchez*, ubi suprà.

167. Quartam limitationem addit *Lugo Card. tom. 1. de just. disp. 19. sect. 2. numer. 46.* scilicet pro casu; quo fur velit inferre damnum utrique homini, vel alterutri ex duobus, nec superest spes avertendi illum ab utroque, potes aperire illi veritatem speculativam, dicendo: Majus peccatum est furari ab hoc viro pauperimo, quàm ab illo viro prædivite. Cujus asserti rationem reddit. *Quia per hoc solum explicas illi veritatem quamdam certissimam. Quod scilicet majus peccatum, & malum sit hoc, quam illud: nemo autem potest rationabiliter esse invitus, aut conqueri, quod veritatem utilem, & honestam explices indigenti; nam licèt Petrus jus habeat ad rem suam, non tamen habet jus, ut non explices proximo veritatem honestam.* Et ex dictis constat, quæ opinio in hac quæstione subjaceat, & quæ non subjaceat, damnationi.

DISSERTATIO XXIV.

An licitus sit contractus Mohatra respectu ejusdem personæ cum pacto de retrovendendo.

SUMMARIUM.

Triplex est pretium, summum, medium, & infimum, n. 1.

Qui emit infimo pretio, potest vendere summo; & qui vendit summo, potest emere infimo, n. 2.

Explicatur, in quo consistat Mohatra, num. 3.

Ille contractus est iniquus, n. 4.

In

In quo consistat iniquitas ejus contractus? num. 5.

Quàm merito damnatus sit is contractus. Et explicatur damnatio, n. 6.

1. Propositio 40. ex damnatis hæc est. *Contractus Mohatra licitus est, etiam respectu ejusdem personæ, & cum contractu retrovenditionis prævie inito cum intentione lucri.* Pro cujus intelligentia præmitto primò cum communi sententia, pretium justum aliud esse summum, aliud medium, & aliud infimum, v. g. Si res in summo pretio valeat decem argenteos in medio novem, & in infimo octo.

2. Præmitto secundò, ea, quæ quis emit infimo pretio, posse vendi summo, dummodo non excedantur limites justi pretii. Quod usque adeò verum est, ut si quis emat à Petro merces summo pretio, & postea emptor necessitate pressus vendat illas pretio infimo intra latitudinem justi pretii, & sciat Petrus illas vendi eo infimo pretio, potest Petrus, qui illas vendidit summo pretio, emere illas infimo. Et ratio est: quia licèt Petrus eas vendiderit summo pretio, non amittit jus emendi, quod habent cæteri emptores: & sicut cæteri possunt illas emere infimo pretio, ita & Petrus, qui illas vendidit summo.

3. Hinc oritur quæstio, an licitus sit contractus, quem vocant Mohatra? Qui ita solet fieri. Petrus eget pecuniis, & vadit ad Joannem mercatorem, ut sibi eas mutuet: respondet Joannes, se non habere pecunias mutuandas, suadetque Petro, ut emat credito merces summo pretio, cùm pacto tamen retrovendendi infimo pretio pecunia numerata, & hoc modo Petrus accipit peccunias, quas desiderabat, sed cum detrimento suo, & lucro Joannis Mercatoris. Inquiritur itaque, an hic contractus sit illicitus initus cum pacto retrovenditionis.

4. Dicendum est, illum contractum esse illicitum. Ita *P. Molina tom. 2. de just. disp. 310. §. Observa P. Lessius de just. capit. 21. numer. 130.* illis ultimis verbis: *Non tamen potest illum ad hoc cogere, sed debet omninò liberum relinquere.* Et *Lugo Card. tom. 2. de just. disp. 26. sect. 13. numer. 205.* illis verbis. *Dum tamen & pretio justo vendat, & emat; & pactum talis retrovenditionis non præcesserit.* Qui Authores multos alios citant. Ratio hujus conclusionis est: quia pactum de retrovendendo viliori pretio est apertè iniquum: est enim velle illi commodare, obligando illum ad subeundem detrimentum. Id autem manifestum est, esse contra æqualitatem, quam jure naturali expetit justitia. Deinde quia is contractus continet usuram palliatam: nam ut mercator eo lucro potiatur ex pecunia, quam alter petit mutuandam, utitur fraudulenter eo circuitu venditionis, & retrovenditionis. Contra quam iniquitatem clamat Apostolus *Epist. 1. ad Thessalonicenses cap. 4.* dicens: *Ne quis supergrediatur, neque circumveniat in negotio fratrem suum; quoniam vindex est Dominus de his omnibus.*

5. Ex dictis constat, quàm meritò jure sit damnata ea propositio 40. & contractus in ea contentus. Dicitur in damnatione, *respectu ejusdem personæ*: quia si quis emat à Petro merces summo pretio, & contrahat cum alio, aut aliis de vendendo

do eas merces pretio infimo; non invenitur in eo casu contractus mohatræ. Dicitur. *Cùm contractu retrovenditionis prævie inito* propter ea, quæ suprà diximus, licitum esse ei, qui vendit merces summo pretio, nullo interveniente pacto explicito neque implicito, emere easdem merces infimo pretio intra limites justi pretii, sicut alii emptores possunt illas emere eodem infimo pretio. Dicitur tandem *cum intentione lucri*; quia id pactum retrovenditionis pro infimo pretio ordinatur ad lucrum.

DISSERTATIO XXXV.

An quis possit excusari à crimine usuræ ob majorem æstimationem pecuniæ præsentis, quam futuræ, aut ob debitum gratitudinis?

CAPUT I.

Refertur opinio Caramuelis, ejusque damnatio, & præmittuntur aliqua.

SUMMARIUM.

Authores citati à Caramuele pro ea opinione, num. 2.

Sed perperam citantur Authores dum loquuntur ratione lucri cessantis & damni emergentis, n. 3.

Affirmat Caramuel, qui mutuat centum, & post annum recipit centum, & quinque, nihil recipere ultra sortem, n. 4.

Tria argumenta, quæ continentur in textu Caramuelis, n. 5. & seqq.

1. PRopositio quadragesima prima ex damnatis hæc est: *Cùm numerata pecunia pretiosior sit numeranda, & nullus sit, qui non majoris faciat pecuniam præsentem, quam futuram; potest creditor aliquid ultra sortem à mutuatario exigere, & eo titulo ab usura excusari.* Quæ quidem propositio formalissimis terminis tradita est à Caramuele, & à me efficaciter impugnata in 3. *part. Chris. Theol. disp.* 63. *capit.* 4. in qua disputatione multas alias absurdas opiniones ejusdem Authoris circa usuram impugnavi. Sed omissis reliquis, hanc de majori æstimatione pecuniæ præsentis, ex ibidem dictis ostendam, meritissima ratione esse damnatam.

2. *Caramuel lib.* 1. Thelogiæ intentionalis, *disp.* 14. *numer.* 799. ait: *Inquiro, An numerata pecunia sit pretiosior pecunia numeranda? Respondent assertivè Navarrus .... cap.* 17. *num.* 231. *&* 331. *Emanuel Sa, verb. Debitum. num.* 20. *Armilla, verb. Usura. num.* 50. *Cajetanus verb. Usura, ad finem.* Et citat deinde Malderum, *Philiarchum, Fabrum, Dicastillo, Dianam, Azorium, & Ledesmam.*

3. Sed perperam citat *Caramuel* eos Authores pro præfata opinione, illi enim solum affirmant, chirographa creditorum vendi posse minori pretio, quàm est summa pecuniæ debitæ. Id autem esse longè diversum, constabit ex dicendis. Idque attribuunt Authores lucro cessanti, ut ostendi in ea citata *disp.* 63. *cap.* 4. *num.* 44. *& seqq. cum Navarro, Cajetano, Armilla, & Azorio.* Quare existimo, non posse citari Authores pro hoc asserto, nisi expressè dicant, independenter à lucro cessante, & damno emergente, pecuniam pluris æstimari præsentem quàm futuram.

4. Pro-

4. Prosequitur *Caramuel num. 800: Ex hac sententia citati Authores probabiliter inferunt, posse chirographicas obligationes, & debita tametsi securissima, si solvenda post aliquod determinatum tempus, emi minoris, si parata pecunia; item posse debitorem minori pretio, dato tamen ante tempus, extinguere debitum majus, & postulo, an Deum communem habeamus, an privatum? Si igitur Deus noster aeque mutuatarii, ac mutuatoris judex est, utrũque eadem statera ponderabit. Ergò si centum aurei solvendi post annum possunt hodie extingui nonaginta quinque paratis; si mutuans nonaginta quinque dederit hodie sub onere, quod centum post annum restituantur, nihil adquisivit prater sortem; vel aequitas inaequalis est.* Et numer. seq. subjungit: *Usurarius est, quicumque accipit ultra sortem, unde si nonaginta quinque aurei parati centum dandis post annum aequivalent, qui nonaginta quinque hodie mutuat, & post annum centum recipit, usurarius non est; quia nihil suprà sortem accepit, esset tamen, si sub finem anni plures, quam centenos acciperet.*

5. In quibus verbis continentur tria argumenta, quibus intendit probare, non esse usuram, si quis mutuet, nonaginta quinq. aureos, obligans mutuatarium, ut post annum solvat centum. Primum est. Chirographum debiti solvendi post annum venditur minori pretio, quàm est summa chirographi, v.g. chirographum centum aureorum venditur nonaginta quinque numeratis: sed pretium justum aequivalet rei venditae: ergò chirographum centum aureorum solvendorum post annum, aequivalet nonaginta quinque: ergò qui mutuat nonaginta quinque, & petit, quod solvat mutuatarius centum post annum, petit aequivalens: petit ergo aequivalens sorti, & consequenter non petit aliquid ultra sortem.

6. Secundum argumentum est. Demus casum, quo Titius mutuarit Sempronio centum aureos solvendos post annum; pro securitate solutionis dedit Sempronius Titio chirographum, quo se obstrinxit solvere post annum eos centum. Titius tamẽ paulò post indiget eâ pecunia, ideòque venale facit illud chirographum pro minori pretio, puta pro nonaginta quinque. Accedit Sempronius, & emit suum chirographum pro illis nonaginta quinque. Cur enim excludendus erit à jurè, quo fruuntur reliqui emptores?

7. Tum sic. Justitia postulat, ut servetur aequalitas inter mutuatorem, & mutuatarium: sed nisi mutuator mutuans nonaginta quinque possit obligare mutuatarium ad solvendum post annum centum, non servatur aequalitas inter eos: ergò in eo casu potest obligare ad solvendum eos quinque pro centum. Probatur minor. Mam mutuatarius potest extinguere debitum suum solvendo anticipatè nonaginta quinque, & ideò lucrando quinque pro centum, ut constat ex ipsa casus propositione: ergò non servatur aequalitas, nisi mutuator possit etiam lucrari quinque pro centum.

8. Tertium aliorum fundamentum est. Nam ut dicitur in *l. Minus* ff. de regul. juris. *Minus est actionem habere, quam rem:* sed qui habet pecuniam praesentem habet rem; & qui pecuniam futuram, solum habent actionem ad illam: ergò quid minus est habere pecuniam futuram, quàm praesentem. Ergò mutuatarius, qui ac-

cepit mutuos centum aureos ,. & se obligat ad solvendos post annum eos centum aureos, ad aliquid minus se obligat, quàm est id , quod accipit. Ergó ut detur æqualitas , debet se obligare ad plus quàm centum.

CAPUT II.

Ostenditur falsitas propositionis damnatæ.

SUMMARIUM.

De Fide est,usuram esse illicitam,n.9.

Ideò est illicita,quia mutuator exigit à mutuatario pretium pro usu dominii ejus, num.10.

Si mutuo superaddatur alius contractus onerosus,pro hoc potest exigi pretium. Et ideò exigitur pro damno emergente , & lucro cessante,n.11.

Mutuatorem manere cum dominio morali,improbabile est, numer. 12.remissivè

Res usu consumptibiles sunt materia mutui. Est tamen discrimen inter pecuniam,& reliqua,n 13.

Prima demonstratio ex eo , quod in mutuo non considerατur utilitas mutuatoris,nu. 14.& seq.

Secunda demonstratio ex eo, quod sit usura recipere aliquid ultra sortem ex praciso contractu mutui,n.16.

*Quomodo nonaginta quinque præsentes, & centum solvendi post annum non sint æquivalentes?*n.17.& seq.

*An resultet contradictio ex opinatione Caramuelis?*n.20.

Tertia demonstratio ex eo , quod pecunia præsens non sit pretiosior absente respectu mutuatoris,n.21.& seq.

Quarta ex eo , quod hæc major æstimatio pecuniæ præsentis oritur ex lucro cessante, num.24 & seq.

Quinta ex eo,quod in mutuo dum mutuator servatur indemnis, nihil emolumenti potest ultra habere,n.26.

9. PRæmitto , esse de Fide, usuram esse illicitam. Constat ex Psalmo 14.*Domine,quis habitabit in tabernaculo,aut quis requiescet in monte sancto tuo?* Et inter alia respondet Propheta : *Qui pecuniam suam non dedit ad usuram.* Et Psalmo 54.usura numeratur inter vitia : *Non defecit de plateis ejus usura , & dolus.* Et Luc.cap.6.*Mutuum date , nihil inde sperantes.* Et ita definitur in Concilio *Viennensi clement.unic. de usuris.* §. *ultim.* & in Concilio *Nicæno conc.18.*& refertur in cap. *Quoniam* 14.*cap.4.*

10. Præmitto secundò , usuram nihil aliud esse, quam *Lucrum ex contractu mutui.* Rationem autem, quare in hoc contractu lucrum sit illicitum,esse; quia in contractu mutuo mutuator transfert dominium pecuniæ in mutuatarium:cùm ergò mutuatarius habeat dominum pecuniæ,nefas est,quod mutuator exigat à mutuatario pretium pro usu ; nam eo ipso quod habet dominium, habet usum,& habet jus utendi tali pecunia.

11. Et hinc infertur , quod si superaddatur contractui mutuationis alius contractus onerosus mutuatori potest exigere pretium ; cùm id lucrum non sit ex mutuo,sed ex alio contractu oneroso. Et hinc fit , quod quando mutuator dat mutuum cum damno emergente , vel lucro cessante,

cessante, superaddit novum contractum distinctum à mutuo; obligat enim se ad sustinendum illud damnum emergens, aut illam lucri cessationem; quod utrumlibet dignum est pretio.

12. Verum quidem est, *Caramuelem* asseruisse, mutuatorem remanere cum dominio morali pecuniæ numeratæ; quam assertionem ut sustineret, multa admittit improbabilia, ut manifestè ostendi in 3. *part. Chris. Theol. disp.6.cap.6.* per octo articulos.

13. Præmitto tertiò, res usu consumptibiles esse materiam mutui, v.g. pecuniam, frumentum, vinum, &c. sed cum hoc discrimine; quod pecunia non est materia emptionis, & venditionis; frumentum autem, vinum, oleum, &c. est materia mutuationis, & etiam potest esse materia emptionis, & venditionis. Et ideò quando datur triticum cum obligatione reddendi tantumdem, est mutuatio. Quando autem datur triticum pretio currenti, solvendū post semi-annum, est contractus venditionis tritici, & simul contractus, in quo mutuatur pecunia, quæ modò erat solvenda in venditione. Et ita ultra pretium justum tritici, non potest exigi lucrum absque labe usuræ.

14. Jam vero falsitas propositionis damnatæ demonstratur primò. Etenim quamvis in ordine ad alios contractus posset dici pecunia numerata esse pretiosior numeranda; in ordine ad contractum mutui, id non potest habere locum: ergò planè falsum est, quod eo titulo possit quis pacisci de lucro ultra sortem. Probatur antecedens: Nam in terminis mutuationis, & in ordine ad illam, non consideratur utilitas, quam posset habere mutuator, si non mutuaret; & quæ posset reddere pretiosiorem pecuniam præsentem, quàm futuram: tum quia si habenda esset in scrinio, non esset ei utilior præsens, quam futura; & si ei profutura esset ad lucrum, jam egredimur terminos contractus mutuationis, & regredimur ad contractum se obligantis ad lucrum cessans. Neque potest dici pretiosior pecunia præsens ex necessitate mutuatarii; quia si mutuator habiturus esset pecuniam in scrinio, ex sola necessitate mutuatarii, non est præcisè utilior, aut pretiosior mutuatori.

15. Itaque in statu præscissæ mutuationis consideratur pecunia præsens ut indifferens ad hoc, ut habenda esset in scrinio, & ad hoc, ut exponenda esset negotiationi à mutuatore; abstrahit enim ab utraque mutuatio. Hoc autem modo considerata non est utilior, atque adeò neque pretiosior mutuatori; si enim consideratur ut utilior mutuatori, jam non consideratur in statu præscissæ mutuationis, sed in statu obligantis se ad lucrum cessans. Similiter pecunia præsens in ordine ad mutuationem consideratur ut indifferens ad hoc, quod solvenda sit sine damno emergenti, & ad hoc ut solvenda sit cum illo: quod si consideretur pecunia absens, ut minus pretiosa mutuatori propter damnum emergens, jam egredimur fines mutuationis, & ingredimur viam alterius contractus, quo se obligat mutuator ad subeundem damnum emergens, qui novus contractus est pretio æstimabilis.

16. Demonstratur secundò. Nam recipere aliquid ultra sortem in præscisso contractu mutui, & secluso omni alio contra-

ctu, est usura: sed propositio damnata admittit aliquid ultra sortem in præscisso contractu mutui, & secluso omni alio contractu: ergò admittit usuram tamquam licitam; atque adeò manet damnabilis.

17. Respondet *Caramuel* eum, qui dat nonaginta quinque, ut post annum recipiat centum, non recipere aliquid ultra sortem; quia recipit æquivalens: nam nonaginta quinque præsentes, & centum solvendi post annum sibi æquivalent, eo quod plus valet pecunia præsens, quam absens.

18. Sed *Caramuel* abutitur eo termino *ultra sortem*, cujus significatio non pendet ex privata unjuscujusque usurpatione, sed ex acceptione communi. Juxtà quam nomine sortis intelligitur ea quantitas materialis, quæ mutuatur, scil. *nonagintaquinque*. Et quidquid solvitur ultra nonaginta quinque, solvitur ultra sortem.

19. Deinde quia si in eo casu mutuator non reciperet aliquid ultra sortem propter eam æquivalentiam; etiam concurrente lucro cessante, & damno emergente, non posset recipi aliquid ultra sortem. Patet: Nam centum mutuati, & quinque superadditi propter lucrum cessans, & damnum emergens, æquivalent centum mutuatis: sed per te æquivalentia facit, quod illud superadditum non dicatur esse ultra sortem: ergò neque ex lucro cessante, neque ex damno emergente recipitur aliquid ultra sortem. Cùm ergo hoc sit falsum, inde colligitur, quod, cum dicitur id verbum *ultra sortem*, non debet attendi æquivalentia sed illa materialis pecunia, quæ re ipsa traditur, & ea, quæ superadditur.

20. Sed annuamus *Caramueli*, & admittamus eam majorem æstimationem pecuniæ præsentis, quàm futuræ. Tum sic: quando solvit mutuatarius, solvit pecuniam præsentem, & consequenter pecuniam, nempè nonaginta quinque, quæ habet jam tantam æstimationem, quantam habuit pecunia eo tempore, quo mutuata est: ergò si mutuator velit accipere centum, accipiet quinque ultra sortem sic æstimatam. Ex quo ulterius sequitur, resultare implicationem contradictionis ex ea sententia *Caramuelis*: nam juxtà illam quia mutuatori est pretiosior pecunia præsens, dum mutuat alteri nonaginta quinque, mutuatarius manet obligatus ad centum; & quando mutuatarius solvit, cessat obligatio dandi centum, quia solvit pecuniam præsentem: quæ est manifesta contradictionis implicatio.

21. Demonstratur tertio. Etenim ut possit mutuator petere centum pro nonaginta quinque numeratis, eo titulo quod pretiosior sit numerata, quàm numeranda, ea pecunia numerata debet considerari ut pretiosior, & utilior respectu mutuatoris: sed respectu mutuatoris non est necessario pretiosior, & utilior: ergò eo titulo non potest exigere centum pro nonaginta quinque numeratis.

22. Minor est manifesta ex dictis. Nam si mutuator habiturus esset in scrinio servatos eos nonaginta quinque, nulla inde utilitas illi resultaret: ergò non est illi necessario utilior. Quod si de facto illi esset utilior ea pecunia, quia re vera esset lucraturus per eam, jam ratione lucri cessantis posset petere eos quinque pro centum; non vero ex præcissa ratione pecuniæ æstimabilioris.

23. Major

23. Major verò prioris syllogismi patet: non enim potest petere quinque pro centum, exeo quod ea pecunia sit aliis utilior, sed quia sibi est utilior: ergò ut possit petere eos quinque pro centum, ea major æstimabilitas, & utilitas debet considerari talis respectu ejus, qui mutuaturus est pecuniam numeratam.

24. Demonstratur quartò, eo argumento, quoad similem assertionem usus sum in ea *disp. 63. cap. 4.num. 38.* Da casum, quo Petrus indigens pecuniâ ad negotiationem, hoc non obstante mutuat Joanni per annum centum aureos, & id lucrum cessans valeat quinque aureos juxta communem æstimationem, & suppono, nullum aliud damnum emergere, nullum esse periculum sortis. Et interrogo, an Petrus debeat recipere quinque aureos pro eo lucro cessante; & alios quinque ratione majoris æstimabilitatis pecuniæ numeratæ præ numeranda? Si negas, infero: ergò iste valor pecuniæ numeratæ omninò oritur à lucro illo alias habendo, & nunc cessante; neque est titulus diversus ab illo: ex quo fit, illum majorem valorem pecuniæ numeratæ talem esse, propter lucrum aliàs habendum, & nunc in mutuatione cessans.

25. Si verò dicas, Petrum recepturum esse quinque ratione lucri cessantis, & alios quinque ratione majoris valoris pecuniæ numeratæ; contra est: nam in eo casu totus excessus valoris, qui est in pecunia numerata, est, quia pecunia numerata futura esset utilior Petro, dando ei lucrum: quod non potest dare hoc anno pecunia numeranda post annum: ergò is non est titulus distinctus ab eo lucro, quod modò cessat in mutuatione: ergò si non est novus titulus, non potest esse novum augmentum prœmii.

26. Demonstratur quintò. Nam in contractu mutui dum servatur omnimoda indemnitas mutuatoris, nihil emolumenti ultra potest inde habere mutuator, ad hoc ut contineat se intra terminos mutui absque labe usuræ, ut omnes Doctores unanimiter docent: sed quando mutuator habiturus erat pecuniam otiosam, & in scrinio conclusam; & ex mutuatione nullum damnum, nullumve periculum imminet, quantumvis dicatur ea pecunia numerata ex se pretiosior, quàm numeranda, servatur omnimoda indemnitas mutuatoris, ut ex terminis evidens est: ergò quando mutuator habiturus esset eam pecuniam otiosam, & sine periculo detrimenti, quantumvis dicatur pecunia numerata esse pretiosior numeranda; nihil emolumenti ultrà sortẽ potest in se habere mutuator.

CAPUT III.

An subjacet damnationi opinio docens, chirographa debitorum vendi posse minori pretio?

SVMMARIVM.

Licitum est vendere chirographa minori pretio, ratione lucri cessantis, & damni emergentis. n. 28.

Aliqui docent, independenter à prædictis titulis posse vendi minori pretio. n. 30.

Quod ea opinio subjaceat damnationi, aliqua fundamenta probare videntur. n. 31. & seq.

Ea opinio non damnatur exprese. n. 33.

Neque damnatur virtualiter; cùm non sit antecedens inferens propositionem damnatam, num. 34.

Chirographũ est materia emptionis, & venditionis, non autem pecuniæ. ibid.

Solvuntur fundamenta pro opposita sententia. num. 36.

27. Vidimus, *Caramuelem* ex chirographis debitorum venditis minori pretio desumere argumentum ad inferendum, eum, qui mutuat nonaginta quinque ad annum, posse exigere, quod solvantur centum. Et ideò inquirendum est, an ea opinio de venditione chirographorum facta minori pretio contineatur expresse sub hac damnatione; vel saltem damnetur virtualiter, quatenus antecedens evidenter inferens propositionem damnatam.

28. Pro cujus claritate advertendum est, dupliciter intelligi posse eam opinionẽ. Primò, ita ut doceat, licitum esse vendere ea chirographa minori pretio ratione lucri cessantis, vel damni emergentis, sive periculi, aut diminutionis. Et hoc modo certum est, licitam esse eam emptionẽ, & venditionem chirographorum, ut concedit communis sententia Doctorum, & ut certum supponit *P. Lessius de justit. cap. 21. dubit. 8. num. 65. & Lugo Card. tom. 2. de just. disp. 26. sect. 7. n. 93.* & alii apud ipsum.

29. Secundò potest intelligi, ita ut seclusis lucro cessante, & damno emergente, & quovis alio periculo, aut difficultate, possint ea chirographa vẽdi minori pretio.

30. In qua quæstione est opinio aliquorum, ea chirographa vendi posse minori pretio independenter à lucro cessante, &c. quam docent *Cajetanus, Armilla, Rosella, Conradus, Palacio, Azor, Sa,* & alii apud *Lugo Card.* citatum.

31. Videbitur alicui, hanc opinionem contineri sub ista damnatione. Nam Authores hujus opinionis eo nituntur fundamento, quod pecunia numerata pretiosior est numeranda: sed hæc propositio damnatur expresse: ergò & illa opinio, quæ in ea nititur, tamquam in fundamento.

32. Secundò, quia licet demus, non expresse damnari, videtur dicendum, illam virtualiter damnari. Omne enim antecedens, ex quo evidenter infertur propositio damnata, manet virtualiter damnatum, ut sæpius ostendimus: cùm ex antecedenti vero non possit inferri consequens falsum; & bene valeat à contradictorio consequentis ad contradictorium antecedentis: sed opinio, quæ docet, ea chirographa posse vendi minori pretio independenter à lucro cessante, &c. est antecedens evidenter inferens eam propositionem damnatam: ergò talis opinio manet virtualiter damnata.

33. Dicendum tamen est primò, eam opinionem de venditione chirographorum minori pretio facta non damnari expresse. Id patet ex ipso contextu decreti, ubi propositio damnata non loquitur de contractu emptionis, & venditionis, sed solùm de contractu mutui.

34. Dicendum est secundò, eam opinionem neque virtualiter manere damnatam. Ratio est manifesta: quia non est antecedens evidenter inferens propositionem damnatã. Primò, quia non nititur eo fundamento tamquam adæquata ratione, quod pecunia numerata est pretiosior, quàm numeranda, sed etiam, quia etiam chirographum debiti est materia contractus emptionis & venditionis. Ex utraque enim parte consituitur ratio fundamentalis ejus opinionis, ita ut neutra seorsim sit sufficiens fundamentum. Et ideo non infert propositionem damnatam, scilicet quod sit licitum recipere in mutuo aliquid ultrà sortem: nam in mutuo pecunia non vendi-

venditur; in chirographo autem actio ad pecuniam capax est venditionis, quia actio ad pecuniam non est pecunia.

35. Et hinc desumitur secunda probatio. Nam ea positio, quod pluris æstimatur pecunia numerata, quàm numeranda, licet subsistere possit in ordine ad vendendum actionem ad pecuniam, quæ actio vendibilis est; non tamen subsistit in ordine ad transferendum præcisè dominium pecuniæ propter argumenta capite superiori instructa. Ex quo manifestum fit, opinionem de vendendis chirographis debitorū minori pretio, non esse antecedens evidenter inferens opinionē damnatam.

36. Ad argumenta proposita in ratione dubitandi constat ex dictis. Ad primum, illam rationem de majori æstimatione pecuniæ numeratæ præ numeranda, non esse fundamentum adæquatum ejus opinionis; adæquatum autem fundamentū ejus non habet locum in opinione damnata. Ad secundum respondeo, eam opinionem de chirograhis vendendis minori pretio nullo modo esse antecedens evidenter inferens propositionem damnatam propter dicta.

CAPUT IV.

Quæ opinio tenenda sit circa chirographa vendenda minori pretio?

SUMMARIUM.

Non possunt vendi chirographa nisi ratione lucri cessantis, vel damni emergentis. n. 37

Authores hujus sententiæ. num. 38.

Prima probatio hujus sententiæ. num. 39.

Secunda probatio desumpta ex inæqualitate pretii. num. 40.

37. Dixi cap. superiori, eam opinionem, de chirographis vendendis minori pretio, non subjacere huic damnationi; restat modò inquirere, an ea opinio vera sit. In qua quæstione assero, censeri à me falsam esse sententiam, quæ docet, independenter à lucro cessante, & damno emergente, & ab aliis periculis, & difficultatibus chirographa debitorum posse vendi minori pretio; censeo enim totam rationem propter quam minoris æstimantur chirographa debitorum, esse lucrum cessans aut damnum emergens, sive difficultates, & pericula obtinendi solutionem; & præterea cùm venditor rogat emptorem, ut chirographum emat. Hoc ultimum additur, quia commune est inter Doctores quasi axioma, quod *merces ultroneæ vilescunt pro tertia parte*. Sic *P. Lessius de just. cap. 21. dubit. 4. num. 33.* & apud ipsum *Cajet. 2. 2. quæst. 77. art. 1. Ioannes de Medina quæst. 32. Covarrub.. lib. 2. variar. cap. 3. num. 5. Navarrus in summa cap. 23. num. 78* item *Lugo Card. tom. 2 de just disp. 26. sect. 4. num.* 45. & apud ipsum *Palacios*, & *Salas*.

38. Quod autem ea chirographa non possint aliter vendi, scilicet independenter ab his titulis, propugnant *P. Lessius* ubi suprà *dub. 8. n.* 14. pro qua sententia refert *Medinam, Sotum, Sylvestrum, & Gabrielem* Item *Lugo Card.* ubi suprà *sect. 7. num* 96. ubi ultra relatos refert *P. Molinam tom. 2. de Iust. disp 361. & P. Salas de empt. & vendit. dub. 39.* & *de usuris dub. 27. num.* 4. item apud *Dianam part. 1. de contract resol. 49. Reginaldus, Valencia, Turrianus, & Rebellus.*

39. Probatur primò. Nemo enim, nisi stolidus, vendit minori pretio chirographum ejusmodi, si non eget illâ pecuniâ, sed habiturus est asservatum in scrinio,

si

tur chirographum, non æquivalet ipsi chirographo, & summæ aureorum in ipso contentæ. Et hinc patet, negandas esse consequentias subsecutas.

42. Hæc quidem ita sunt juxta meam sententiam traditam cap. 3. habet tamen ea argumentatio majorem vim juxtà oppositam opinionem, quæ docet independenter à lucro cessante, & damno emergente,& reliquis circumstantiis relatis,posse ea chirographa vendi minori pretio. Adhuc tamen juxta hanc opinionem responderi potest, distinguendo minorem, claritatis gratiâ: nam pretium justum æquivalet rei venditæ (in ordine ad contractum emptionis,& venditionis) concedo (in ordine ad contractum mutui,) nego; vel potiùs nego suppositum, quod in ordine ad contractum mutui detur pretium. Itaque quia chirographum est venale, respectu illius illud pretium minus est æquivalens chirographo; cùm autem mutuum non sit vænale,ideò neque capax est pretii; atque adeò non potest respectu illius esse pretium æquivalens.

43. Ad secundum respondeo, Sempronium fore usurarium, si sponte suâ velit solvere anticipatè Titio mutuatori(non petenti anticipationem) suum debitum minori pretio. Et ratio est: quia anticipata solutio est quædam remutuatio tacita; quia pecuniam, quæ sua erat usq ad complementum, iterum dat transferendo dominium in primum mutuatorem; & ideò si vult extinguere anticipatè debitum minori pretio,vult habere lucrum ex mutuo; atque adeò committit crimen usuræ.

44. Quod si Titius necessitate pressus petat anticipatam solutionem, poterit Sempronius solvere minori pretio, si lucrum cesset, non aliter: nam sola necessitas Titii superveniens non est titulus sufficiens,ut Sempronius accipiat lucrum ex mutuo. Quod si Titius petat anticipatam solutionem ex necessitate negotiandi per illam pecuniam, poterit Sempronius extinguere debitum minori pretio, ex solo contractu societatis, & assecuratione lucri. Nam quia Titius vult habere lucrum ex negotiatione, vult Sempronius particeps fieri emolumenti resultantis ex illa negotiatione; & quia incerta est quota emolumenti futuri, per modum assecurationis exigit illa quinque v.g.pro centum.

45. At (ut propius accedamus ad formales terminos expressos in argumento) assero, si Titius exponat venale chirographum, quo se obligavit Sempronius mutuatarius, non licere Sempronio emere minori pretio chirographum, si exponitur vænale propter difficultatem recuperandi pecuniam mutuatam; quia mutuatarius tenetur ex justitia auferre eam difficultatem. Si verò non exponitur vænale ob eam difficultatem, neque ob aliam causam, quæ sit ex parte Sempronii, sicut possunt alii emptores, ita Sempronius poterit illud emere eo minori pretio, quo ab alio emendum erat.

46. Quando autem dicitur in argumento, non servari æqualitatem inter mutuatorem, & mutuatarium, eò quod mutuatarius potest extinguere debitum centum aureorum per nonaginta quinque aureos, &,ut nos asserimus, non potest mutuator imponere onus centum aureorum, per mutuationem nonaginta quinque aureorum; negandum est, in eo reperiri ullam inæqualitatem contra justitiam. Etenim mutuatarius non potest extinguere

debitum minori pretio intra contractum emptionis, & venditionis, in casu supradicto, in quo potest emere chirographum suum minori pretio, sicut reliqui emptores. Quo pacto nulla est inæqualitas inter mutuatorem, & mutuatarium; quia non potest mutuatarius extinguere debitum minori pretio, nisi egrediens à contractu mutui, & transiens (de consensu mutuatoris) ad contractum emptionis, & venditionis.

47. Ad tertium respondeo, verissimum esse, quod *minus est, actionem habere, quàm rem*; minorem etiam esse veram, quod qui habet pecuniam præsentem, habet rem, & qui futuram, solum habet actionem: deinde vera est consequentia, scilicet minus esse habere pecuniam futuram, quàm præsentem. Sed non propterea ipsa pecunia futura est quid minus, quàm præsens: nam si mutuator habiturus esset illam in scrinio, ex mutuatione illius non haberet minus, si tamen solutio esset omini modo secura: & quamvis actio ad illam futuram sit quid minus, pecunia autem non est quid minus: quia mutuatarius manet obligatus ad tantundem pecuniæ reddendum.

CAPUT VI.

An excusetur quis à crimine usuræ propter debitum gratitudinis?

SUMMARIUM.

48. PRopositio 42. ex damnatis hæc est: *Usura non est, dum ultra sortem aliquid exigitur, tamquam ex benevolentia, & gratitudine debitum; sed solum si exigatur, tamquam ex justitia debitum.* Non defuerunt authores, & satis multi, quibus arriserit ea opinio damnata, quorum placita examinare non vocat. Multos citat *Amadeus Guimenius, tract. de usur. prop. 1. num. 10. & Diana part. 1. tract. 8. resol. 62. part. 11. tract. 7. resol 29.*

49. Certum est, qud hæc damnatio non loquitur de mutuatario, qui postquam accepit mutuum, nullo interveniente pacto explicito, vel implicito, ex gratitudine offert munus aliquod mutuatori. Quod satis clarè colligitur ex illis verbis: *Ultra sortem aliquid exigitur.* Supponimus enim in eo casu, mutuatorem illud signum gratitudinis non exegisse.

50. Et

50. Et quidem argumentum, quod suffragari videtur propositioni damnatæ, hoc est. Etenim non est usura, mutuare exigendo, ut mutuatarius impleat obligationem, quàm habet; sic enim non est usura, quod mutues Petro mille aureos cum onere, ut restituat tibi debitum liquidum, & certum: neque quod mutues Joanni centum cum onere, ut audiat Missam in die festo; quia nullum novum onus illi imponis. Sed mutuatarius habet obligationem antidoralem, per quam debet se exhibere gratum beneficio mutuationis: ergò non erit usura, si mutues cum onere, ut impleat eam obligationem.

51. Ego tamen semper reputavi improbabilem eam opinionem nuper damnatam. Probatur primò. Nam petere quinque pro centum mutuatis, & exigere illa tamquam debita ex gratitudine, si attentè perpendatur, videtur modus riduculus palliandi usuram. Quod explico per hunc casum. Titius vir nobilis habet equum generosum, qui æstimatur quingentis aureis. Accedit ad illum Sempronius postulans, ut vendat sibi illum equum. Respondet Titius, viros nobiles non esse mercatores, qui vendant, quod emerunt: se tamen velle dare equum Sempronio non venditum, sed dummodo det illi quingentos aureos ex mera gratitudine. Quis non rideret, qui hæc audiret? & meritò sanè: quia quantumvis dicatur peti ex gratitudine quingentos aureos, revera esset pretium equi. Et ego inquiro, quodnam discrimen intercedat inter hunc Titium dantem equum pro quingentis aureis datis ex gratitudine; & mutuatorem, qui petit quinque pro centum datos ex gratitudine. Sic etiam qui prohibentur emere, & revendere frumentum, cùm valet quinquaginta argenteis, possent fraudem facere legi dicentes, se non vendere, sed dare frumentum, ut sibi ex gratitudine conferant quinquaginta argenteos in unamquamque frumenti mensuram. Quod esset satis ridiculum.

52. Probatur secundò. Nam qui petit quinque aureos pro centum mutuatis, dandos ex gratitudine, imponit novum onus ultra obligationem antidoralem, quam habet mutuatarius: ergò is mutuator usurarius est. Hæc consequentia patet. Nam tota ratio, ob quam illi Authores excusabant mutuatorem ab usura, erat, quia sic non imponebat novum onus, ultra obligationem antidoralem, quàm habet mutuatarius, ortam ex beneficio sibi dato.

53. Probatur antecedens. Obligatio antidoralis, quàm habet mutuatarius, non determinat tantam quantitatem, v.g. quinque pro centum; cùm ea obligatio sit juris naturalis, & jus naturale non determinet talem quantitatem, sicut neque ullam aliam: & mutuator determinat eam quantitatem quinque aureorum pro centum: ergò mutuator superaddit onus, quod non affert ex se obligatio illa antidoralis.

54. Dices, posse mutuatorem petere, ut solvat sibi ex gratitudine aliquam quantitatem, non determinando quotam; quo pacto enervatur vis argumenti, quæ consistit in eo, quod obligatio naturalis antidoralis non determinat quantitatem.

55. Sed contra est probatiò tertia. Nam obligatio antidoralis nõ obligat mutuatarium ad hoc, quod det aliquod donum ma-

CAPUT VII.

Appendix. Quid sentiendum de praxi Mercatorum Hispalensium in usu mutui

SUMMARIUM.

Praxis Mercatorum Hispalensium circa pecunias mutuatas, exigendi duodecim pro centum, n.60.

Primus titulus dicitur esse difficultas recuperandi sortem, quæ reducitur ad damnum emergens, n.61.

Qui censeant, non posse recipi pretium propter periculum sortis, nisi cum effectu damnum emergat? n.62.

Opposita opinio communis est, & verior, numer.63.

Secundus titulus est lucrum cessans, numer.64.

Tertius titulus est contractus trium contractuum, nempè societatis, assecurationis lucri, & assecurationis sortis, numer.65.

Hunc contractum triplicatū admittit communis sententia, n.66.

Concurrentibus his tribus titulis, exigunt Mercatores decem, vel duodecim pro centum, n.67.

Quando deficit aliquis ex his tribus titulis, injustum est recipere duodecim procentum, n.68.

Deficit contractus trium contractuum, cum quis dat pecuniam non negotiaturo, numer.69.

Responsio quorumdam ex eo, quod cessat lucrum de duodecim pro centum, numer.70.

Ad computandum lucrum cessans, non est attendendum, quid posset lucrari, sed quid re ipsa esset lucraturus, numer.71.

In eo casu certum est, quod ille inveniet, qui promittat duodecim pro centum; sed non est certum, quod integre solvetur pecunia promissa, n.72.

Ex duodecim pro centum singulæ partes singulis titulis correspondent, n.73.

Illud lucrum cessat in eo casu cum incertitudine. Et quid inde pro conclusione? num. 74. & seqq.

Qui dat pecuniam non negotiaturo, quam alias habiturus erat in scrinio, deficiunt ei duo tituli ex numeratis, numer.76.

Qui dat pecuniam cum pacto de duodecim pro centum, & de anticipata solutione pramii, peccat contra justitiam, numer.77.

Qui dat pecuniam accipiens pignora auri, & argenti, non potest accipere duodecim pro centum, n.78.

60. PRaxis est recepta inter Mercatores Hispalenses, cum dant pecunias mutuo, exigere decem, aut etiam duodecim pro centum: & pro assecuratione sortis, & lucri accipiunt pignora aurea, vel argentea æquivalentia. Quomodo autem hæc componantur ad amussim justitiæ, varia fuerunt Theologorum placita, approbantibus aliis, & aliis reprobantibus.

61. Et pro justitia ejus praxis multos allegant titulos. Primus est, difficultas recuperandi sortem. Et quamvis videatur assecurari recuperatio sortis per pignora deposita apud mutuatorem; adhuc

per hæc non fit totalis securitas:quia plerumque pignora sunt aliena, & siquidem commodata essent à dominis pignora ad hunc effectum securitatis, obligata manerent pignora; sed quandoque contingit, ut mutuatarius petat sibi commodari ea pignora, cœlando finem assecurationis pecuniæ, & ita quando causa deducitur ad judicium,dominus pignoris probat, illud pignus esse suum, & opignoratum esse ipso inscio, & tunc Judex præcipit pignus restitui domino & mutuator manet absq; ea securitate.Et sub hoc primo titulo continentur sumptus,qui impēduntur pro recuperatione pecuniæ in judicio. Item defectus fidejussoris. Imò & obligatio fidejussoris solet plerumque tenuem afferre securitatem:solet enim fidejussor se defendere,ex debitis anterioribus, aut ex dote uxoris. Qui titulus reducitur ad damnum emergens, utpotè periculum non recuperandi sortem, aut non recuperandi totam summam. Huc etiam pertinet contingentia mortis mutuatarii, quando rationabiliter timentur multæ, quæ insurgunt, lites super mutuo recuperando.

62. Sciendum tamen est, non deesse graves Doctores, qui negant, licere mutuatori accipere aliquid ultra sortem propter periculum amittendæ, aut minuendæ sortis, nisi cum effectu damnum acciderit.Ita *Sotus,Conradus, Ludovicus Lopez,Toles,Bannez,Rebellus, Palacios, Garcia,Ioannes de la Cruz,Gutierrez,Reginaldus, & Menochius, ut refert. P.Gibalinus part.1.de usuris,& foro Lugdunensi, lib.2. cap.4.art.1.*

63. Sed communis, & recepta sententia est,quàm exposui. Et ita tenet *P.Gibalinus* ibidem, & apud ipsum *Ioann. de Medina,Corduba.Aragon,Salon,Valencia, Sa,Molina,Lessius Navarra, Salas, Castro Palao,Rodriguez,Azor,Gabriel*, *Bonacina,Filluctius,Malderus,Lugo, Turrianus,Diana,Layman; cui videtur suffragari S.Thom opusc 73.de usuris, capit.10. Consule P.Gibalinum*, qui hanc materiam tractat pro dignitate.

64. Secundus titulus est lucrum cessans. Et siquidem Mercator est, qui mutuat,frequenter verificatur is titulus; cùm Mercator numquam habeat otiosam suam pecuniam. Sunt tamen aliqui, qui non exercent hoc munus Mercatorum, sed habent quantitatem pecuniæ eo solo fine, ut mutuent cum lucro. De quibus infrà erit sermo.

65. Tertius titulus ad habendum id lucrum ex pecunia data negotiatori, est contractus trium contractuum. Nam qui dat pecuniam lucraturo vult particeps esse ejus lucri, ideòque init cum eo contractum societatis, ita ut alter pecuniam,alter industriam conferat. Deinde is, qui confert pecuniam, quia nescit quantum lucrum resultabit, contentus est quadam quota mediocri; & ideò init cum eo contractum assecurationis ejus lucri.Deinde, quia vult semper salvam sortem pecuniæ,quàm confert,init contractum assecurationis sortis. Et ita ex hoc contractu trium contractuum accipit lucrum moderatum,salva sorte.

66. Esse licitum, & securum hunc contractum triplicatum, efficacissimè, & latissimè probat *P. Iosephus Gibalinus tom.* 2. de usuris,& commerciis fori *Lugdunensis, toto lib.6.* & citat.pro hac sententia *capit.3.art.1. Ostiensem, Ioannem Andre-*

Andream, Angelum, Sylvestrum, Armillam, Tabiennam, Gabrielem, Ioannem Echium, Angles, Medinam, Toletum, Valenciam, Garciam, Lessium, Molinam, Ludovicum Lopez, Laymanum, Castro Palaum, Bonacinam, Homobonum, Malderum, Megalam, Lugo Cardinalem, Scortiam, Reginaldum, Solonium, Filliucium, & Dianam. Additque Gibalinus hæc verba : [In eamdem sententiam consensisse Romanos Theologos ad hanc controversiam agitandam coactos an. 1581. refert Valencia, qui præsens interfuit : atque passim communi ferè consensu doceri à Theologiæ professoribus per Italiam, Galliam, Germaniam, & Hispaniam testatur Lessius loco citato *de just. cap. 1. 25. dub. 3. numer. 23.*] Hæc *Gibalinus, qui capit 6. consectar. 7. numer. 11.* refert se consuluisse *P. Theophilum Raynaudum* tunc Romæ commorantem, tum ut suam sententiam explicaret, tum ut circa hoc punctum Theologos Romanos consuleret : quod præstit *P. Theophilus* in quadam Epistola ibidem inserta multis confirmans hanc sententiam, & consulens Romanos Theologos, qui pro eadem sententia suffragium suum tulerunt, *Ioannes Baptista Lezana*, *Antoninus Diana, P. Nicolaus Baldellus*, & *P. Petrus Salernus*, viri ex præstantia doctrinæ doctissimi.

67. Ex his tribus titulis accipiunt Mercatores ex sua pecunia data id lucrum, nempè decem, vel duodecim pro centum; eo quod sit quasi pretium commune negotiatorum judicio taxatum. In quo genere aliqua fiunt, quæ apertè sunt contra justitiam, quæ manifestari oportet, ut ab illis caveatur, & in quo etiam aliqui Theologi peccant consulentes id pretium sine distinctione, concurrentibus circumstantiis valde diversis.

68. Igitur non esse universaliter licitum, danti pecuniam suam pro tempore unius anni, recipere duodecim pro centum, mihi compertum est. Etenim quia concurrunt tres tituli præfati, communi negotiatorum judicio taxatum est id lucrum, nempè duodecim pro centum. Ergò quando deficit aliquis ex his titulis, non possunt recipi duodecim pro centum. Sicut si frumentum optimæ qualitatis valet triginta argenteos; quando frumentum caret ea optima qualitate, non potest tantumdem valere.

69. Et quidem sæpè deficit aliquis ex his titulis, & tamen dans pecuniam suam, vult tantundem lucrum sibi adquirere. Et primò quidem deficit hic contractus trium contractum, quando quis dat pecuniam suam ei, qui non est negotiaturus, neque lucraturus per eam. Nam qui hanc pecuniam alienam petit, solet esse vir nobilis, qui illâ eget ad sustentationem suam, & suorum; vel Abbatissa alicujus monasterii, ne sanctimonales fame pereant; & sic in similibus : ergò si isti non lucraturi sunt per eam pecuniam, quomodo ille, qui dat pecuniam, init societatem in ordine ad lucrum, quod non subsistit? In eo ergo casu qui dat pecuniam non lucraturo, non potest accipere lucrum, quod correspondet contractui trium contractuum; sed solum, quod correspondet lucro cessanti, aut damno emergenti, aut utrique, si utrumque subsistit. Ergò si cum tribus præfatis titulis accipiuntur duodecim pro centum; cùm deest ille unus titulus, non licèt accipere duodecim pro centum.

70. Respondent, in hoc casu cessare

totum

totum lucrum de duodecim pro centum, & ideò posse accipere ab isto mutuatario illa duodecim pro centum. Quod autem totum illud cessaret, inde probant; quia si non mutuarent isti mutuatario mutuarent alteri ex negotiaturis, à quibus potest licitè accipere duodecim pro centum.

71. Sed est adhuc aliquid aliud considerandum, quia ad computandum lucrum cessans, non debet attendi, quod posset invenire aliquem ex lucraturis, qui acciperet illud mutuum; alioquiille, qui habiturus esset pecuniam suam asservatam in scrinio, posset petere lucrum cessans; quia potuisset negotiari per pecuniam illam, quàm servat: sed attendi debet, quod re vera inventurus esset illum. Quod autem illum esset inventurus, non potest esse omninò certum; satis erit, si sit probabile. Quomodo ergo potest petere totos duodecim pro centum, si non est certum, quod inventurus sit aliquem ex lucraturis, qui velit accipere eam pecuniam sub eo præmio de duodecim pro centum? Poterit ergo recipere aliquod præmium, majus, vel minus pro majori, vel minori fundamento probabilitatis, sed non totum præmium de duodecim pro centum.

72. Deinde ex alio capite fit incertum, quod suum lucrum cessans esset de solis duodecim; quamvis re ipsa inventurus esset, qui acciperet eam pecuniam ad negotiandum. Quamvis enim certum sit, quod inveniet negotiatorem, qui promittat duodecim pro centum; non tamen est certum, quod integrè soluturus sit, ob varias lites, quæ pullulare solent in recuperatione sortis. Alioqui si propter solum id lucrum cessans posset recipere duodecim; posset aliquid aliud accipere propter damnum emergens, sive propter periculum, quod subit, atque adeò jam non duodecim sed quindecim, aut sexdecim; quod est absurdum.

73. Pro cujus rei claritate advertendum est, ex his duodecim, partem correspondere damno emergenti, partem lucro cessanti, partem contractui trium contractuum. Supponamus ergò (& hæc non est mensura ad æqualitatem, sed assumpta ad explicationem hujus materiæ) ex duodecim quatuor correspondere damno emergẽti, quatuor lucro cessanti, & quatuor contractui trium contractuum. Assero ergo, hæc quatuor postrema non posse exigi à mutuatario non negotiaturo; quia respectû ejus non habet locum contractus trium contractuum.

74. Dices, certum esse, quod mutuatori (impropriè vocatur mutuator, qui exigit pretium pro lucro cessante, &c.) cessat lucrum de duodecim pro centum, quod acciperet, si mutuaret negotiatori. Et ego dico, certum esse, quod talis negotiator promittet duodecim pro centum; sed quod re ipsa mutuator habebit illud lucrum, incertum est. Et ideò, quando inter negotiatores fit ille contractus de duodecim pro centum, non paciscuntur de lucro cessante, tamquam de *tanto* alias futuro; sed propter incertitudinem alias futuri lucri ex illis duodecim, quatuor tantum correspondent lucro cessanti.

75. In nostro ergo casu, in quo quis mutuat illi, qui non est negotiaturus, non cessat illi totum lucrum de duodecim propter incertudinem lucri re ipsa adquirendi; sed eodẽ modo cessat cum simili incerti-

tudi-

tudine, ac quando is contractus versatur inter negotiatores. Unde si quando fit contractus iste inter negotiatores, ex illis duodecim, quatuor correspondent lucro cessanti; eodem modo quatuor correspondebunt lucro cessanti, quod fieret inter negotiatorem, & non negotiatorem. Imò insuper addo, in eo casu, ut jacet, illum nihil posse accipere ratione lucri cessantis: quia non cessat illi lucrum, nisi iniquum, dum habet intentionem mutuandi pecuniam cum onere de duodecim pro centum, etiam non negotiatoribus. Et hæc quidem intelliguntur in communibus circumstantiis; aliæ enim circumstantiæ possunt concurrere, quæ vel minuant, vel augeant spem lucri cessantis.

76. Secundò, si ille, qui dat pecuniam non lucraturo, habiturus erat suam pecuniam in scrinio, non lucraturus; jam illi deficiunt duo tituli ex præfatis ad adquirendum lucrum; deficit enim titulus lucri cessantis, & etiam contractus trium contractuum: peccat ergo gravissimè contra justitiam cum onere restitutionis, si petit à mutuatario duodecim pro centum, imò & multo minus.

77. Tertiò. Aliter delinquunt alii contra justitiam, v.g. Titius petit pecuniam à Sempronio ad annum, & fit pactum, ut solet, de duodecim aureis pro centum, sed cum ea conditione, ut Titius anticipatè solvat eos duodecim. His ita compositis, cùm Sempronius offert Titio centum aureos, illos numerat, & ex illis assumit sibi anticipatè eos duodecim. In quo casu cum deberet Sempronius accipere duodecim pro centum, accipit duodecim pro octoginta octo, quod idem est recipere ferè quatuordecim pro centum. Manet ergo Sempronius cum onere restituendi; etiãsi tres tituli præfati illi suffragentur. Quod expressè notavit. *P. Lessius de just. cap. 20. dub. 11. n. 99.*

78. Quartò. Pretium taxatum communi æstimatione Mercatorum, & negotiatorum non potest esse æquale, cum dantur pignora auri, vel argenti; atque quando non dantur mutuatori à mutuatario (impropriè utimur his nominibus, cùm præmium non detur pro mutuo, sed pro aliis contractibus, qui admiscentur) sed non datis pignoribus à mutuatario, dantur pro præmio duodecim pro centum: ergó datis pignoribus, non possunt dari pro præmio duodecim pro centum. Et idem est, cùm mutuatarius dat fidejussorem. Quod quidem intelligendum est, quando constat pignora esse secura, vel quia constat illa non esse aliena; vel si aliena sunt, data esse à vero Domino ad oppignorandum illa. Et similiter, quando constat fidejussorem esse locupletem, quantum sufficit ex communi existimatione ad securitatem solutionis.

DISSERTATIO XXVI.

An liceat imponere falsum crimen alicui, pro defensione proprii honoris, aut famæ?

CAPUT I.

Referuntur duæ opiniones damnatæ, & præmittuntur aliqua.

SUMMARIUM.

An Caramuel sit Author harum propositionum damnatarum? n. 2. & seqq.

Unn *Pro-*

Proponitur ejus conclusio tradita in editione novissima, n. 4.
Referuntur alii Authores, qui eamdem conclusionem tuentur, n. 6.
Qui Authores dixerint, illud peccatum esse veniale, n. 7.
An damnatio hac extendatur ad omne testimonium falsum, etiam extrajudiciale? num. 8.
Quot quaestiones discutiendae fini nu. 9.

1. PRopositio quadragesima tertia ex damnatis hæc est: *Quid ni, nisi veniale sit, detrahentis authoritatem magnam sibi noxiam falso crimine elidere?* Et quadragesima quarta, quæ ejusdem ordinis est, ita se habet: *Probabile est, non peccare mortaliter, qui imponit falsum crimen alicui, ut suam justitiam, & honorem defendat. Et si hoc non est probabile, vix erit opinio probabilis in Theologia.*

2. Hæ propositiones communiter attribuuntur *Caramueli*. Et *Amadaeus Guimenius, tract. de Charitat. prop. 7. numer. 3.* refert ex *Caramuele in Theol. fundam. numer.* 1151. hæc verba [viginti, & plures Doctores asserere, eum, qui imponit falsum testimonium alicui, ut suam justitiam, & honorem defendat, non peccare mortaliter.]

3. Sed in editione Lugdunensi, anno 1657. quà utor, aliter discurrit *Caramuel.* Nam *fund* 61 *numer. 1802* hanc statuit primam conclusionem. [Innocens falsò accusatus non potest crimen imponere falso testi, si tale illud sit, quod testimonium non infirmet, potest autem imponere tale, quod falsum testimonium infirmet. Potest, inquam, quin peccet contra justitiam, & teneatur ad aliquam restitutionem; quia peccabit contra veritatem.]

4. Secundam conclusionem statuit numer. 1823. [Non est possibilis casus, in quo innocens falsò accusatus possit sine mortali imponere crimen falso testi, quod ejus testimonium infirmet. Ergò impositio ejusmodi numquam erit justa defensio, sed semper vel vindicta, vel perjurium. Quod clarissimè ostendo: nam vel Titius per injuriam apud tribunalia traductus contra accusatorem deponit calumniam cum juramento, vel sine juramento: si primum, erit perjurus; si secundum, non acceptabitur in judicio ejus depositio. Ergò quocumque se vertat, reus erit peccati mortalis: peccabit enim mortaliter, si pejeret, & mortaliter etiam, si sine moderamine inculpatæ tutelæ, iniquo testi falsum testimonium imponat. Omitto ipsum mendacium; nam mentiri Reipublicæ in materia gravi, etiam præciso juramento, est grave peccatum.

5. Itaque Caramuel, quamvis fortè in alia editione affirmaverit eas propositiones damnatas, in hac tamen editione Lugdunensi, in qua multa revocavit, quæ olim tradiderat, affirmat, eũ, qui falso accusatori objicit crimen falsum, & si ea exceptio prosit ad defensionem falsò accusati, peccare mortaliter contra veracitatem, non tamen contra justitiam.

6. Et quidem hanc sententiam cum hac præcissione, & distinctione docuerunt non pauci Doctores. Illam enim sic defendit *Lugo Card. tom. 2. de just. disp. 40. sect. 2. numer. 26.* & apud ipsum *Bannez, Ioannes de la Cruz, Ledesma, & Orellana.* Dixit autem *Lugo Card.* eam opinionem esse speculativè probabilem; quia cum dicat, esse peccatum mortale contra alias virtutes, ea opinio non pertinet ad praxim, sed ad spe-

ſpeculationem. Ait enim numer.27. [ſimiliter in noſtro caſu monuimus,licet non peccetur contra juſtitiam in teſtem,imponendo illi crimen falſum ; peccari tamen contra alias virtutes , & quidem peccatur etiam contra juſtitiam legalem,proponendo accuſationem falſam , conando decipi judicem in illa parte judicii,condemnando teſtem ob crimen nunquā ab ipſo commiſſum.]

7. Eſt tamen advertendum, quod aliqui ex Authoribus citatis expreſsè dixerunt, ſolum peccare venialiter illum , qui falſum teſtimonium impoſuit contra teſtem falſum teſtimonium dicentem contra illum in judicio. Ita teſte *Diana part.3.tract. 5.reſol.4.Ioannes de la Cruz , in director. precept.8.art.4.dub.*17.*concl.* 1. *ſic differit:* [*Bannez,& Ledeſma,cum Orellana*,probabiliter ſentiunt,eſſe ſolum peccatum *veniale* objicere teſti iniquo crimen falſum, ſecluſo perjurio in objiciente, & teſtibus ad hoc inducendis.]

8. Præmittendum etiam eſt , damnationem hanc extendi, non ſolum ad teſtimonium falſum, quod imponitur in judicio teſti iniquo; ſed etiam ad teſtimonium falſum, quod extra judicium imponitur detrahenti graviter. Nam propoſitiones damnatæ id non limitant ad teſtem,neque ad judicium; loquuntur enim univerſaliter de falſo teſtimonio dicto contra quemlibet infamantem.

9. Ex quibus omnibus quatuor quæſtiones reſultant. Prima, an ſit peccatum mortale imponere crimen falſum teſti in judicio teſtificanti falſum ; an etiam extra judiciū?Et quomodo opinio negativa ſubjaceat huic damnationi ? Secunda, an ſit contra juſtitiam, quod teſti crimen falſum teſtificanti contra Titium in judicio , Titius imponat falſum crimen? Et, an opinio docens, id eſſe peccatum mortale , ſed non contra juſtitiam , incurrat damnationem? Tertia,an ſit contra juſtitiam,quod extra judicium Titius imponat crimen falſum detrahenti graviſſimè famam ſuam? Et , an opinio docens , id eſſe peccatum mortale,ſed non contra juſtitiam,incurrat damnationem?Quarta,an reus falsò accuſatus de gravi crimine , poſſit manifeſtare delictum occultum accuſatoris, vel teſtis, præcipuè ſi id non poſſit probare ? Et,an opinio docens, id eſſe licitum , ſubjaceat huic damnationi ? Quartum ſingulæ per ſingula capita diſcutientur.

CAPUT II.

An ſit mortale, ſi quis in judicio , vel extra,falsò infamatus, imponat crimen falſum infamatori ; & quomodo opinio negativa ſubjaceat damnationi?

SUMMARIUM.

Certum eſt,quod falsò accuſatus peccat mortaliter, imponendo crimen falſum auctori,vel teſti,n.10.

Prima probatio per dilemma,n.11.

Defenditur dilemma ab objectione Lumbierii,nu.12.

Secunda probatio ex eo,quod numquam eſt licitum dicere falſum,n.13.

Falsò infamatus extrajudicialiter , peccat mortaliter imponendo crimen falſum detractori,n.15.

Ea impoſitio falſi criminis non eſt defenſio, ſed vindicta privata, n.16.& ſeqq.

Doctrina opposita subjacet damnationi, numer. 19.

Colligitur ex propositione 44 non esse reprobatam sententiam de sequenda opinione minus probabili. n. 20.

10. Sit prima conclusio. Certum est, & indubitatum, Titium peccare mortaliter, si in judicio, falsò accusatus, imponit falsum crimen accusatori, vel testi. Hanc propugnant melioris notæ Doctores *P. Molina tom 5 de just tract 4 disp. 24 numer 2 P. Thomas Sanchez tom. 2. Consil lib 6. capit 5. dub 10. numer. 4 Lugo Card. tom 2. de just disp 40 sect. 2. num. 25. Caramuel capit. praced* relatus, & quamplures alii. Et hæc est expressa sententia *S. Thomæ 2. 2 quæst. 69. art. 2.* ubi proponit eam quæstionem, *Utrum accusato liceat calumniosè se defendere?* Et inter alia respondet: *Falsitatem tamen proponere in nullo casu licet alicui.* Quod mira claritate prosequitur, & ex contextu patet loqui de culpâ gravi.

11. Probatur primò ex *Lugo Cardinali*. [Quia vel deservit ad defensionem, vel non? Si non deservit, erit infamatio injusta proximi sine necessitate, vel utilitate: si deservit, hoc erit probando illam per testes, qui cum debeant jurare, committent peccatum perjurii, & per consequens eos ad hoc hortari, erit peccatum mortale.] Hoc eodem argumento utitur Caramuel verbis relatis suprà capit. præced.

12. Hoc argumentum putat esse inefficax *Lumbier* in expositione propositionum 43. & 44. *numer.* 1918. Objicit enim, quod ad minuendam authoritatem infamatoris sufficit simplex affirmatio extrajudicialis. Sed in hoc perperam discurrit: nam vel loquitur de reo infamato in judicio, vel de infamato extra judicium? Si de hoc secundò loquitur, non est ad rem; quia præfati Authores, qui id argumentum efformant, loquuntur de reo, qui in judicio accusatur falsò de crimine gravi. Si vero loquitur de infamato in judicio, negat evidentiam. Ut enim minuat authoritatem accusatoris, aut testis, ne sibi noceat, nihil prosunt ea, quæ extrajudicialiter profert.

13. Probatur secundò ex S. Thoma. *Falsitatem proponere in nullo casu licet*; atque adeò semper est peccatum dicere falsum; & si sit in materia gravi, est peccatum grave: sed imponere crimen falsum testi iniquo, est dicere falsum in materia gravi: ergò imponere crimem falsum testi iniquo, est peccatum grave. Et quidem ego non percipio, quomodo in mendacio sit materia levis, imponere crimen falsum gravissimum.

14. Probatur etiam aliis argumentis, quibus probabimus alias conclusiones statuendas, quæ non minus militant pro hac, quam pro illis conclusionibus.

15. Sit secunda conclusio. Si extra judicium Titio imponatur crimen falsum, peccat mortaliter Titius, si crimen grave imponat detractori, etiam prætextu minuendi authoritatem detractoris, & detractionis. Pro hac assertione stant iidem Authores, qui pro prima. Et probatur primò ea argumentatione secunda proposita pro prima conclusione. Semper enim est peccatum mortale mentiri in re gravi.

16. Probatur secundò. Hæc enim falsa criminis impositio non est defensio, sed vindicta privata, quæ numquam licet: ergò est

est peccatum lethale. Antecedens probatur. Nam ut licita sit defensio, debet esse cum moderamine inculpatæ tutelæ; sed hoc moderamen non invenitur in præsenti casu: ergò ea non est defensio licita. Major est evidens.

17. Et minor probatur. Nam ad moderamen inculpatæ tutelæ requiritur, quod constet evidenter, illud esse medium efficax ad defensionem, & illud esse unicum; ideò enim ei, qui videt adversarium irruentem gladio districto, licet occidere cum moderamine inculpatæ tutelæ, quia videt evidenter, id esse medium efficax, & unicum defendendi se, & evadendi mortem: sed ubi quis patitur calumniam extra judicium, non est medium efficax ad sui defensionem, imponere crimen falsum calumniatori; nam plerumque contingit, quod ejusmodi publicationem criminis attribuant audientes vindictæ, iracundiæ, seu furori hominis patientis detractionem; ideoque credant illi, qui prius detraxit famæ alterius; imò verò censentes, quod ille novum crimen falsi testimonii patrat inde colligant, verum esse prius delictum quod asseveravit detractor ille primus: ergò hæc secunda criminis impositio falsa, non est defensio cum moderamine inculpatæ tutelæ.

18. Sed neque id est medium unicum ad sui defensionem: plerumque enim suppetunt multa alia media ad indagandam veritatem; nam, ut fert Hispani sermonis proloquium: *La verdad adelgaza, pero no quiebra*, id est (veritas extenuatur, sed non infringitur.)

19. Sit tertia conclusio. Doctrina opposita his duabus conclusionibus incurrit hanc damnationem. Patet ex ipso contextu propositionum damnatarum, quæ cùm sint universales, comprehendunt falsam criminis impositionem, tam quæ fit in judicio, quàm quæ extra.

20. Et obiter notandum est, & ex illo termino propositionis 44. *Probabile est*, inferendum non esse reprobatam à Romana Cathedra sententiam de sequenda opinione minus probabili à quolibet privato homine, & extra materiam valoris Sacramentorum. Nam dum Pontifex damnat eam propositionem 44. *Probabile est, non peccare mortaliter*, &c. non solùm damnat eum, qui dixerit id esse probabilius, sed etiam eum, qui dixerit esse probabile, licet minus probabile: si autem reprobata esset sententia de minus probabili opinione seligenda ad praxim, non esset necesse damnare eam propositionem, quæ dixerit esse probabile, licèt minus probabile: nam eo ipso quod diceret esse minus probabile, diceret id esse reprobatum.

21. Confirmatur. Ideo enim Pontifex reprobat propositionem asserentem, id esse probabile, licèt minus probabile; quia id admittere ad probabilitatem, præjudicat veritati quoad praxim; non autem præjudicaret, si reprobata esset à Romana Cathedra minor probabilitas opinionis quoad praxim. Et de hoc puncto latius egi *in 3. part. Cris Theol. disp. 56. cap. 12. per totum.*

*** † ***

CAPUT III.

An sit contra justitiam, quod in judicio testi iniquo reus imponat falsum crimen; & opinio negativa subjiciatur huic damnationi?

SUMMARIUM.

Quæstio loquitur de impositione falsi criminis, quod testem reddit inhabilem ad testificationem. n. 22.

Contra justitiam peccat reus, qui imponit tale crimen actori, vel testi. n. 23.

Peccat contra jus Reipublicæ. n. 24.

Item contra jus privatum testis iniqui. num. 25.

Mendacium infamatorium non habet rationem inculpatæ tutelæ. n. 26.

Non se defendit cum moderamine inculpatæ tutelæ, si sit cum præjudicio Reipublicæ. num. 27.

Idem ostenditur à paritate defensionis occisivæ infamatoris. n. 28.

Numquam est licitum defendere se per falsitatem. n. 29.

An peccet contra justitiam, qui per mendacium recuperat rem suam ab injusto possessore. n. 31. & seqq.

Quodnam sit discrimen in defensione inter vitam, & famam? num. 32. & seqq.

Quod sit discrimen in defensione inter ablationem rei temporalis, & ablationem famæ. n. 34. & seqq.

Opinio docens, illum reum peccare mortaliter, sed non contra justitiam, non subjacet huic damnationi. num. 36. & seqq.

22. Vidimus cap. 1. plures esse Doctores, qui tueantur, ejusmodi reum imponentem falsum crimen testi iniquo non peccare contra justitiam; ex quibus aliqui affirmant, adhuc peccare mortaliter contra alias virtutes; aliqui verò, peccare dumtaxat venialiter. Et hoc ultimum falsum esse, & expressè damnatum ab Innocentio XI. constat ex *cap. præced.* Quare inquirimus in præsenti, an supposito quod talis reus peccet mortaliter, peccatum ejus sit contra justitiam? Supponimus autem, crimen, quod falsò imponit reus testi iniquo, esse ex illis, quæ testem reddent inhabilem ad testificationem. Nam si sit ex aliis criminibus, apud omnes constat, illum peccare contra justitiam; cum id non prosit ad propriam defensionem, sed solùm ad vindictam privatam.

23. Prima conclusio. Peccat contra justitiam reus, qui in judicio imponit falsum crimen testi iniquo. Hæc est expressa sententia *S. Thomæ.* Nam 2. 2. præscribit quæstioni 69. hunc titulum: *De peccatis, quæ sunt contra justitiam.* Et mox art. 2. præscribit hunc: *Utrum accusato liceat calumniosè se defendere?* In corpore autem ait: *Falsitatem tamen proponere, in nullo casu licet alicui.* Et mox; *Neque etiam aliquem dolum, vel fraudem adhibere: quia fraus, & dolus vim mendacii habent. Et hoc est calumniosè se defendere.* Ex quibus patet, uti in judicio fraude, dolo, aut calumnia, esse contra justitiam. Pro eadem conclusione pugnant *P. Molina tom. 5. de Just. quæst 24. num. 2. Sotus lib. 5. de Just. quæst. 9. art. ult. Illustriss. Tapia tom. 2. Cat. mor. lib. 5. quæst. 12. art. 7. num. 3.* attentis iis, quæ docet ibid. *quæst. 14. art. 10. n. 3.* & plures alii.

24. Et primò quidem esse contra jus, & justitiam Reipublicæ, sive contra justitiam legalem, quæ respicit jus Communitatis, sive Reipublicæ (quod non negat *Lugo*

Card.

Card. suprà citatus) probatur. Respublica enim habet jus, ne ullo modo decipiatur in iis, quæ pertinent ad rectam gubernationem: violat ergò jus Reipublicæ, qui in judicio crimen falsum objicit accusatori, vel testi; facit enim, quod judicium publicum erret censendo dignum pœnâ, eum, qui non est illâ dignus. Sive (ut disserit *Lugo* cit.) *peccatur etiam contra justitiam legalem, proponendo accusationem falsam, conando decipi judicem in illa parte judicii, condemnando testem ob crimen numquam ab ipso commissum.*

25. Deinde esse etiam contra justitiam privatam testis, probatur. Etenim testis habet jus strictum, ne infametur crimine falso; sicut habet jus, ne ab aliquo privato occidatur, aut vulneretur. Et sicut habens jus ad vitam, non amittit illud, nisi ubi urget defensio alterius cum moderamine inculpatæ tutelæ; ita jus, ne infametur, non amittitur, nisi ubi urget jus defensionis alterius cum moderamine inculpatæ tutelæ: sed reus imponens falsum crimen testi iniquo, non se defendit cum moderamine inculpatæ tutelæ: ergo in hoc casu reus retinet jus suum, ne falsò infametur; atque adeo si falsò infamatur, violatur jus illius, & committitur injustitia. Major est evidens.

26. Probatur minor primò ex *Petro de Tapia* proximè cit. *Nam mendacium infamatorium non est medium proportionatum ad defensionem cum moderamine inculpatæ tutelæ.* Quæ sunt verba Doctoris. Non enim potest esse inculpata tutela mendacium adeò grave.

27. Probatur secundò eadem Minor. Nemo enim defendit vitam suam cum moderamine inculpatæ tutelæ, si se defendit cum præjudicio Reipublicæ, sive violando jus Reipublicæ: sed reus, qui defendit se, imponendo crimen falsum testi iniquo, violat jus Reipublicæ, ut constat ex proximè dictis in prima parte hujus conclusionis: ergò reus in hoc casu non se defendit cum moderamine inculpatæ tutelæ. Et ideo *P. Lessius de just. cap. 9. dubit. 12. num. 82.* optimè dixit: *In jure defensionis semper considerandum, ne usus in perniciem Republicæ vergat.*

28. Probatur tertiò. Nam ut ostendi *dissert. 21. cap. 2. art. 2.* ideo defensio occisiva infamatoris non fit cum moderamine inculpatæ tutelæ, quia talis defensio est in perniciem, & contra jus Reipublicæ, & contra jus illius, eo ipso quod sit contra justitiam legalem: ergo talis defensio non retinet moderamen inculpatæ tutelæ.

29. Probatur quartò ex *S. Thom.* Quia *falsitatem proponere in nullo casu licet alicui*: Sed defendere se cum moderamine inculpatæ est licitum: ergò defendere se cum moderamine inculpatæ tutelæ, numquam est licitum per falsitatem. Deficiente ergò jure defensionis cum moderamine culpatæ tutelæ, manet integrum jus ad famam in teste iniquo; atque adeò reus peccat contra tale jus, & consequenter contra justitiam.

30. Objicit primò *Lugo Card.* ubi sup. Licet mendacium sit intrinsecè malum, non tamen peccat contra justitiam, qui dolo, & mendaciis recuperat rem suam ab injusto possessore: ergò neque peccat contra justitiam, qui recuperat dolo, & mendacio suam famam ab iniquo teste violatâ.

31. Respondeo distinguendo antecedens: non peccat contra justitiam, (si dolus ipse per se non sit contra jus injusti possessoris) concedo, (si sit contra jus illius,) nego.

nego. Itaque si velit recuperare rem suam infamando injustum possessorem, aut accusando illum in judicio de crimine falso, peccat contra justitiam quoad infamationem, aut accusationem falsam; non verò contra justitiam recuperando rem suam.

32. Objicit secundo. Qui dolo, & mendaciis deciperet injustum invasorem vitæ suæ, ut caderet in foveam, vel in fluvium, ut hac ratione se ab illo liberaret, non peccaret contra justitiam; esset enim defensio cum moderamine inculpatæ tutelæ: ergo etiam in præsenti casu non erit contra justitiam propter eamdem rationem.

33. Respondeo eodem modo, distinguendo similiter duplex jus invasoris, aliud ad vitam, aliud ad famam: in eo ergo casu invasor amitteret jus ad vitam, urgente jure alterius ad defensionem cum moderamine inculpatæ tutelæ; sed non p[illegible] rea amitteret jus ad famam. Si ergò [illegible] sus deduceret invasorem ad foveam, vel flumen per mendacia, quibus non læderetur jus ad famam, nullum jus invasoris violaretur: non jus ad famam, quia ea mendacia non sunt contra famam; non jus ad vitam, quia amisit invasor illud jus, urgente jure ad defensionem cum moderamine. In nostro autem casu violatur jus ad famam; quia ille reus non se defendit cum moderamine inculpatæ tutelæ, ut probavimus.

34. Objicit tertiò. Non est contra justitiam, si ego auferam victum, vel lædam segetem illius, qui injustè me lædit, quando id est medium, ut faciam, illum abstinere à mea læsione: ergò non est contra justitiam lædere famam ejus, qui meam injustè lædit, ut sic me liberem ab ejus læsione in me.

35. Respondeo similiter, illum amittere jus ad conservationem sui victus, aut segetis, quando instat jus defensionis meæ cum moderamine inculpatæ tutelæ; sicut contingit in casu, qui proponitur in antecedenti. In altero autem casu testis iniquus non amittit jus ad famam suam; quia in reo non invenitur defensio cum moderamine inculpatæ tutelæ per id medium infamationis, ut probatum est.

36. Secunda conclusio. Illa opinio, quæ docet, peccare mortaliter reum imponendo falsum crimen testi iniquo; sed non peccare contra jus privatum illius testis, non subjacet huic damnationi. Patet. Nam hoc decretum damnat solùm propositionem, quæ negat, id esse peccatum mortale: sed præfata opinio non negat, id esse peccatum mortale; quin potius id expressè affirmat: ergò hoc decretum non damnat præfatam opinionem.

37. Confirmatur. Nam hæc damnatio non habet ullum verbum, unde colligatur, illud peccatum mortale esse potius contra justitiam, quàm contra aliam virtutem: ergo dummodo asseratur esse peccatum mortale, non subjacet damnationi opinio docens, id non esse contra justitiã.

CAPUT IV.

An peccet contra justitiam, qui extra judicium imponit falsum crimen ei, qui sibi graviter detrahit? Et an opinio negativa subjaceat damnationi?

SUMMARIUM.

Peccat contra justitiam, qui extra judicialiter imponit falsum crimen mendaci detractori. num. 39.

Non

Non exercetur defensio justa per impositionem falsi criminis.n.40. & seqq.

Propositio docens non esse contra justitiam eam impositionem falsi criminis, non subjacet huic damnationi. num. 43.

38. Vidimus cap. 2. peccare lethaliter eum, qui in judicio, vel extra judicium infamat falsò infamatorem suum; *& cap.* 3. peccare lethaliter contra justitiam eum, qui in judicio imponit falsum crimen testi iniquo. Restat modò inquirere, an delinquat etiam contra justitiam is, qui falsum crimen imponit infamatori suo mendaci; eo prætextu ductus, ut imminuens authoritatem sui infamatoris, defendat se ab illa infamia, qua illum inurit. Authores, qui negant, hoc peccatum esse contra justitiam, quando patratur in judicio, quos retuli *cap. preced.* illud negant etiam extra judicium.

39. Prima assertio. Peccat lethaliter contra justitiam, qui extra judicium imponit falsum crimen mendaci infamatori suo. Hanc assertionem propugnant *Sotus, Molina, & Tapia* relati *cap. preced.* Et ibidem constat, hanc eamdem esse mentem *S. Thomæ.*

40. Probatur ex principiis suprà prajactis. Etenim detractor ille prior, sicut quilibet alius, habet jus strictum ad famam suam, & illud non amittit, nisi ubi adfuerit in alio jus defensionis cum moderamine inculpatæ tutelæ: sed infamatus ab illo non habet jus ad defensionem suam cum moderamine inculpatæ tutelæ exercendã per impositionem falsi criminis: ergò prior ille detractor non amittit in eo casu jus ad famam; & consequenter si infamatus ab illo delinquit contra famam ejus, peccat contra jus ejus, atque adeò contra justitiã.

41. Probatur minor. primò eodem modo, atque *cap.* 2. *concl.* 2. Nam ut detur moderamen inculpatæ tutelæ, requiritur, quod se defendens cognoscat evidenter, illud medium esse efficax, & unicum ad suam defensionem; infamatus detractione alterius non potest cognoscere evidenter, impositionem falsi criminis esse medium efficax ad suam defensionem, cum plerumque accidat, non inde recuperari suam famam, imò verò inde quandoque deteriorari; credunt enim homines, infectum esse illo crimine eum, qui habet linguæ audaciam: ergò ille non habet jus ad sui defensionem cum moderamine inculpatæ tutelæ per eam falsi criminis impositionem. Sed neque id est medium unicum suæ defensionis; cùm sint alia media, quæ adhibere potest ad indagandam veritatem.

42. Confirmatur eadem minor ex doctrina relata S. Thomæ. *Nam falsitatem proponere in nullo casu licet*: Sed defendere se cum moderamine inculpatæ tutelæ est licitum; ergò defendere se cum moderamine inculpatæ tutelæ in nullo casu fit per falsitatem.

42. Secunda assertio. Propositio, quæ docet peccare lethaliter eum, qui imponit crimen falsum suo infamatori, non peccare contra justitiam, sed contra alias virtutes, non subjicitur huic damnationi. Ratio est eadem, ac ea, quam instruxi pro secunda conclusione *capitis* 3.

CAPUT V.

An reus falsò accusatus possit manifestare crimen occultum sui accusatoris, aut testis?

SUMMARIUM.

Ratio dubitandi à paritate imponendi fal-

 sum

sum crimen ad manifestationem criminis occulti. num. 44. & seqq.

Peccat reus contra justitiam, quando manifestatio criminis est inutilis ad defensionem. num. 47. & seqq.

Quando manifestatio delicti occulti est necessaria ad defensionem Rei, licita est, n. 48

Nisi parvum immineat damnum reo, testi autem magnum. num. 49.

Quomodo hæc opinio non subjaceat huic damnationi. num. 50.

Quomodo manifestatio delicti occulti habet paritatem, & disparitatem respectu impositionis criminis falsi. nu 51.

Quomodo ex manifestatione occulti criminis non inferatur impositio falsi. num. 52.

Quæ diversitas sit quoad hoc inter crimen occultum, & secretum. num. 53.

Et quid si reus sciat illud, quia testis sibi manifestavit causa petendi consilii? nu. 54.

Et quid si per injuriam cognovit reus ejusmodi delictum? num. 55.

44. HÆc quæstio similis est præcedentibus. Et ratio dubitandi est: est enim par, aut suppar delictum, detrahere proximo, manifestando crimen grave occultum illius; ac imponendo illi falsum crimen: sed reo non licet defendere se imponendo falsum crimen testi iniquo: ergò neque licet defendere se, manifestando delictum occultum testis iniqui.

45. Deinde quamvis hæ propositiones damnatæ solùm loquantur de impositione falsi criminis, atque adeò sententia de imponendo falso crimine solùm damnetur exprefsè; videtur tamen hæc altera de manifestando crimine occulto testis, virtualiter condemnari. Etenim virtualiter damnatur propositio, quoties hæc est antecedens, unde evidenter infertur propositio damnata, ut sæpius demonstravimus in superioribus; sed ex hac propositione, quod reo liceat defendere se manifestando crimen occultum testis iniqui, colligitur evidenter propositio damnata, quod liceat defendere se imponendo falsum crimen testi iniquo; cum par, aut suppar sit utrumque: ergò virtualiter damnatur præfata propositio.

46. Dico primò. Si manifestatio ejus delicti est inutilis ad defensionem rei, peccat reus contra justitiam manifestando delictum testis. Ita communiter Theologi. Videantur *P. Thomas Sanchez. tom. 2. Consilior. lib. 6. cap. 5. dub. 23. Lugo Card. tom. de just. disp.* 40 *sect.* 2. *num.* 22. & præcipuè *P. Molina tom. 5. de just. disp* 43. *nu.* 5. Variis autem modis potest esse inutilis ad defensionem rei ea manifestatio. Primò, si crimen manifestandum non est ex illis, quæ testem reddunt inhabilem ad testificandum. Secundò, si reus id crimen non possit probare: nam sine probatione nihil prodest ad defensionem rei. Tertiò, si sit alia via, per quam possit se defendere, sine manifestatione ejus delicti occulti.

47. Ratio est manifesta: quia sola causa defensionis potest justificare propalationem delicti ejus testis: ergò ubi non est ratio defensionis, integrum manet jus justitiæ, quod habet testis ad suam famam conservandam.

48. Dico secundò. Quando hæc manifestatio delicti occulti necessaria est ad defensionem rei, licitum est reo facere eam manifestationem. Ita Doctores proximè citati. Ratio est: quia si ei non sit alia via se defendendi, hæc est justa defensio; & & quando in judicio pugnat contra reum, cedit jure suo, quantùm necesse est, ut

reus se defendat. Quod adeò verum est, ut *Lugo Card.* citatus afferens *Sotum, Aldertum & Bannezium*, dicat esse probabile, quod potest manifestare delictum occultum testis, non solùm quando testis dicit falsum, sed etiam quando testatur verum. Et argumentum ejus urget. Nam testis qui habet illum defectum, licet occultum, inhabilis est ad testificandum; reus ergò jus habet excludendi à sua causa testes inhabiles; & ne sua causa decidatur, nisi per testes habiles.

49. Limitant Doctores hanc assertionem in casu, quo parvum damnum immineat reo, testi autem maximum. Tunc enim peccat lethaliter reus, saltem contra charitatem, si in tali hypothesi manifestet tale delictum occultum testis.

50. Et ex dictis patet, hanc sententiam, de manifestatione occulti delicti testificantis, non includi sub hac damnatione, neque formaliter, neque virtualiter. Non formaliter; quia damnatio non loquitur expressè, nisi de eo, qui falsum testimoniū dicit. Non virtualiter; quia hæc sententia de manifestando occulto crimine testis non est antecedens, unde inferatur evidenter opinio, quod reus potest imponere falsum crimen testi iniquo.

51. Ad rationem dubitandi initio hujus capitis propositam respondeo, detractionem proximi, manifestando delictum occultum illius, sine jure defensionis justæ esse supparem delicto imponendi falsum crimen alicui; non verò, quando manifestatur delictum occultum ab habente jus justæ defensionis, modo dicto; hoc enim modo non est delictum ea manifestatio.

52. Ad argumentationem, quæ subjungitur, nego eam propositionem de manifestando occulto crimine testis, esse antecedens, unde inferatur probabiliter, nedum evidenter, propositio, de imponendo falso crimine. Ad probationem constat ex dictis, quâ ratione non sit delictum, manifestare crimen occultum testis, propter jus defensionis justæ; atque adeo non potest esse delictum suppar.

53. Sed ne ingens oriatur æquivocatio, præmonere oportet, dixisse nos, posse reū defendere se manifestando crimen *occultum* testis, sed non dixisse crimen *secretum*: est enim inter hæc magna diversitas. Et primò quidem difficultas est, an reus possit manifestare delictum testis, quod sibi commissum est ex fide secreti cum pacto de cœlando. Et quidem ejusmodi pactum de secreto cœlando est iniquum, v.g. Si ejus secretum vergat in damnum grave Reipublicæ, aut tertii. Tunc enim pactum non obligat, etiamsi si juramento firmetur: quia juramentum non est vinculum iniquitatis. Si tamen tale sit pactum, ut licitè possit servari, illud obligat jure naturali. Et ideo reus non potest se defendere manifestando delictum occultum testis, quod sub pacto tenetur cœlare, nisi circumstantiæ aliquæ concurrant, quæ pactum reddant irritum.

54. Secundò, si reus sciat illud delictum, quia illud sibi manifestaverat testis causa petendi consilii; strictius obligatur reus ad cœlandum, non solùm ex pacto tacito, quod intervenit in petitione Consilii; sed quia ipsa necessitas petendi consilium facit pactum esse strictioris obligationis. Quod adeò verum est, ut etiam in Religione, in quâ Religiosi cedunt jure suo, ut manifestentur superiori

eorum defectus ab eo, qui extra confessionem eos noverit, *P. Suarez tom. 4. de Religione, tract. 10 lib. 10. c. 7. nu. 23.* hoc statutum non extendi ad illa, quæ subditi: *Secreto & Consilii petendi gratia, ut dirigantur, vel juventur, alteri communicaverint.* In tali ergò hypothesi reus non habet jus manifestandi delictum testis; atque adeò peccabit contra justitiã, si illud manifestet.

55. Tertiò, cùm per injuriam cognovit reus ejusmodi delictum, jure naturali tenetur ad illud celandum, v. g. Si contra jus illius aperuit litteras ab illo, vel ad illum missas, & illis cognovit delictum ejus. Quare delictum sic cognitum per injuriam, non potest reus manifestare pro sui defensione; neque enim habet jus ad talem defensionem: quod si manifestet, erit detractio lethaliter culpabilis. De his strictis obligationibus secreti videantur *Sotus lib. de secreto membr. 3. quæst. 4. P. Molina to. 5. de just. tract. 4. disp. 3. 4. & 5. P. Thomas Sanch. tom. 2. Consil. lib. 6. cap. 6. P. Lessius de just. cap. 11. dub. 8. & 9. P. Georgius Gobatus tom. 3. tract. 5. cap. 19 sect. 10. & 11.* & plures apud ipsos.

DISSERTATIO XXVII.

An inficiatur Simoniæ labe, qui dat temporale pro spirituali, solùm tamquam motivum, vel tamquam gratuitam compensationem? Et quid, si temporale sit principale motivum, imò & finis rei spiritualis consequendæ?

CAPUT I.

Referuntur propositiones damnatæ, & præmittuntur aliqua.

SUMMARIUM.

Definitio Simoniæ ex S. Thoma. num. 3.
Quid intelligatur nomine emptionis, & venditionis, ex S. Thoma. num. 4.
Major ejus rei explicatio, ex S. Thoma, & S. Bonaventura. num. 5.
Duplex est Simonia, scilicet juris divini, & juris humani. num. 6.
Objectio Goneti contra hanc divisionem. num. 7.
Authores admittentes eam divisionem. n. 8.
Quomodo non inferatur mutari naturas rerum per hoc, quod admittatur Simonia juris humani? num. 9. & seqq.
Quomodo permutatio Beneficiorum sit Simoniaca num. 12.

1. QUadragesima quinta ex damnatis propositio sic se habet: *Dare temporale pro spirituali non est simonia, quando temporale non datur tamquam pretium, sed dumtaxat tamquam motivum conferendi, vel efficiendi spirituale; vel etiam, quando temporale sit solùm gratuita compensatio pro spirituali, aut è contra.*

2. Propositio quadragesima sexta hæc est: *Et id quoque locum habet, etiam si temporale sit principale motivum dandi spirituale; imò etiam si sit finis ipsius rei spiritualis sic, ut illud pluris æstimetur, quàm res spiritualis.* Ut ergò assequamur plenam intelligentiam harum propositionum, & damnationis earum, aliqua breviter præmittenda sunt.

3. Præmitto primò, definitionem Simoniæ traditam à *S. Thoma 2. 2. quæst. 100. art. 1.* & à Theologis omnibus acceptam, esse hanc. *Est studiosa voluntas emendi, vel vendendi aliquid spirituale, vel spirituali annexum.*

4 Præ-

4. Præmitto secundò, ipsum Doctorem Angelicum explicasse, quid intelligatur nomine emptionis, & venditionis, his verbis: *Ad quintum dicendum, quod nomine emptionis, & venditionis intelligitur omnis contractus non gratuitus. Unde nec permutatio prabendarum, vel Ecclesiasticorum beneficiorum fieri potest* authoritate *partium absque periculo Simonia.* Ex quibus verbis patet primò, omnem contractum onerosum, sive (quod idem est) non gratuitum circa spiritualia, vel spiritualibus annexa, esse Simoniacum. Estque conforme juri Canonico in cap. *Quæsitum*, de rerum permutat, ubi dicitur: *Præsertim pactione præmissa, qua circa spiritualia, vel connexa spiritualibus, labē semper continet Simonia.* Patet secundò, definitionem S. Thomæ non limitari ad Simoniam juris divini, sed extendi etiam ad eam quæ jure humano inducta est, qualis est, quæ versatur circa præbendas, & beneficia Ecclesiastica.

5. Id autem magis declarat Angelicus Præceptor in 4. *dist.* 25. *quæst.* 3. *art.* 3. *corp.* his verbis: *Dicendum, quod Simonia, ut dictum est, consistit in emptione, & venditione spiritualium, vel eorum, quæ sunt eis annexa. Emptio autem, vel venditio, non solum consistit in datione, vel acceptione pecuniæ, sed omnium eorum, quorum potest pretium nummismate mensurari. Omnis autem temporalis commodi pretium potest nummismate mensurari; Et ideò quicumq; pro aliquo temporali commodo dat aliquod spirituale, vel spirituali annexum, Simoniam committit.* Ex quibus satis constat, quomodo intelligendum sit nomen pretii, quo utuntur Doctores in hac materia Simoniæ; non enim intelligitur sola pecunia, sed quidquid potest pecunia æstimari. Et consonat S. *Bonaventura in* 4. *dist.* 25. *art.* 5. his verbis: *Dicendum, quod non sumitur ita strictè venditio, & emptio in definitione Simoniæ: sed dicitur venditio, quando quodcumq; pretium facit, dari spiritualia; pretio largo modo sumpto pro temporali omni, quod est tota, & sola causa dationis.*

6. Præmitto tertiò, aliam esse Simoniam juris divini, in qua datur pretium pro re spirituali: cujus labe infectus est Sim. Magus, dum contendit emere ab Apostolis donum supernaturale. Alia est juris humani, quo Sacri Canones interdicunt dare, & accipere pretium temporale pro jure etiam temporali, quod spiritualibus est annexum. Et ita cum Beneficium Ecclesiasticum sit jus percipiendi annuos redditus, annexum tamen officio spirituali; Simonia est juris humani (juxtà probabilem sententiam plurimorum Theologorum, & Canonistarum) dare aliquid temporale pro assequenda collatione Beneficii Ecclesiastici.

7. In hanc tertiam positionem acriter invehitur *Gonetus* in dissertatione de Probabilit. num. 147. Ait enim: *Cùm Ecclesia non possit mutare naturas rerum, nec efficere, quod Simonia sit id, quod vere Simonia non est, si obligatio pecuniæ per modum illecebræ ad conferendum beneficium permoventis, Simoniæ labe careat, ex eo præcisè quod Ecclesiæ legibus, & Canonibus vetetur, Simoniaca dici non poterit, subindeque à rebus humanis exulabit.* Et num. seqq. subjungit: *Inepta planè ad oppositum, & chymerica videtur distinctio illa Simoniæ in Simoniam juris Divini, & juris Ecclesiastici, quam ad vim rationum præcedentium eludendam Recentiores Casuistæ excogitarunt.* In quibus verbis duo notanda veniunt. Primum quod dicat,

eamdivisionem à *Recentioribus Casuistis esse excogitatam*, Secundum, quod dicat, ex eo quod Ecclesia non possit mutare naturas rerum, non posse dari simoniam jure humano, quæ non sit talis jure divino.

8. Circa primum egregiè decipitur Gonetus; sunt enim sapientissimi viri, tam veteres, quàm recentiores, qui docent, dari simoniam juris humani. Ita *P. Suarez tom. 1. de Relig. tract. 3. lib. 4. capit. 2. numer.* 1. ubi sic: *Ante omnia ergo supponenda est divisio simoniæ in eam, quæ est contra jus divinum, & eam, quæ tantum est contra Ecclesiasticum. Quam divisionem omnes ferè admittunt: ut de jurispiritis constat ex Glossa in capit, (Cùm pridem) de pactis verb. (Illicitæ pactionis) Alia Glossa in capit. (Ex parte) 1. de offic. deleg. verb. (Dimittere) Quam ibi Innocentius, Ostiensis, Abbas, & alii approbant. Idem sentit Glossa in capit. (Salvator) 1. quæst. 3. verb. (Et judicem) Turrecremata in capit. (Latorem.) art. 2. num. 5. 1. quæst. 1. Eamdem distinctionem admittunt Theologi, uno, vel alio excepto, ut infrà.* Et deinde *cap. 24. num.* 12. pro sententia asserente esse Simoniam tantum contra jus Canonicum vendere beneficium Ecclesiasticum intuitu solum temporalitatis refert *Felinum, Decium, Ananiam, Cardinalem, Alexandrum, Iulium Sarum, Navarrum, Ugolinum, & Thomam de Argentina.* Vide quot, & quàti Doctores ex veteribus propugnant Simoniam juris Ecclesiastici. Quo ergò jure dixit Gonetus, quod id: *Recentiores Casuistæ excogitarunt?* Ut omittam immensam phalangem Theologorum recentiorum eamdem conclusionem propugnantium.

9. Ad secundum, quod subjungit, non dari Simoniam juris Ecclesiastici, ex eo quod Ecclesia non possit mutare naturas; atque adeò non posse facere, quod sit Simonia ea, quæ jure divino talis non est; respondeò, multis demonstrationibus ostendi posse nullius esse momenti eum discursum desumptum ex *Durando* quem refert *P. Suarez cit. cap. 7.* sed quia hæc in præsenti breviter discutio, illis supersedeo, videndis apud *P. Suarez eo cap. 7.*

10. Solum dicam, non mutari rerum naturas, per hoc quod detur Simonia juris humani. Etenim cum ad Ecclesiam pertineat determinare cultum, quo veneranda est Sacra Eucharistia, ita præcepto suo statuit, ne quis accipiat Eucharistiam, nisi jejunus. Ante præceptum Ecclesiasticum non erat sacrilegium, communicare non jejunum; sicut neque est sacrilegium, quod moribundus communicet non jejunus, quia præceptum non extenditur ad moribundum. Sed post præceptum Ecclesiæ, sacrilegium est, quod quis communicet non jejunus, extra periculum mortis Sed numquid Ecclesia mutat naturas rerum, quia ex præcepto suo resultat, esse sacrilegiū, quod ante præceptum non erat sacrilegium? Minimè. Imò potius ipsa rei natura postulat, quod cum Ecclesia id præcipit ob reverentiam Eucharistiæ, qui violat id præceptum, dilinquat contra reverentiam debitam Eucharistiæ; atque adeò committat sacrilegium.

11. Sic similiter in simonia, quia Ecclesia præcipit, neminem privata authoritate commutare unum beneficium cum alio (quod ante præceptum non erat illicitum) idque præcipit ex motivo Religionis, ideò resultat irreligositas Simoniæ. Videatur *P. Suarez cap. 7.* ubi declarat tres modos, quibus

bus potest committi simonia juris Ecclesiastici, nempè ex parte contractus, & ex parte rei venditæ, & ex parte pretii. Confirmatur. Nam antequam Ecclesia prohiberet, ne examinatus ad beneficium parochiale det aliquid, etiam gratis, & liberaliter examinatori; licitum erat dare illud gratis; & tamen Concilium Tridentinum *sess.24 capit.18.de Reform.* ait: *Caveantque, ne quidquam prorsus occasione hujus examinis nec ante, nec post accipiant; alioqui Simoniæ vitium tam ipsi, quam alii dantes incurrant.* Numquid ergo mutavit Concilium naturam Simoniæ, quia declarat Simoniacos esse eos, qui ante prohibitionem non erant tales? vide infrà cap. 3.art. 2.

12. Præmitto quartò id, quod docui in 3. *part.Chris.Theol.disp.68.cap.3.* permutationem beneficiorum factam authoritate partium, & sine authoritate Prælati competentis, esse propriè Simoniacam, & ei convenire definitionem communem Simoniæ suprà datam. Et ratio est: nam hoc beneficium A, sive jus percipiendi annuos redditus est quid extrinsecè spirituale: sed datur pro alio jure tēporali percipiendi annuos redditus, scilicet Beneficii B: ergò datur spirituale pro temporali. Quod argumentum latè prosecutus sum loco citato.

13 Præterea, nam juxtà definitionem S. Thomæ suprà relati, *Simonia est studiosa voluntas emendi, vel vendendi aliquid spirituale, vel spirituali annexum*; & juxtà ejusdem declarationem suprà positam, nomine emptionis, & venditionis intelligitur omnis contractus non gratuitus: sed permutatio unius beneficii cum alio, propria authoritate facta, est contractus non gratuitus: ergò Simoniaca est.

CAPUT II.

Quàm certum sit, esse Simoniam dare temporale tamquam motivum pro spirituali assequendo, vel efficiendo; aut spirituale pro temporali?

SUMMARIUM.

Conclusio tamquam certa statuitur, & explicatur, nu.15.

Duplex modus, quo potest casus contingere, scilicet pacto implicito ex parte utriusque, vel ex parte unius tantum, num. 16.& 17.

In his casibus datur simonia saltem mentalis n.18.

Quando quis dat munera, quæ possunt allicere animum ad dandum spirituale, simoniam committit, n.20.

Colligitur, in Simonia non dari parvitatem materiæ, n.21.

Qui leviter inclinat animum electoris, absolutè non inducit. Ex S. Thoma, numer.23.

Qui offert temporalia sub ea intentione, quod recipiat spiritualia, Simoniacus est, num.24.

Et inde colligitur demonstratio conclusionis, num.25.

Objectio solvitur n.26 & seqq.

Cùm offertur temporale tamquam motivum ad obtinendum spirituale, temporale æquivalenter est pretium, n.28.

Quando corrumpitur Iudex muneribus, dicitur vendere justitiam, & Quid inde pro conclusione? numer. 29. & seqq.

Qui dicunt ad simoniam requiri rationem pretii,

pretii, non excludunt rationem motivi, num. 31.
Per pecuniam parare sibi viam ad spirituale obtinendum, Simoniacum est Ex S. Thoma, nu. 32.
Eadem veritas ostenditur ex eo, quod omnis pactio circa spiritualia Simoniaca est, num. 33.
In ratione motivi invenitur pactum, n. 35.
An possit accipi aliquid temporale spirituali annexum propter temporale, tamquam propter motivum intrinsecum? remissivè, nu. 36.

14. PRopositio damnata, reperitur, ut jacet, in *P. Valencia tom. 3. disp. 6. quaest. 16. puncto.* 3. & in aliis Authoribus. Sed cum praefatus Author ibidem quaestiune. 2. in responsione ad 2. objectionem, dicat esse Simoniam, dare temporale tamquam motivum pro obtinendo beneficio Ecclesiastico, quia id est ab Ecclesia prohibitum in Sacris Canonibus, dubitari potest, inquo sensu loquatur *P. Valencia.* Quod dubium à Romana Cathedra decidendum censui in 3. *part. Chris. Theol. disp.* 57. *num.* 129. sicut & modò censeo.

15. Igitur tamquam certum statuendum est, id esse Simoniacum v. g. Titius ambitiosus obtinendi beneficii dat summam pecuniae Collatori, aut praesentatori beneficii Ecclesiastici, eo fine, ut praesentator, vel Collator inde moveatur, ut praesentet illum, aut conferat illi beneficium, nullo pacto expresso, neque implicito, cujus sit externum aliquod signum. Similiter si quis conferat alteri beneficium, aut resignet beneficium in favorem illius eo fine, ut moveatur ad dandum illi aliquam pecuniae quantitatem, aut aliquid aequivalens temporale. Eodem modo est Simoniacus peccator, qui cum sit indignus absolutione Sacramentali, sine ullo pacto expresso vult muneribus consequi absolutionem à Confessario; vel si quis muneribus corrumpat Judicem Ecclesiasticum, ut in favorem sui exerceat jurisdictionem spiritualem.

16. Hi autem casus duplici modo contingere possunt. Primò, si Titius sine pacto expresso offerat munera Sempronio, ut inde moveatur iste ad resignandum beneficium in favorem illus, & Sempronius cognoscat animum offerendi munera, & re vera moveatur ad talem resignationem, illamque faciat; & hoc modo uterque est simoniacus mentali simonia, & est pactum implicitum ex parte utriusque: nam quamvis verbis non paciscantur, id faciũt mediis signis externis, quae gerunt vices verborũ. Munera enim data Clerico resignaturo sunt signa, unde colligit iste, voluntatem praetensoris dandi munera, ut adquirat beneficium; & resignatio beneficii in favorem praetensoris est signum, ex quo colligit praetensor, Clericum resignatorem attendisse ad sua munera, & propter illa motum esse ad resignationem faciendam in favorem illius. Pactum ergo illud constituitur ex ejusmodi signis externis.

17. Secundo modo contingit casus, ita ut Titius offerat munera Clerico resignaturo, eo animo, ut moveatur ad hoc, quod resignet in favorem ejus; Clericus tamen resignaturus recipiat munera, & non cognoscat intentionẽ Titii, neq, ullo modo moveatur ex illis muneribus ad resignãdum in favorem ejus. Et in hoc casu non est pactum utrimque completum, sed tamen

Titius ex parte sua intentat id genus pacti. Inquo casu Titius solus est simoniacus, quia intentat id genus permutuationis rei temporalis pro spirituali. Et quidem simonia non dicitur esse contractus emptionis, & venditionis, sive permutuationis rei temporalis pro spirituali; sed est studiosa voluntas emendi, aut vendendi, sive permutandi, & ideò stat quandoque simonia ex parte unius dumtaxat. Quod clarè conspicitur in facto simonis Magi (unde simoniæ nomen ortum est) qui cum voluerit emere donum Dei, Apostoli compescuerunt ejus sacrilegam audaciam.

18. Et quidem in his omnibus casibus, in quibus datur temporale ut motivum pro assequendo spirituali, aut è converso, reperiri simoniam, multis argumentis ostendi potest. Et primò quidem evidens est, in his casibus dari simoniam mentalem; hæc enim consistit in eo, quod detur aliquid temporale cum interna intentione obtinendi aliquid spirituale, ut omnes Theologi, & Jurisprudentes explicant; sed in his casibus, in quibus datur temporale tamquam motivum pro spirituali assequendo, velè contra, datur temporale cum intentione interna obtinendi spirituale: ergò in his casibus datur simonia mentalis.

19. Et hinc fit, quod pro hac sententia citari possunt omnes Theologi, & Jurisprudentes, qui communi suffragio docent, dari simoniam mentalem, & esse eam, quàm explicuimus. Videantur *P. Suarez, tom. 1. de Relig tract. 3 lib cap. 41.* id manifestè probans ex cap. *Tua nos*, & ex *capit. ult. de simonia*, & omnes Interpretes eorum capitum.

20. Probatur secundò ex capit. *Et si quæstiones.* §. *Quod autem*, de simonia, in quo videtur clarè contineri hæc conclusio. *Quod autem scriptum est: Beatus qui excutit manus suas ab omni munere; de illis donis dictum est, quæ accipientis animum allicere, vel pervertere solent: quoniam si ipsa etiam persona electi offerat ordinatori, vel consecratori suo electuarium, aut de vino, sive de aliis hujusmodi, quæ modici pretii fuerint, & quæ voluntatem recipientis inclinare, vel movere non debeant, non tamen Ecclesia Romana interpretari consuevit, accipientem in his delinquere, vel donantem.* Et quibus verbis clarissimè constat, eum, qui ordinatori suo præbet ea munera, quæ accipientis animum allicere, & movere possunt ad dandum spirituale, quod petitur, simoniacum esse: si vero præbeat ea munuscula esculenta, aut poculenta, quæ voluntatem recipientis movere non debeant, tunc à simonia excusari. Quid clarius dici potuit pro cõclusione asserente, esse simoniam, si detur munus alicujus valoris, tamquam motivum, aut quod possit esse motivum ad dandum rem spiritualem?

21. Et hinc deciditur ea quæstio: (An in materia simoniæ detur parvitas materiæ?) ex hoc enim capit *Et si quæstiones.* Videtur fulciri communis sententia negans. Si enim daretur parvitas materiæ, esset, cùm quis electori. v. g. dat aliquid modici pretii: sed in hoc casu omninò excusat Pontifex à simonia eum, qui dat rem modici pretii: non ergo datur parvitas materiæ.

22. Dices, posse contingere, quod persona electi det aliquid modici pretii & moveat leviter animum electoris: ergò tunc dabitur parvitas materiæ in motivo, atque adeò in simonia.

23. **Sed contra est. Quia movere, & inducere animum electoris ad dandum beneficium, est vehementer inclinare animum illius, nam qui leviter inclinat, non dicitur inducere sicut ergo leviter, & vehementer sunt termini inter se invicem repugnantes, ita motivum, & leviter movere; esse inductivum, & leviter inducere.** Ideò *S. Thomas in 4. dist 25. art. 1. quæst. 3. ad 2.* dixit. *Quia non est probabile, quod animus Iudicis spiritualis flectatur ad aliquid faciendum pro parvo munere.*

24. Probatur tertiò ex capit. *Tua nos.* De simonia, ubi Innocentius III. consulitur an sit simonia, quod Clericus quidam obtulerit bona sua Ecclesiæ Canonicorum postulans, ut ipse recipiatur ut Canonicus talis Ecclesiæ. Et respondet Pontifex, quod si intervenit pactum de hoc inter Clericum, & Canonicos, isti, & ille simoniaci sunt; si vero postquam obtulit sua bona Ecclesiæ, postulavit, ut reciperetur in Canonicum sine ullo pacto, non sunt rei simoniæ. Sed quid, si non interveniente pacto expresso, ipse Clericus offerret ea intentione, ut inde moverentur ad recipiendum illum in suam Ecclesiam, & simonialiter Canonici moverentur ex illa oblatione bonorum ad admittendum illum ad Canonicatum? Respondet Pontifex: *Si tamen is, qui talem donationem facit, eâ intentione ducatur, ut per temporalia bona, quæ offert, spiritualia valeat adipisci, & Clerici, qui eum in fratrem admittunt, non essent eum, nisi commoda temporalia perciperent, admissuri, sine dubio tam ille, quam isti apud districtum Iudicem (qui scrutator est cordium, & cognitor secretorum) culpabiles judicantur.*

25. Itaque quod Clericus offerat bona sua Ecclesiæ Canonicorum sine pacto, ea intentione, ut per hanc oblationem obtineat Canonicatum, est offerre bona sua tamquam motivum ad obtinendum Canonicatum: sed Pontifex declarat, Clericum, sic offerendo sua bona, esse coram Deo simoniacum; sicut, & Canonici, si intentione simili id admittant: ergò ex declaratione Pontificis, simoniacum est offerre bona sua tamquam motivum ad obtinendum Canonicatum.

26. Dices. Pontifex non dicit, eos esse simoniacos sed coram Deo culpabiles. Ergó ex hoc textu non rectè probatur, id esse simoniacum.

27. Sed contra est: esse culpabilem in offerendo pecuniam ad obtinendum Canonicatum non potest esse culpâ in alio genere, quàm simoniæ: ergò idem est dicere esse culpabilem in hoc, quod offerat pecuniam ad obtinendum Canonicatum, ac dicere esse culbabilem vitio simoniæ. Ideò posuit terminum *culpabiles*, & non usus est voce *simoniaci*, ne videretur eos adnumerare simoniacis, qui tales sunt in foro exteriori; quia cum intentio sit res occulta, solum ea potest cognosci à Deo, qui scrutator est corum. Et ideò Glossa verb. *Culpabiles*, dicit. *Isti simoniaci non dicuntur, quantum ad Ecclesiam.* Id est, in judicio Ecclesiæ. Glossa marginalis ibid. subjungit. *Tenendum tamen est, quod numquã sola intentio inducit, nisi mentalem.* Vide etiam pro assertione præcipua cap. *Mandato.* de simonia.

28. Probatur quartò. Quoties datur oblatio temporalis pro spirituali, quæ equivalenter est emptio, sive in qua illud temporale æquivalenter est pretium, committitur vitium simoniæ; sed quando offertur

tur temporale tamquam motivum ad obtinendum spirituale, ea oblatio æquivalenter est emptio, & illud temporale æquivalenter est pretium: ergò cum fit ejusmodi oblatio temporalis tamquam motivum ad obtinendum spirituale, committitur simonia. Majorem supponunt communiter Theologi, & Jurisprudentes, qui dum definiunt simoniam esse emptionem, & venditionem spiritualis pro temporali, aut è converso, dicunt ita intelligi definitionem, ut intelligatur quilibet contractus onerosus, qui in prudentium existimatione sit æquivalenter emptio, & venditio.

29. Jam vero minor probatur manifestè. Nam ubi quis datis muneribus movet Judicem, ut ferat pro illo sententiam iniquam, omnes dicunt, Judicem vendidisse Justitiam. Quare, nisi quia in prudentum existimatione pro eodem est vendere justitiam, ac moveri pecunia, aut muneribus ad inferendam injustitiam? Ergò offerre temporale tamquam motivum ad obtinẽdum spirituale, sive quod idem est, movere muneribus collatorem, ut illi conferat beneficium Ecclesiasticum, est æquivalenter emptio, & præfata munera sunt æquivalẽter pretium, & in prudentium existimatione, pro eodem habetur muneribus movere collatorem ad conferendum beneficiũ, ac si re ipsa daretur emptio, & venditio. Quà in re non spero, inveniri disparitatem.

30. Et urgetur constituendo utramque hypothesim in Judice Ecclesiastico, qui exercet jurisdictionem Ecclesiasticam circa jus ad beneficium, quod habet Titius contra Sempronium. Si ergo Sempronius muneribus corrumpat Judicem, ut pro illo ferat sententiam iniquã, & conferat ei beneficium, dicitur Judex vendidisse judicium, propter munera, quæ ad id moverunt: ergò dicitur etiam vendidisse collationem beneficii, propter munera, quæ ad id movebant.

31. Hinc fit, quod quamvis aliqui Recentiores dicant, ad simoniam omninò requiri rationem pretii, non propterea damnandi sunt, tamquam si excluderent rationem motivi; quia expresè docent non debere intelligi pretium formale; sed id, quod fuerit æquivalenter, seu virtualiter pretium. Constat autem ex dictis, id genus motivi virtualiter, & æquivalenter esse pretium.

32. Probatur quintò. Nam juxtà *S. Thomam 2.2. quæst. 10. art. 2. ad 5.* simoniacum est: *Per pecuniam parare sibi viam ad spirituale obtinendum*: sed qui dat pecuniã collatori, tamquam motivum ad spirituale obtinendum, per pecuniam parat sibi viam ad spirituale obtinendum: ergò simoniacum est dare pecuniam, aut aliquid temporale collatori, aut præsentatori, tanquam motivum ad spirituale obtinendum.

33. Probatur sextò. Nam, ut constat ex cap. *Quæsitum.* De rerum permut. Et cap. *Tua nos.* De simonia, & ex aliis textibus juris Canonici, omnis pactio, quæ fit circa spiritualia, aut spiritualibus annexa, simoniaca est: sed quando quis dat munera Collatori, tanquam motivum, ut sibi conferat beneficium; & Collator id intelligens, attendens ad præfata munera, & ex illis motus conferat illi beneficium, datur pactum, & si non expressum, implicitum tamen: ergò dare temporalia munera tanquam motivum ad beneficium Ecclesiasticum obtinendum, & conferre beneficium Ecclesiasticum propter munera tanquam

quam propter motivum, est utrimque simoniacum.

34. Probatur minor. Pactum enim est, mutua duorum (aut plurium) conventio, & consensus: quando casus ita contingit, ambo mutuo conveniunt, & consentiunt; alter dando munera propter beneficium obtinendum, alter conferendo beneficium propter munera: ergò in eo casu datur pactum, saltem implicitum. Vide, quæ in confirmationem hujus dixi suprà.

35. Probatur septimò. Nam qui daret pecuniam tamquam motivum inducens collatorem, ut sibi conferat beneficium, quis negabit id esse pretium, & procurari emptionem, sicut qui daret pecuniam judici tamquam motivum ad habendum pro se sententiam iniquam, diceretur cum veritate emisse sententiam? sed juxtà *S. Thomam 2.2. quæst. 100. art. 2. Per pecuniam intelligitur omne illud, cujus pretium potest pecunia æstimari:* Ergò qui Collatori dat munera (quorum pretium potest pecunia æstimari) tamquam motivum, ut sibi conferat beneficium, dat quidem pretium, & procurat emptionem beneficii.

36. An autem possit accipi aliquid temporale spirituali annexum propter aliquid temporale tamquam propter motivum intrinsecum? dicam cap. 5.

* *
*

CAPUT III.

An sit simonia dare temporale pro spirituali, aut è converso, tamquam gratuitam compensationem?

ARTICULUS I.

An pactum de dando ex gratitudine temporale pro spirituali, aut è contra, sit simoniacum?

SUMMARIUM.

Discrimen inter gratuitam donationem, & gratuitam compensationem, n. 37.

Gratuita compensatio intelligitur ea datio, quæ fit ex gratitudine, n. 38.

An liceat dare aliquid spirituale cum pacto dandi aliquid temporale ex præcisâ gratitudine, n. 39.

Praxis quorumdam obligandi se ad tantam pecuniam dandam ex mera gratitudine pro Beneficio, n. 40.

Plures Authores, qui hanc praxim admiserunt ut probabilem n. 41.

Authores, qui illam opinionem censent improbabilem, n. 43. & seqq.

37. Suppono, magnum esse discrimen inter gratuitam donationem, & gratuitam compensationē. Nam gratuita donatio est, quæ fit ex mera liberalitate, ita ut non detur propter debitū, neq; cum onere. Nam si daretur cum onere dandi, aut faciendi aliquid, non esset donatio, sed contractus onerosus. Et cum dicitur non dari propter debitum, intelligitur propter debitum verum, vel existimatum. Et licet

ad

ad hoc genus pertineat etiam donatio remuneratoria, purè spontanea, juxta communem modum loquendi; in præsenti autem sumi debet liberalis donatio, prout condistinguitur à donatione remuneratoria.

38. Juxta terminos ergò hujus decreti gratuita compensatio intelligitur esse ea datio, quæ fit ex gratitudine, sive propter debitum gratitudinis verum, sive propter existimatum. Et quod hic sit sensus hujus damnationis patet: Omnis enim compensatio vel est ex justitia, vel ex gratitudine: sed in hoc decreto non loquitur propositio de compensatione ex justitia; hæc enim non est gratuita: ergò loquitur de compensatione, quæ fit ex gratitudine.

39. Damnat ergò Pontifex opinionem docentem, non esse simoniacum illum, qui ex gratuita compensatione dat temporale pro spirituali, vel spirituale pro temporali. Circà quod nonnullæ quæstiones veniunt disputandæ. Prima, & quæ ad hujus temporis praxim magis est necessaria, est, An licitum sit dare aliquid spirituali annexum cum pacto, ut recipiens illud spirituale subeat obligationem, ex præscisa gratitudine, dandi aliquid temporale, vel è converso? V. g. an licitum Patrono præsentatori Beneficii Ecclesiastici præsentare Titium ad beneficium talis Ecclesiæ cum pacto, ut gratum se exhibeat, & ex gratitudine det tantam pecuniæ quantitatem? Vel, quod Titius det tantam quantitatem pecuniæ illi Patrono, cum pacto, ut ex gratitudine se obliget ad præsentandum filium suum ad tale beneficium?

40. Dixi, hujus quæstionis decisionem esse necessariam ad hujus temporis praxim. Audivi enim, esse valde usitatam his temporibus praxim partis affirmativæ, in quibusdam locis, ubi non semel resignarunt beneficium in favorem alterius, qui se obligabat ad compensandum beneficentiam per multa millia argenteos octuplos (patacones vocant) sed fallens se ipsum dicebat, se obligare ad id ex mera gratitudine. Resignabant etiam beneficia pro decem annatis, computatâ quantitate redituum annuorum, exigentes eam quantitatem prætextu obligationis antidoralis. Et sic in multis aliis.

41. Esse licitum pacisci, de dando ex gratitudine dono temporali pro re spirituali, aut spiritualibus annexa, aut è converso, fuit opinio non paucorum. Ita *Diana part. 2. tract. 2. miscell resol. 39. & part. 10. tract. 5. miscell. resol. 5.* & apud ipsum *Rocaful. Gaspar Hurtado, Machado. Fragosus, Tannerus, & Felinus.* Et aliis in locis, præcipuè *part. 11. tract. 5. resol. 20. §. Dixi.* Item apud *Amadaum tract. de simonia prop. 1.* tenent *Covarrub.* supplementum *Gabrielis, Marcus Vidal, Galleti, Calestinus, Guilinus, Ioannes de Soria,* & alii. Sed non omnes, qui citantur, militant pro ea opinione; quamvis dicant, illum, qui resignat beneficium in favorem Titii, posse petere, impleat obligationem antidoralem, sine eo quod subeat novam obligationem; quod est valde diversum, ut mox dicam.

42. Alii verò præcipuè ex Recentioribus Theologis, dicunt talem resignantem in favorem Titii, posse imponere novam obligationem Titio, implendi obligationem antidoralem, dando sibi ex gratitudine donum temporale; idque sub ea conditione, quod si nolit dare donum antidorale, non resignabit beneficium in favorem illius.

43. Quam opinionem semper judicavi improbabilem, etiam ante condemnationem ejus. Nam *P. Suarez tom. 1. de Relig. lib. 4. de simonia cap. 5. num. 11.* ait: *Hanc dico esse non palliatam, sed manifestam simoniam, vel usuram, & contrarium aperire viam, & januam latissimam usuris, & simoniis.* Et *num.* 8. dixerat: *Eorum sententia probabilis non est.*

44. Et *P. Iosephus Gibalinus in tract. de simonia quæst. 18 consectario. 3. num. 5. de præfata opinione* hoc profert judicium: *Hanc tamen sententiam cæteri passim rejiciunt, imò & aliqui graviori nota configunt, & tamquam temerariam damnant, & re ipsa simoniacam, aut simoniæ periculo proximã; quumque si sequamur, miram rerum omnium confusionem inducemus: omnes enim dicent, se pacisci de aliquo temporali pro spirituali, tamquam de antidoro, & non de pretio, eaque simulatione tegent omnes conventiones simoniacas magno animarum damno, vagabiturque impunè simonia, & omnia sacra contaminabit.*

45. Et præter hos duos Authores sunt ejusdem sententiæ apud *Suarium*, ubi suprà *cap.* 45. *num.* 9. *D. Thomas, Innocentius, Cajetanus, Sotus, Gabriel, Ostiensis, & Felinus.*

ARTICULUS II.

Vrgentibus argumentis roboratur assertio tradita.

SVMMARIVM.

Qui exigit titulo gratitudinis aliquid temporale, excedit limites obligationis antidoralis. num. 46. & seqq.

Qui recipit benefactum ab exigente quamcumque compensationem, etiam gratuitam, non obligatur antidoraliter. n. 50.

Confirmatur ex Seneca. num. 51 & seqq.

Evasio impugnatur. num. 53. & seqq.

Proposito simili casu, stabilitur doctrina tradita. num. 55.

46. PRobatur primò ex dictis de usura, in qua eadem ratio militat. Qui conferens beneficium Ecclesiasticum, exigit titulo gratitudinis, sive obligationis antidoralis aliquod donum temporale, exigit aliquid supra ipsam obligationem antidoralem, sive ultra debitum gratitudinis: ergò implicat, quod exigatur illud donum temporale, & quod illud sit ex debito obligationis antidoralis. Probatur antecedens: Nam obligatio naturalis antidoralis, quâ obstringitur ille, qui accipit aliquod beneficium, non determinat aliquid temporale, per quod debeat recompensare ex gratitudine beneficium acceptum; cùm sufficienter impleat eam obligationem naturalem antidoralem, per hoc quod fundat preces ad Deum pro eo, & ad summũ teneatur ad aliquam opem temporalem, si benefactor constituatur in extrema, aut gravi necessitate, & ut brevioribus terminis dicam, solùm tenetur ad gratificandũ, prout ipse acceptor beneficii elegerit spontaneè: ergò qui pro collato beneficio Ecclesiastico exigit aliquid temporale, exigit aliquid, ad quod non obligat ipsa obligatio antidoralis. Ergò vult obligare illum ad aliquid, ad quod non tenetur ex gratitudine.

47. Confirmatur primò. Nam obligatio antidoralis nascitur ex ipsa datione beneficii; sed ex datione beneficii non oritur obligatio dandi talem compensationem pecuniæ, aut munerum: ergò obligatio dandi talem compensationem pecuniæ, aut

aut munerum non est obligatio antidoralis. Ergò ea est nova obligatio, & onerosa.

48. Confirmatur secundò. Nam obligatio, quam imponit Collator beneficii accipienti illud, dandi ex gratitudine tantã quantitatem, continet duplicem obligationem. Prima est obligatio antidoralis, & quia hæc non obligat ad dandam pecuniã, obligatio, quæ imponitur dandi pecuniam, est alia secunda obligatio de novo imposita, illa quidem onerosa: ergò ultra obligationem antidoralem, imponitur obligatio onerosa: cùm ergo contractus onerosus, in quo detur temporale pro spirituali, & è contra, sit simoniacus; & hic ultra obligationem gratitudinis inveniatur contractus onerosus, fit evidens, in eo committi simoniam.

49. Confirmatur tertiò Obligatio antidoralis nascitur ex datione beneficii; & obligatio dandi pecuniam pro re spirituali nascitur ex novo pacto dandi pecuniam: ergò hæc obligatio dandi pecuniam diversa est ab obligatione antidorali; atque adeò non datur pecunia ex obligatione antidorali, sed ex contractu oneroso, & consequenter simoniaco.

50. Probatur secundò. Qui recipit aliquob benefactum ab eo, qui petet quocumque modo compensationem, non tenetur obligatione antidorali; nam eo ipso quod exigit compensationem, non facit beneficium, sed magis consulit suæ rei; atqui acceptor benefacti non habet titulum, ob quem debeat ostendere gratitudinem suam: ergò implicat, quod recipiens beneficium Ecclesiasticum, à quo exigitur ex compensatione, det ex gratitudine eam compensationem temporalem, quam exigit Collator.

51. Confirmatur ex Principe Philosophiæ Stoicæ *Seneca*, qui *lib. 4. de Benefic. cap. 3.* sic differit: *Nulli ergo beneficium dabunt, si una dandi causa est, se intueri, ac commodum suum. Istud non est beneficium, sed fenus: circumspicere, non ubi ponas, sed ubi quæstuosissimè habeas, unde facillime tollas.* Unde quando Collator Beneficii Ecclesiastici exigit compensationem temporalem, quamvis dandam prætextu gratitudinis; respondери illi debet cum Seneca: *Istud non est beneficium, sed fenus.*

52. Et *lib. 1. de Benefic. cap. 1.* ait: *Nemo autem libenter debet, quod non accepit, sed expressit.* Id est, nemo debet exhibere se gratum, pro eo beneficio, quod non accepit gratis, sed extorsit in vim compensationis promissæ. Et paulò inferius: *Demus beneficia non feneremus. Dignus est decipi qui de recipiendo cogitavit, cùm daret.* Sed quare dignus est decipi, nisi quia non debetur ei obsequium gratitudinis, eo ipso quod de recipiendo cogitavit? Et magis explicuit paulò post. Quæ (beneficia) *si quis non dat, quia recipit, dedit, ut reciperet: bonamque ingratorum fecit causam.* Id est, bonam habent causam ad non exhibendum obsequia gratitudinis; non autem causa esset bona, si adhuc persisteret obligatio gratitudinis.

53. Dices ad hoc pactum gratitudinis faciendum, non attendi debere, nisi primum tempus, in quo promittitur beneficium, & hoc præcisè attento, deberi obsequia gratitudinis, super quibus quare non erit licitum pacisci?

54. Sed hæc evasio no valet, quamtumvis moralitatem contractus onerosi, & gratitudinis velint reducere ad metaphysicas præscisiones. Etenim quando Collator vult

vult conferre beneficium Ecclesiasticum, & declarat intentionem suam respiciendi ad compensationem, antequam fiat pactum, jam cessat obligatio gratitudinis in recepturo beneficium: *dignus est enim decipi qui de recipiendo cogitavit, cum daret.* Ut dixit Stoicorum Princeps. Nam eo ipso quod cogitavit de compensatione beneficii, quod mihi dat, nullas ei gratias referre debeo.

55. Probatur tertiò, proponendo casum, quem etiam agens de usuris proposui, ex quo infertur evidentèr, eum, qui dat beneficium Ecclesiasticum obligans alium, ut prætextu obligationis antidoralis det certam pecuniæ quantitatem, committere simoniam palliatam eo prætextu. Titius Canonicus Ecclesiæ Cathedralis habeat equum valoris tercentum argenteorum octuplorum; habet etiam suam præbendam, cujus decem annatæ sunt argentei octupli usque ad viginti millia. Sempronius desiderat sibi equum; & Cajus desiderat, ut in sui favorem resignet Titius præbendam. Accessit Sempronius, & postulavit, venderet sibi equum. Negavit Titius, se venditurum, dicens esse contra generositatem viri nobilis vendere; & subjungens, velle se dare illi equum, sed sub pacto, quod titulo gratitudinis daret sibi eos trecentos argenteos octuplos. Numquid non rideres talem modum gratitudinis? Numquid negare pôsses, eam esse gratitudinem ridiculam?

56. Vide ergò, an invenias aliquod discrimen in secunda parte hujus casus. Nam Cajus postulavit à Titio, ut in favorem suum resignaret Canonicatum; respondit Titius libenter facturum, si Cajus se obliget ad dandum sibi ex gratitudine decem annatas, id est, viginti millia octuplorum argenteorũ. Quodnam discrimen assignabis inter eam donationem equi, & hanc resignationem præbendæ. Nam vel utraque est verè emptiò, & venditio, vel utraque est donatio liberalis, cui ea officia gratitudinis debeantur. Quod si hoc secundum dixeris, quis non ridebit? Patet ergò, hanc resignationem præbendæ in favorem Caii esse simoniam palliatam prætextu ridiculo gratitudinis, vel potiùs, ut dixit *Suarius* suprà, simoniam manifestam.

ARTICULUS III.

Occurritur Objectionibus.

SUMMARIUM.

Non est simonia, quod fiat pactum de implenda obligatione antidorali, si verò fiat de tali obligatione doni temporalis, simoniacum est. n. 58.

Qui facit pactum de nova obligatione ultra antidoralem, simoniam committit. n. 60.

Quomodo intelligantur termini emptionis, & venditionis in definitione simoniæ. n. 63

57. Objicies primò. Non est simoniacum pactum de eo, quod de jure inest, nam si Collator beneficii Ecclesiastici paciscatur cum recipiente illud, quod soluturus sit annuos redditus ex censu, qui impositus est super fundo ipsius Beneficii, nihil continet simoniæ, quia de jure inest obligatio solvendi eos reditus. & idem est, si paciscatur de solvenda pensione, quæ antea erat imposita authoritate Pontificis, sed obligatio antidoralis de jure inest in quolibet recipiente beneficium: ergo non est simoniacum pactum de obligatione antidorali implenda.

58. Respondetur, quamvis possit conce-

dito-

di totum; quia ex eo, quod possit fieri pactum de obligatione antidorali implenda, non infertur, quod ratione illius obligationis teneatur ad dandum temporale pro spirituali, aut è contra; sed majoris explicationis gratiâ distinguo minorem: obligatio antidoralis (de obsequio tali determinato,) de jure inest, nego: (de obsequio ad placitum rationale recipientis beneficium) concedo. Quæ distinctio patet ex dictis.

59. Objicies secundò. Qui recipit à Collatore beneficium Ecclesiasticum, cum eo ipso subeat obligationem antidoralem, potest sponte offerre impletionem talis obligationis, faciendam per aliquid temporale determinatum: sed hæc promissio acceptata à Collatore est pactum de tali determinata impletione facienda per aliquid temporale: ergò potest fieri pactum de implenda obligatione antidorali per aliquid temporale, atque adeo de tali compensatione gratuita.

60. Respondeo distinguendo majorem: potest promittere implere obligationem antidoralem per aliquid temporale determinatum (faciendo novam obligationem ultrà antidoralem) nego; (ita ut maneat in sola obligatione antidorali,) omitto. Potest quidem determinare voluntatem dandi illud temporale; sed non propterea manet obligatus ad id temporale, quia non se intendit obligare, nisi ad illud solùm, ad quod obligat ipsa obligatio antidoralis. Et cùm hæc sufficienter impleatur fundendo preces ad Deum pro benefactore vi illius promissionis, quæ nihil addit obligationis ultrà antidoralem, non obligatur ad aliquid temporale, sed solùm ad illud obsequium, quod ipsi rationabiliter placuerit. Quod si ea promissio aliquam ampliorem obligationem superaddat, simoniaca est; utpotè pactum novum ultra obligationem antidoralem.

61. Itaque si talis promissio implendi obligationem antidoralē per aliquid temporale determinatum, nihil aliud sit, quam (ut loquitur *P. Suar. lib. 4 de simonia c. 45. n. 9*) *commemoratio, & recognitio* obligationis antidoralis; hoc modo non inducit novam obligationem, & ideo non manet ille obligatus ad talem determinatam compensationem, quam sponte obtulit, sed potest mutare in aliud obsequium fundendi preces ad Deum pro benefactore, aut aliud quidpiam. Si verò sit promissio inducens obligationem ad tale temporale, hoc modo simonia committitur. Dixi, *Omitto*, quia id solùm habet locum in speculatione, non in praxi; in qua, ut verba ligant homines, verba promissoria relinquunt hominem practicè in nova obligatione, ultra antidoralem.

62. Objicies tertiò. Non datur simonia, nisi ubi datur temporale tamquam pretiū rei spiritualis, vel è contra; sic enim omnes admittunt in definitione simoniæ: sed temporale, quod datur etiam cum pacto expresso, propter gratitudinem, non datur tamquam pretium; ergò cùm datur illud temporale, etiam cum pacto expresso, non datur simonia.

63. Respondetur, omnes Theologos, & Jurisprudentes admittere definitionem simoniæ sub terminis emptionis & venditionis, & pretii; sed simul explicare, nomine emptionis, & venditionis intelligi in hac materia quemlibet contractum onerosum, aut commutationem spiritualis pro temporali; aut è converso. Nam ut initio *cap. 1.*

Zzz notavi,

notavi, S. *Thomas* 2.2. *quæst*. 100. *art*. 1. ubi simoniam explicavit sub terminis emptionis, & venditionis, postea ad quintum dixit, *nomine emptionis, & venditionis intelligi omnem contractum non gratuitum*. Juxta quam explicationem neganda est minor: Nam, ut dictum est, illud pactum de tali compensatione gratuita est contractus onerosus distinctus ab obligatione antidorali.

ARTICULUS IV.

An sit simoniacus, qui accipiens beneficium Ecclesiasticum promittit se fore gratum?

SUMMARIUM.

Proponitur casus frequentior. n. 64.
Si ea promissio sit sine intentione dandi temporale pro spirituali, nō est simoniaca. n. 65
Si attentis circumstantiis, significat se daturum temporale pro spirituali, committitur simonia. n. 66.
Hæc non est solùm mentalis, sed etiam conventionalis, n. 67.

64. FRequens est inter eos, qui aspirant ad beneficia Ecclesiastica obtinenda, ut cùm quis resignat beneficium in favorem alterius, iste resignatarius, ne incidere videatur in simoniaci criminis barathrum, non velit designare quantitatem pecuniæ tribuendæ resignatori, sed solùm dicat resignatori: *Fiduciam habe in me, ero enim tibi gratus*. Alii autem hæc sola verba proferunt: *Ero tibi gratus*. Inquirimus ergò in præsenti, an horum verborum prolatio sit sufficiens ad crimen simoniæ. Et ex dictis facilis est responsio.

65. Dico primò. Si hæc verba, *Ero tibi gratus*, dicantur syncerè, & sine intentione dandi temporale pro spirituali, sed solùm exponendo suam obligationem antidoralem, non committi simoniam. Patet. Nam per hæc verba non manet obligatus ad dandum aliquid temporale, sed solùm ad implendam obligationem antidoralem; quam implere potest fundendo preces ad Deum pro resignatore: in hoc autem nullum est vestigium simoniæ: ergò.

66. Dico secundò. Si quis dicat ea verba taliter, quod attentis circumstantiis, significet se daturum temporale pro spirituali, ut in casu initio articuli proposito, committit crimē simoniæ. Patet etiam hæc secunda conclusio ex dictis. Quia quamvis ea prolatio verborum nudè sumpta non significet aliquod munus temporale tribuendum, ex circumstantiis, & comuni modo loquendi inter ejusmodi Clericos usitato, verè significat tribuendā esse compensationem temporalem. Constat autem ex supradictis in articulis antecedētibus, eum, qui promittit, se daturum ex gratitudine compensationem temporalem, facere novam obligationem, & novum pactum, ultra obligationem antidoralem; atque adeò committere simoniam.

67. Inquiritur secundò, an in casu hujus secundæ conclusionis committatur simonia solùm mentalis, contra quam non sunt impositæ pœnæ in jure Canonico; an verò etiam simonia conventionalis? Et dicendum est, in tali casu non dūtaxat mentalem, sed etiam conventionalem simoniā committi pœnis juris Canonici condemnandam. Probatur: Nam ea verba: *Ero tibi gratus*, ita inter illos sunt accepta, ut significent promissionem compensationis temporalis: ergò non est simonia dumtaxat ex intentione, sed etiam ex significatione verborum, & signis externis. sed hæc est simonia conventionalis: ergò.

CA-

CAPUT IV.

An Ecclesia possit prohibere tamquam simoniacum, quod recipiens aliquid spirituale, faciat donationem spontaneam; & an de facto prohibuerit?

ARTICULUS I.

Duæ priores quæstiones discutiuntur.

SUMMARIUM.

Explicatur vis difficultatis. num. 68.
Tres quæstiones continentur sub titulo n 69.
Ecclesia potest prohibere donationes gratuitas propter speciem mali. n. 70.
Probatio ex Divo Paulo. num. 71.
Donationes purè liberales aliquando afferunt suspicionem simoniæ. num. 72. & seqq.
Cùm Ecclesia prohibet eas donationes, illæ sunt simoniacæ n. 74
Quomodo intelligatur, quod lex fundata in præsumptione falsa non obligat. num. 76. & seqq.
Quomodo illi donationi conveniat definitio simoniæ? num. 77. & seqq.
Quomodo Ecclesia possit facere, quod sit simoniaca illa actio, quæ ex natura sua non est talis? num. 79. remissivè.

68. INitio *capitis* 3. diximus, quanta sit diversitas inter compensationem gratuitam, & donationem gratuitam: hæc enim est spontanea, & purè liberalis, & non dat temporale pro spirituali; quamvis illud det præcedente datione rei spiritualis Nam præpositio *Pro*, quæ denotat compensationem, vel commutationem, non cadit in illud, quod datur merè gratis. *Et cum cap. præced.* tractaverimus de compensatione gratuita, dicemus modo de donatione gratuita, & purè liberali.

69. Igitur sub titulo hujus *cap.* continentur 3 quæstiones. Prima: An Ecclesia possit prohibere donationem gratuitam, & purè liberalem, faciendam ei, qui dedit aliquid spirituale, aut spirituali annexum? Secunda: An casu, quo id prohiberet, violatio ejus prohibitionis esset simoniaca? Tertia: An de facto Ecclesia ita prohibuerit?

70. Quod attinet ad primam quæstionem, dicendum est, posse Ecclesiam facere eam prohibitionem. Ita *P. Suarez, lib. 4. de simonia c. 49 n. 5. & P. Gibalinus de simonia quæst. 18. consectar. 2. nu. 2.* Probatur Ecclesia enim non solùm potest prohibere actiones ex se pravas, sed etiam eas, quæ suo judicio afferunt suspicionem, aut speciem mali: sed fieri potest, quod judicio Ecclesiæ aliquæ donationes gratuitæ factæ ab illis, qui recipiunt spiritualia, habeant suspicionem, & speciem mali: ergò eas donationes gratuitas potest Ecclesia prohibere.

71. Major per se patet, & probatur ex *D. Paulo. 1. Thessalon cap.* 5. ubi ait: *Ab omni specie mali abstinete.* Ea autem, à quibus censet *D. Paulus* abstinendum esse, potest Ecclesia præcipere fidelibus, ut abstineant. Cofirmatur. Ecclesia enim potest præcipere, quidquid oportet ad vitam Christianam rectè instituendam; sed ad vitam Christianam rectè instituendam, oportet ab omni specie mali abstinere, ut constat ex *D. Paulo*: ergò potest præcipere abstinentiam ab illis, quæ afferunt speciem mali.

72. Minor vero prioris sillogismi non minus constat: solent enim ejusmodi donationes, licet purè liberales, afferre suspicionem, & speciem simoniæ, quando qui recepit spiritualia, dat purè liberaliter temporalia: ergò potest fieri, quod judicio Ecclesiæ ejusmodi donationes purè liberales habeant speciem mali.

73. Confirmatur. Nam Ecclesia prohibuit permutationem unius beneficii cum alio factam authoritate propriâ, quia licet in rigore loquendo non fiat permutatio temporalis cum spirituali (quamvis aliquo modo dici possit, tunc dari temporale pro spirituali, ut dixi *in 3. part. Crist. Theol. disp. 68 cap. 3.*) tamen quia ea actio affert speciem mali, quæ dedecet res spirituales, id prohibuit Ecclesia intuitu Religionis: ergò similiter intuitu Religionis potest Ecclesia prohibere eas donationes spontaneas, quæ præ se ferunt speciem mali, & consequẽter indecentiam respectu rerum spiritualium.

74. Ad secundam quæstionem dicendum est, casu quo prohibeat Ecclesia intuitu Religionis donationes omninò gratis factas occasione actionis spiritualis, illas fore simoniacas. Ita *Pater Suarez*. ubi suprà. Et ratio mihi videtur efficax. Etenim quando Ecclesia prohibet actionem intuitu Religionis, violatio ejus prohibitionis est irreligiosa, & sacrilega; ut patet in prohibitione accipiendi Eucharistiam post sumptionem cibi, vel potus, cujus violatio sacrilega est; cùm ante prohibitionem talis susceptio Eucharistiæ nihil haberet sacrilegii: ergo prohibitio illius spontaneæ donationis facta intuitu Religionis, esset saltem irreligiosa, & sacrilega. Deinde cùm non fieret ea prohibitio utcumque intuitu Religionis, sed quia illa donatio, licet spontanea, haberet speciem mali & commutationis temporalis pro spirituali, ita non esset irreligiosa utcumque, sed in eodem ordine, in quo est commutatio temporalis pro spirituali.

75. Dices primò Lex, quæ fundatur in præsumptione, si præsumptio hic, & nunc est falsa, tunc non obligat: sed lex, quæ prohiberet donationem liberalem, propter speciem mali, sive propter præsumptionem pacti initi, sæpius contingere potest, quod nitatur in præsumptione falsa: ergò tunc non obligabit.

76. Respondeo distinguendo majorem: [si ipsa præsumptio (sive vera sive falsa) censeatur indecens respectu rerum spiritualium, & ideò prohibeatur] non obligat, nego; [si non censeatur afferre eam specialem indecentiam,] concedo. Et sic intelligenda est ea propositio, quæ communiter traditur à Doctoribus. Itaque quando præsumptio, sive vera, sive falsa, affert indecentiam, aut nocumentum, aut aliud grave inconveniens, & lex fertur propter vitandam eam indecentiam, aut nocumentum, &c. quod affert aliqua actio, etiamsi præsumptio sit falsa, non cessat finis legis, atque adeò obligat ipsa lex.

77. Dices secundò. Illa actio non est simoniaca, cui non convenit definitio simoniæ: sed definitio simoniæ non convenit illi donationi liberali: ergò hæc non est simoniaca. Probatur minor. Nam definitio simoniæ ex S. Thoma initio hujus dissertationis relata est *Studiosa voluntas emendi, vel vendendi aliquid spirituale, vel spirituali annexum.* Quæ verba, ut explicat idem S. Doctor, comprehendunt omnem contractum non gratuitum: sed donatio liberalis, quamvis facta occasione doni spiritualis, non potest dici contractus non gratuitus; quia neque est contractus, neque est non gratuitus: ergò non convenit illi definitio simoniæ.

78. Respondeo, definitiones rerũ moralium intelligendas esse in eo sensu, qui colligitur ex dispositionibus Ecclesiæ. Si ergò Ecclesia intuitu Religionis prohibeat, non solùm

solum contractus onerosos, sed eas actiones, quæ habent speciem, & suspicionem talium contractuum, quia talem suspicionem censet indecentem respectu rerum spiritualium, dicendum est, definitionem intelligi debere etiam de contractu existimato prohibito, ut tali. Et ita respondet *P. Suarez* suprà relatus.

79. Dices tertiò. Ecclesia non potest mutare naturas rerum: sed donatio purè liberalis ex natura sua non est simoniaca: ergò Ecclesia non potest mutare naturam illius, neque facere, quod talis donatio sit simoniaca. Sed huic objectioni satisfeci *capit. 1. num. 7. & seqq.*

ARTICULUS II.

An in aliquibus casibus prohibuerit Ecclesia donationem purè liberalem, tamquam simoniacam.

SUMMARIUM.

Duplex sententia, & ejus Authores, n. 80.

Prohibet Tridentinum donationem liberalem pro Sacramento Ordinis suscipiendo, num. 81.

Eam donationem prohibet tamquam simoniacam, n. 82.

Prohibet etiam, ne examinatores ad beneficium parochiale aliquid accipiant ab examinandis, declarat que simoniacos eos, qui accipiunt, n. 83.

Prohibet id propter amovendam suspicionem avaritiæ, n. 84.

Alii textus juris Canonici examinantur, num. 85.

Aliquæ donationes approbantur in jure, si fiant animo liberali, n. 86.

80. In hac quæstione *Pater Castro Palao, tom. 3. tract. de simonia punct. 5. numer. 6. & P. Gibalinus de simon. quæst. 18. numer. 2.* asserunt, nullam donationem purè gratuitam prohiberi ab Ecclesia ut simoniacam, præsertim extra materiam beneficiorum. *P. Suarez. tom. 1. de Relig. lib. 4. de Simonia capit. 49.* in materia ordinis inclinat magis in eam sententiam, quod donatio purè liberalis prohibeatur ut simoniaca ab Ecclesia; generaliter tamen docere videtur, aliquas ejusmodi donationes esse prohibitas, ut simoniacas, ex quibus aliquas ibidem explicat.

81. Et hanc secundam sententiam censeo veram. Et primò quidem *Tridentinum sess. 21. cap. 1. de reformat.* quamcumque donationem, quantumvis merè liberalem, pro Sacramento Ordinis suscipiendo, prohibet intuitu Religionis, propter suspicionem avaritiæ, sive contractus onerosi omninò indecentem tam sacris mysteriis. Quod prohibeat eas donationes omninò liberales, constat illis verbis: *Nihil pro Collatione quorumcumque Ordinum, etiam Clericalis tonsuræ, nec pro litteris dimissoriis, aut testimonialibus, nec pro sigillo, nec alia quacumque de causa, etiam SPONTE OBLATUM, Episcopi, & alii Ordinum Collatores, aut eorum ministri quovis prætextu accipiant.* Ubi manifestum est, præcipere Concilium, ne Episcopi, aut ministri aliquid accipiant, etiam sponte, & liberaliter oblatum. *Notarii vero in iis tantum locis, in quibus non urget laudabilis consuetudo nihil accipiendi, pro singulis litteris dimissoriis, aut testimonialibus decimam tantum unius aurei partem accipere possint, dummodo eis nullum salarium sit constitutum pro officio exercendo: nec Episcopo* ex

ex notarii commodis aliquod emolumentum ex eisdem ordinum collationibus directè, vel indirectè provenire possit. Censet autem Concilium, pro dignitate tam sacrorum mysteriorum, hæc non ministrari omninò gratis, si aliquid recipiat Collator, vel Minister, etiam per gratiosam, & liberalem donationem. Et ideò subjungit: *Tunc enim gratis operam suam eos præstare omninò teneri decernit.* Et deinde reprobat contrariam consuetudinem.

82. Quod autem eam donationem, quantumvis liberalem, in ministratione ordinum, prohibeat Concilium tanquam simoniacam, constat primò ex præmio, ubi dicitur: *Quoniam ab Ecclesiastico Ordine omnis avaritiæ suspicio abesse debet.* Ubi notabis primò, suspicionem avaritiæ esse suspicionem contractus onerosi, in quo detur temporale pro spirituali. Notabis secundò, non solum esse indecentē & irreverentem Sacris Ordinibus, ipsum contractum onerosum, in quo detur temporale pro ordine suscipiendo, sed etiam censeri à Concilio irreverentem, & indecentem Sacris Ordinibus suspicionem contractus onerosi. Motivum autem prohibendi actionem propter suspicionem contractus onerosi dandi temporale pro spirituali, esse ejusdem rationis, ac motivum prohibendi actionem propter verum contractum onerosum dandi temporale pro spirituali; atque adeò utrumque est motivum prohibendi actionem tanquam simoniacam. Et ideò subdit Concilium: *Contrarias taxas, ac statuta & consuetudines etiam immemorabiles quorumcumq; locorum, quæ potius abusus, & corruptelæ, SIMONIACÆ pravitati faventes, nuncupari possunt, penitus cassando, & interdicendo. Et qui secùs fecerint, tam dantes, quàm accipientes, ultra Divinam ultionem, pœnas à jure inflictas ipso facto incurrant.* Scio, Authores magni nominis non agnoscere simoniam in hac prohibitione, sed vel injustitiam, vel inobedientiam, vel avaritiam, præcipuè quo ad pœnas incurrendas. Censeo tamen vim inferri verbis Concilii si aliter intelligantur.

83. Secundò Concilium Tridentinum *sess. 24. de Reform. capit. 18.* præscribit formam examinis faciendi oppositorum aspirantium ad beneficium Parochiale, præcipitque ne Examinatores accipiant quidquam ab examinandis ante, aut post examen; declaratque aliter facientes esse simoniacos; sic enim ait: *caveantq; , ne quidquam prorsus occasione hujus examinis, nec ante, nec post accipiant. Alioquin SIMONIÆ vitium tam ipsi, quàm alii dantes incurrant: à qua absolvi nequeant, nisi dimissis beneficiis, quæ quomodocumque antea obtinebant; & ad alia in posterum inhabiles reddantur.* Ubi apertè constat, loqui Concilium de donatione gratuita, & purè liberali; cùm præcipiat, *ne quidquā prorsus accipiant, sive ante, sive post examen.* Et non dicit *pro examine*, sed ne accipant *occasione hujus examinis.*

84. Ratio autem, propter quam ea donatio, & acceptio sint simoniacæ, est quam suprà tradidimus. Censet enim Concilium, suspicionem avaritiæ, sive contractus onerosi, dandi spirituale pro temporali, esse indecoram, & irreverentem examinationi ordinatæ ad beneficium Parochiale & ut talem illam prohibet. Quæ ratio est ejusdem ordinis, ac illa, propter quam prohibet Ecclesia contractus onerosos circa beneficia Ecclesiastica, ut jam diximus.

85. Alios

85. Alios textus ex Sacris Canonibus afferunt aliqui, in quibus prohiberi videntur donationes purè liberales, & in quibus datur temporale, sed non pro spirituali. Affertur capit. 1. de simonia. Sed hoc expressè loquitur de venditione. Item capit. *Emendari 1. quæst 1.* ubi præcipitur, ne *qui baptizantur, nummos in concham mittant: ne sacerdos, quod gratis accepit; pretio distrahere videatur.* Ubi videtur prohiberi ea liberalis donatio nummorum; non enim dicit, ne *pretio distrahat, sed ne pretio distrahere videatur.* Et ex Glossa constat quoad hoc esse varietatem opinionum: Nam verb. *Non mittant:* Sic ait: *Exaudi hoc de nummis exactis: nam sponte oblatos ac spere possu* Hæc dicit Glossa pro opinione de tuenda donatione liberali. Pro opposita opinione subjungit: *Alii dicunt hoc vitandum propter speciem mali.* Et paulò post: *Hic argue, opus per se laudabile, ratione tẽporis reprobari & ne malignandi occasionẽ inducat. Licèt enim nummos in concham mittere, opus pietatis sit, tempore tamen suscipiendi baptismi, simoniæ suspicionem inducit.*

86. Alii sunt textus, qui afferri solent pro interdictione donationum liberalium in occasionibus, in quibus datur spirituale, quæ videri possunt apud *P. Suarez* citatũ. Certum quoque est, approbari in jure Canonico donationes aliquas, si fiant animo purè liberali. Talis est ea, quæ ponitur in cap. *Tua nos*, de qua dixi suprà c. 2. & continetur illis verbis: *Si verò purè, ac sine pacto, vel conditione qualibet offerat rogans humiliter, ut in Canonicum admittatur, & bona sua retinere liceat pro Prabenda, & Clerici ejusdem Ecclesiæ purè consentiant: hujusmodi receptio fieri poterit, absque scrupulo simoniacæ pravitatis.*

CAPUT V.

An sit simonia dare spirituale propter adquirendum temporale tamquam propter finem?

ARTICULUS I.

An possit quis dare, aut accipere Prabendam propter finem intrinsecum temporalem?

Finis alius intrinsecus, alius intrinsecus, numer. 88.

Explicatur finis intrinsecus intra hanc materiam, n. 89.

Potest dari & accipi Beneficium absque labe simoniæ propter finem intrinsecum sustentationis temporalis, n. 90.

Licitum est dare Beneficium Clerico propter finem contentum in ipso, numer. 91. & seqq.

Cùm datur Beneficium Clerico ob finem sustentationis, non datur spirituale pro temporali, n. 93.

Cùm datur Beneficium propter finem sustentationis, datur omninò liberaliter, num. 94.

Distinguendus est finis intrinsecus spiritualis & temporalitatis in Prabenda. Et quis sit finis principalior, & minus principalis, n. 95.

Cùm diximus, esse simoniam dare spirituale propter motivum temporale id non intelligitur de fine intrinseco explicato, num. 96.

Solum Prabenda, aut Beneficium respicit susten-

sustentationem vitæ tamquam finem intrinsecum, n. 97.

Quomodo hæc conclusio non subjaceat damnationi, nu. 98.

87. Cum finis sit motivum, propter quod operantur creaturæ rationales; quæ cap. 2. diximus de motivo simoniam invehente, satis superque videbantur ad cognoscendum, quis sit finis, qui inficit spiritualia labe simoniaca. Sed quia propositio 46. aliquid addit speciale de fine temporali respectu rei spiritualis, aliqua superaddemus claritatis gratia.

88. Distinguendus itaque est duplex genus finis. Alius enim est intrinsecus rei, alius extrinsecus. Intrinsecus est, ad quem res ipsa ex natura sua ordinatur. Extrinsecus vero est, ad quem persona rationalis rem aliquam ordinat, licet per se non sit ordinata ad illum.

89. Exemplum finis intrinseci intra materiam, in qua versamur, est res temporalis annexa spirituali, quæ ad aliquem finem ordinatur. V.g. Præbenda, Beneficium, præstimonium, & similia quoad temporale subsidium, quod continent, instituta sunt ab Ecclesia propter sustentationem vitæ Clericorum; & ideò sustentatio vitæ eorũ est finis intrinsecus Præbendæ, Beneficii, & quatenus continent temporale subsidium; quia sic ab intrinseco & ex natura sua ordinantur ad talem finem.

90. Dico ergo primò. Res temporalis annexa spirituali, v.g. Beneficium, quatenus continet temporale subsidium, potest dari, vel accipi propter temporalem Clerici sustentationem, tanquam propter finem intrinsecum. Et ita potest Episcopus Clerico pauperi conferre Beneficium propter sustentationem vitæ ejus; tanquam propter finem intrinsecum ipsi Beneficio absque periculo simoniæ. Et similiter Clericus potest petere, vel accipere Beneficiũ propter eumdem finem sustentationis suæ, absque simonica pravitate.

91. Probatur primò conclusio. Nam simonia, ut dixit *S. Thomas* suprà laudatus, est omnis contractus non gratuitus circa spiritualia, aut spiritualibus annexa; intelligitur autem esse contractus non gratuitus, si sit talis formaliter, vel æquivalenter: atqui quod Episcopus det Beneficium Clerico pauperi propter sustentationem ejus, tanquam propter finem, neque æquivalenter continet contractum non gratuitum: ergò quod Episcopus det eo modo Beneficium, nihil continet simoniacum.

92. Major, & consequentia sunt evidentes. Nec minus evidens est minor. Nam in eo casu nihil paciscitur Episcopus cum Clerico; sed dat illi Beneficium cum eo ipso fine, qui continetur in ipso Beneficio.

93. Probatur secundò. Nam ut detur simonia, necesse est, quod detur spirituale pro temporali, vel è converso: sed quando Episcopus dat Beneficium Clerico propter sustentationem vitæ ejus, tamquam propter finem, non dat illi spirituale pro temporali; non enim commutat spirituale pro temporali sustentatione ejus: ergò cum dat Beneficium Clerico propter sustentationem vitæ ejus tanquam propter finem, non datur simonia.

94. Probatur tertiò. Nullo modo est simoniacum dare aliquid spirituali annexum, omninò gratis, & purè liberaliter (excipe donationem purè liberalem, quam prohibet Ecclesia propter speciem mali, quod

quod tamen non habet locum in præsenti) sed quando Episcopus dat Clerico Beneficium propter sustentationem vitæ ejus, tanquam propter finem, dat illi Beneficium omninò gratis, & purè liberaliter; non enim percipit Episcopus emolumentum aliquod temporale; sed solum respicit utilitatem ejus, cui dat Beneficium: ergò id nullo modo est simoniacum.

95. Sed ne res hæc sinistrè intelligatur, advertendum est, quod sicut sustentatio vitæ non est finis intrinsecus spiritualitatis, sed solum temporalitatis. Præbendæ; solum quæri, & desiderari potest temporalitas Præbendæ propter sustentationem vitæ, tanquam propter finem intrinsecum temporalitati Præbendæ. Ex quo fit, finem principalem Præbendæ non esse sustentationem vitæ: finis enim principalis ejus est id, ad quod ordinatur spiritualitas Præbendæ, scilicet commodum spirituale; finis autem minus principalis est id, ad quod ordinatur temporalitas Præbendæ, nempe sustentatio vitæ. Et ideò Clericus, qui quærit, aut accipit Præbendam propter sustentandam vitam tanquam finem (si rectè, & debite procedat) non accipit Præbendam propter sustentationem vitæ tanquam propter finem principalem; sed accipit Præbendam propter commodum spirituale, tanquam propter finem principalem; & accipit illam propter sustentationem vitæ, tanquam propter finem minus principalem.

96. Ex quibus sic discussis tria inferre licet. Primum. Cum *in cap. 2.* diximus, esse simoniacum dare spirituale propter motivum temporale, aut è converso, intelligi de motivo temporali extrinseco; non autem de eo, quod est intrinsecum ipsi Beneficio, aut Præbendæ, propter dicta.

97. Secundùm. In hoc genere nihil spirituale, aut spiritualibus annexum respicere tanquam finem intrinsecum sustentationem vitæ, aut aliam rem temporalem, præter Præbendam, Beneficium, Capellaniam, & alia similia, quæ instituta sunt ad sustentationem Clericorum.

98. Tertiùm. Præfatam conclusionem non subjacere huic damnationi propositionis 46. Tum quia hæc propositio damnata dicit, non esse simoniam, etiam si temporale sit principale motivum dandi spirituale; nos autem dicimus, esse finem, & motivum minus principale. Tum præcipuè, nam quando Episcopus dat Clerico pauperi Beneficium propter sustentationem vitæ ejus, non dat spirituale pro temporali, neque facit contractum cum Clerico, obligans eum, ut sustentet vitam; sed dat illi Beneficium, quod ab intrinseco ordinatur ad sustentationem vitæ ejus. Et præterea, nam licet Episcopus det illi Beneficium propter sustentationem vitæ ejus, certum est, quod dat gratis; finis enim ille est in utilitatem ejus, cui confertur.

ARTICULUS II.

An in actione virtutis possit quis respicere finem temporalem?

SUMMARIUM.

Qui in actione virtutis respicit temporale tanquam finem principalem, est simoniacus; non autem si tanquam finem secundarium. num. 99.

Facere opus virtutis propter temporale tanquam propter finem principalem, est æquivalenter vendere illud. n. 100.

Non datur ea aquivalentia, cum quis respicit temporale tanquam finem secundarium. num.101.

Quid de eo, qui celebrat Missam propter stipendium? num.102.

Quid, quando maurus vult baptizari propter commodum indumenti. n.103.

Quid, quando pauperes accipiunt Eucharistiam propter percipiendam eleemosynam, num.104.

99. Dico secundò. Qui facit actionem virtutis propter acquirendum aliquod commodum temporale, tanquam propter finem principaliter intentum, est simoniacus; si autem principaliter intendit bonum spirituale, & secundariò intendit commodum temporale, non committit simoniam. Hæc est expressa sententia *S. Thomæ quodlib.8.art.11.* ubi præfigit hunc titulum: *Utrùm ille, qui vadit ad Ecclesiam propter distributiones, aliàs non iturus, peccet?* Et sic respondet: *Si enim hujusmodi distributiones respicit quasi finem sui operis principaliter intentum, simoniam committit, & ita mortaliter peccat. Si autem habet principalem finem Deum in tali actu, ad hujusmodi autem distributiones respicit secundario, non quasi in finem, sed sicut in id, quod est necessarium, ad sui sustentationem, constat, quod non vendit actum spiritualem, & ita simoniam non committit, nec peccat. Sic enim acceptio distributionum non erit causa, quare ad Ecclesiam vadat, sed propriè hujusmodi determinatio, quare nunc vadat, & non aliâ vice.*

100. Ratio autem prioris partis conclusionis, quam tradit S. Thomas, est: nam facere opus spirituale virtutis propter emolumentum temporale tanquam propter finem principaliter intentum est æquivalenter velle vendere actionem spiritualem virtutis: sicut qui servit domino propter mercedem suam, vendit actionem suam tali domino. Et si ille, qui dat distributionem, daret illam de suo, & sine ulla obligatione, & sciret intentionem alterius recipientis illam, esse velle recipere illam propter commodum temporaliter intentum, uterque esset simoniacus; quia alter venderet suam virtutis actionem, & alter illam emeret.

101. Ratio verò secundæ partis conclusionis traditur etiam à S. Thoma in verbis relatis: Nam qui in actione virtutis principaliter respicit Deum, aut motivum supernaturale tanquam finem principaliter intentum; & in eadem actione respicit commodum temporale tanquam finem secundarium, & minus principalem; sic non vendit actionem virtutis: quia ille finis secundarius est solum aliquo modo impulsivus, & quasi determinatio, quare nunc operetur illam actionem virtutis propter motivum supernaturale, tanquam propter finem principalem.

102. Hinc decidi possunt dubia multorum casuum. Primò. Si quis celebraret Missam propter stipendium tanquam propter finem principaliter intentum, simoniacus esset, propter dicta. Quia tamen Sacerdotes Missam celebrant præcipuè propter salutem animarum suarum, & secundariò propter stipendium, quatenus deservit ad sustentationem propriam, sic non committunt simoniam.

103. Secundò. Maurus quidem agnoscens veritatem Catholicæ Religionis, voluit baptizari statim, quia se offerebat occasio acquirendi optimum vestimentum,

quo

quo indigebat ad cooperiendam nuditatem suam. Hic si suscepit Baptismum propter vestimentum, tanquam propter finem principaliter intentum, simoniacus fuit. Si autem suscepit Baptismum propter salutem animæ suæ, tanquam propter finem principalem, & secundariò voluit statim baptizari, ne amitteret occasionem vestimenti, ita ut commodum temporale fuerit tantum impulsivum, & determinatio temporis præsentis; sic nullam commisit simoniam.

104. Tertiò. In hac urbe Hispalensi, sicut in aliis Provinciæ Bœticæ, est consuetudo, quod in una die hebdomadæ sanctæ convocentur pauperes ad communionem Eucharistiæ; & post communionem vocantur ad prandium, & multi in illa die non communicarent, nisi sperarent prandium. Si ergo pauperes communicant propter prandium, tanquam propter finem principaliter intentum, simoniaci sunt, & vendunt suam actionem communicandi. Si autem (quod credendum est) communicant propter salutem animarum suarum, & secundariò propter prandium, quo egent, tanquam propter finem impulsivum determinatum ad eligendum hunc diem potius, quam illum, sic non committunt simoniam, nec peccant.

ARTICULUS III.

An possit quis dare aliquid temporale propter acquirendum Beneficium, tanquam propter finem minus principalem?

NON EGET SUMMARIO.

105. Dico tertiò. Si illud temporale, quod dicitur dari propter acquirendum Beneficium Ecclesiasticum, tanquam propter finem minus principalem, movet, & allicit animum conferentis Beneficium, aut præsentantis ad illud simoniacum est, quantumvis dicatur dari propter illud, tanquam propter finem minus principalem. Si vero non allicit animum illius ad collationem, aut præsentationem Beneficii, non datur simonia.

106. Exemplis declaratur conclusio. Titius dat munera Episcopo, dicitque se respicere tanquam finem principalem, quod Episcopus ostentet luculentius dignitatem suam; & respicere tanquam finem secundarium, quod sibi conferat Præbendam; simoniacus est: quia dat munera, quæ alliciunt animum, ut conferat sibi Beneficium. Item Sempronius exhibet Episcopo obsequia famulatus propter mercedem temporalem, tanquam propter finem principaliter intentum; secundariò vero cum aliqua spe obtinendi Præbendam, & in hoc sensu dicitur, id facere propter Præbendam, tanquam propter finem minus principalem, & indirectum. In quo casu (nisi pervertatur intentio, & flectatur ad Beneficium, tanquam ad finem principaliter intentum) non reperitur simonia; quia solus famulatus æquali mercede compensatus nō allicit animum Collatoris ad conferendum Beneficium.

107. Probatur conclusio sic explica ex cap. *Et si quæstiones* de simonia, illis verbis, quæ retuli cap. 2. *Quod autem scriptum est, Beatus, qui excutit manus suas ab omni munere, de illis donis dictum est, quæ accipientis animum allicere, vel pervertere solent.* Ergo si ille, qui dat munera Collatori, aut præsentatori Præbendæ, dat ea munera, quæ accipientis animum allicere,

vel pervertere solent, quantumvis dicat dari propter collationem, aut præsentationem Beneficii Ecclesiastici tanquam propter finem secundarium, simoniacus est: quia revera dat munera, ut per illa paret sibi viam ad Præbendam.

108. Secunda autem pars conclusionis probatur ex verbis sequentibus ejusdem cap *Et si quæstiones. Quæ voluntatem recipientis inclinare, vel movere non debeant; non tamen Ecclesia Romana interpretari consuevit, accipientem in his delinquere, vel donantem.* Ergo qui dat munus ab obsequio, sive qui exhibet famulatum taliter, ut per illum non moveat, neque inclinet voluntatem Collatoris ad conferendum Beneficium, licet habeat aliquam spem perveniendi ad Beneficium, & hoc sensu dicatur famulari propter Beneficium, tanquam propter finem secundarium, non erit simoniacus.

109. Et confirmatur. Omnes enim, qui ambiunt famulatum Episcopi, aut Cardinalis, id libenter aggrediuntur, quia habent spem ascendendi ad aliquod Beneficium Ecclesiasticum, in quo sensu dicuntur respicere id tanquam finem secundarium: Durum ergo videtur damnare omnes famulos, & familiares Episcoporum, & Cardinalium, qui cum hac spe illis famulantur, & in hoc sensu respiciunt secundario Præbendam.

110. Dixi, *Nisi pervertatur intentio*: est enim periculosum famulari aliquo modo Episcopo cum ea spe Beneficii Ecclesiastici; quia facilè flectitur intentio ad respiciendum illud tanquam finem principalem sui famulatus. Et ideò qui sic famulantur Episcopo, licet habeant spem ascendendi ad Beneficium Ecclesiasticum, aut ad aliam Præbendam, debent habere rectam intentionem, ne præstent suum munus ab obsequio, vel principaliter propter promotionem ad Beneficium, vel cum animo alliciendi suo famulatu voluntatem Episcopi ad talem promotionem.

111. Similiter delinquet simoniacè Episcopus, si obsequia temporalia famuli, quæ compensare debet mercede temporali, velit compensare Beneficio Ecclesiastico. Hæc enim virtualiter est venditio, & commutatio Beneficii pro obsequio temporali: & tunc dat Beneficium propter munus ab obsequio, tanquam propter finem principalem. Aliud est, si adæquato pretio compensaverit obsequia famuli; ex occasione tamen famulatus is famulus invenerit gratiam apud Episcopum, & hic inclinet ad conferendum omninò gratis, & purè liberaliter famulo Beneficium Ecclesiasticum: sic enim nullum est vestigium simoniæ.

CAPUT VI.

APPENDIX.

An liceat Episcopo conferre Beneficium pingue Clerico sub eo onere, quod renunciet aliud tenue, vel minus pingue, quod habet, ut hoc conferatur alteri?

ARTICULUS I.

Præmittuntur aliqua, & duæ sententiæ referuntur.

SUMMARIUM.

Explicatur casus. num 112.

Quinam censuerint, & quo fundamento, esse

esse simoniacum, quod Episcopus det Beneficium pingue Clerico sub conditione, quod renunciet tenue. num 113.

Prima opinio distinguens inter Beneficium compatibile, & incompatibile. num. 114.

Authores hujus sententia referuntur. n. 115. & seqq.

Secunda sententia, qua est limitatio prima. num. 118.

Duplex genus Beneficiorum incompatibilium explicatur. num. 119.

Quaestio procedit, non de Beneficiis incompatibilibus, sed solum de compatibilibus. num. 120. & seqq.

112. Commune est Episcopis, dum conferunt Beneficium pingue uni Clerico habenti aliud tenue, conferre illud sub onere, quod renunciet tenui Beneficio, quod prius habebat. Nam cum cognoscant Episcopi, multos esse dignos, quibus Beneficia conferantur, & videant alios aliis digniores, iniquè ferunt, vel quod beneficium pingius conferatur minus digno, vel quod unus habeat Beneficium utrumque, scilicet pingue, & tenue; & reliqui digni remaneant inopiâ pressi.

113. In hac tamen Curia Hispalensi novissime exorta est controversia, an liceat Episcopo dare Beneficium pingue sub onere, quod renunciet tenue; an potius id sit simoniacum? Nec defuerunt, qui censerent, Episcopum sic conferentem esse reum simoniæ, hoc fundamento fulti. Etenim pactio circa spiritualia, aut spiritualibus annexa simoniaca est; ut constat ex cap. *Quaesitum.* De Rerum permut. & aliis juribus; sed dare Beneficium sub onere, quod renunciet aliud, est pactio circa spiritualibus annexa: ergò id est simoniacum.

114. Pauci sunt Authores, qui hanc quæstionem tetigerunt. Prima ergo sententia docet, si Episcopus det Beneficium uni habenti aliud incompatibile cum primo, sub onere quod renunciet primum, id non esse simoniacum; quia ea conditio renunciandi primum de jure inest; si vero Beneficium pingue, quod denuò confertur, sit compatibile cum primo tenui, esse simoniacum conferre sub ea conditione, quod renunciet primum; quia est pactum initum sub conditione, quæ non inest de jure.

115. Hanc sententiam tuetur *Garcia de Benef part* 8. *cap.* 2. *num.* 21. Ait enim: *Ex prædictis infert Abbas in dicto cap. Significasti, num.* 6. *cum Collectario ibi, tenere collationem parochialis ab Ordinatorio factam habenti aliam, sub conditione, si primam resignaverit, seu dimittat: quia ista conditio tacitè inerat de jure.* Et hanc primam partem hujus sententiæ confirmat ex quadam decisione Rotæ. Et *num.* 24. addit secundam partem sententiæ hujus Sic: *Secus esset, si conditio tacitè non inesset, ut quia primum Beneficium non esset vacaturum ipso jure:* Et pro hac secunda parte citat *Cosmam, & Selvam.* Ubi non dicit, esse simoniam.

119. Eidem sententiæ suffragatur (quamvis cum limitatione mox subjicienda) *P. Thom. Sanch. tom.* 1. *Consil. lib.* 2. *cap.* 3. *dub.* 25. ubi postquam latè probavit, omne pactum circa spiritualia esse simoniacum, subjungit *num.* 9. *Nota, limitandam esse hanc conclusionem, nisi apponatur conditio, qua jure inest, & eo modo, quo inest; ut si Episcopus habenti Beneficium Curatum, conferat aliud Curatum ea conditione, ut resignet primum, non erit simonia; quia illa conditio de jure inest, cum non possit aliquis duo Beneficia*

neficia Curata obtinere. Si autem Beneficia essent compatibilia (ut si utrumq; esset tenue, & non sufficiens ad decentem sustentationem) esset simonia conferre alicui Beneficium ea conditione, ut resignaret aliud, quod habet: quia illa conditio non inest jure, quia sunt compatibilia.

117. Pro eadem sententia stat *P. Gibalinus de simonia quæst.16. Corollario* 8. & primam partem circa Beneficia incompatibilia docet in conclusione 2. & pro ea citat *Ugolinum tab.1. de Simonia cap.11. num.4. Garciam* ubi supra, *Cosmam in pracmat. tit. de collat. §. Sequuntur verb. voluerit. Panvin. de off. & potest.* Capituli Sede vacant. *quæst.1. part.2. num.8. Rebuffum in praxi tit. Requisita ad Collat. num.1.* Deinde in conclusione 4. tuetur secundam partem hujus sententiæ, nempe simoniacum esse, quod Collator Beneficii det Beneficium sub ea conditione, quod renunciet aliud compatibile; & pro hac parte citat *Selvam de Benef part.2. quæst.20. num 2. & 3.* & reliquos antea citatos pro secunda conclusione. Præterea eamdem sententiam quoad utramque partem defendit, & fundamentis roboravit à me Consultus Illustrissimus Episcopus Pampilonensis *D. Ioannes Santos de San. Pedre* doctrinæ, & Religionis prænotissimus.

118. Secunda sententia, quæ videtur esse limitatio primæ, docet, posse Episcopum sine labe simoniæ dare Clerico Beneficium sub conditione, quod renunciet alterum compatibile; si quando dedit illi primum Beneficium, dedit illud sub conditione, quod renunciaturus esset illud, si conferret deinceps alterum pinguius. Ita *P. Thom. Sanchez* ubi supra. Ita enim asserit. *Similiter excusari potest à simonia, si Episcopus conferat Beneficium alicui ea conditione, ut cum ipse aliud pinguius illi contulerit, primum libere renunciet in manibus ipsius Episcopi, ut illud conferat, cui placuerit: id enim licitè fieri potest. Primùm, quia illa conditio est secundùm jus commune: secundùm, quod nullus potest habere duo Beneficia, etiam simplicia, quorum alterum sit pingue, id est, sufficiens ad congruam sustentationem. Secundò, potest excusari; quia illa est quasi permutatio Beneficiorum, quæ authoritate Prælati licitè fieri potest. Tertiè, quia causa permutationis potest quis renunciare cum tali conditione, ut supra dixi.* In quibus verbis notandum est, ex his tribus rationibus primam facere recursum ad incompatibilitatem Beneficiorum; secundam, tamen, & tertiam tradi in dependenter ab eo, quod Beneficia sint incompatibilia. Ubi pro eadem sententia citat *Cordubam in Summa quæst.30. Ludovicum Lopez 1. part. instructor. cap.337. fine, & Emanuelem Rodrig. tom. 1. Sum. cap.60. num.4.*

119. Et pro majori horum intelligentia prænotandum est, Beneficia incompatibilia esse duplicis generis Incompatibilia primi generis sunt illa, quorum unum ipso jure excludit alterum. v. g. duæ Præbendæ uniformes sub eodem tecto, ut duo Canonicatus: nam si accipias secundum, ipso jure vacat primum. Incompatibilia secundi generis sunt, quæ licet non possint retineri simul sine dispensatione, tamen non ita pugnant inter se, ut alterum vacet, accepto priori. Talia sunt duo Beneficia pinguia, id est, quorum quodlibet sufficit ad congruam sustentationem Clerici. Ita *Navarrus lib.3. consil.17. & seqq. de Prabendis, & P. Lessius lib.2. de Iust. cap.34. dubit.27. num.140.* & communiter Doctores.

120. De-

120. Deinde ut facilè cognoscatur, in quo consistat difficultas præsentis controversiæ, suppono, admittendam esse tanquam certam priorem partem primæ sententiæ, nempe posse Episcopum conferre alicui Beneficium pingue sub conditione, quod renunciet aliud incompatibile, quod habet: nam quamvis videatur fieri pactum sub ea conditione ; ea tamen conditio de jure inest, & non tam est pactio, quam declaratio obligationis qua obstringitur Collatarius, ut rectè probant Authores primæ sententiæ.

121. Punctum ergo difficultatis est, an possit Episcopus absque labe simoniæ conferre Beneficium Clerico cum onere renunciandi aliud minus pingue, quod antea habebat, casu quo talia Beneficia sint compatibilia? Et, ut vidimus supra, id negant Authores primæ sententiæ, & Authores secundæ limitant, & affirmant pro casu, in quo cum Episcopus contulit primum, illud contulit sub conditione, quod renunciaturus illud esset, si deinceps aliud pinguius conferret.

ARTICULUS II.

Statuitur pars affirmativa, & prima ejus probatio.

SUMMARIUM.

Potest Episcopus conferre Clerico Beneficium pingue cum onere, ut renunciet minus pingue, quam compatibile. num. 122.

Quam vim habeat quidam motus proprius? num. 123.

Episcopus potest transferre Beneficiarium de una Ecclesia ad aliam. num. 124.

Dare Beneficium pingue cum eo onere, est transferre illum de una Ecclesia ad aliam num. 125.

Quid præcipiat Pontifex in cap. Quæsitum? num. 126.

In eo capite conceditur Episcopo tam potestas faciendi permutationem Beneficiorum, quam translationem Beneficiariorum. Ex Suarez. num. 127.

Discrimen inter permutationem & translationem. Ex eodem. num. 128.

Quare concedatur permutatio sub termino translationis. num. 129.

An omnis permutatio, ut se tenet ex parte Episcopi, sit translatio? num. 130.

Conclusio ex dictis. num. 131.

122. Veram censeo sententiam affirmantem, posse Episcopum absque labe simoniæ conferre Beneficium pingius Clerico, cum onere ut renunciet Beneficium minus pingue, quod antea habebat, quamvis ea Beneficia inter se compatibilia. Hanc sententiam tuetur Illustrissimus Episcopus *D. Ioannes Alphonsus de Moscoso, in summa tract. 5. de simon. cap. 10.* ubi referens, quemdam motum proprium Pontificis prodiisse, in quo interdicebantur Episcopi, ne consanguineis, & familiaribus conferrent Beneficia, sic ait: *Este mandato fue rigurosissimo para los Obispos, que haziendo el deber andan acommodando sus familiares, y parientes segun sus merecimientos, quitandoles unos Beneficios, y dandoles otros: y era intolerable obligarlos à que à cada paso, para hazer estas provisiones acudiessen à Roma. Suplico el Rey Felipe segũdo deste mãdato, y embio cedulas à los Obispos haziendoles*

les saber, como se avia suplicado desta extravagante, y que con segura conciencia podian seguir la costumbre antigua Y yo recibi aviso en una cedula real sobre el caso. Quæ sic in latinum sermonem fideliter transfero [Hoc præceptum fuit rigidissimum adversus Episcopos, qui muneri suo satisfacientes, satagunt promovere familiares, & consanguineos pro uniuscujusque meritis, AUFERENTES alia Beneficia, & conferentes alia. Erat autem onus intolerabile, cogere Episcopos, ut tertio quoque gradu mitterent Romam pro his provisionibus faciendis. Supplicavit Rex Philippus Secundus pro suspensione hujus præcepti, & misit chirographa Episcopis, certiores eos faciens de supplicatione ab hac extravaganti, admonensque, eos posse tuta conscientia sequi consuetudinem antiquam. Et ergo accepi admonitionem hanc per chirographum Regium de re ista.

123. In quibus verbis id præcipuè notandum est, censere Illustriss. Episcopum, licitè Episcopos auferre, & conferre Beneficia familiaribus quod non aliter fit, nisi conferendo Beneficia potiora cum onere renunciandi inferiora alia. Deinde notandum etiam est, dubitari inter Authores, an sola supplicatio Regis sufficiat pro suspensione præcepti, aut motus proprii. Cæterum quidquid sit de hoc, constat, cum motum proprium non esse usu receptum, & prævaluisse pristinam consuetudinem.

124. Ratio prima hujus conclusionis est: Nam c. *Quæsitum.* de Rerum permut. conceditur Episcopo, ut possit transferre Beneficiarium de una Ecclesia ad aliam: sed conferre Beneficium pinguius Clerico cum onere renunciandi aliud minus pingue, quod habebat, est transferre illum de una Ecclesia ad aliam: ergo in præfato cap. conceditur Episcopo, quod possit conferre Beneficium Clerico cum onere renunciandi aliud, quod antea habebat.

125. Minor patet: nam transferre Beneficiarium de una Ecclesia ad aliam, dicit terminum *ad quem*, & terminum *à quo*: & dum confert Beneficium pingue, facit illum transire ad aliam Ecclesiam, tanquam ad terminum *ad quem*: & dum jubet renunciare Beneficium minus pingue, facit illum recedere ab Ecclesia, cui antea præerat, tanquam à termino *à quo*: illa ergo Episcopi dispositio quoad ea Beneficia, est translatio de una Ecclesia ad aliam.

126. Jam vero major ejus syllogismi ostenditur. Nam in eo cap. *Quæsitum* sic decernit Pontifex *Generaliter itaq; teneas, quod commutationes Prabendarum de jure fieri non possunt; præsertim pactione præmissa, quæ circa spiritualia, vel connexa spiritualibus labem semper continet simoniæ. Si autem Episcopus causam inspexerit necessariam, licitè poterit de uno loco ad alium transferre personas.* Ergo ex causa necessaria potest Episcopus transferre Beneficiarium de una Ecclesia ad aliam.

127. *P. Suarez tom. 1. de Relig tract. 3. lib. de simonia, cap 32.* affirmat, in hoc capite concedi Episcopo potestatem tam ad faciendam permutationem Beneficiorum, quàm ad translationem Beneficiarii de una Ecclesia ad aliam Et ita *num. 2.* ait: *Sit igitur generalis Regula, ut permutatio licitè fiat, necessarium esse, ut Authoritate superioris fiat.* Cujus rei rationem sic proponit. *Et ratio clara est: quia talis permutatio potest esse necessaria, vel utilis aut Ecclesia aut ipsis Beneficiariis, & ideò non debuit omnino prohiberi. Fuit autem expeditus, ut proprio arbitrio*

arbitrio privatim non fieret; ideoque meritò superioris authoritas postulata est. Et *num.* 9. addit, hunc Superiorem esse Episcopum.

128. Et *num.* 4. declarat discrimen inter permutationem, & translationem his verbis: *Quia translatio non est contractus, nec fit per modum contractus; unde per se non requirit, quod fiat inter duos, & per se respicit utilitatem Ecclesiæ, non translatorum. Unde ORIGINEM DUCIT A PROVIDENTIA Prælati, non à voluntate translati; ideoque sine illius consensu fieri potest, & interdum cum majori onere, & minori temporali commodo; & sæpe circa unum tantùm ad Beneficium vacans. Permutatio autem revera fit per modũ contractus; & ideò per se postulat, ut fiat inter duos, & ex consensu eorum, &c. Totum ergò hoc permittitur in Beneficiis cum authoritate PRÆLATI: Et ideò hoc modo non solùm translatio personarum, sed etiam permutatio Beneficiorum in rigore sumpta licita est cum dicta conditione* (scilicet authoritatis Episcopi) *& ita sentiunt omnes Doctores, & apertè D. Thomas* (2. 2. *quæst.* 100. *art.* 1. *ad* 5) *Prius enim dicit has permutationes fieri non posse privatim; subdit verò statim:* (*Potest tamen Prælatus permutationes hujusmodi facere.*) *& probatur sufficienter ex dictis juribus, & ex Clement. unic. de rerum permut.*

129. Et mox rationem tradit Suarius, quare concedat Pontifex Episcopo permutationem Beneficiorum sub ea voce *transferre potius*, quam sub verbo *Permutare.* Sic enim ait: *In dicto autem capite* [*Quæsitum.*] *Pontifex illum modum loquendi tenuit, ut significaret duo. Unum est, Beneficia secundùm jus non posse permutari privata authoritate, & consensu permutantium: ita enim omnes illam primam regulam intelligunt. Aliud est: hanc permutationem non esse faciendam ab Episcopo sine respectu ad commune bonum Ecclesiarum. Et quia hoc ex personis maximè pendet, ideò potius per translationem personarum, quàm per Beneficiorum permutationem Pontifex declaravit.*

130. Et ex dictis clarè infertur, omnem permutationem, ut se tenet ex parte Episcopi, esse translationem; nam, ut ait Suarius, sub nomine translationis in eo textu comprehendit Pontifex permutationem; quod non fieret, nisi permutatio etiam esset translatio; sed non omnem translationem esse permutationem. Quod si objicias ex verbis suprà relatis Suarii, translationem non esse contractum, nec fieri per modum contractus, & per se respicere utilitatem Ecclesiæ, non translatorum; & translationem originem ducere à providentia Prælati, non à voluntate translati, quæ omnia convenire non possunt permutationi. Respondeo, etiam permutationem, ut se tenet ex parte Prælati, vel (ut magis propriè loquamur) approbationem permutationis non esse contractum, & in ea respicere debere Episcopum utilitatem Ecclesiæ potiùs, quam permutantium; & sic etiam originem ducere à providentia Prælati. Et hæc dicta sunt ad majorem intelligentiam textus. Quia licèt negaveris, permutationem sic explicatam esse translationem, nihil obest, nec prodest nostræ conclusioni.

131. Ex dictis ergò patet, quod quando Episcopus confert Beneficium pinguius Clerico cum onere, quod renunciet minus pingue, esse veram, & perfectam translationem; quàm in præfato textu concedit

Pontifex Episcopo: hæc enim collatio quam facit Episcopus, cum onere renunciandi aliud Beneficium, non est contractus, neque fit per modum contractus, & respicit utilitatem Ecclesiæ; & originem ducit à providentia Prælati, & non à voluntate translati.

ARTICULUS III.

Solvuntur objectiones oppugnantes doctrinam articuli præcedentis.

SUMMARIUM.

Episcopus, dum confert Beneficium pingue, non facit renunciari aliud pacto, sed imperio. n. 133.

Ad rationem translationis non requiritur, quod Beneficia sint incompatibilia, numer. 134.

Aliquando jubet Prælatus cum animo annuendi renitentiæ subditi. n. 136.

Quomodo debeat fieri translatio ex causa necessaria? n. 137. & seq.

Causa est moraliter necessaria, cùm affert magnam utilitatem bono regimini. n. 138.

Quænam sint quoad hoc requisita, ut detur magna utilitas pro bono regimine Ecclesiæ? n. 139.

In hoc modo collationis Beneficiorum datur causa necessaria. n. 140.

Quid de causis enumeratis in c. [Nisi cùm pridem?] num. 141.

132. Dices primò, non posse verificari, ejusmodi collationem ab Episcopo factam cum onere renunciandi, non esse contractum, neque fieri per modum contractus, siquidem Episcopus dat Beneficium dependenter ab hoc, quod Beneficiarius ille consentiat in renunciando alterum Beneficium. Dicit enim Episcopus [do tibi hoc Beneficium, si volueris renunciare primum.] Quis autem dubitare potest, hoc esse pactum Episcopi cum Beneficiario? Deinde, nam collatio secundi Beneficii non est ex natura sua translatio, sed appositio illius conditionis, & pacti facit illam provisionem Beneficii esse quasi translationé: nam cùm loquamur de Beneficiis compatibilibus, provisio secundi Beneficii non petit illum transitum de uno ad alterum. Ergò perperam dicitur, quod ea provisio secundi Beneficii, cum onere renunciandi primum, est translatio, quam in hoc textu permittit Pontifex Episcopo.

133. Respondeo, ejusmodi provisionem esse contractum, neque fieri per modum contractus; quia id onus imponit Episcopus non pacto, sed jussione, & imperativo modo, & æquivalet huic actui: [Do tibi Beneficium pinguius, & quia scio te accepturum, jubeo, ut renuncies alterum præhabitum] Vel sic: [Jubeo, ut acceptes hoc Beneficium, & ut renuncies aliud.] In quo nullum init pactum, sed exercet imperium, quod potest exercere ex vi potestatis, quã dat illi Pótifex in hoc capite *Quæsitũ.* Et quidẽ negari non potest, quod potest Episcopus uti hoc modo imperandi renunciationem prioris Beneficii ad assumptionem posterioris, sine ulla ratione pacti. Quod si in provisione conditionali est periculum simoniæ propter pactum, consulo, ne utatur Episcopus provisione conditionali, sed provisione imperativa; qualem debemus præsumere in Episcopo sic providente Beneficium.

134. Ad id, quod subjungitur, respondeo, id

id argumentum probare plus, quàm ejus Author contendit, imò & quàm potest contendere. Probat enim numquam posse Episcopum transferre Beneficiarium de una Ecclesia ad aliam, nisi Beneficia fuerint incompatibilia; contendit enim argumentum, non esse veram translationem, eò quod Beneficia sunt compatibilia. Hoc autem videtur absurdum. Nam cùm Pontifex in præcitato capite concedat Episcopo, quod *possit de uno loco ad alium transferre personas*, quo jure id limitandum est ad sola Beneficia incompatibilia, ita ut id non possit præstare, cùm Beneficia sunt compatibilia. Si ergò potest in aliis casibus transferre Beneficiarium de uno loco in aliam, poterit etiam in hoc, de quo agimus. Et sicut in aliis casibus illa est vera translatio, etiam si Beneficia sint compatibilia; etiam in hoc. Nam ad veram translationem non requiritur, quod una collatio Beneficii postulet renunciationem alterius; sed quod id fiat arbitrio Episcopi.

135. Dices secundò. Quamvis dicatur ea provisio secundi Beneficii fieri imperativo modo, non potest negari, Episcopum expectare consensum Beneficiarii; nam si iste non admittit, non habetur reus inobedientiæ: si ergò pendet à consensu ejus, jam potiùs dicenda est pactio, quàm jussio. Et confirmatur: nam, ut ait *Pater Suarez* suprà, propria, & vera translatio Beneficiarii *sine illius consensu fieri potest*: Sed hæc provisio secundi Beneficii cum onere renunciandi primum, non potest fieri sine consensu illius: ergò hæc non est vera translatio, de qua loquitur Pontifex in eo textu.

136. Respondeo, non repugnare, quod imponatur præceptum, & quod, si subditus renuat, annuat Superior ei renitentiæ: sic enim leges imperativo modo imponuntur, & tamen solet Princeps annuere renitentiæ populi, & expectare consensum ejus, quia non vult obligare populum invitum. Sic ergò jubet Epicopus, ut admittat secundum renuncians primum; & tamen si nolit consentire, annuit Episcopus quandoque; quandoque etiam urget ad consensum, quia sic expedit bono regimini. Unde patet ad confirmationem negandam esse minorem.

137. Dices tertiò. Ut provisio Beneficii sit vera translatio personæ, qualem in eo textu concedit Pontifex Episcopo, requiritur, quod fiat ex causa necessaria, illis verbis: *Si autem Episcopus causam inspexerit necessariam*: atqui nulla est causa necessaria, quæ obstringat ad hoc, quod collato secundo Beneficio, renuncietur aliud compatibile: ergò hæc non est vera translatio, qualem in eo textu concedit Pontifex. Minor probatur primò: nam causas necessarias, ob quas potest renunciari Beneficium, enumerat Innocentius III. in cap. *Nisi cùm pridem*, de renunciat. quas Glossa his duobus versibus conclusit: *Debilis, ignarus, malè conscius, irregularis. Quam mala plebs odit, dans scandalo, cedere possit.* Sed in nostro casu nulla ex his causis reperitur: ergò nulla causa necessaria reperitur in nostro casu ad renunciandum prius Beneficium.

138. Probatur secundò eadem minor. Causa renunciandi prius Beneficium in hoc casu est, ut consequatur secundum: sed ut consequatur secundum, non est necessarium, quod renunciet primum, cùm sint compatibilia: ergò in hoc casu non datur causa necessaria ad renunciandum.

Probatur tertiò. Nam causa renunciandi prius Beneficium in hoc casu est voluntaria Beneficiario: ergò non est necessaria. Probatur quartò. Nam, ut loquitur Suarius suprà, translatio, quæ fit ob causam necessariam, *originem ducit à providentia Prælati, non à voluntate translati*: Sed hæc renunciatio, de qua loquimur, originem trahit à voluntate translati, non à providentia Prælati; cùm dependeat à voluntate, & consensu ejus Beneficiarii: ergò hæc non est translatio facta ob causam necessariam.

139 Ante solutionem præmitto primò, tunc dari causam moraliter necessariam, quando causa importat magnam utilitatem pro bono Ecclesiæ regimine: est enim moraliter necessarium Episcopo, providere omnibus, quæ fuerint magnopere utilia pro bono regimine Ecclesiæ. Neque enim Episcopus satisfacit suæ obligationi, nisi provideat in omnibus de iis, quæ maximè conducunt ad utilitatem Ecclesiæ.

140 Præmitto secundò, esse magnam utilitatem pro bono regimine Ecclesiæ, quod ita distribuat Beneficia, ut concurrant hæc duo. Primum, quod Beneficia, quò meliora, & pinguiora fuerint, conferantur dignioribus. Est enim monstrum, & in perniciem Ecclesiæ, quod tenuia dentur dignioribus, & pinguiora minus dignis. Secundùm, quod evitetur in quolibet individuo pluralitas Beneficiorùm, de quo dicam *art. seq.*

141. Jam verò ad argumentum respondeo, negando minorem, quod in hoc casu non detur causa necessaria: est enim ea, quam proximè assignavi de bono Ecclesiæ regimine. Et id est, quod supra dixit P. *Suarez, originem ducit à providentia Prælati*: Non enim fit ea translatio principaliter propter commodum Clerici, sed propter bonum regimen Ecclesiæ.

142. Ad primam probationem minoris respondeo, eas causas enumeratas in *cap. Nisi cùm pridem.* Et conclusas in eo disticho, non esse pro renunciatione Beneficii, sed pro renunciatione Episcopatus ut evidenter constat ex contextu. Imò etiam respectu Episcopi intelligi extra casum translationis de uno Episcopatu ad alterum. Nam in casu translationis de uno Episcopatu ad alterum non attenduntur illæ causæ, sed solùm attenditur ab bonum Ecclesiæ regimen; cui expedit majores Ecclesias à dignioribus Præsulibus gubernari. Quare etiam si illæ causæ extendendæ essent ad renunciationem Beneficii, haberent locum extra casum translationis, in qua renunciatio non oritur à voluntate translati, sed à providentia Prælati.

143. Ad secundam probationem neganda est major. Causa enim hujus translationis non est, quod Clericus possit obtinere secundum Beneficium pinguius; sed quod prospiciatur bono regimini Ecclesiæ, ut dictum est. Et hinc patet ad tertiam probationem: nam causa renunciandi non est voluntaria Beneficiario; cujus voluntati non subest bonum Ecclesiæ regimen, propter quod fit hæc translatio: Patet etiam ex dictis, ad quartam probationem negandam esse minorem propter dicta.

ARTI-

ARTICULUS IV.

Ampliatur conclusio, & proponitur secundùm ejus fundamentum.

SUMMARIUM.

Collatio Beneficii pinguis sub conditione, quod renuncietur alterum compatibile, non est simoniaca, quia conditio de jure inest. n. 144.
Quàm odiosa sit in jure canonico pluralitas Beneficiorum, etiam independenter ab eo, quod sint incompatibilia. n. 145.
Ex Concilio Lateranensi. Ibidem.
Ex septima Synodo, & Concilio Chalcedonensi, & Tridentino. n. 146.
Ex S. Gregorio. n. 147.
Et ex Ioanne XXII. n. 148.
Ex S. Thoma, & Cajetano. n. 149.
Explicantur inconvenientia allata à Ioanne XXII. Ex P. Lessio n. 150.
Alia inconvenientia ex Soto. nu. 151.
Alia ex Reginaldo. n. 152.

144. HUcúsque propugnavi conclusionem sub terminis translationis absolutæ, sine eo quod proponatur Beneficiario sub conditione renunciationis prioris Beneficii. Modò autem pro ampliatione conclusionis assero, sicut provisio Beneficii sub conditione, quod renuncietur alterum Beneficium incompatibile, nihil continet simoniæ, quia ea conditio de jure inest; ita similiter provisio Beneficii in casu nostro facta sub conditione, quod non renuncietur alterum Beneficium compatibile, nihil continet simoniæ, quia etiam ea conditio de jure inest, modo explicando.

145. Pro cujus claritate advertendum est, semper in jure Canonico rem odiosam fuisse pluralitatem Beneficiorum, etiam independenter ab eo, quod sint ex illis, quæ incompatibilia sunt, propter quam plurima incommoda, quæ ex hac pluralitate oriuntur. Et ideò semper habitum est tanquam melius, & consultius, quod singuli singula habeant Beneficia: ut patet ex pluribus Sacris Canonibus. Alexander III. in Concilio Lateranensi cap. *Quia in tantum*, de Præbendis, ait: *Quia in tantum quorundam processit ambitio, ut non duas, vel tres, sed plures Ecclesias perhibeantur habere* Et paulò post. *De multitudine Præbendarum, Canonibus inimica, quæ dissolutionis materiam, & evagationis inducit, certumque continet periculum animarum.* Ubi vides pluralitatem Beneficiorum censeri Sacris Canonibus inimicam, & animabus periculosam & alia continere incommoda.

146. Septima Synodus, ut habetur *cap. Clericus. 21. quæst. 1.* sic ait: *Clericus ab instanti tempore non connumeretur in duabus Ecclesiis. Negotiationis enim hoc est, & turpis lucri proprium commodum, & ab Ecclesiâ consuetudine penitus alienum.* Et *cap. Clericum.* Ibid. ex Concilio Chalcedonensi dicitur: *Clericum in duarum Ecclesiis civitatum conscribi non oportet. Concilium Trident. sess. 24. cap. 17. de Reform.* pluralitatem Beneficiorum vocat *perversionem Ordinis Ecclesiastici, & improbæ cupiditatis affectum.* Sic enim loquitur. *Cum Ecclesiasticus ordo pervertatur, quando unus plurium officia occupat Clericorum, sanctè Sacris Canonibus cautum fuit, neminem oportere in duabus Ecclesiis conscribi. Verum quoniam multi improbæ cupiditatis affectu se ipsos, Non Deum, decipientes, ea,*

quæ bene constituta sunt, variis artibus eludere, & plura simul Beneficia obtinere non erubescunt, &c.

147. *S. Gregorius Magnus*, ut refertur *in cap. Singula. 89. dist.* hoc idem affirmat, & confirmat testimonio Apostoli *ad Rom. 12. Singula Ecclesiastici juris officia singulis quibusque personis singillatim committi jubemus. Sicut enim in corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eundem actum habent: ita in Ecclesiæ corpore multa membra sunt secundùm veridicam Pauli sententiam. In uno eodemque spirituali corpore conferendum est hoc officium uni, alii committendum est illud. Neque enim quantumlibet exercitata uni personæ uno tempore duarum rerum officia committenda sunt, quia si totum corpus est oculus, ubi auditus? Sicut enim varietas membrorum per diversa officia, & robur corporis servat, & pulchritudinem repræsentat: ita varietas personarum per diversa nihilominus distributa officia, & fortitudinem, & venustatem Sanctæ Ecclesiæ Dei manifestat. Et sicut indecorum est in corpore humano, ut alterum membrum alterius fungatur officio: ita nimirum noxium, simulque turpissimum est, si singula rerum ministeria personis totidem non fuerint distributa.*

148. Joannes XXII. in Extravaganti *Execrabilis.* de Præbendis postquam dixit, execrabilem esse quorundam ambitionem circa pluralitatem Beneficiorum impetrandam; eamque eò magis fieri insatiabilem, quò magis ei indulgetur, enumerat mala, quæ ex pluralitate Beneficiorum oriuntur. Sic enim loquitur. *Inter cætera inconvenientia, subscripta sequuntur, quod videlicet interdum unus, qui unicum, quamvis modicum vix officium implere sufficeret, plurimorum sibi vendicet stipendia, quæ multis literatis viris vitæ puritate, ac testimonio bonæ famæ pollentibus, qui mendicant, possent abundè sufficere æqua distributione collata habentibus, ipsa paratur vagandi materia, Divinus cultus minuitur, Hospitalitas in ipsis Beneficiis debita non servatur, &c* Et nota, hæc mala, & inconvenientia, quæ enumerat Pontifex, esse communia, ut in plurimum, tàm respectu pluralitatis Beneficiorum compatibilium, quàm incompatibilium. Nam ex pluralitate Beneficiorum compatibilium, quæ aliqui obtinent, fit quod multi literati, vitæ puritate, & testimonio bonæ famæ pollentes mendicent; quod cultus Divinus minuatur, dum cultus, quem plures exercere possent, restringitur ad unum; & sic de aliis.

149. *S. Thomas quodlib. 9. art. 15.* cum enumeret hæc, & alia incommoda, quæ, stando in jure naturæ, consequuntur ad pluralitatem Beneficiorum; subjungit. *Sunt vero quædam actiones, quæ absolutè considerata deformitatem, vel inordinationem quandam important; quæ tamen aliquibus circumstantiis advenientibus bona efficiuntur, sicut occidere hominem, vel percutere in se deformitatem quandam importat; sed si addatur, occidere malefactorem propter justitiam, vel percutere delinquentem causa disciplinæ, non erit peccatum, sed virtuosum. In numero harum actionum videtur esse habere plures præbendas.* Itaque pluralitas Beneficiorum ex se affert deformitatem moralem, quæ ut purificetur, requirit speciales circumstantias, quales sunt necessitas Ecclesiæ, vel ipsius Beneficiarii, vel paucitas eligendorum, &c. Idque explicuit Cajetanus *in summ. verb. Beneficium.* dicens, hanc pluralitatem esse

de

de genere nocivorum, quæ ex adjuncta ratione possunt honestari.

150. Audiendus est *P. Lessius de just. cap.* 34 *dub. num.* 137. ubi optimè enumerat, & explicat inconvenientia allata à Joanne XXII. & à S. Thoma, his verbis: *Habere plura Beneficia::: solitariè consideratum inordinationem quamdam involvit. Primò quia minuitur cultus Divinus; unus enim habens tria Beneficia, non recitat ter preces Canonicas, nec tria facit Sacra. Secundò Ecclesia destituitur suis operariis; unus enim non potest in pluribus locis residere, nec plurium ministeria obire. Tertiò fundatores frustrantur sua pia intentione. Quartò, quia frustrantur multi pauperes, fortè magis idonei, magisque utiles Ecclesiæ futuri. Denique multa incommoda invehit hæc pluralitas, ut nimiam solicitudinem temporalium, ambitionem, luxum, incontinentiam, concubinatum, lites, scandala pusillorum, & similia.*

151. Nec minori attentione digna, quæ scribit *Mag. Sotus lib.* 3. *de just. quæst.* 6 *art.* 3. ubi postquam dixit cum S. Thom. pluralitatem Beneficiorum non afferre deformitatem inseparabilem, ut mendacium, neque esse rem indifferentem, deambulare, sed per se, & nudè sumptam & absque specialibus circumstantiis afferre deformitatem moralem; subjungit. *Primum, quia ratio docet, ut unicuique ministerio suus propriè deputetur minister. Secundò, cultus Divinus detrimentum patitur. Et tertiò, cùm bona hæc (ut diximus) stipendia sint Ecclesiarum, suo defraudantur jure. Id quod rerum usus, & experientia docet. Aggeratis siquidem Prabendis multis ad personarum paucitatem, vix ulla restat Ecclesia, cui pro ratione suarum decimarum serviatur dignè. Et quartò inde sequitur distributivæ justitiæ prævaricatio, videlicet, ut multi digni egeant; alii verò exundent. Quintò, esca, & fomentum ambitionis inde subministratur: nam interdicta Prabendarum accumulatione, Sacerdotes non tàm avidè sitirent, atque ambirent bonis Ecclesiæ ditari. Et sextò, idin causa est, ut litterarum studia neglecta jaceant; utrimque enim spes bonorum debilitatur scilicet, & quod meritorum ratio non habetur, & quod avida ditiorum avaritia impedimento est, ne inopes promoveantur. Quin verò septimò, & transgressio quædam est illius Paulini præcepti, unusque in ea vocatione qua vocatus est, maneat) Atque illius præterea ad Roman.*12. (*Sicut in uno corpore multa membra habemus, &c.*) Confirmatque dicto S. Gregorii supra relato.

152. *P. Valerius Reginaldus in Praxi fori pœnitent. lib.* 30. *tract.* 3. *cap.* 29. *sect.* 1. sic ait: *Certum est secundò, plura Beneficia habere, non esse actum ex se indifferentem, sed vergentem potius in malum, quàm in bonum, prout D. Thomas expressè docet loco citato. Et confirmatur. Quia pluralitas Beneficiorum: si non omnino, at certe bona ex parte repugnat juri naturæ, ut satis ostendunt incommoda, quæ ex ea sequi notantur, tum ab ipso D. Thoma, tum ab aliis:: ad undecim autem expressa sunt in Extravag. Joan. XXII cujus initiũ est, (Exsecrabilis) quæ licèt reducere ad tria capita. Quorum primum est damnum, quod talis pluralitas infert per diminutionem Ministrorum Ecclesiæ. Secundùm est damnum, quod Ministri idonei capiunt, dum relinquuntur absque ullo beneficio. Tertium est scandalum, quod datur proximis mala dispensatione bonorum Dei, per quam patet,*

Deo

Deo ipsi, & Sanctis ejus fieri injuriam, quorum cultus inde minuitur: fieri item Ecclesiæ, cujus splendor obscuratur, dum ex eo, quod beneficia non dentur pro meritis, sed pro cujusque affectu, & cupiditate, inæqualitas in clero nascitur; quæ est pacis inimica, & invidiæ fomes: inducitque neglectum tàm literarum, quàm bonorum morum tanquam inutilium ad promovendum se ad Ecclesiæ Beneficia. Fieri præterea injuriam defunctis, præsertim fundatoribus, quibus frangitur fides, dum non satisfit obligationi annexæ Beneficio: ita ut animæ ipsorum frustratæ subsidio debito, tardius liberentur à pœnis Purgatoriis, diutiusque suspendantur, ac retardentur à gaudiis cælestibus, ad quæ illos exspectat tota cælestis curia, cujus desiderio per sceleratam illam dispensationem plerumque obsistitur: sicut & pio affectui fidelium vivorum; qui dum vident, defunctos suâ exspectatione, debitisque suffragiis frustrari, retrahuntur à voluntate beneficia fundandi in Ecclesia. Fieri denique injuriam ipsismet Beneficiariis, qui Beneficiorum multitudine farcinati, in negotiationibus, & supputationibus redituum, ac litibus toti occupantur, nihil curantes spiritualia. Divites enim effecti, suum statum, & officium Ecclesiasticum eadem ratione negligunt, qua artifices ditati arte sua negligunt ea, quæ ejusdem artis sunt::: Unde apparet, quàm miserum sit in Ecclesia, aliquos Beneficiis accumulandis perindè inhiare, ac canes famelicos ossibus. Recordentur pluralitatem Beneficiorum ex cap. (Quia in tantum.) de præbendis, certum animarum periculum continere. Id, quod experientia docuit in illo Cancellario Parisiensi, &c. apparuitque Episcopo, & dixit, se perpetuo damnatum propter tria, quorum unum erat pluralitas Beneficiorum, quæ ultra sufficientiam retinuit. Hucusque *P. Reginaldus.* Et pro eadem doctrina refert *Gabrielem in 4. dist. 15. q. 8. art. 3. dub. 2. notabil. 3. Rebuffum* in praxi beneficiorum *part. 1. tit.* de dispensatione ad plura Beneficia, *Navarrum Miscellaneo 26. de oratione n. 3. Ludolfum 1. part.* de vita Christi *c. 68. & Dionysium Carthusianum, tract.* de pluritate Beneficiorum.

ARTICULUS V.

Ex dictis colligitur robur secundæ probationis.

SUMMARIUM.

Conformius est juri Canonico, quod Episcopus vitet pluralitatem Beneficiorum, etiam compatibilium. n. 153.

Conformius est juri Canonico dare Beneficium pingue sub conditione, quod renunciet antea habitum, etiam compatibile. n. 154.

Non est simoniacum dare Beneficium sub conditione, quod agatur id, quod est conformius juri Canonico. n. 155.

Varii modi apponendi conditionem carentes specie simoniæ. n. 156.

Ea conditio, quod renunciet Beneficium compatibile, de jure inest. n. 157.

Ea conditio licet non insit de jure præcipiente, inest de jure consulente. n. 159.

Concilium Trident. non revocat Sacros Canones de vitanda pluralitate. n. 161.

Alius modus explicandi, quomodo ea conditio insit de jure. n. 162.

153. Ex

153. Ex quibus omnibus evidenter infertur, esse multò conformius juri Canonico, & constitutionibus Pontificum, & Conciliorum, vitare pluralitatem Beneficiorum; & consequenter multo melius, & consultius agere Episcopum pro bono Ecclesiæ regimine, vitando, quantum potest, eam pluralitatem. Nam, etsi jus permittat, duo Beneficia compatibilia haberi ab uno pro sufficientia sustentationis ejus; id autem est quasi indulgentia, & mera permissio: semper enim jus Canonicum magis inclinat ad vitandum pluralitatem, utpotè minus consentaneam ipsi juri naturali propter incommoda gravissima, quæ ex ea pluralitate consequuntur.

154. Hinc manifestè convincitur, veram esse assertionem traditam. Etenim non potest esse simoniacum dare Beneficium sub conditione, quod fiat id, quod est conformius juri Canonico, & utilius ad bonum Ecclesiæ regimen: sed dare Beneficium pingue Clerico sub conditione, quod ad evitandam pluralitatem Beneficiorum, renunciet illud priùs habitum, est conformius juri Canonico & utilius ad Bonum Ecclesiæ regimen: ergo non est simoniacum dare Beneficium sub tali conditione.

155. Confirmatur primò. Non est simoniacus Episcopus, si dicat: (Confero tibi Beneficium sub conditione quod agas id, quod est conformius juri Canonico, & bono regimini Ecclesiæ) ut ex sola terminorum apprehensione notum est: sed collato tali Beneficio, est conformius juri, & bono regimini Ecclesiæ, quod renunciet primum; atque adeò sub præfata conditione includitur hæc renunciatio: ergò non est simoniacus Episcopus, qui confert tale Beneficium sub conditione præfatæ renunciationis.

156. Confirmatur secundò. Nulla enim committeretur simonia, si Episcopus utens Tridentini verbis, diceret (Confero tibi Beneficium, sub conditione, quod nulla in hoc inveniatur *Ecclesiastici ordinis perversio, qua unus plurium officia occupat Clericorum.*) Neque item committitur, si dicat. Confero tibi Beneficium sub conditione, quod te conformes S. Gregorio dicenti: *Noxium simul, & turpissimum esse si singula rerum ministeria personis totidem non fuerint distributa.*) Item neque ullum erit vestigium simoniæ, si Episcopus dicat: (Confero tibi Beneficium sub conditione, quod vites id genus, ex quo tot, & tanta incommoda consequuntur, qualia refert Pontifex, & explicant Theologi.) Similiter possunt efformari alii modi conferendi Beneficium sub conditione, desumpti ex iis, quæ Pontifices, Concilia, S. Thomas, & Theologi disserunt in locis citatis. Et quis non videt, in illis conditionibus relatis nullum simoniæ vestigium contineri; & simul in relatis conditionibus includi renunciationem prioris Beneficii? Nam dum Episcopus dicit. (Confero tibi Beneficium sub conditione, quod te conformes illi dicto S. Gregorii) optimè intelligit Beneficiarius, sibi injungi conditionem renunciandi prius Beneficium.

157. Confirmatur tertiò. Ideò potest Episcopus conferre Beneficium sub conditione, quod renunciet aliud incompatibile, quia ea conditio de jure inest: sed etiam conditio, quod renunciet compatibile, de jure inest; cùm sit conformius juri vitare pluralitatem, quantum fieri potest: ergò etiam

potest Episcopus conferre Beneficium sub conditione, quod renunciet prius Beneficium compatibile

158. Dices. Quamvis sit conformius juri vitare pluralitatem Beneficiorum, etiam compatibilium, non tamen præcipit jus vitare illam in duobus compatibilibus: sed non inest de jure, quod jus non præcipit: ergò non inest de jure conditio de renunciatione primi compatibilis cum secundo.

159. Respondeo, absolutè Minorem esse falsam: cujus falsitas declaratur distinguendo consequens: Non inest de jure (præcipiente) concedo; non inest de jure (consulente) nego. Non enim est minus de jure id, quod jus consulit, quàm quod jus præcipit. Nam cùm juxta Apostolum *æmulari* debeamus *charismata meliora*; id, quod jus approbat ut melius, & utilius Ecclesiæ, id semper debemus æmulari, & sequi tan quam à jure injunctum.

160. Dices secundò. Ante Concilium Tridentinum prævalebant præfatæ constitutiones de vitanda omninò pluralitate Beneficiorum; at cùm Concilium Tridentinum permiserit, posse haberi duo compatibilia, quorum unum sit insufficiens, fit, quod anteriores constitutiones non habeant locum, quatenus Decreto Tridentini repugnant. Unde etiam fit, quod conditio de renunciando altero Beneficio compatibili quam imponit Episcopus, non insit de jure; atque adeò quod simoniam inducat.

161. Respondeo. Per Concilium Tridentinum non revocari constitutiones Canonicas toties à Pontificibus repetitas, quinimò confirmari illis verbis supra relatis, *Sanctè Sacris Canonibus cautum fuit, neminem oportere in duabus Ecclesiis conscribi.* Et postea reprobat violationem eorum, dicens. *Verum quoniam multi improbæ cupiditatis affectu, &c.* Et ad instar indulgentis, & annuentis humanæ necessitati, & fragilitati, permittit, quod si unum Beneficium sit insufficiens sustentationi, possit & aliud sufficiens admittere. Quare affirmat, sanctum esse, neminem in duabus Ecclesiis conscribi; atque adeò perfectius esse omninò vitare pluralitatem; sed licèt id sanctius, perfectiusque sit, indulget, ut possit habere duo, modo dicto. Itaque ante Concilium Tridentinum non erit licita pluralitas Beneficiorum, etiam duorum; post Concilium licitum est habere duo, modo dicto; sed sanctius, & perfectius est, quòd Beneficiarius uno dumtaxat contentus sit. Nam ea permissio non tollit sanctitatem, & perfectionem habendi unum dumtaxat. Quare semper manet firmum, quod ea conditio renunciandi primum Beneficium inest de jure consulente.

162. Alio etiam modo potest explicari, quomodo ea conditio renunciandi prius Beneficium insit de jure absolutè, nempè quia de jure inest, quod Episcopus servet justitiam distributivam in Beneficiis conferendis. Contrà quam est, quod dixit Joannes XXII. verbis relatis: *Plurimorum sibi vendicat stipendia, quæ multis literatis viris vitæ puritate, ac testimonio bonæ famæ pollentibus, qui mendicant, possent abundè sufficere, æqua distributione collata habentibus.* Et Concilium Tridentinum verbis suprà relatis ait, esse perversionem ordinis Ecclesiastici. *Quando unus plurium officia occupat Clericorum.* Et ut loquitur *P. Lessius* suprà relatus: *Quia frustrantur multi pauperes, fortè magis idonei, magisque utiles Eccle-*

Ecclesiæ futuri. Et Mag. *Sotus* suprà. *Inde sequitur justitiæ distributivæ prævaricatio: videlicet ut multi digni egeant, alii verò exundent.* Quod etiam fusius explicuit *P. Reginaldus suprà citatus.* Cùm ergò sit de jure, quod Episcopus servet justitiam distributivam in conferendis Beneficiis, & ad hanc requiratur, quod abundantibus aliis, alii fortè digniores non mendicent; item quod non detur Beneficium tenue digniori, & pingue minus digno, inde est quod ea conditio insit de jure.

ARTICULUS VI.

Ampliatur ulterius conclusio, & denuo roboratur.

SUMMARIUM.

Translatio de una Ecclesia ad aliam, etiam sub conditione facta, si fiat authoritate Episcopi, non est simoniaca. n. 163.

In cap. (Quæsitum) verbo (transferre) intelligitur tam permutatio, quam translatio. Et quid inde pro conclusione? n. 164.

163. DAto, & non concesso, quod quando Episcopus dat Beneficium pingue sub conditione, quod renunciet alterum tenue, ea conditio non inest jure; adhuc verum est, quod ea conditio non facit collationem simoniacam, ex alio fundamento. Nempè, quia licèt omnis pactio, quæ fit circa spiritualia, aut spiritualibus annexa, sit simoniaca, tamen ab hac regula excipitur, translatio de una Ecclesia ad aliam, sive fiat per modum permutationis, in qua invenitur pactum utriusque Beneficiarii, sive per modum translationis, dummodo id fiat authoritate Episcopi. Et quidem permutatione certum est, quod si fiat authoritate Episcopi, non est simoniaca, quantumvis præcesserit pactio inter permutantes. Et ratio est, quia non oportebat claudere ostium permutationi, quando Episcopus judicaret, eam esse in utilitatem Ecclesiæ, aut Beneficiatiorum, ut asserit *P. Suárez suprà relatus.* Ergò si Episcopus pro bono regimine Ecclesiæ, & pro observatione justitiæ commutativæ interponit pactum de renunciando priori Beneficio, cùm id fiat authoritate Episcopi, nihil illicitum committitur.

164. Confirmatur primò ex *cap. Quæsitum* de rerum permut, illis verbis. *Si autem Episcopus causam inspexerit necessariam, licitè poterit de uno loco ad alium transferre personas.* Circà quem textum reducenda sunt in memoriam ea quæ *Pater Suarez* tradit, ut retuli suprà *art.* 2 præcipuè sub ea voce *transferre* intelligi quamlibet sive permutationem, in qua præcedit pactio Beneficiariorum, sive translationem. Quod si permutatio, in qua præcedit ea pactio, fiat authoritate Episcopi, venit nomine translationis licitæ, quare non veniet etiam ea mutatio, quam Episcopus intendit pro bono regimine Ecclesiæ, quamvis sub ea conditione; præcipuè cùm hæc dispositio magis respiciat utilitatem Ecclesiæ, quam permutatio, quæ potius respicit utilitatem Beneficiariorum.

165. Confirmatur secundò Episcopus licitè potest de uno loco ad alium transferre personas, nempe per translationem propriam, aut impropriam: sed potest authoritate sua transferre personas, fa-

ctâ prius inter Beneficiarios invicem pactione: ergò poterit transferre personas, paciscendo pro bono regimine Ecclesiæ. Sicut enim pactio Beneficiariorum honestatur, si fiat permutatio authoritate Episcopi, ita etiam pactio, quæ facta fuerit ab ipso Episcopo pro utilitate, & bono regimine Ecclesiæ, similiter honestabitur.

166. Confirmatur tertiò. Nam *P. Thomas Sanchez*, ut retuli *art. 1.* secutus *Cordubam, Ludovicum Lopez, & Emmanuelem Rodriquez*, docet, si Episcopus det Clerico Beneficium tenue, sub conditione, quod illud sit renunciaturus, casu quo illi det aliud pinguius, licitè poterit dare Beneficium pingue sub ea conditione, quam promisit. Cujus rationem dat, inter alias, *Quia illa est quasi permutatio Beneficiorum, quæ authoritate Prælati fieri potest.* Sed cum Episcopus pro bono regimine Ecclesiæ dat Clerico Beneficium pingue sub conditione, quod renunciet alterum tenue, quamvis non præcesserit illa obligatio renunciandi illud, eodem modo est quasi permutatio Beneficiorum, quæ authoritate Prælati fieri potest: nam quod præcesserit, aut non præcesserit ea obligatio Beneficiarii, neque obest, neque prodest, ut ea mutatio dicatur esse quasi permutatio Beneficiorum.

167. Et quidem vel utraque est simoniaca, vel utraq; manet immunis à labe simoniæ. Etenim, quando Episcopus dat Beneficium tenue cum onere recitandi illud, si dederit aliud pingue, verè est pactio circa spiritualibus annexa, eodē modo, ac quando dat Beneficium secundum sub conditione, quod renunciet primum, quamvis non præcesserit obligatio renunciandi: ergò si ea prima pactio honestatur, eò quod fit authoritate Episcopi, quia est quasi permutatio Beneficiorum, etiam secunda pactio, quæ fit pro utilitate, & bono regimine Ecclesiæ, honestabitur etiam authoritate Episcopi, cùm similiter sit quasi permutatio Beneficiorum. Aut si in secunda hac non valet authoritas Episcopi, neque valebit in prima.

168. Dixi sæpius, id habere locum, quando Episcopus dat Beneficium sub conditione renunciandi aliud, si id facit pro utilitate, & bono regimine Ecclesiæ. Nam si dat sub conditione renunciandi propter aliquod commodum suum temporale, erit simoniacus. Et ratio est. Nam in præfato *cap. Quæsitum.* dat eam authoritatem Episcopo propter necessitatem Ecclesiæ: *Si autem Episcopus causam inspexerit necessariam*; quo nomine necessitatis venit etiam magna Ecclesiæ utilitas, ut explicat *P. Suarez*, supra relatus. Cùm ergò quælibet pactio circa spiritualibus annexa sit simoniaca, nisi quando pro necessitate, aut magna utilitate Ecclesiæ intervenerit authoritas Episcopi in tali permutatione, sit non concedi eam authoritatem Episcopo, quando in ea quæsierit aliquod commodum temporale.

169. Sed contra hanc conclusionem sic explicatam objiciunt Theologi adversæ partis propugnatores. Quamvis Episcopus habeat potestatem ad hoc, ut authoritativè, & potestativè approbet permutationes aliorum, & pacta in illis inita, non tamen habet potestatem ad approbandum, & justificandum pactiones ab ipso initas: ergo quamvis possit justificare permutationes Beneficiorū, non tamen poterit justificare pactionē initā cum eo, cui confert

Bene-

Beneficium, dando illud sub conditione, quod renunciet alterum. Antecedens probatur primò, quia unusquisque in seipsum potestate, & authoritate caret. Sic enim alienationem bonorum Ecclesiæ, si fiat ex causa justa, cum debita juris solemnitate, potest Episcopus approbare, & validam facere, & tamen in illis bonis, quæ specialiter spectant ad rem Episcopalem, nequit Episcopus alienationem approbare, aut validam facere. Probatur secundò idem antecedens. Nam quamvis Episcopus possit approbare, & justificare permutationes Beneficiorum, si ipse Episcopus permutet Beneficium proprium cum alio, non potest ipse approbare suam permutationem, sed requiritur approbatio sui Superioris, nempe Archiepiscopi, vel Primatis, &c. ut observat *Bonaçina tom. 1. tract. de simon. disp. 1. quæst. 4. §. 11.* & apud ipsum *Rebuffus, P. Suarez, & P. Filliucius.*

170. Respondeo distinguendo antecedens: Non habet potestatem approbandi pactiones ab ipso initas (in proprium commodum) concedo; (in utilitatem Ecclesiæ, & pro bono ejus regimine) nego. Itaque quando Episcopus pro bono Ecclesiæ regimine, & servanda justitia distributiva dat Beneficium Clerico sub conditione, quod renunciet aliud, etiam ex compatibilibus, non approbat illud pro commodo suo: quod si potest approbare permutationes Beneficiariorũ, & pactiones in illis cõtentas propter utilitatem Beneficiorum, multò æquius est, ut approbet. & justificet pactionem suam, quæ non est pro commodo suo, sed pro utilitate Ecclesiæ, & pro servanda justitia distributiva.

171. Ad primam probationem antecedentis omitto, quod Episcopus non possit exercere potestatem in seipsum, in causa propria, circa ea, quæ sunt spiritualibus annexa. Hoc enim est, quòd probant exempla subjecta. Nam quod non possit approbare, & justificare alienationem bonorum spectantium ad rem Episcopalem est, quia ea alienatio respicit propriam Episcopi utilitatem; sive quia id est in causa propria, vel dic, id sibi esse specialiter prohibitum, ne propter proprium commodum erret in re, quæ non pertinet solùm ad ipsum, sed etiam ad Successores. Deinde, quando ipse Episcopus permutat cum alio Beneficium aliquod, certum est, quod non valet approbatio ipsius, sed quod requiritur approbatio sui Superioris; quia ea permutatio, & pactio ibi contenta respicit commodum Episcopi, & est in causa propria. Nos enim fatemur, non posse Episcopum in causa propria inire pactum circa ea, quæ sunt spiritualibus annexa. Quando autem dat Beneficium Clerico sub conditione, quod renunciet alterum, cùm id faciat pro bono regimine Ecclesiæ, & pro observatione justitiæ distributivæ quam injungunt Sacri Canones, non exercet potestatem in seipsum, neque in causa propria, sed in causa utilitatis Ecclesiæ.

172. Respondens supra ad primam probationem antecedentis, Dixi, *omitto*, quia ea propositio, quod (Episcopus non potest exercere potestatem in seipsum,) si universaliter, & ut jacet, accipiatur, falsa est. Nam illa, quæ Episcopus potest concedere subditis, potest sibi ipsi concedere, si non sit sibi specialiter prohibitum. Et quidem id posse indirectè, certum est, nempe quando cum omni populo dispensat in aliquibus, v.g in lege jejunii, ea dispensatio comprehendit ipsum Episcopũ Deinde

etiam est certum, quod Episcopus habet potestatem committendi suo Confessario, ut dispenset secum in iis, in quibus potest ipse Episcopus dispensare cum suis subditis. Præterea probabilior sententia docet, posse Episcopum dispensare secum directè in iis omnibus, in quibus potest dispensare cum suis subditis; & sibi ipsi concedere, quod potest subditis, nisi in materia sibi specialiter interdicta. Quæ omnia tradit, & efficaciter probat cum multis Doctoribus *Pater Thomas Sanchez tom. 3. de matrim. lib. 8. disp. 3.* Quod autem non possit seipsum designare ad habendum Beneficium, vel dignitatem, quod, vel quam potest alteri conferre, id est propter specialem prohibitionem *capitis final. de institut.* ubi dicitur, inter dantem, & recipientem debere esse distinctionem personalem.

173. Hac tamen doctrina non utor pro responsione ejus objectionis, quia dum dat Episcopus Beneficium Clerico sub conditione, quod renunciet alterum pro bono regimine Ecclesiæ, non exercet potestatem in seipsum, quantumvis ipse apponat eam conditionem, quia tunc eam potestatem exercet pro bono regimine Ecclesiæ, & non in causa propria, sed potius in causa publica; secus si in eo respiceret aliquod commodum suum temporale.

* * * * * * * * *

DISSERTATIO XXVIII.

An sit gravis obligatio eligendi digniores ad Beneficia Curam animarum habentia?

CAPUT I.

Refertur propositio damnata, & præmittuntur aliqua.

SUMMARIUM.

Concilium non agit de Beneficiis nullam animarum curam habentibus. n. 2.

Alia sunt, quæ habent immediatè curam animarum, & alia, quæ mediatè. Ad hæc spectat Cardinalatus. n. 3.

Canonicatus in Ecclesia Hispalensi habet mediate Curam animarum. n. 4.

Quæ statuit Concilium circa electionem Episcoporum, intelligenda sunt de electione omnium, qui exercent jurisdictionem quasi Episcopalem. n. 5.

Quinam censeantur digniores. n. 6.

Beneficia primario instituta sunt pro utilitate Ecclesiæ, secundario autem ut præmia bene meritorum. n. 7.

Circa electionem ad Beneficia merè simplicia, prima sententia docet debere eligi digniorem. n. 8.

Secunda sententia docet, non esse mortale, dare dignis, omissis dignioribus. n. 9.

1. PRopositio 47. ex damnatis sic se habet. *Cùm dixit Concilium Tridentinum eos alienis peccatis communicantes mortaliter peccare, qui, nisi quos digniores, & Eccle-*

Ecclesiæ magis utiles, ipsi judicaverint, ad Ecclesias promoveant. Concilium vel primo videtur per hoc digniores, non aliud significare velle, nisi dignitatem eligendorum, sumpto comparativo pro positivo; vel secundo locutione minus propria ponit digniores, ut excludat indignos, non verò dignos; vel tandem loquitur tertio, quando fit concursus.

2. Præmitto primò, neque Concilium (*sess. 24. de Reform. cap. 1.*) neque propositionem damnatam, quæ verba Concilii perperam interpretatur, agere de Beneficiis simplicibus, & nullam animarum Curam habentibus. Nam Concilium expressè agit de Pastoribus Ecclesiarum. Ait enim: *Meminerint, nihil se ad Dei gloriam, & populorum salutem utilius posse facere, quam si bonos PASTORES, & Ecclesiæ gubernandæ idoneos promoveri studeant; eosque alienis peccatis communicantes mortaliter peccare, nisi, &c.*

3. Præmitto secundo, alia esse Beneficia. quæ habent immediatè Curam animarum, & alia, quæ mediatè. Et licèt aliqui enumerent Cardinalatum inter Beneficia simplicia, & saltem mediatè incumbit sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus Cura animarum; cùm sint immediatissimi Consiliarii Pontificis Romani in ordine ad negotia majora, & specialius pertinentia ad salutem animarum, & bonum regimen totius Ecclesiæ Catholicæ. Et ideò Concilium Tridentinum in eodem *cap. 1.* sic decernit: *Ea verò omnia, & singula, quæ de Episcoporum præficiendorum vita, ætate, doctrina, & cæteris qualitatibus alias in eadem Synodo constituta sunt, decernit, eadem etiam in creatione Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, etiamsi Diaconi sint, exigenda.*

4. Eodem modo licèt Canonicatus Ecclesiarum Cathedralium computentur ab aliquibus inter Beneficia Curam animarum non habentia; advertendum est, in aliquibus Ecclesiis ejusmodi Canonicatus mediatè habere Curam animarum, ut contigit in hac Ecclesia Hispalensi. Nam Capitulum Ecclesiæ Cathedralis gubernat Parochiam Matricis, & tota Cura animarum de facto incumbit præfato Capitulo; assignat enim Curatos octo; hæc enim Parochia est latissima; præterea singulis annis designat unum, sive Canonicum, sive Portionarium, qui præsideat Curatis & res Parochiæ immediatè gubernet. Deinde ei Capitulo subjicitur, ex speciali dispositione Fundatoris confirmata à Romano Pontifice, Cœnobium Sanctimonialium, quod est sub titulo Incarnationis Dominicæ; & ideò Capitulum designat singulis quadrienniis visitatorem ex præfatis Canonicis; ita ut ejusmodi Cœnobium sit exemptum à jurisdictione ordinaria. Et hinc fit, hos Canonicatus, & portiones dici non posse Beneficia simplicia, aut Curâ animarum carentia.

5. Præmitto tertiò, ea, quæ statuit Concilium circa electionem Episcoporum intelligenda esse de electione omnium eorum, qui exercent jurisdictionem quasi Episcopalem, præcipuè in toto populo, aut in pluribus populis; quales sunt Abbates jurisdictione spirituali utentes, Priores, aut Vicarii, qui cùm sint nullius diœcesis, Episcopalem tamen exercent jurisdictionem; quales sunt Vicarii, aut Priores aliqui Ordinum Militarium. Et similiter omnes Præpositi, Priores, Guardiani, & Rectores Ordinum Regularium: nam hi omnes exercent jurisdictionem quasi Episcopalem,

palem,

palem, sed præcipuè Generales, & Provinciales; eo quod magna sit sphæra jurisdictionis eorum. Quare eorum electio, proportione servata, requirit, quod semper digniores præferantur. Et ideò dixit Concilium verbis universalibus: *Si bonos PASTORES, & Ecclesiæ gubernandæ idoneos promoveri studeant.*

6. Præmitto quartò, non dici digniores illos, qui Doctores fuerint, aut qui nobiliores, &c. sed illi, qui omnibus bonis dotibus animi, & corporis consideratis, Ecclesiæ utiliores futuri esse creduntur. Et ita explicuit Tridentinum ibidem, dum dixit: *Quos digniores, & Ecclesiæ magis utiles ipsi judicaverint.* Nam per secundum epithetum explicuit primum. Dignus autem dicitur, qui habet qualitates requisitas ad ministerium. Indignus autem dicitur ille, cui deest aliqua ex qualitatibus ad ministerium jure requisitis.

7. Præmitto quintò, Beneficia Ecclesiastica primariò, & principaliter instituta esse in utilitatem Ecclesiæ, ut hæc habeat idoneos Ministros; secundario autem, & minus principaliter ut præmia eorum, qui de Ecclesia ob eorum virtutes, & doctrinam bene meriti sunt, & aptiores ad serviendum Ecclesiæ. Ita communiter Doctores, & præcipuè *Navarrus, Aragon, Salon, Sotus, & Ledesma,* quos refert, & sequitur *P. Thomas Sanchez tom. 1. Consilior. lib. 2. cap. 1. dub. n. 2.*

8. Præmitto sextò. Circa electionem ad Beneficia simplicia, quæ nullam habent Curam animarum, an eligi debeant digniores, est duplex sententia, & utraque probabilis. Prima docet, peccare mortaliter electorem, qui non eligit digniorem. Quia cùm Beneficia etiam simplicia instituta sint; saltem secundario, ut præmia meritorum, contra justitiam distributivam operatur, qui ea non distribuit pro meritis. Ita *D. Thom. 2. 2. quæst. 63. art. 2.* & aliis in locis, *Cajetanus, Palacios, D. Antoninus, Armilla, Tabiena, Sylvester, Mercatus, Lyra, Rosella, Altisiodorensis, Henricus, Gothfredus, Ledesma, Covarrubias, Rocus, Panormitanus, Lud. Gomez, Adrianus, Ioannes Lupus, Lambertinus Molina jurisperitus, Turrecremata, Olchot, Perez, Gerson, Nieva, Padilla, & Lessius,* quos refert *P. Thom. Sanchez*, ubi supra *num. 16.*

6. Secunda sententia docet, non esse peccatum mortale, dare Beneficia simplicia dignis, omissis dignioribus. Quia cùm finis primarius, ad quem instituta sunt Beneficia, sit utilitas Ecclesiæ; modicum detrimentum patitur Ecclesia, si ea conferantur dignis, omissis dignioribus. Ita *Navarra, Aragon, Salon, Sotus, Navarrus, Gabriel, Angelus, Alensis, & Abulensis,* quos refert, & sequitur *P. Thomas Sanchez*, ubi supra *num. 20.* & suffragatur *Lugo Cardinalis tom. 2. de Iust. disp. 35. sect. 2. num. 11.* Et ex his ferè omnes dicunt, id esse peccatum veniale; quamvis *Navarra* dicat, nullum esse peccatum: sicut etiam *Diana, part. 2. tract. 1. Miscel. resol. 38.* afferens pro sua sententia, præter *Navarram, Ledesmam, Gutierrez, & Garciam.* Quæ sententia probabilis est, dummodo non intelligatur de illis Beneficiis, quæ inter simplicia adnumerari solent, quæ tamen saltem mediatè habent curam animarum, de quibus suprà dixi.

CA-

CAPUT II.

An vi hujus damnationis certa evadat sententia docens, semper eligendum esse digniorem ad Episcopatum, & Cardinalatum?

SUMMARIUM.

Authores, qui docuerunt, posse absque culpa gravi eligi dignos, exclusis dignioribus. num.10.
Opposita sententia certa est quoad Cardinales, & Episcopos, & eos, qui habent jurisdictionem quasi Episcopalem. nu. 1.11.
Verbum Digniores sumi debet in sua propria significatione. num.12.
Hæc obligatio est juris naturalis. num. 13.
Urgetur argumentum ex Concilio Tridentino. num.14. & seqq.
Quanta dotes requirantur ad Episcopatum? num.15 & seqq.
Quid de hoc senserit S.Thomas? num.17.
Quid Bellarminus? num.18.
Ulterior probatio ex Apostolo. num. 19.
Item ex Concilio Tridentino. num. 20.

10. Opinio fuit aliquorum, non esse obligationem sub reatu culpæ gravis eligere digniorem, etiam ad Beneficia curam animarum habentia, ex quibus aliqui eam opinionem extendunt ad Episcopatum, præcipuè respectu Pontificis eligentis, aut Patroni sæcularis præsentantis. Moderni scriptores, qui has propositiones assumpserunt explicandas, Lumbier, Filguera, & Hozes, citant *P. Tamburinum lib. 8. in Decal. tract. 3. cap. 4. de distribut. Benef. n 5.* & revera hæc propositio, ut jacet, reperitur ibidem *num. 7*, sed *num. 11*, addit: *Respondeo secundo ad instantiam num. 8. factam, me ingenue fateri, propter hunc Tridentini textum, esse multo probabilius, Episcopatus, & similia majora Curata Beneficia, de quibus solum loquitur Tridentinum, debere dignioribus conferri, nec in praxi aliter esse consulendum.* Sed Tamburinus in priore parte assertionis secutus est alios Doctores, qui prius docuerunt, posse eligi dignos, exclusis dignioribus, extra casum concursus. Ita Glossa, *Rochus, Pedraza*, & alii, apud *Dianam 2. part. tract. miscell. 1. resol. 41. & Ioannes Pontiusin Curs. Theol. disp. 59. quæst. 1. concl. 4. num. 40. Cajetanus in sum. verb.* Electio Prælati. Et esse probabilem ait *Acacius de Velasco tom. 1. verb.* Beneficios. *resol. 111. num. 7. & Serra 2.2. quæst. 63. art. 2. dub.* 1. & alii.

11. Dico primò. Opposita sententia quæ docet saltem in Episcopatibus, & Cardinalibus eligendos esse digniores, certa est omninò, vi hujus decreti, in quo opposita opinio damnatur, & interdicitur tanquam scandalosa. Et idem dicendum est de omnibus illis, qui habent jurisdictionem quasi Episcopalem, sive sint Abbates, sive Vicarii, aut Priores nullius Diœcesis, sive Prælati Regulares, ob identitatem rationis. Et quidem hæc propositio damnata loquitur de eo Decreto Concilii Tridentini, ubi hoc Concilium requirit, in eligendis Episcopis præcipuè, & Cardinalibus, præferendos semper esse digniores. Hæc est expressa sententia *S. Thomæ 2.2. quæst. 185. art. 3.* ubi asserit eligendos, non meliores in se, sed utiliores Ecclesiæ, & hoc est, esse digniores. Quem sequuntur ferè omnes Theologi. Quod etiam docuit S Hieronymus, & habetur *in cap. Licet ergo 8. quæst. 1. Ut sciant omnes, & certi sint, quod* qui

qui præstantior est ex omni populo, qui doctior, qui sanctior, qui in omni virtute eminentior, ille eligitur ad Sacerdotium. Subditque postea speciales virtutes, quæ relucere debent in Episcopo.

12. Sed jam hæc assertio omninò est certa, & indubitabilis: Nam Decretum Concilii per se est manifestum; sed dum aliqui id verbum *Digniores* interpretantur vel pro dignis, vel pro non indignis, vel pro strictè dignioribus in concursu, dubitabant aliqui de mente Concilii. Cum ergo per hanc damnationem excludantur eæ interpretationes, jam nullum restat vestigium dubitationis.

13. Ego quidem pro comperto habeo, hanc obligationem esse juris naturalis. Et quamvis aliqui hoc intendant probare argumentis, quorum aliqua refutat *P. Vasquez opusc. de Benef. cap. 2. §. 3. dub. 1.* & alia *Lugo Card. tom. 2. de just. disp. 35. sect. 2. num. 11.* Ego tamen existimo, id efficaciter probari hoc argumento, quod insinuat Concilium Trident. *cap. 1. cit.* dum ait: *Hoc tamen munus* (Episcopale) *hujusmodi esse censet* (Sancta Synodus) *ut, si pro rei magnitudine expendatur, nunquam satis cautum videri possit.* Quod argumentum sic explico, & urgeo.

14. Non potest eligi ad munus Episcopale ille, qui non habet omnia requisita ad tale munus; si tamen datur unus, qui habeat omnia requisita ad illud: ergo si vacante sede Toletana v. g. inveniatur unus, qui in his omnibus sit omninò perfectus, & nullus alius præter ipsum sit omninò perfectus, urgebit obligatio eligendi unum illum perfectum. Hucusque evidens est discursus iste, ipso lumine rationis dictante.

15. Procedo ulterius. Tot tantæque sunt dotes spirituales, tot, tantaque talenta prudentiæ, sanctitatis, constantiæ, doctrinæ, & similia, quæ requiruntur ad munus Episcopale, ut vix, aut ne vix quidem inveniatur unus, qui habeat omnia hæc in gradu perfecto; ergò si ille unus non inveniatur, qui habeat ea omnia in gradu perfecto, eligendus erit ille, qui habuerit ferè omnia illa; sive ille, qui proximus fuerit in perfectione talentorum ei, qui haberet omnia illa. Sed obligatio eligendi hunc est obligatio eligendi digniorem: ergo omninò urget obligatio eligendi digniorem. Hæ omnes consequentiæ legitimè concluduntur.

16. Illud verò antecedens, quod requirit ea omnia in munere Episcopali, probatur primò: hoc enim est quod dixit Tridentinum supra citatum: *Hoc tamen munus hujusmodi esse censet, ut si pro magnitudine rei expendatur, nunquam satis cautum videri possit.* Hæc enim perfectio undequaque absoluta virtutum, & talentorum, quæ requiritur in Episcopo, est illa magnitudo, *De qua nunquam satis cautum videri potest.*

17. Probatur secundò. Nam S. Thomas, quem omnes Theologi sequuntur, affirmat *2. 2. quæst. 184. art. 7.* Episcopum teneri esse perfectum; & hoc esse discrimen inter Episcopum, & Religiosum, quod hic teneatur aspirare ad perfectionem; ille verò tenetur habere perfectionem. Et concludit S. Doctor: *Unde manifestum est, quod status perfectionis potior est in Episcopis, quam in Religiosis.* Et *quæst. 185. art 8.* ait: *Dicendum, quod sicut supradictum est, status Religionis ad perfectionem pertinet, quasi quædam via ad perfectionem tendendi; status autem Episcopalis ad perfectionem pertinet*

tinet tanquam quoddam perfectionis magisterium. Quod idem confirmat *quodlib. 3. art.17.* Esset autem prolixæ operæ recensere, quæ reliqui Scriptores de hac materia attestantur.

18. Unus pro multis sufficiet *Card Bellarminus, in li. de offic.* Principis circa finem libri *controv. 3.* cujus titulus est: *An Episcopus teneatur esse perfectus?* Et postquam dixit: *Quod teneatur, docent omnes Scriptores, ac præsertim S. Thomas.* Post pauca subjungit: *Quod confirmatur ex verbis Apostoli ad Titum 2. (In omnibus te ipsum præbe exemplum bonorum operum.) Et ex verbis Matth. 5 (Vos estis sal terræ, & lux mundi.) Hæc igitur est veritas, sed non omnes capiunt verbum istud. Religiosi sunt in statu perfectionis acquirendæ, quia faciunt tria vota: paupertatis contra affectum divitiarũ; castitatis, contra concupiscentiam carnis; obedientiæ contra superbiam vitæ. Episcopus igitur, qui est in statu perfectionis adeptæ, tenetur esse perfectus, id est, ardentissima charitate Dei, & proximi præditus, ita ut divitias Ecclesiæ suæ non suas esse existimet, & non habeat ad possidendum tanquam proprias, sed ad dispensandum, ut alienas. Item tenetur esse perfectus in charitate Dei, & proximi; circa castitatem, ut Angelica puritate Deo ministret, & viros ac mulieres, quibus præest, verè diligat ut filios, & filias, & nullam unquam suspicionem incontinentiæ illis tribuat: proinde non habere domi personam ullam, vel ob adolescentiam, vel ob ornatum, ad quam carnali affectione propensus credatur: foris autem cum nulla unquam muliere sine testibus loquatur, atque id potissimum erga sanctimoniales observet: incredibile est, quam contemptibilis reddatur Episcopus, si aut verbis, aut factis ullum signum incontinentiæ dederit. Denique perfectus esse debet circa humilitatem, & obedientiam Dei, & superiorum mandata, ac præcipuè erga illud à Sancto Ioanne Evangelista in 1 Epistola promulgatum: [Debemus pro fratribus animas ponere,] ac multo magis divitias, quietem, delicias, & commoda omnia. Hæc perfectio excludit ludos, venationes, lectionem librorum vanorum, occupationes temporales, & alia id genus omnia. Proinde munus Episcopi est vita laboriosissima, sed magnam habet remunerationem.*

19. Probatur tertiò ex verbis Apostoli 1. *ad Timoth. 3. Si quis Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat: oportet ergo, Episcopum irreprehensibilem esse, unius uxoris virum, sobrium, prudentem, ornatum, pudicum, hospitalem, Doctorem, non violentum, non percussorem, &c.* Et quidem prolixum esset recensere omnia, quæ Sancti Patres & Ecclesiæ Doctores scribunt circa hanc Apostoli doctrinam, qua Timotheum Episcopum imbuebat. Explicationem, & Commentarium hujus textus tradidit Augustinus *Barbosa, lib. de Potest. Episcopi, part. 1. in toto titulo 2. per septemdecim Glossas*, ubi cum immensa eruditionis supellectile ex Sanctis Patribus collectæ, manifestè ostendit illam *magnitudinem*, de qua, ut dicit Tridentina Synodus, *Numquam satis cautum videri potest.*

20. Ex quibus omnibus concluditur, si semper eligendus est ad munus Episcopale is, qui habeat omnia requisita ad tale munus, & vix inveniatur unus, qui his omnibus polleat perfectè; illum eligendum esse, qui propius accedat ad eam perfectionem talentorum, quæ requiruntur, atque adeò digniorem. Et hanc obligatio-

nem semper in Ecclesia extitisse, ostenditur ex illis verbis Concilii: *Nihil in iis pro præsenti temporum ratione innovando.* Quibus verbis satis declarat Concilium, hanc dispositionem non esse novam in Ecclesia Dei, sed semper in ea observatum esse tanquam obligatorium eligere digniores. Eam autem obligationem oriri ex jure naturali colligitur ex illis verbis: *Eadem Sancta Synodus Tridentina gravissimis Ecclesiæ incommodis commota non potest non commemorare, nihil magis Ecclesiæ Dei esse NECESSARIUM, quam ut ∴. lectissimos tantum sibi Cardinales asciscat, & bonos maximè* (in superlativo gradu) *atque idoneos Pastores singulis Ecclesiis præficiat.* Unde sic fit argumentum. Elector independenter ab humana lege, atque adeò jure natu rali, & Divino, tenetur ad eligendum Episcopum eo modo, quo necessarium est Ecclesiæ Dei: sed juxta mentem Concilii, necessarium est Ecclesiæ Dei eligere digniorem: ergo jure naturali, & Divino tenetur eligere digniorem.

CAPUT III.

An præfata doctrina extendenda sit ad eos, quos præsentat Patronus laicus? Et quid circa hoc valeat consuetudo contraria?

SUMMARIUM.

Patronus laicus jure naturali tenetur eligere digniorem. num. 21.

Confirmatio ex Tridentino. num. 22. & seqq.

Quomodo non sit magnum onus eligere digniorem? num. 26.

In hoc non potest prævalere consuetudo; neque in Hispania datur talis consuetudo; & quantam diligentiam adhibeat Rex Catholicus ad quærendum digniores? n. 28. & seqq.

Opinio docens oppositum circa Patronum laicum subjacet damnationi. num. 32. & seqq.

21. DIco secundò. Patronus laicus jure naturali tenetur eligere digniorem ad munus Episcopale. Probatur eodem argumento, quo primam assertionem roboravi. Nam Patronus laicus jure naturali tenetur eligere illum, qui habeat omnia requisita ad munus Episcopale administrandum, si talem inveniat: ergo cum vix sit unus, qui habeat omnia requisita in gradu perfecto, & consequenter præfatus Patronus non possit certo scire, hunc, quem eligit, habere omnia ea requisita, debet præsentare eum, quem videt propius accedere ad eam perfectionem, atque adeò digniorem.

22. Confirmatur primò. Nam juxta Tridentinum, qui non promovent digniorem ad Episcopatum, *alienis peccatis communicantes mortaliter peccant*: sed quod Patronus sit laicus, non tollit hanc cooperationem, & communicationem quoad peccata aliena: ergo peccat mortaliter, si non præsentet digniorem.

23. Confirmatur secundò. Patronus jure naturali tenetur eligere sive præsentare eo modo, quo est necessarium Ecclesiæ Dei: sed ut docet Tridentinum, eligere digniorem est necessarium Ecclesiæ Dei: ergo Patronus jure naturali tenetur eligere digniorem.

24. Confirmatur tertiò. Nam cum Tridentinum in eo cap. 1. ait, *alienis peccatis commu-*

communicantes peccare mortaliter eos, qui ad Episcopatum non eligunt digniorem, expressè loquitur tam de Patronis præsentantibus, quàm de Prælatis eligentibus, illis verbis: *Omnes vero, & singulos, qui ad promotionem præsentendorum quodcumque jus, quacumque ratione à Sede Apostolica habent, aut alioquin operam suam præstant.* In quibus verbis manifestum est, patronos etiam laicos contineri.

25. Dices. Ingens onus imponitur Patronis laicis, si ipsi non dicantur conscientiæ suæ satisfacere per hoc, quod præsentent dignos, sed quærere teneantur digniores, magnisque scrupulis obnoxii erunt: præcipuè cum adsit consuetudo in contrarium. Electio enim Episcopi plauditur, & celebratur, dum vir idoneus, & dignus eligitur, quamvis non sit dignior.

26. Respondeo, etsi esset magnum onus, ei esse incumbendum Patrono; cum sit ingens obligatio providendi Pastorem vigilantissimum pro pascendis ovibus Christi sanguine emptis. Deinde assero, non esse magnum onus, accipere informationem accuratam de viris idoneis ad id munus, & hac accepta, eligere eum, qui reliquis antecedit in talentis requisitis.

27. Et quod dicitur de consuetudine, nihil obest. Nam contra obligationem juris naturalis nulla prævalet consuetudo; quæ eo ipso quod contrarietur juri naturali irrationabilis est. Deinde falsum est, quod detur talis consuetudo.

28. Et quidem in Hispania mihi certum est, eam consuetudinem non extare. Scio enim Regem Catholicum consulere frequenter solere Archiepiscopum Hispalensem, & alios majorum Ecclesiarum Antistites, à quibus accipit informationes arcanas de iis viris, qui gubernandis Ecclesiis Cathedralibus magis sunt idonei, & utiliores fore judicantur. Et ex his omnibus cum magno consilio eligit Rex eos, qui majori fama sanctitatis, doctrinæ, & prudentiæ inveniuntur. Cujus evidens signum est id, quod manifesta experientia comperimus, omnes Episcopos Hispaniæ, ut in plurimum esse viros sanctitate, prudentia, zelo salutis animarum, & vigilantia præstantissimos.

29. Est etiam signum evidens solicitudinis Regum Hispaniæ in præsentandis dignioribus pro Ecclesiis Cathedralibus. exemplum Epistolæ Regis Catholici Caroli II. qui in præsenti regnat, datæ ad D. Archiepiscopum Hispalensem, quam modo præ manibus habeo, ubi inter alia hæc verba lego. *Importando tanto al servicio de Dios nuestro Sennor, y bien de su Iglesia Catholica, que las personas, que he de presentar para governar las de mis Reynos, sean de las MAYORES calidades, meritos, y partes, que ser puede, y tener para esto relacion de los mas DIGNOS, y capaces, por la gran satisfaction, que tengo de vuestra persona, y lo que con razon confio, que en quanto alcancaredes, me la hareis cierta, y verdadera, os encargo la conciencia, como cosa de que depende el bien universal de la Republica Cristiana, y por los mas seguros medios, que fuere possible, y conviene, os entereis con mucha atencion, secreto, y cuydado, (pospuesta toda aficion, y fines humanos) de la Cristiandad, virtud, vida, exemplo, caridad, prudencia, modestia, entendimiento, letras, govierno, edad, legitimidad, limpieza de sangre, y otras buenas calidades, que concurran en las personas, MAS calificadas, y*

aprobadas de vuestro Arcobispado, y otras, de quien os pareciere se pueda fiar el govierno de qualquier Iglesia.

30. Inquires, an opinio docens, Patronum laicum non teneri ad præsentandum digniorem ad munus Episcopale, aut Cardinalitium, subjaceat huic damnationi? Et respondeo, hanc quæstionem pendere ab altera; scilicet an Concilium Tridentinum, cum decernit, ad munus Episcopale, & Cardinalitium eligendos esse digniores, loquatur etiam de præsentandis à Patronis laicis? Nam cum hæc damnatio reprobet intelligentiam pravam circa id verbum *Digniores*, quod ponit Concilium, in eodem sensu, quo loquitur Concilium, debet etiam intelligi ea damnatio.

31. Respondeo ergò, eam opinionem subjacere huic damnationi. Ratio est. Nam Concilium Tridentinum ad munus Episcopale, & Cardinalitium ita requirit digniores, ut nullum apponat discrimen inter eligendos ab Ecclesiasticis Præsulibus, & eligendos à Patronis laicis; imò & hos etiam expressè comprehendit, ut ostendi supra in confirm. 3. Et quidem in eadem *sess. 24. cap. 18 de Reformat.* cum tradidisset, ad Ecclesiam Parochialem eligendum esse digniorem, subjungit: *Quod si jus Patronatus laicorum fuerit, debeat, qui à Patrono præsentatus fuerit, ab eisdem deputatis, ut supra, examinari, & non, nisi idoneus repertus fuerit, admitti.* Cum ergo Concilium in eligendis ad Ecclesiam Parochialem, distinguat inter eligendos à Præsule Ecclesiastico & nominandos à Patrono laico; & hos admittat, quamvis non constet, eos esse digniores, dummodo constet esse dignos; in eligendis vero ad Ecclesiam Cathedralem semper insistat in electione digniorls sine ulla distinctione Patroni laici, aut Ecclesiastici, imò expressè comprehendens laicum; dicendum absolutè est, Concilium requirere ad munus Episcopale digniores, sive ab Ecclesiastico, sive à laico nominandi sint.

CAPUT IV.

An extendenda sit ea doctrina ad eos, qui eliguntur ad Beneficia Parochialia?

SUMMARIUM.

Tres quæstiones discutiendæ. num. 32.
Ex Decreto Tridentini elector Ecclesiasticus ad Beneficium Parochiale tenetur eligere digniorem. num. 33.
Ad idem tenetur jure naturali. num. 34.
Objectio solvitur. num. 35. & seqq.
Ex Decreto expresso Tridentini non constat, quod Patronus laicus debeat eligere digniorem. num. 37.
Ex mente Tridentini colligitur, quod Patronus laicus tenetur eligere digniorem. nu. 38. & seqq.
Qua ratione opposita opinio subjaceat damnationi. num. 40.
Objectio solvitur, & explicatur, quomodo intelligenda sit obligatio juris naturalis. num. 41.
An qui resignat Beneficium Curatum favore alterius, teneatur resignare favore dignioris? num. 44. & seqq.

32. NOn desunt, qui doceant, eam doctrinam non esse extendendam ad eos, qui eliguntur ad Beneficia Parochialia, neque

neque esse obligationem eligendi digniores, sed sufficere, si eligantur digni. Ita Authores, quos supra retuli initio capitis 2. Circa quam difficultatem tres quæstiones occurrunt. Prima est, an sit juxta præscriptum Concilii Tridentini, quod quando electio pertinet ad Prælatum Ecclesiasticum, debeant eligi digniores. Secunda, quid quando præsentat Patronus laicus? Tertia, an hæc damnatio comprehendat electionem ad Beneficia, ita ut sit scandalosum dicere, non debere eligi digniorem ad ejusmodi Beneficia? Et quidem non inquirimus modò an ad Parochialia debeant eligi digniores; supponimus enim, esse tenendam sententiam affirmativam, sed an id sit juxta præscriptum Concilii Tridentini? Quia cum hæc damnatio loquatur de intelligentia relati decreti Tridentini; oportet prius examinare, quid sit statutum à Tridentino circa hanc materiam.

33. Circa primam quæstionem sit prima conclusio. Ex Decreto Tridentini Episcopus vel Patronus Ecclesiasticus, præmisso examine, tenetur eligere digniorem. Constat ex *sess. 24. cap. 18. de Reform.* ibi: *Ex hisque Episcopus eum eligat, quem cæteris magis idoneum judicaverit, &c.* Censeo etiam, idem decerni in eodem Decreto *de Reform. cap. 1.* Nam quamvis præcipuè loquatur ibi Tridentinum de Episcoporum, & S. R. E. Cardinalium electione, in procemio capitis loquitur generaliter de omnibus Curam animarum habentibus, illis verbis: *Nihil se ad Dei gloriam, & populorum salutem, utilius posse facere, quam si bonos Pastores, & Ecclesiæ gubernandæ idoneos promoveri studeant.* Quæ verba videntur esse generalia, & quæ omnes animarum Curam habentes, comprehendant. Et quamvis ibi dicat *Bonos*, & non dicat *Meliores*; id tamen præmittit, ut postea declaret, promoveri debere digniores.

34. Dicendum ergo est, hos omnes teneri ad id obligatione juris naturalis. Quod probatur eadem ratione, qua ostendimus de electione Episcoporum. Etenim jure naturæ tenentur eligere ad gubernationem spiritualem Parochiæ eum, qui habeat omnia requisita ad tale munus: cùm ergo adeo difficile sit invenire illum, qui habeat omnia, si iste non cognoscitur evidenter esse talis; debet eligi, qui plura ex requisitis habuerit, qui propterea erit dignior.

35. Dices, sed quid, si dentur duo, qui habeant omnia requisita, quamvis inæqualiter, ita ut unus perfectius illa habeat, quàm alter? Nam in tali casu etiam ille minus perfectus habet omnia requisita; & ideò licet sit minus dignus, poterit eligi.

36. Sed contra est: nam moraliter loquendo, illa minor perfectio non potest dignosci ab electoribus, nisi quia deest aliquod requisitum; maximè quia ad Curam animarum requiruntur talenta in summo gradu moraliter cognoscibili, unde si non habet talenta in summo gradu moraliter cognoscibili, utique non habet omnia requisita. Et ideò optimè dixit *Lugo Card. in ea sect. 2. num. 19. Experientia probat in iis locis, unum Parochum zelo, & fervore flagrantem influere brevi tempore spiritum, & pietatem in omnes ferè illos, qui ad ejus Curam pertinent.* Et sanè qui cognoscit, quanti momenti sit Cura animarum in ordine ad salutem æternam, non dubitabit, eum zelum, & fervorem, qualem proponit Lugo, esse unum ex requisitis ad munus Parochiale, & illud dici posse,

esse

esse in summo gradu. Dum ergò non cognoscitur is zelus in tam sublimi gradu, in aliquo ex iis, qui aspirant ad munus Parochiale, debet eligi is, qui magis accedit ad eum gradum, cæteris paribus; & idem dicendum est de reliquis talentis requisitis.

37. Circa secundam quæstionem sit secunda conclusio. Ex decreto expresso Tridentini non constat, quod Patronus laicus debeat eligere digniorem ad munus Parochiale, sed dignum, & idonum muneri; tamen attenta Tridentini mente. quæ ex aliis ejus verbis colligitur, Patronus laicus tenetur eligere digniorem. Prima pars constat ex citato cap. 18. ubi dicitur : *Quod si jus Patronatus laicorum fuerit, debeat, qui à Patrono præsentatus erit, ab eisdem deputatis (examinatoribus) ut supra examinari* ; & *non, nisi idoneus repertus fuerit, admitti.* Ubi non petit magis idoneum, sed quod reperiatur idoneus.

38. Secunda pars probatur. Nam quamvis solum requirat Tridentinum, quod Præsentatus à Patrono laico ad Parochiam, reperiatur idoneus, id ita decernit, ut vitentur lites, quæ contra jus Patroni exurgere possent, si non admitteretur præsentatus, prætextu quærendi alterum digniorem. Ex alia vero parte, cum tot, tantaque requisita declaret opus esse ad munus Parochiale, quæ leguntur in eo cap. 18. cumque res ipsa ex se tanti momenti sit in ordine ad salutem animarum, inde constat, etiam ex mente Tridentini, Patronum laicum, præmissa diligenti inquisitione, debere præsentare diginiorem.

39. Confirmatur : nam ex mente Tridentini, qui non eligit digniorem, *peccat mortaliter communicans peccatis alienis*: Sed quod Patronus sit laicus, non tollit, quominus cooperetur peccatis alienis : ergo etiam Patronus laicus tenetur eligere digniorem. Neque obstat, quod Concilium in cap. 1. loquatur præcipuè de electione Episcoporum : nam eodem modo (proportione servata) cooperatur peccatis alienis, qui eligit minus dignum ad Parochiam, quam qui eligit ad Episcopatum.

40. Circa tertiam, & præcipuam quæstionem sit tertia conclusio. Subjacet huic damnationi, qui dixerit, ubi Concilium decernit, ad munus Parochiale esse eligendum digniorem, nomine dignioris intelligi dignum, sumpto comparativo pro positivo, aut intelligi non digniorem, aut solum intelligi in concursu. Ratio est : nam licet demus, in eo *cap. 1.* agere Concilium dumtaxat de electione Episcoporum, & S.R.E. Cardinalium, tamen damnatio hæc condemnat interpretationem illam sinistram circa id verbum *Digniores* ; cum ergo id verbum æque reperiatur in electione Parochorum in eo *cap 18.* ac in *cap. 1.* in electione Episcoporum, damnatio etiam debet extendi ad interpretationem ejus verbi etiam in electione Parochorum.

41. Objicies contra primam conclusionem. Si ita strictè teneretur Episcopus, eligere digniorem, sequeretur, quod si immediatè post concursum, & examen factum, inveniret Episcopus aliquem digniorem reliquis oppositoribus, teneretur deserere omnes eos, qui vocati venerunt ad concursum, & eligere eum, qui denuo inventus est dignior : sed hoc fieri non potest sine injuria eorum, qui vocati sunt ad concursum, propter contractum cum eis: ergo non ita strictè tenetur Episcopus eligere digniorem.

42. Respondetur primò, casum esse metaphysi-

taphyficum, utpotè qui nunquam contingit: tum quia omnes, qui se idoneos reputant, semper ingrediuntur concursum; tum etiam, quia etiam post examen reliquorum, potest Episcopus vocare ad concursum eum, quem reputat digniorem: tum præterea, quia difficile est cognoscere evidenter, illum esse digniorem, non probatâ per examen ejus scientiâ.

43. Respondetur secundò, quod dato quod aliquando contingat is casus, non tenetur Episcopus eligere illum repertum digniorem extra concursum: obligatio enim eligendi digniorem intelligitur sine violatione contractus initi cum oppositoribus vocatis ad concursum, dummodo illi sint digni, & ex illis eligatur dignior. Sic enim intelligendum est jus naturale obligans ad electionem dignioris.

44. Objicies contra secundam Conclusionem Qui resignat Beneficium Curatum favore alterius, non tenetur resignare favore digni; ut docent *Reginaldus*, *Lessius*, *& Malderus*, quos refert, & sequitur *Diana part.2.tract.15. resol.* 41. Quia resignans non est distributor, & ideò non tenetur servare justitiam distributivam. Ergò eodem modo censendum est de Patrono laico, maximè de illo, qui non est distributor plurium Beneficiorum, sed illius unius Beneficii.

45. Et quidem illa est mens *P. Lessii*, qui solùm loquitur, quando non est magnus excessus dignissimi ad dignum: superaddit enim hæc verba: *Quamvis si multò dignior se offerat, vel in promptu sit, charitas boni communis obligat, ut hic præferatur.* Ex quibus verbis formatur argumentum probans resignatorem quærere debere dignissimum, & si videat, hunc valdè excedere, teneri resignare in favorem ejus. Nam charitas boni communis exigit, ut provideatur saluti animarum meliori modo, quo possit. Nam, ut suprà perpendimus, cùm non facilè inveniatur unus, qui habeat omnia requisita, charitas boni communis, & desiderium salutis animarũ, urgere debet ad hoc; ut eligatur, qui ulterius abundet ejusmodi requisitis. Et hinc constat ad argumentum, negandũ esse antecedens; ut negat *P. Vasq. opusc. de Beneficiis c.2.§.4.dub.7.n.*100.*Cũ Soto, & Navar.* & ad id, quod subjungitur, dicendũ est, non nasci obligationem hanc ex justitia distributiva, sed ex charitate, & desiderio, quod Beneficiarius habere debet salutis animarum.

DISSERTATIO XXIX.

An fornicatio, & mollities sint moraliter malæ, dumtaxat quia prohibitæ?

CAPUT I.

Proponuntur duæ propositiones damnatæ, placitum Caramuelis, & aliquot prænotata.

SUMMARIUM.

Referuntur duæ propositiones damnatæ. n.1.

Præsens quæstio est an fornicatio, & mollities sint malæ ab intrinseco, an à sola prohibitione? Et quomodo quæstio spectet ad praxim. n.2.

Duplicem esse malitiam, Theologicam, & Philosophicam; ex Caramuele. n.3.

palem, sed præcipuè Generales, & Provinciales; eo quod magna sit sphæra jurisdictionis eorum. Quare eorum electio, proportione servata, requirit, quod semper digniores præferantur. Et ideò dixit Concilium verbis universalibus: *Si bonos PASTORES, & Ecclesia gubernandæ idoneos promoveri studeant.*

6. Præmitto quartò, non dici digniores illos, qui Doctores fuerint, aut qui nobiliores, &c. sed illi, qui omnibus bonis dotibus animi, & corporis consideratis, Ecclesiæ utiliores futuri esse creduntur. Et ita explicuit Tridentinum ibidem, dum dixit: *Quos digniores, & Ecclesiæ magis utiles ipsi judicaverint.* Nam per secundum epithetum explicuit primum. Dignus autem dicitur, qui habet qualitates requisitas ad ministerium. Indignus autem dicitur ille, cui deest aliqua ex qualitatibus ad ministerium jure requisitis.

7. Præmitto quintò, Beneficia Ecclesiastica primariò, & principaliter instituta esse in utilitatem Ecclesiæ, ut hæc habeat idoneos Ministros; secundario autem, & minus principaliter ut præmia eorum, qui de Ecclesia ob eorum virtutes, & doctrinam bene meriti sunt, & aptiores ad serviendum Ecclesiæ. Ita communiter Doctores, & præcipuè *Navarrus, Aragon, Salon, Sotus, & Ledesma,* quos refert, & sequitur *P. Thomas Sanchez tom. 1. Consilior. lib. 2. cap. 1. dub. n. 2.*

8. Præmitto sextò. Circa electionem ad Beneficia simplicia, quæ nullam habent Curam animarum, an eligi debeant digniores, est duplex sententia, & utraque probabilis. Prima docet, peccare mortaliter electorem, qui non eligit digniorem. Quia cùm Beneficia etiam simplicia instituta sint; saltem secundario, ut præmia meritorum, contra justitiam distributivam operatur, qui ea non distribuit pro meritis. Ita *D. Thom. 2. 2. quæst. 63. art. 2.* & aliis in locis, *Cajetanus, Palacios, D. Antoninus, Armilla, Tabiena, Sylvester, Mercatus, Lyra, Rosella, Altisiodorensis, Henricus, Gothfredus, Ledesma, Covarrubias, Rocus, Panormitanus, Lud. Gomez, Adrianus, Ioannes Lupus, Lambertinus Molina jurisperitus, Turrecremata, Olchot, Perez, Gerson, Nieva, Padilla, & Lessius,* quos refert *P. Thom. Sanchez*, ubi supra *num. 16.*

6. Secunda sententia docet, non esse peccatum mortale, dare Beneficia simplicia dignis, omissis dignioribus. Quia cùm finis primarius, ad quem instituta sunt Beneficia, sit utilitas Ecclesiæ; modicum detrimentum patitur Ecclesia, si ea conferantur dignis, omissis dignioribus. Ita *Navarra, Aragon, Salon, Sotus, Navarrus, Gabriel, Angelus, Alensis, & Abulensis,* quos refert, & sequitur *P. Thomas Sanchez*, ubi supra *num. 20.* & suffragatur *Lugo Cardinalis tom. 2. de Iust. disp. 35. sect. 2. num. 11.* Et ex his ferè omnes dicunt, id esse peccatum veniale; quamvis *Navarra* dicat, nullum esse peccatum: sicut etiam *Diana, part. 2. tract. 1. Miscel. resol. 38.* afferens pro sua sententia, præter *Navarram, Ledesmam, Gutierrez, & Garciam.* Quæ sententia probabilis est, dummodo non intelligatur de illis Beneficiis, quæ inter simplicia adnumerari solent, quæ tamen saltem mediatè habent curam animarum, de quibus suprà dixi.

CA-

CAPUT II.

An vi hujus damnationis certa evadat sententia docens, semper eligendum esse digniorem ad Episcopatum, & Cardinalatum?

SUMMARIUM.

Authores, qui docuerunt, posse absque culpa gravi eligi dignos, exclusis dignioribus. num.10.
Opposita sententia certa est quoad Cardinales, & Episcopos, & eos, qui habent jurisdictionem quasi Episcopalem. num.11.
Verbum Digniores sumi debet in sua propria significatione. num.12.
Hæc obligatio est juris naturalis. num. 13.
Urgetur argumentum ex Concilio Tridentino. num.14.& seqq.
Quanta dotes requirantur ad Episcopatum? num.15 & seqq.
Quid de hoc senserit S.Thomas? num.17.
Quid Bellarminus? num.18.
Ulterior probatio ex Apostolo. num. 19.
Item ex Concilio Tridentino. num.20.

10. Opinio fuit aliquorum, non esse obligationem sub reatu culpæ gravis eligere digniorem, etiam ad Beneficia curam animarum habentia, ex quibus aliqui eam opinionem extendunt ad Episcopatum, præcipuè respectu Pontificis eligentis, aut Patroni sæcularis præsentantis. Moderni scriptores, qui has propositiones assumpserunt explicandas, Lumbier, Filguera, & Hozes, citant *P. Tamburinum lib. 8. in Decal. tract. 3. cap. 4. de distribut. Benef. n 5.* & revera hæc propositio, ut jacet, reperitur ibidem *num. 7.* sed *num. 11.* addit: *Respondeo secundo ad instantiam num. 8. factam, me ingenue fateri, propter hunc Tridentini textum, esse multo probabilius, Episcopatus, & similia majora Curata Beneficia, de quibus solum loquitur Tridentinum, debere dignioribus conferri, nec in praxi aliter esse consulendum.* Sed Tamburinus in priore parte assertionis secutus est alios Doctores, qui prius docuerunt, posse eligi dignos, exclusis dignioribus, extra casum concursus. Ita Glossa, *Rochus, Pedraza,* & alii, apud *Dianam 2. part. tract. miscell. 1. resol. 41. & Ioannes Pontiutin Curs. Theol. disp. 59. quæst. 1. concl. 4. num. 40. Cajetanus in sum. verb.* Electio Prælati. Et esse probabilem ait *Acacius de Velasco tom. 1. verb.* Beneficios. *resol. 111. num. 7. & Serra 2.2. quæst. 63. art. 2. dub.* 1. & alii.

11. Dico primò. Opposita sententia quæ docet saltem in Episcopatibus, & Cardinalibus eligendos esse digniores, certa est omninò, vi hujus decreti, in quo opposita opinio damnatur, & interdicitur tanquam scandalosa. Et idem dicendum est de omnibus illis, qui habent jurisdictionem quasi Episcopalem, sive sint Abbates, sive Vicarii, aut Priores nullius Diœcesis, sive Prælati Regulares, ob identitatem rationis. Et quidem hæc propositio damnata loquitur de eo Decreto Concilii Tridentini, ubi hoc Concilium requirit, in eligendis Episcopis præcipuè, & Cardinalibus, præferendos semper esse digniores. Hæc est expressa sententia *S. Thomæ 2.2. quæst. 185. art. 3.* ubi asserit eligendos, non meliores in se, sed utiliores Ecclesiæ, & hoc est, esse digniores. Quem sequuntur ferè omnes Theologi. Quod etiam docuit S Hieronymus, & habetur *in cap. Licet ergo 8. quæst. 1. Ut sciant omnes, & certi sint, quod*

qui præstantior est ex omni populo, qui doctior, qui sanctior, qui in omni virtute eminentior, ille eligitur ad Sacerdotium. Subditque postea speciales virtutes, quæ relucere debent in Episcopo.

12. Sed jam hæc assertio omninò est certa, & indubitabilis: Nam Decretum Concilii per se est manifestum; sed dum aliqui id verbum *Digniores* interpretantur vel pro dignis, vel pro non indignis, vel pro strictè dignioribus in concursu, dubitabant aliqui de mente Concilii. Cum ergo per hanc damnationem excludantur eæ interpretationes, jam nullum restat vestigium dubitationis.

13. Ego quidem pro comperto habeo, hanc obligationem esse juris naturalis. Et quamvis aliqui hoc intendant probare argumentis, quorum aliqua refutat *P. Vasquez opusc. de Benef. cap. 2. §. 3. dub. 1.* & alia *Lugo Card. tom. 2. de just. disp. 35. sect. 2. num. 11.* Ego tamen existimo, id efficaciter probari hoc argumento, quod insinuat Concilium Trident. *cap 1. cit.* dum ait: *Hoc tamen munus* (Episcopale) *hujusmodi esse censet* (Sancta Synodus) *ut, si pro rei magnitudine expendatur, nunquam satis cautum videri possit.* Quod argumentum sic explico, & urgeo.

14. Non potest eligi ad munus Episcopale ille, qui non habet omnia requisita ad tale munus; si tamen datur unus, qui habeat omnia requisita ad illud: ergo si vacante sede Toletana v. g. inveniatur unus, qui in his omnibus sit omninò perfectus, & nullus alius præter ipsum sit omninò perfectus, urgebit obligatio eligendi unum illum perfectum. Huc usque evidens est discursus iste, ipso lumine rationis dictante.

15. Procedo ulterius. Tot tantæque sunt dotes spirituales, tot, tantaque talenta prudentiæ, sanctitatis, constantiæ, doctrinæ, & similia, quæ requiruntur ad munus Episcopale, ut vix, aut ne vix quidem inveniatur unus, qui habeat omnia hæc in gradu perfecto; ergò si ille unus non inveniatur, qui habeat ea omnia in gradu perfecto, eligendus erit ille, qui habuerit ferè omnia illa; sive ille, qui proximus fuerit in perfectione talentorum ei, qui haberet omnia illa. Sed obligatio eligendi hunc est obligatio eligendi digniorem: ergo omninò urget obligatio eligendi digniorem. Hæ omnes consequentiæ legitimè concluduntur.

16. Illud verò antecedens, quod requirit ea omnia in munere Episcopali, probatur primò: hoc enim est quod dixit Tridentinum supra citatum: *Hoc tamen munus hujusmodi esse censet, ut si pro magnitudine rei expendatur, nunquam satis cautum videri possit.* Hæc enim perfectio undequaque absoluta virtutum, & talentorum, quæ requiritur in Episcopo, est illa magnitudo, *De qua nunquam satis cautum videri potest.*

17. Probatur secundò. Nam S. Thomas, quem omnes Theologi sequuntur, affirmat *2. 2. quæst. 184. art. 7.* Episcopum teneri esse perfectum; & hoc esse discrimen inter Episcopum, & Religiosum, quod hic teneatur aspirare ad perfectionem; ille vero tenetur habere perfectionem. Et concludit S. Doctor: *Unde manifestum est, quod status perfectionis potior est in Episcopis, quam in Religiosis.* Et *quæst. 185. art. 8.* ait: *Dicendum, quod sicut supradictum est, status Religionis ad perfectionem pertinet, quasi quædam via ad perfectionem tendendi; status autem Episcopalis ad perfectionem pertinet*

tinet tanquam quoddam perfectionis magisterium. Quod idem confirmat *quodlib. 3. art.17.* Esset autem prolixæ operæ recensere, quæ reliqui Scriptores de hac materia attestantur.

18, Unus pro multis sufficiet *Card Bellarminus, in li. de offic.* Principis circa finem libri *controv.3.* cujus titulus est*: An Episcopus teneatur esse perfectus ?* Et postquam dixit: *Quod teneatur, docent omnes Scriptores, ac præsertim S.Thomas.* Post pauca subjungit: *Quod confirmatur ex verbis Apostoli ad Titum 2. (In omnibus te ipsum præbe exemplum bonorum operum.) Et ex verbis Matth.5 (Vos estis sal terræ, & lux mundi.) Hæc igitur est veritas, sed non omnes capiunt verbum istud. Religiosi sunt in statu perfectionis acquirendæ , quia faciunt tria vota: paupertatis contra affectum divitiarũ; castitatis, contra concupiscentiam carnis; obedientiæ contra superbiam vitæ. Episcopus igitur, qui est in statu perfectionis adeptæ, tenetur esse perfectus, id est, ardentissima charitate Dei, & proximi præditus, ita ut divitias Ecclesiæ suæ non suas esse existimet, & non habeat ad possidendum tanquam proprias, sed ad dispensandum, ut alienas. Item tenetur esse perfectus in charitate Dei , & proximi; circa castitatem, ut Angelica puritate Deo ministret , & viros ac mulieres, quibus præest, verè diligat ut filios, & filias, & nullam unquam suspicionem incontinentiæ illis tribuat: proinde non habere domi personam ullam, vel ob adolescentiam, vel ob ornatum, ad quam carnali affectione propensus credatur : foris autem cum nulla unquam muliere sine testibus loquatur, atque id potissimum erga sanctimoniales observet: incredibile est, quam contemptibilis reddatur Episcopus, si aut verbis, aut factis ullum signum incontinentiæ dederit. Denique perfectus esse debet circa humilitatem, & obedientiam Dei, & superiorum mandata, ac præcipuè erga illud à Sancto Ioanne Evangelista in 1 Epistola promulgatum : [Debemus pro fratribus animas ponere,] ac multo magis divitias, quietem, delicias, & commoda omnia. Hæc perfectio excludit ludos, venationes , lectionem librorum vanorum, occupationes temporales , & alia id genus omnia. Proinde munus Episcopi est vita laboriosissima, sed magnam habet remunerationem.*

19. Probatur tertiò ex verbis Apostoli *1. ad Timoth.3. Si quis Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat: oportet ergo, Episcopum irreprehensibilem esse , unius uxoris virum, sobrium, prudentem, ornatum, pudicum, hospitalem, Doctorem, non violentum, non percussorem, &c.* Et quidem prolixum esset recensere omnia, quæ Sancti Patres & Ecclesiæ Doctores scribunt circa hanc Apostoli doctrinam, qua Timotheum Episcopum imbuebat. Explicationem, & Commentarium hujus textus tradidit Augustinus *Barbosa, lib. de Potest. Episcopi, part.1. in toto titulo 2. per septemdecim Glossas*, ubi cum immensa eruditionis supellectile ex Sanctis Patribus collectæ, manifestè ostendit illam *magnitudinem*, de qua, ut dicit Tridentina Synodus, *Numquam satis cautum videri potest.*

20. Ex quibus omnibus concluditur, si semper eligendus est ad munus Episcopale is , qui habeat omnia requisita ad tale munus, & vix inveniatur unus, qui his omnibus polleat perfectè; illum eligendum esse , qui propius accedat ad eam perfectionem talentorum , quæ requiruntur, atque adeò digniorem. Et hanc obligatio-

nem semper in Ecclesia extitisse, ostenditur ex illis verbis Concilii: *Nihil in iis pro præsenti temporum ratione innovando.* Quibus verbis satis declarat Concilium, hanc dispositionem non esse novam in Ecclesia Dei, sed semper in ea observatum esse tanquam obligatorium eligere digniores. Eam autem obligationem oriri ex jure naturali colligitur ex illis verbis; *Eadem Sancta Synodus Tridentina gravissimis Ecclesiæ incommodis commota non potest non commemorare, nihil magis Ecclesiæ Dei esse NECESSARIUM, quam ut ∴. lectissimos tantum sibi Cardinales asciscat, & bonos maximè* (in superlativo gradu) *atque idoneos Pastores singulis Ecclesiis præficiat.* Unde sic fit argumentum. Elector independenter ab humana lege, atque adeò jure naturali, & Divino, tenetur ad eligendum Episcopum eo modo, quo necessarium est Ecclesiæ Dei: sed juxta mentem Concilii, necessarium est Ecclesiæ Dei eligere digniorem: ergo jure naturali, & Divino tenetur eligere digniorem.

CAPUT III.

An præfata doctrina extendenda sit ad eos, quos præsentat Patronus laicus? Et quid circa hoc valeat consuetudo contraria?

SUMMARIUM.

Patronus laicus jure naturali tenetur eligere digniorem. num. 21.
Confirmatio ex Tridentino. num. 22. & seqq.
Quomodo non sit magnum onus eligere digniorem? num. 26.
In hoc non potest prævalere consuetudo; neque in Hispania datur talis consuetudo; & quantam diligentiam adhibeat Rex Catholicus ad quærendum digniores? n. 28. & seqq.
Opinio docens oppositum circa Patronum laicum subjacet damnationi. num. 32. & seqq.

21. DIco secundò. Patronus laicus jure naturali tenetur eligere digniorem ad munus Episcopale. Probatur eodem argumento, quo primam assertionem roboravi. Nam Patronus laicus jure naturali tenetur eligere illum, qui habeat omnia requisita ad munus Episcopale administrandum, si talem inveniat: ergo cum vix sit unus, qui habeat omnia requisita in gradu perfecto, & consequenter præfatus Patronus non possit certo scire, hunc, quem eligit, habere omnia ea requisita, debet præsentare eum, quem videt propius accedere ad eam perfectionem, atque adeò digniorem.

22. Confirmatur primò. Nam juxta Tridentinum, qui non promovent digniorem ad Episcopatum, *alienis peccatis communicantes mortaliter peccant*: sed quod Patronus sit laicus, non tollit hanc cooperationem, & communicationem quoad peccata aliena: ergo peccat mortaliter, si non præsentet digniorem.

23. Confirmatur secundò. Patronus jure naturali tenetur eligere sive præsentare eo modo, quo est necessarium Ecclesiæ Dei: sed ut docet Tridentinum, eligere digniorem est necessarium Ecclesiæ Dei: ergo Patronus jure naturali tenetur eligere digniorem.

24. Confirmatur tertiò. Nam cum Tridentinum in eo cap. 1. ait, *alienis peccatis commu-*

communicantes peccare mortaliter eos, qui ad Episcopatum non eligunt digniorem, expressè loquitur tam de Patronis præsentantibus, quàm de Prælatis eligentibus, illis verbis: *Omnes vero, & singulos, qui ad promotionem præficiendorum quodcumque jus, quacumque ratione à Sede Apostolica habent, aut alioquin operam suam præstant.* In quibus verbis manifestum est, patronos etiam laicos contineri.

25. Dices. Ingens onus imponitur Patronis laicis, si ipsi non dicantur conscientiæ suæ satisfacere per hoc, quod præsentent dignos, sed quærere teneantur digniores, magnisque scrupulis obnoxii erunt: præcipuè cum adsit consuetudo in contrarium. Electio enim Episcopi plauditur, & celebratur, dum vir idoneus, & dignus eligitur, quamvis non sit dignior.

26. Respondeo, etsi esset magnum onus, ei esse incumbendum Patrono; cum sit ingens obligatio providendi Pastorem vigilantissimum pro pascendis ovibus Christi sanguine emptis. Deinde assero, non esse magnum onus, accipere informationem accuratam de viris idoneis ad id munus, & hac accepta, eligere eum, qui reliquis antecedit in talentis requisitis.

27. Et quod dicitur de consuetudine, nihil obest. Nam contra obligationem juris naturalis nulla prævalet consuetudo; quæ eo ipso quod contrarietur juri naturali irrationabilis est. Deinde falsum est, quod detur talis consuetudo.

28. Et quidem in Hispania mihi certum est, eam consuetudinem non extare. Scio enim Regem Catholicum consulere frequenter solere Archiepiscopum Hispalensem, & alios majorum Ecclesiarum Antistites, à quibus accipit informationes arcanas de iis viris, qui gubernandis Ecclesiis Cathedralibus magis sunt idonei, & utiliores fore judicantur. Et ex his omnibus cum magno consilio eligit Rex eos, qui majori fama sanctitatis, doctrinæ, & prudentiæ inveniuntur. Cujus evidens signum est id, quod manifesta experientia comperimus, omnes Episcopos Hispaniæ, ut in plurimum esse viros sanctitate, prudentia, zelo salutis animarum, & vigilantia præstantissimos.

29. Est etiam signum evidens sollicitudinis Regum Hispaniæ in præsentandis dignioribus pro Ecclesiis Cathedralibus. exemplum Epistolæ Regis Catholici Caroli II. qui in præsenti regnat, datæ ad D. Archiepiscopum Hispalensem, quam modo præ manibus habeo, ubi inter alia hæc verba lego. *Importando tanto al servicio de Dios nuestro Sennor, y bien de su Iglesia Catholica, que las personas, que he de presentar para governar las de mis Reynos, sean de las MEJORES calidades, meritos, y partes, que ser puede, y tener para esto relacion de los mas DIGNOS, y capaces, por la gran satisfaction, que tengo de vuestra persona, y lo que con razon confio, que en quanto alcancaredes, me la hareis cierta, y verdadera, os encargo la conciencia, como cosa de que depende el bien universal de la Republica Cristiana, y por los mas seguros medios, que fuere possible, y conviene, os entereis con mucha atencion, secreto, y cuydado, (pospuesta toda aficion, y fines humanos) de la Cristiandad, virtud, vida, exemplo, caridad, prudencia, modestia, entendimiento, letras, govierno, edad, legitimidad, limpieza de sangre, y otras buenas calidades, que concurran en las personas, MAS calificadas, y*

aprobadas de vuestro Arcobispado, y otras, de quien os pareciere se pueda fiar el govierno de qualquier Iglesia.

30. Inquires, an opinio docens, Patronum laicum non teneri ad præsentandum digniorem ad munus Episcopale, aut Cardinalitium, subjaceat huic damnationi? Et respondeo, hanc quæstionem pendere ab altera; scilicet an Concilium Tridentinum, cum decernit, ad munus Episcopale, & Cardinalitium eligendos esse digniores, loquatur etiam de præsentandis à Patronis laicis? Nam cum hæc damnatio reprobet intelligentiam pravam circa id verbum *Digniores*, quod ponit Concilium, in eodem sensu, quo loquitur Concilium, debet etiam intelligi ea damnatio.

31. Respondeo ergò, eam opinionem subjacere huic damnationi. Ratio est. Nam Concilium Tridentinum ad munus Episcopale, & Cardinalitium ita requirit digniores, ut nullum apponat discrimen inter eligendos ab Ecclesiasticis Præsulibus, & eligendos à Patronis laicis; imò & hos etiam exprefsè comprehendit, ut ostendi supra in confirm. 3. Et quidem in eadem *sess. 24. cap. 18 de Reformat.* cum tradidisset, ad Ecclesiam Parochialem eligendum esse digniorem, subjungit: *Quod si jus Patronatus laicorum fuerit, debeat, qui à Patrono præsentatus fuerit, ab eisdem deputatis, ut supra, examinari, & non, nisi idoneus repertus fuerit, admitti.* Cum ergo Concilium in eligendis ad Ecclesiam Parochialem, distinguat inter eligendos à Præsule Ecclesiastico & nominandos à Patrono laico; & hos admittat, quamvis non constet, eos esse digniores, dummodo constet esse dignos; in eligendis vero ad Ecclesiam Cathedralem semper insistat in electione dignioris sine ulla distinctione Patroni laici, aut Ecclesiastici, imò exprefsè comprehendens laicum; dicendum absolutè est, Concilium requirere ad munus Episcopale digniores, sive ab Ecclesiastico, sive à laico nominandi sint.

CAPUT IV.

An extendenda sit ea doctrina ad eos, qui eliguntur ad Beneficia Parochialia?

SUMMARIUM.

Tres quæstiones discutiendæ. num. 32.
Ex Decreto Tridentini elector Ecclesiasticus ad Beneficium Parochiale tenetur eligere digniorem. num. 33.
Ad idem tenetur jure naturali. num. 34.
Objectio solvitur. num. 35. & seqq.
Ex Decreto expresso Tridentini non constat, quod Patronus laicus debeat eligere digniorem. num. 37.
Ex mente Tridentini colligitur, quod Patronus laicus tenetur eligere digniorem. nu. 38. & seqq.
Qua ratione opposita opinio subjaceat damnationi. num. 40.
Objectio solvitur, & explicatur, quomodo intelligenda sit obligatio juris naturalis. num. 41.
An qui resignat Beneficium Curatum favore alterius, teneatur resignare favore dignioris? num. 44. & seqq.

32. NOn desunt, qui doceant, eam doctrinam non esse extendendam ad eos, qui eliguntur ad Beneficia Parochialia, neque

neque esse obligationem eligendi digniores, sed sufficere, si eligantur digni. Ita Authores, quos supra retuli initio capitis 2. Circa quam difficultatem tres quæstiones occurrunt. Prima est, an sit juxta præscriptum Concilii Tridentini, quod quando electio pertinet ad Prælatum Ecclesiasticum, debeant eligi digniores. Secunda, quid quando præsentat Patronus laicus? Tertia, an hæc damnatio comprehendat electionem ad Beneficia, ita ut sit scandalosum dicere, non debere eligi digniorem ad ejusmodi Beneficia? Et quidem non inquirimus modò, an ad Parochialia debeant eligi digniores; supponimus enim, esse tenendam sententiam affirmativam, sed an id sit juxta præscriptum Concilii Tridentini? Quia cum hæc damnatio loquatur de intelligentia relati decreti Tridentini; oportet prius examinare, quid sit statutum à Tridentino circa hanc materiam.

33. Circa primam quæstionem sit prima conclusio. Ex Decreto Tridentini Episcopus vel Patronus Ecclesiasticus, præmisso examine, tenetur eligere digniorem. Constat ex *sess 24. cap. 18. de Reform.* ibi: *Ex bisque Episcopus eum eligat, quem cæteris magis idoneum judicaverit, &c.* Censeo etiam, idem decerni in eodem Decreto *de Reform. cap. 1.* Nam quamvis præcipuè loquatur ibi Tridentinum de Episcoporum, & S. R. E. Cardinalium electione, in proœmio capitis loquitur generaliter de omnibus Curam animarum habentibus, illis verbis: *Nihil se ad Dei gloriam, & populorum salutem, utilius posse facere, quam si bonos Pastores, & Ecclesiæ gubernandæ idoneos promoveri studeant.* Quæ verba videntur esse generalia, & quæ omnes animarum Curam habentes, comprehendant. Et quamvis ibi dicat *Bonos*, & non dicat *Meliores*; id tamen præmittit, ut postea declaret, promoveri debere digniores.

34. Dicendnm ergo est, hos omnes teneri ad id obligatione juris naturalis. Quod probatur eadem ratione, qua ostendimus de electione Episcoporum. Etenim jure naturæ tenentur eligere ad gubernationem spiritualem Parochiæ eum, qui habeat omnia requisita ad tale munus: cùm ergo adeo difficile sit invenire illum, qui habeat omnia, si iste non cognoscitur evidenter esse talis; debet eligi, qui plura ex requisitis habuerit, qui propterea erit dignior.

35. Dices, sed quid, si dentur duo, qui habeant omnia requisita, quamvis inæqualiter, ita ut unus perfectius illa habeat, quàm alter? Nam in tali casu etiam ille minus perfectus habet omnia requisita; & ideò licet sit minus dignus, poterit eligi.

36. Sed contra est: nam moraliter loquendo, illa minor perfectio non potest dignosci ab electoribus, nisi quia deest aliquod requisitum; maximè quia ad Curam animarum requiruntur talenta in summo gradu moraliter cognoscibili, unde si non habet talenta in summo gradu moraliter cognoscibili, utique non habet omnia requisita. Et ideò optimè dixit *Lugo Card. in ea sect. 2. num. 19. Experientia probat in iis locis, unum Parochum zelo, & fervore flagrantem influere brevi tempore spiritum, & pietatem in omnes ferè illos, qui ad ejus Curam pertinent.* Et sanè qui cognoscit, quanti momenti sit Cura animarum in ordine ad salutem æternam, non dubitabit, cum zelum, & fervorem, qualem proponit Lugo, esse unum ex requisitis ad munus Parochiale, & illud dici posse,

esse in summo gradu. Dum ergò non cognoscitur is zelus in tam sublimi gradu?, in aliquo ex iis, qui aspirant ad munus Parochiale, debet eligi is, qui magis accedit ad eum gradum, cæteris paribus; & idem dicendum est de reliquis talentis requisitis.

37. Circa secundam quæstionem sit secunda conclusio. Ex decreto expresso Tridentini non constat, quod Patronus laicus debeat eligere digniorem ad munus Parochiale, sed dignum, & idonum muneri; tamen attenta Tridentini mente. quæ ex aliis ejus verbis colligitur, Patronus laicus tenetur eligere digniorem. Prima pars constat ex citato cap. 18. ubi dicitur : *Quod si jus Patronatus laicorum fuerit, debeat, qui à Patrono præsentatus erit, ab eisdem deputatis (examinatoribus) ut supra examinari* ; & *non, nisi idoneus repertus fuerit, admitti*. Ubi non petit magis idoneum, sed quod reperiatur idoneus.

38. Secunda pars probatur. Nam quamvis solum requirat Tridentinum, quod Præsentatus à Patrono laico ad Parochiam, reperiatur idoneus, id ita decernit, ut vitentur lites, quæ contra jus Patroni exurgere possent, si non admitteretur præsentatus, prætextu quærendi alterum digniorem. Ex alia vero parte, cum tot, tantaque requisita declaret opus esse ad munus Parochiale, quæ leguntur in eo cap. 18. cumque res ipsa ex se tanti momenti sit in ordine ad salutem animarum, inde constat, etiam ex mente Tridentini, Patronum laicum, præmissa diligenti inquisitione, debere præsentare diginiorem.

39. Confirmatur : nam ex mente Tridentini, qui non eligit digniorem, *peccat mortaliter communicans peccatis alienis*: Sed quod Patronus sit laicus , non tollit, quominus cooperetur peccatis alienis : ergo etiam Patronus laicus tenetur eligere digniorem. Neque obstat, quod Concilium in cap. 1. loquatur præcipuè de electione Episcoporum : nam eodem modo (proportione servata) cooperatur peccatis alienis, qui eligit minus dignum ad Parochiam, quam qui eligit ad Episcopatum.

40. Circa tertiam, & præcipuam quæstionem sit tertia conclusio. Subjacet huic damnationi, qui dixerit, ubi Concilium decernit, ad munus Parochiale esse eligendum digniorem, nomine digŋioris intelligi dignum, sumpto comparativo pro positivo, aut intelligi non digniorem, aut solum intelligi in concursu. Ratio est : nam licet demus, in eo *cap. 1.* agere Concilium dumtaxat de electione Episcoporum, & S.R.E. Cardinalium, tamen damnatio hæc condemnat interpretationem illam sinistram circa id verbum *Digniores* ; cum ergo id verbum æque reperiatur in electione Parochorum in eo *cap 18.* ac in *cap. 1.* in electione Episcoporum , damnatio etiam debet extendi ad interpretationem ejus verbi etiam in electione Parochorum.

41. Objicies contra primam conclusionem. Si ita strictè teneretur Episcopus, eligere dign orem, sequeretur, quod si immediatè post concursum , & examen factum, inveniret Episcopus aliquem digniorem reliquis oppositoribus, teneretur deserere omnes eos , qui vocati venerunt ad concursum, & eligere eum, qui denuo inventus est dignior : sed hoc fieri non potest sine injuria eorum, qui vocati sunt ad concursum, propter contractum cum eis: ergo non ita strictè tenetur Episcopus eligere digniorem.

42. Respondetur primò, casum esse metaphysi-

taphysicum, utpotè qui nunquam continget: tum quia omnes, qui se idoneos reputant, semper ingrediuntur concursum; tum etiam, quia etiam post examen reliquorum, potest Episcopus vocare ad concursum eum, quem reputat digniorem: tum præterea, quia difficile est cognoscere evidenter, illum esse digniorem, non probatâ per examen ejus scientiâ.

43. Respondetur secundò, quod dato quod aliquando contingat is casus, non tenetur Episcopus eligere illum repertum digniorem extra concursum: obligatio enim eligendi digniorem intelligitur sine violatione contractus initi cum oppositoribus vocatis ad concursum, dummodo illi sint digni, & ex illis eligatur dignior. Sic enim intelligendum est jus naturale obligans ad electionem dignioris.

44. Objicies contra secundam Conclusionem: Qui resignat Beneficium Curatum favore alterius, non tenetur resignare favore digni; ut docent *Reginaldus*, *Lessius*, *& Malderus*, quos refert, & sequitur *Diana part. 2. tract. 15. resol.* 41. Quia resignans non est distributor, & ideò non tenetur servare justitiam distributivam. Ergò eodem modo censendum est de Patrono laico, maximè de illo, qui non est distributor plurium Beneficiorum, sed illius unius Beneficii.

45. Et quidem illa est mens' *P. Lessii*, qui solùm loquitur, quando non est magnus excessus dignissimi ad dignum: superaddit enim hæc verba: *Quamvis si multò dignior se offerat, vel in promptu sit, charitas boni communis obligat, ut hic præferatur.* Ex quibus verbis formatur argumentum probans resignatorem quærere debere dignissimum, & si videat, hunc valdè excedere, teneri resignare in favorem ejus. Nam charitas boni communis exigit, ut provideatur saluti animarum meliori modo, quo possit. Nam, ut suprà perpendimus, cùm non facilè inveniatur unus, qui habeat omnia requisita, charitas boni communis, & desiderium salutis animarũ, urgere debet ad hoc; ut eligatur, qui ulterius abundet ejusmodi requisitis. Et hinc constat ad argumentum, negandũ esse antecedens; ut negat *P. Vasq. opusc. de Beneficiis c. 2. §. 4. dub. 7. n.* 100. *Cũ Soto, & Navar.* & ad id, quod subjungitur, dicendũ est, non nasci obligationem hanc ex justitia distributiva, sed ex charitate, & desiderio, quod Beneficiarius habere debet salutis animarum.

DISSERTATIO XXIX.

An fornicatio, & mollities sint moraliter malæ, dumtaxat quia prohibitæ?

CAPUT I.

Proponuntur duæ propositiones damnatæ, placitum Caramuelis, & aliquot prænotata.

SUMMARIUM.

Referuntur duæ propositiones damnatæ. n. 1.

Præsens quæstio est an fornicatio, & mollities sint malæ ab intrinseco, an à sola prohibitione? Et quomodo quæstio spectet ad praxim. n. 2.

Duplicem esse malitiam, Theologicam, & Philosophicam; ex Caramuele. n. 3.

1. PRopositio 48. ex damnatis, hæc est : *Tam clarum videtur, fornicationem secundùm se nullam involvere malitiam, & solùm esse malam quia interdicta, ut contrariū omninò rationi dissonum videatur.* Propositio 49. est hujus tenoris: *Mollities jure naturæ prohibita non est. Unde si Deus eā non interdixisset, sæpè esset bona, & aliquando obligatoria sub mortali.* Et utriusque propositionis sub his eisdem terminis Author est *Caramuel* : & utramque defendit *to. 1. Theol. fund. fundamento 12. n. 541. citans se ipsū ad l. 3. Theol. moral. n. 1600 & in Theol. intent. n. 1904. & Franciscus Verde in Apologia pro Caramuele contra Bergiam q. 3. & 4.*

2. Supponendum est (quod, & ipse *Caramuel* supponit) esse de Fide, fornicationem & pollutionem esse peccata lethalia. Idenim constat ex plurimis locis Sacræ paginæ *1. Corinth. 6. ad Ephes. 5. Apocal. 21. Exod. 20 Deutero. 23 Proverb 9. Ecclesiastici, & Hieremiæ 5.* & aliis. Quare quæstio præsens est: An fornicatio, & mollities sint malæ moraliter ex sola prohibitione Dei, an potius ab intrinseco, atque adeò ex jure etiam naturali? Et quamvis *Caramuel* dicat, hanc quæstionem nihil spectare ad praxim; id tamen non est omninò verum : nam major, aut minor gravitas peccati ad praxim spectat ea ratione, qua graviora peccata majori contentione vitanda sunt. Constat autem quo graviora sunt peccata, majori contentione vitanda esse. Constat etiam, graviora esse peccata, quæ jure naturali prohibentur, quàm quæ solâ prohibitione Divina, cæteris paribus.

3. Supponit *Caramuel*, in pluribus peccatis esse duplicem malitiam, aliam Theologicam, aliam Philosophicam juxta *S. Thomam 1. 2. quæst. 71. art. 6 ad 5.* ubi ait : *A Theologis consideratur peccatum, præcipuè secundùm quod est offensa contra Deum; à Philosopho autem morali, secundùm quod contrariatur rationi.* Et ideò primum genus malitiæ vocat *Caramuel* Theologicum; secundum autem Philosophicum. Hanc autem malitiam Philosophicam dicit esse indecentiam quandam, quâ actio dedecet naturam rationalem, qualis est ingratitudo, inconstantia, &c.

4. Subjungit, malitiam Theologicam offendere Deum ut legislatorem; malitiam autem moralem offendere Deum ut naturæ conditorem. Hinc infert, nullum actum esse malum malitiâ Theologicâ, nisi quia prohibitus. Undè si Deus non prohiberet eum actum, non esset malus Theologicè. Aliqui tamen actus habent etiā malitiam Philosophicam, nempè qui contrariantur rationi: v. g. esse ingratum, inconstantem, mendacem, &c. qui prohibiti sunt quia mali.

5 Sed hæc doctrina non stat cum doctrina *S. Thomæ*. Primò. Nam juxta *S. Thomam*, non est malitia Theologica, quæ offendit

offendit Deum ut legislatorem, sed malitia, quatenùs offendit Deum. Secundò. Nam malitia, quæ offendit Deum ut conditorem naturæ, non potest non considerari à Theologo; cujus est considerare quidquid dicit relationem ad Deum; sed juxta *Caramuelem*, malitia Philosophica offendit Deum ut conditorem naturæ: ergò etiam malitia Philosophica non potest non considerari à Theologo sub hac ratione, atque adeò includit malitiam Theologicam. Quare malitia Theologica non rectè definitur, secundùm quod respicit Deum ut legislatorem; sed secundùm quod respicit Deum. Malitia verò Philosophica non respicit eum neque ut conditorem naturæ, sed [illegible] tàm talis esse intelligitur, secundùm quod dissonat rationi.

6. Igitur *Caramuel* variis in locis asserit, & contendit probare, fornicationē, & mollitiem non esse intrinsecè mala, sed extrinsecè à prohibitione Divina. Dabo conclusionem, & fundamentum ejus ex *lib. 4. Theologicæ intentionalis, n.* 1960. [Dico igitur primò. Si Deus fornicationem non interdixisset, non esset mala nec peccatū. Et, ut puto, evidenter ostendam. Quia duorum commixtio secundū se peccaminosa est, vel quia naturaliter mala ipsis, vel quia naturaliter mala proli: neutrum potest dici: ergò. Non primum: quia sæpè contingit esse utrique salubrem, & in tali casu non est utrique naturaliter mala: accedit, quod si quandò insalubris dicatur, cùm graviter insalubris non sit, non possit esse graviter peccaminosa. Nec poterit dici secundùm fornicatio enim mala proli non est. Primò enim non potest dici mala phisicè, quæ in causa est, ut homo, qui aliàs in rerum natura non esset, producatur: quia si injurius homini, qui illum occidit, Beneficus omninò, qui illum generat; imò Beneficentior Genitor quàm injurius occisor: iste enim non potest facere, quod homo, qui est, omninò non sit; at ille efficit, ut qui omninò non est, esse incipiat.]

7. Et *nn.* 1961. prosequitur sic. [Aliqui ad educationem recurrunt: fatentur enim, ipsam fornicationem esse proli phisicè utilem, sed nocivam moraliter. Sed hoc est verbis obludere. Primò enim vellem ex facie, & nomine cognoscere illam prolem, cui in fornicatione, ut malè educerur; in mollitie, ne omninò producatur, efficitur. Ubi illa? In Omnipotentiæ thesauris. Quid illa? Actu *nihil*. An homo existens injuriam potest facere nihilo? An *nihilum* habet jura, & dominium? Dicuntur; sed dicuntur. *Nihili* nullæ reales, & positivæ proprietates. Nihilum in rem realem, & positivam nec jus in re, nec in rem habet. Injustitia fit substantiæ intellectuali existenti: & creatura possibilis præter creatricem potentiam nihil est.]

8. Deindè *nu.* 1962. hæc subjungit [*Si Augustinus* dixit, *melius esse damnari, quā annihilari*; item diceret, *melius esse proli malè educatam esse, quam absolutè in rerum natura non esse*. Et sanè malam prolium educationem potius ex paupertate, quàm ex fornicatione suboritur: Principum enim nothos optimè educatos videmus; cùm tamen nulli disciplinati mores sint inter homines viles, & mendicos. Potius igitur pauperum matrimonia venirent condemnanda, quàm divitum fornicationes.]

9. Procedit mox ad refellendam responsionem, quam *S. Thomas* exhibet præfato argumento sic [Sed inquiunt, esse per accidens quod filii illegitimi Principum benè educentur. Dicunt, nō tamen probāt: verosimilius

milius enim videtur, esse per se, quod filii pauperum malè educentur. Sed esto, sit inter divites bona nothorum educatio omninò accidentalis: ergò si per accidens contingit, quod filii fornicarii, Principum benè educentur, etiam per accidens continget, quod parentes fornicantes non peccent. Et probo sic; Ideò fornicatio interdicitur, quia ex illa mala prolium educatio sequitur: ergò si hæc non sequeretur, non interdiceretur illa. Finis igitur hujus inhibitionis bona educatio est: atqui probabile est, quod quando finis cessat per accidens in aliquo particulari, lex etiam cesset per accidens in particulari: ergò siquidem admittitur, quod finis legis fornicationem prohibentis soleat in aliquo particulari cessare, per accidens, admittendum omninò est, ipsam legem cessare.]

10. Responsionem, quæ huic argumento exhiberi potest, sic refellere conatur [Si dicas cessante fine legis in particulari, cessare legem in particulari, non quidem Divinam, sed humanam; putabis, te aliquid dicere, & nihil omninò dices: legum enim humanarum finis aliquando universaliter cessat; at naturalium non aliter, quàm per accidens, & in particulari cessare potest. Patet in homicidio indirectè patrato: invasorem enim occidere possum, non obstante quinto præcepto Decalogi; tunc enim per accidens, & in particulari cessat præcepti finis, adeòque etiam ipsum præceptum: nec dabitur casus, in quo legis naturalis finis cesset universaliter.]

11. Subjungit immediatè: [tum sic. Nulla ratione naturali ostendi potest, simplicē fornicationem esse malam; & tamen malam esse in Sacris literis ostenditur: ergò dicendum est non esse malam intrinsecè & ex natura sua, sed extrinsecè ratione interdictionis, adeòque non esse prohibitam, quia mala; sed potius malam solummodo esse, quia prohibita.]

12. Deindè *num.* 1965. ponit secundam Conclusionem, quæ est 49. ex damnatis. Dico secundò. *Si Deus mollitiem non interdixisset, nunquam esset mala, sæpè esset bona, & aliquando per accidens obligatoria sub peccato mortali?* Multa brevibus verbis congesta, quæ indigent clariori expositione. Mollities est seminis effusio voluntaria; & si mala secundùm se, de ipsius malitia omnibus constare debet. Sed quid semen? Doctores certant, & adhuc sub judice lis est. Aliqui sudorem, alii spumam, nonnulli lac, pleriq; sanguinem, semen esse contendunt, & tamen esse contra ipsam naturam, sudorem spumam, sanguinem, lac, & similia corporis nutrimenta, vel excrementa ex rationabili causa decidere, nullus Dialecticus probare poterit. Nec juvat dicere, illud ad generationem ordinari. Nam & muliebre lac ordinatur ad nutritionē prolis, & sanguis ad propriam, & tamē utrumque sine culpa deciditur. Igitur siquidem mollities mala est, & tamen contra naturam, ubi ad salutem propriam conducit, non est; dicenda venit, omnem suam malitiam habere à prohibitione.]

13. Quod autem in ea hypotesi mollities posset esse obligatoria, sic probare conatur *num.* 1967. [Sublata Dei interdictione posse contingere, quod homo ad mollitiem sub peccato mortali teneretur, clarissimè probari poterit. Æger enim tenetur adhibere remedia, quæ sunt præcisè ad vitæ conservationē necessaria, & scimus dari morbos, qui in seminis quantitate, & qualitate consistunt, morbos quidē lethiferos, à qui-

à quibus aliter, quàm effusione seminis curari non possis: ergò si aliunde non obstaret, in tali casu uti effusione seminis ut remedio præcisè necessario tenereris. Atqui nunc debes potius mori quàm tale remedium admittere: ergò evidens est, quod detur alia circumstantia extrinseca, nimirum Divina interdictio, quæ illud remedium illicitum reddat.]

14. Aliam probationem affert num. 1968. [Proximius ad generationem, & nativitatem accedit embryo, & infans ipse nondum natus, quàm semen; atqui potest gravida parens contra inanimatum fætum procedere, si aliter vitam conservare non possit: ergò à fortiori posset contra semen, si solummodo considerarentur rationes naturales. Ergò siquidem procurare potest abortum licitè, ut vitam tueatur; & tamen procurare mollitiem propter eandem causam non potest, est argumentum infallibile, quod mollitiei malitia à rerum natura non dependet, sed à voluntate interdictoris.]

15. Et cum num. 1969. afferat mollitiem, sodomiam, & bestialitatem esse peccata ejusdem speciei infimæ; ex hac, & ex præcedenti conclusione fit manifestum, esse sententiam Caramuelis, omnia hæc peccata contra naturam non esse intrinsecè mala, sed solùm esse mala ex prohibitione Divina.

****
**

CAPUT II.

Demonstratur falsitas propositionum damnatarum ex doctrina S. Pauli Apostoli.

ARTICULUS I.

Duo argumenta proponuntur.

SUMMARIUM.

Apostolus ostendit multis argumentis, malitiam luxuria dissonare rationi. n. 16.

Confirmatur expositione S. Thomæ. n. 17.

Quomodo intelligatur id dictum Apostoli, quod luxuria inquinat corpus? n. 18.

Quomodo id explicet S. Hieronymus. n. 19.

Et quomodo S. Ambrosius? n. 20.

Explicatio Theophilacti in eamdem sententiam. n. 12.

Idem confirmatur explicatione S. Bedæ. num. 22.

Quanta sit disparitas quoad hoc inter culpam licitam, & illicitam? num. 23. remissivè.

Quomodo S. Athanasius intelligat hanc inquinationem corporis ex luxuria? n. 24.

Quomodo Oecumenius intelligat Apostolum in eamdem sententiam? n. 25.

Confirmatur multis testimoniis S. Thomæ. num 26. & seqq.

Ejusdem sententiæ sunt duo insignes interpretes Pauli, Salmeron, & Iustinianus. num. 26 & 30.

Quàm aliena sit à mente S. Pauli expositio Caramuelis. n. 32.

16. Jure meritò damnatas esse, tamquam scandalosas, eas duas propositiones, pro comperto habeo: existimo enim eas adversari doctrinæ, quàm tradit Apostolus *cap. 6. Epistolæ 1. ad Corinth.* Probatur primò. In præfato loco Apostolus ostendit malitiam fornicationis, & cujuslibet actus luxuriosi, multis argumentis petitis, non à præcepto Domini, quod supponit, sed à variis rationibus: sed implicat, quod malitia probetur argumētis petitis à ratione, & quod ea malitia non sit dissona rationi: ergò malitia fornicationis, & cujusvis actus luxuriosi, est dissona rationi. Sed esse dissonam rationi est repugnare juri naturali: ergò talis malitia repugnat juri naturali.

17. Quæ ex præfatis propositionibus non est evidens? Major constat ex contextu capitis, & ex ipsis rationibus, ad quas proponendas jam accedo. Et ideò *S. Thomas* in hunc locum dixit: *Improbat autem fornicationem quatuor rationibus.* Minori nihil evidentius, maximè cùm rationes Sacræ Scripturæ non sint merè probabiles, sed omninò irrefragabiles. Quando ergò ratio irrefragabilis probat malitiam actionis, quomodo potest ea malitia actionis, non esse dissona præfatæ rationi irrefragabili? Non enim componuntur hæc duo, & quod actio sit consona rationi, & quod ratio irrefragabilis probet, illam actionem esse malam. Deinde consequentia legitimè infertur. Et subinde duæ aliæ propositiones sunt ex terminis notæ.

18. Probatur secundò ex illis verbis S. Pauli: *Fugite fornicationem: omne peccatum, quodcumque fecerit homo, extra corpus est; qui autem fornicatur, in corpus suum peccat.* Sed quomodo peccat in suum corpus, & in quo consistit hoc discrimen inter fornicationem, & cætera peccata, operæ pretium est intelligere. Et quidem sensus hujus loci est, peccatum luxuriæ inquinare, & maculare corpus, & esse corporis specialem deformationem, & contumeliam; ut ex aliis locis Apostoli mox referendis constabit: quam specialem corporis inquinationem non afferunt cætera peccata. Hanc autem inquinationem moralem certum est non provenire à sola Dei prohibitione: ergò provenit ex eo, quod ea malitia sit specialiter dissona rationi, & quæ dedecet naturā rationalē, atq; adeò jure naturæ vetita.

19. *S. Hieronymus tom. 3. in epist. ad Amandum* sic ait: *Cætera peccata forinsecus sunt: quidquid enim egerimus, in alios agimus, fornicatio non solùm conscientiam fornicantis, sed & corpus maculat.* Ubi non loquitur de macula Physica, sed de macula, quæ moraliter talis sit, ut indicant hæc verba immediatè sequentia. *Ac secundùm sententiam Domini.·.·. dum templum Christi facit esse corpus meretricis.* Quā esse maculam moralem, & indecentiam respectu naturæ rationalis, per se patet; & infra amplius explicabitur. Concinit sibi ipsi *Hieronymus lib. 3. adversus Iovinianum sic disserens:* Pudicitia *Bene meretur de majoribus.·.·. Bene inprimis de se, quàm à contumelia externi corporis vindicat.* Est ergò fornicatio contumelia naturæ rationali, atque adeò malitia, quæ illam dedecet, utpote quæ rationi dissonat.

20. *S. Ambrosius in hunc locum Epistolæ 1. ad Corinth* sive (ut mavult *Bellarminus de Scriptoribus Ecclesiast.*) *Hilarius Diaconus,* declarat, quomodo luxuriosus peccet in corpus suū nēpe quatenus corpus, quod subjici debebat animæ, subjicit animam, illam-

illamque redigit ad miserrimam servitutẽ. Sic enim ait. *Quia catera peccata, & si per corpus generantur, non tamen animam ita carnali concupiscentia faciunt obstrictam & obnoxiam, quemadmodum commisceri facit animam cum ipso corpore usus libidinis agẽs in opere carnalis fornicationis: quia in tantum agglutinatur anima corpori, ut in ipso momento nihil aliud cogitare homini liceat, aut intendere, quia ipsam mentem captivam subdit ipsa submersio, & absorbitio libidinis, & concupiscentia carnalis.* Ex sententia ergò S. Ambrosii constat, quomodo scortator peccet in corpus suum; quod non oritur ex eo, quod sit præceptum, sed ex eo, quod sit indecens naturæ rationali, dissonetque rationi, quod corpus ita mergat, & absorbeat mentem.

21. *Theophilactus* in hunc textum Apostoli, sic illum exponit. *In corpus itaque ipsum fornicator delinquit, cùm illud inquinat, & sorde conspurcat.* Censet ergò Theophilactus, corpus actione luxuriosa maculari, & sordidari moraliter: nam de sordibus physicis nihil curat Apostolus, nec Sacri Interpretes. Cùm ergò sit specialis macula corporis, quam non incurrunt cætera peccata, ea non provenit ex præcepto Domini, sed ex speciali indecentia, quæ dissonat rationi.

22. *S. Beda* in hunc eumdem locum ferè eadem verba habet, ac *S. Ambrosius* sic disserens. *Videtur enim B. Apostolus (in quo loquebatur Christus) exaggerare voluisse fornicationis malum super omnia catera peccata, qua per corpus committuntur, non tamen animum humanum concupiscentia carnali ita efficiunt obstrictum, & obnoxium, quemadmodum in solo opere fornicationis corporalis. Cùm misceri facit animum vis agens libidinis cum ipso corpore, & unum cum ipso quodammodo agglutinari, & devictum esse, in tantum, ut nihil aliud ipso momento, & experimento hujus tam magni flagitii cogitare homini liceat, aut intendere, nisi quod sibimet adjicit, mentemque captivam subjicit ipsa submersio, & quodammodo absorbitio libidinis, & concupiscentia carnalis. Ut hoc esse videatur, quod dictum est: (Qui autem fornicatur, in corpus proprium peccat.) Quia tunc fit propriè, & familiariter servum corporis cor hominis fornicantis, maximè in tempore ipsius nequissima operationis.* Et paulò inferius addit: *Hoc tantummodo fornicationis modo in corpus proprium peccari dixerit, quia majori libidinis ardore, quo superior nullus est, voluptas ipsius corporis tenet servum, efficitque captivum.*

23. *Caramuel, & Franciscus Verde* ejus asseclа, cùm aliquid de nimia voluptate fornicationis illis objicitur, putant, & asserunt. id etiam militare contra copulam matrimonialem. Sed esse manifestam disparitatem, infrà ostendam, *cap.3.*

24. *S. Athanasius* in libro de venerandis nuptiis (referente Æcumenio in hoc *c.6. epist.1. ad Corinth.*) sic ait: *Ad delicatos, ac voluptuarios scribens Paulus auxilio voluptuaria eorum vita usus est ad scortationis depulsionem, hoc dicens, quod catera peccata animam injuria afficiunt, & in solam ipsam nocumentum transmittunt: qui verò scortatur, corpus una cum anima afficit injuria, corrumpens illud, ac debilitans, & animalẽ, ac vitalem auferens vigorem* Et licèt Athanasius videatur loqui de vigore physico vitali, & animali; etiam hoc admisso, dissonat rationi. Nec dicas, unam scortationem non corrumpere graviter corpus: quia abyssus abyssum invocat; & una scortatio generat vehementer inclinationem ad aliam.

25. *Æcumenius loco citato* ait: *Non dixit,*

xit, per corpus peccat, quod multi existimantes, negotium facessunt interpretibus, sed (in proprium corpus peccat,) in ipsum labitur, ipsum inquinat, ipsum reddit detestandum. Et inferius subjungit: *Nunc enim respicit Apostoli sermo non supplicium, quod postea sequitur peccatum; sed injuriam, quæ in ipso opere fit corpori in opere venereo, hoc est, fœdationem.* Et mox: *Qui cætera operatur; peccata in alia operatur; scortator autem seipsum pudefacit, seipsum inquinat, unde etiam abluuntur; eo quod fœditatem intelligant, & absurditatem abominentur.* Et paulò post. *Cætera extra corpus sunt facientis; hoc inquinat ipsum facientem. In cæteris alios injuria afficit, in scortatione verò seipsum.* Et post pauca. *Denique in nulla alia operatione, quàm in viri cum muliere commixtione dicitur esse corruptos, qui virginem, aut adolescentulum aggressi sunt.* Ecce ex mente Apostoli juxta interpretationem Oecumenii scortator labitur in suum corpus, illud inquinat, illud reddit detestandum, illud fœdat, seipsum pudefacit, seipsum inquinat, ita ut fœditatem, & absurditatem suam abominetur, seipsum afficit injuria; & de solo luxurioso dicitur, quod corrumpitur. Quis audiens hæc omnia non affirmabit illam actionem, in quam hæc omnia cadunt, esse rationi dissonam, & dedecere naturam rationalem?

26. *S. Thomas in cap. 6.* hujus Epistolæ *lect. 3.* hæc verba habet. *Ponit tertiam rationem, quæ sumitur ex corporis inquinatione.* Et inferius ait: *Apostolus dicit, Qui fornicatur, corpore suo peccat.... sed, (sed peccat in corpus suum,) idest, contra corpus suum, corrumpendo, & inquinando illud præter usum rationis. Unde, & Apocal. 3. (Habes pauca nomina in Sardis, qui non inquinaverunt vestimenta sua.) id est, corpus. Et Apocal. 14. (Hi sunt qui cum mulieribus non sunt coinquinati.)* Est autem dissonum rationi, & consequenter malum jure naturali, corrumpere, & inquinare corpus præter usum rationis.

27. Quod idem dixerat *S. Thom. 2. 2. quæst. 154. art. 3. ad 2. Dicendum, quod ille, qui fornicatur, dicitur peccare in corpus suum, non solùm quia fornicationis delectatio consummatur in carne, quod etiam in gula accidit sed etiam quia contra bonum proprii corporis agit, qui fornicatur, in quantum scilicet indebitè resolvit illud, & inquinat, & alteri commiscet.*

28. Deinde *S. Thomas in eo comment.* citat *S. Augustinum*, dicens. *Vel aliter secundùm Augustinum hic in Glossa: (Qui fornicatur, in corpus suum peccat,) quia anima ejus totaliter carni in illo actu subjicitur, ita quod non possit aliud sibi cogitare. Unde in Psalm. dicitur: (Nolite fieri sicut equus, & mulus, quibus non est intellectus.)* Juxta quam expositionem ea inordinatio, quod ita subjiciatur anima corpori, non provenit à prohibitione Dei, sed à dissonantia, qua dissonat rationi.

29. *P. Alphonsus Salmeron tom. 2.* in Epistolas B. Pauli, hunc locum Apostoli sic explicat: *Dicendum tamen, multa esse peccata, quæ extra corpus esse dici possunt, etiam si illud debilitent, ac enervent, aut dehonestent, ut sunt quæ objecta sunt (*ingurgitatio, ebrietas, &c.*) Et in ratione effectus corpori vehementer noceant. Sola autem fornicatio in corporis sui injuriam tendit, dum illud reddit obnoxiũ servituti meritricis; etiamsi alioqui fornicatio corpori non noceret.* Ecce qualiter fornicator in corpus suum peccat, non propter nocumentum physicum, sed

ſed propter morale, atque adeò propter aliquid rationi diſſonans.

30. P. Benedictus Juſtinianus in hujus loci expoſitione ait: *Atqui Apoſtolus non ita ait, alia peccata eſſe extra corpus, ut illud nullo modo attingant; ſed id tantùm indicat, nullam eſſe corporis humani majorem contumeliã, quam quæ à ſcortatione proficiſcitur.* Quod prius aliquanto latius dixerat in paraphraſi hujus capitis 6. ubi etiam dicit ſub terminis, ſcortatorem peccare in corpus ſuum *inquinando, & fœdando* illud.

31. *Incidit Caramuel lib. 4. Theol. intention. n. ult.* in hunc textum S. Pauli, in cujus verbis non vult agnoſcere aliquid nocumenti moralis, ſed dumtaxat agnoſcit quoddam genus nocumenti phyſici, quod ſic explicat: *Qui fornicatur, in corpus ſuum peccat, inquit Paulus 1. ad Corinth 6. Semen igitur non eſt, ut opinantur aliqui, ſpuma, ſed vera corporis humani pars, quæ ideò decidi dicitur, quod à corpore ſcindatur, & ſeparetur. Corpus virgineum eſt integrum, & corruptum eſt mutilum, non ſecus, ac illud, cui deſiit digitus, auriſve. Ergò ſicut peccaret, qui corpus ſuum digito vel aure privaret, ſic qui ſemen decidit.* Subjungit poſtea, quod ſicut Deus indulſit, quod poſſis amputare digitum, ut mortem evites; ita indulſit, ut matrimonium decidat eam corporis partem, ſcilicet ſemen propter conſervationem humanæ ſpeciei.

32. Sed hæc expoſitio rejicienda eſt, utpote carens fundamento, & omninò adverſa ſanctorum Patrum expoſitioni, conſtat ex hucuſque dictis. Præterea, quia rem de Fide certam explicat per opinionem paradoxam, incertam, & minus probabilem, vel potius tenuiter probabilem, quale eſt, illum, qui decidit ſemen, amputare ſibi partem ſui corporis, ſicut qui ſibi amputat digitum. Item abſurdum eſt, quod in iis verbis Apoſtoli non inveniat Caramuel aliud genus peccati, & nocumenti contra corpus, quàm ejus, qui amputaret ſibi digitum. Sed præcipuè convincitur eſſe pravam eam expoſitionem ex argumentis deſumptis ex indecentia morali, quæ ibidem proponit Apoſtolus (mox ſubjiciendis) ex quibus infert tamquam conſequens, quod qui fornicatur, in corpus ſuum peccat.

ARTICVLVS II.

Tertium argumentum ex eodem loco epiſtolæ Apoſtolicæ.

SVMMARIVM.

Exponitur ſenſus verborum Apoſtoli n. 33.
Quomodo oſtendat Apoſtolus eſſe rationi diſſonum, quod corpus inquinetur luxuriæ operibus? n. 34.
Quomodo in eumdem ſenſum exponant dictum Apoſtoli S. Thomas, S. Ambroſius, S. Chryſoſtomus, & alii Interpretes? n 35. & ſeqq.

33. PRobatur tertiò, eo argumento, quod primo loco proponit Apoſtolus in eo *cap. 6.* dicens: *Corpus autem non fornicationi ſed Domino; & Dominus corpori. Deus verò & Dominum ſuſcitavit, & nos ſuſcitabit per virtutem ſuam.* Quorum verborum ſenſus eſt, corpus hominis non fuiſſe creatum ad fornicandum, ſed participandam glorificationem corporis Domini noſtri Jeſu Chriſti, & Dominus ad glorificandum eorum corpora. Cujus glorificationis pignus, & ſpem dedit Deus nobis reſuſcitans

Christum Dominum; quia eodem modo nos resuscitabit.

34. Hinc autem conficitur argumentũ. Deus ordinavit corpus hominis, ut esset particeps glorificationis corporis Christi Domini: sed indecens est, & rationi dissonum, quod corpus creatum ad tam sublimem finem inquinetur fornicatione: ergò indecens est, & rationi dissonum, quod corpus hominis exerceat fornicationem. Est ergò jure naturali mala moraliter fornicatio.

35. Videamus modò, quomodo sancti Patres, & sacri Interpretes hanc rationem intelligant, & promoveant. *S. Thomas in hoc cap. 6. lect. 3.* ait: *Corpus autem hominis non fornicationi, id est, non est ordinatum ad fornicandum, sed Domino; id est, ad hoc est ordinatum, ut sit Domini nostri Iesu Christi, & Dominus ad hoc datus est hominibus, ut humana corpora sua gloriæ conformet, secundùm illud ad Philipp. 4. Reformabit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ.* Et paulò post: *Vnde patet, quod non est utendum corpore ad fornicationem, quæ impedit futuram incorruptionem. Secundùm illud Galat. ult. (Qui seminat in carne, de carne & metet corruptionem.)* Igitur ex mente Apostoli, juxtà interpretationem S. Thomæ indecens est, & rationi dissonum, quod corpus hominis immortalitate donandum, & configurandum claritati corporis Domini nostri Jesu Christi, fœdetur, & coinquinetur fornicatione. Ergò fornicatio non est dumtaxat præcepto Dei interdicta, sed etiam rationi dissona.

36. In eodem sensu intelligit hunc locum *S. Ambrosius* hic: ad ea verba, *Corpus autem non fornicationi, sed Domino.* Subjungit enim: *Nunc reddit ad superiorē.* (nempe quod dixerat Apostolus, [Neque fornicarii, neque idolis servientes, neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores.·.·. Regnum Dei possidebunt] iste enim est superior sensus.) *Et Dominus corpori. Quid Dominus corpori? subaudiatur, immortalitatem resuscitato præstabit. Corpus enim Deo dicatum, dono spiritali remunerabitur, merito ducis, id est, animi.* Ubi satis clarè significat Ambrosius fornicationem dedecere illud corpus, quod est immortalitate donandum.

37. *S. Ioannes Chrysostomus* in hunc eumdem textum Apostoli ita inquit: *Corpus autem non fornicationi, sed Domino. Non enim propterea formatum est, ut luxuriosus sis, & forniceris.·. sed ut Christum sequaris tamquam caput, & Dominus corpori inuratur. Erubescamus, horreamus, quod tanto dignati honore, ut illius, qui in cælis sedet, fiamus membra, tantorum malorum non pudeat.* Ubi Chrysostomus accipit id expresè in eo sensu, quod corpori ordinatum sit ad participandam glorificationem corporis Christi Domini, illis verbis, ut illius qui in cælis sedet, fiamus membra. Et præterea explicat, quantum dissonet rationi, corpus tali honore dignatũ scortatione inquinari.

38. *P. Salmeron* in hunc locum, eumdem sensum retinet, ac *S. Thomas.* Nam *disp. 9. §. Quinto loco.* sic ait: *Asserit, excitatum à morte, eadem potentia, qua Christus corpus suum excitavit, ut intelligant Corinthii, cùm partes sint, & membra corporis à mortuis excitati, cavendum, ne corpora sua scortationibus contaminent.* Indecens itaque est, corpora immortalitate donanda scortatione contaminari.

39 *P. In-*

39. *P. Iustinianus* hunc textum explicans *num.* 13. prope finem, eodem modo id intelligit. *Vt contra potius, quia Christi membrum est, immortalitate donandum sit. Non igitur obscænis voluptatibus fædandum est corpus, sed id potius conandum, ut Christo Domino serviat, ut ab eo deinde, quàm par est, mercedem, hoc est, immortalitatem consequatur.* Ex quibus omnibus constat, hanc esse mentem Apostoli, indecens esse, & rationi dissonum, corpus configurandum corpori claritatis Christi obscænis voluptatibus contaminari, & inquinari.

ARTICULUS III.

Quartum argumentum ex eodem Apostoli loco.

SUMMARIUM.

Proponitur, & explicatur discursus Apostoli n. 40 *&* 41.

Quomodo accommodet Apostolus fornicationi ea verba (Erunt duo in carne una.) num. 42.

Quomodo explicent, & promoveant discursum Apostoli sancti Patres & Interpretes. num. 43. *& seq.*

An argumentum Apostoli militet solùm contra luxuriam fidelium. num. 50. *& seqq.*

40. PRobatur quartò ex verbis ejusdem capitis, & epistolæ immediatè sequentibus, ubi sic ait Apostolus. *Nescitis, quoniam corpora vestra membra sunt Christi? Tollens ergò membra Christi faciam membra meretricis? Absit. An nescitis, quoniam qui adhæret meretrici, unum corpus efficitur? Erunt enim (inquit) duo in carne una. Qui autem adhæret Domino, unus spiritus est. Fugite fornicationem.* Ubi vides, non potuisse clarius, & formalius in strui argumentationem, quàm ab Apost. instruitur. Quam sic ad formam Dialecticam licet componere.

41. Indecens est, & rationali homine indignum, velle, quod membra Christi Domini fiant membra meretricis; horret enim animus, vel id cogitare: sed corpora nostra sunt membra Christi: ergò indecens est, & homine rationali indignum, quod corpora nostra fiant membra meretricis. Sed qui scortatur, corpus suum facit membrum meretricis; quia per copulam carnalem sunt duo in carne una: ergò indecens, & rationali homine indignum est, quod scortetur.

42. Quomodo cùm ea verba, *Erunt duo in carne una*, dicta sint de matrimonio, accomodet Apostolus fornicationi, explicuit *S. Thomas in ea lect.* 3. *cit.* his verbis: *Sunt enim hæc verba Adæ de viro, & uxore loquentis, quæ Apostolus hic etiam ad fornicationem refert: quia secundùm speciem naturæ non differunt utriusque actus.* Et eodem modo id explicant sancti Patres, & Interpretes.

43. *S. Thomas* ibidem explicat Scholastico more eam Apostoli argumentationem. *Deinde cùm dicit, (Nescitis, &c.) ponit secundā rationem, quæ sumitur ex affinitate humani corporis ad Christū. Quæ talis est: Membra hominis fornicantis sunt membra meretricis: sed membra hominis sunt mēbra Christi: ergò per fornicationem fiunt membra Christi membra meretricis*; quod

est inconveniens. Prosequiturque postea Angelicus Doctor explicans per partes hanc argumentationem Apostoli.

44. S. Chrysostomus latè perpendit hanc argumentationem Apostoli, & inter alia ait: *Hoc tamen in loco ut perterreret, hoc posuit: (Tollens ergò membra Christi, faciam membra meretricis? Absit.) Nihil hoc verbo horribilius, non dixit, (tollens ergo membra Christi, conjungam meretrici;) quod magis tangit.* Quis ergò negabit, esse dissonum rationi, quod Apostolus assumit ad perterrefaciendum; & quod Chrysostomus affirmat esse horribile in summo gradu? Et inferius ait: *Non enim corpori vestro contumeliam faciatis, quia non vestrum corpus est, sed Christi.* Quam rationem multis prosequitur Chrysostomus.

45. S. Beda in hunc locum ex hac Apostoli argumentatione infert, quantum homo vilescit, & contemptibilem se facit per obscænas voluptates; imò verò non solum seipsum, sed etiam ipsum Christum D contemnit. Nam inter alia sic differit. *Si ergo unusquisque cupiens fornicari vilescat sibi, & in seipso contemnat seipsum, saltem non in se contemnat Christum. Non dicat; Faciam; nihil sum, omnis caro fœnum. Sed corpus tuum membrum est Christi. Quo ibas? Redi. Quo te tamquam præcipitare cupiebas? Parce Christo: agnosce in te Christum.* Sed numquid non est dissonum rationi, quod homo exerceat actionem, qua ex speciali titulo contemnitur Christus? Id enim non dicitur ex generali ratione præcepti, sed ex speciali titulo membrorum Christi. Et sanè nullum est verbum in hac periodo, quod non habeat specialem emphasim in ordine ad ponderandam malitiam intrinsecam fornicationis. Et paulò post subjungit: *Itane tanta dignitas (quod simus membra Christi) voluit, quia tam benignè præstita est? Honor ei tribuatur. Si non præstaretur, desideraretur. Quia præstita est, contemnitur?*

46. *Oecumenius* in hunc eumdem locum sic perpendit vim hujus argumentationis Apostolicæ. *Vide autem, quod non dixerit, membra Christi jungam meretrici; sed quod horribilius erat, nempe tollere à Christo eadem ipsius membra, & efficere, ut sint scorti.* Et post pauca subjungit: *Et quoniã membra Christi sunt, homo, qui scorto utitur, illi seipsum unit, Christique membra conspurcat.* Et ex iis, quæ observavi in dictis aliorum Patrum, satis constat, quantum hæc Oecumenii periodus confirmet malitiam intrinsecam fornicationis.

47. *Cajetanus* in Commentariis Epistolarum Apostoli, accedens ad hunc locũ affirmat, in hac argumentatione confirmare id, quod ante dixerat. *Corpus autem non fornicationi, sed Domino.* Et subjungit: *Horrendo declarat illam adversativam, (Non fornicationi, sed Christo) declarans contrarietatem inter corpus Domino, & corpus fornicationi.... (Absit,) horrentis est.* Sed numquid non est dissona rationi ea malitia, quam Apostolus cum eo horrore declarat?

48. *P. Salmeron* hic sic perpendit malitiam fornicationis. *Tollens ergo membra Christi, &c. Ac si diceret: si te commiscens meretrici, membratim, quantum in te est, discerpis Christum.*

49. *P. Justinianus* hic ex doctrina S. Chrysostomi sic vim hujus argumentationis ponderat. *Hoc ergò loco nobilitatem nostrorum corporum declarat; Christo enim tamquam capiti membra adhærent, unde eximiam*

miam quandam dignitatem, & praestantiā trahunt. Atque ex hoc capite mirum in modum impurae voluptatis turpitudinem, ac foeditatem ostendit. Nunquid ergò haec turpitudo, & foeditas non dissonat rationi? Vide etiam *S. Ambrosium, S. Brunonem, & Theophilactum*, qui eodem modo explicant hanc Apostoli argumentationem.

50. Dices, hoc, & praecedentia argumenta non probare, esse omnibus juri naturali interdictam fornicationem, sed solùm Fidelibus, qui per Fidem sunt membra Christi. Cùm autem infideles non sint membra Christi, ea specialis indecentia non relucet in fornicatione infidelium.

51. Sed haec responsio non minuit vim harum argumentationum. Primò. Nam Authores oppositae sententiae tā n pro fidelibus, quàm pro infidelibus negant malitiam fornicationis esse intrinsecam. Et siquidem convincimus eos, quà spectat ad fideles, jam eorum opinatio manet debellata.

52. Secundò, quia hoc, & reliqua argumenta hucusque proposita, etiam conformari possunt contra fornicationem infidelium. Et quod attinet ad hoc argumentum, etsi infideles non sint actualiter membra Christi, habent tamen eam dignitatem, ut possint per fidem esse membra Christi: quam dignitatem vilipendunt, & inquinant, dum obscoenis voluptatibus immiscentur. Et quidem omnes homines à sua creatione ordinati sunt ad Deum tanquam ad ultimum finem, & consequenter ad hoc, quod fiant membra Christi, sine quo assequi non possunt suum ultimum finem. Ex hoc ergò aptè dissonat rationi, quod talia corpora inquinentur turpibus voluptatibus. Et eodem modo argumentatio articuli proximè praecedentis accommodatur etiam respectu infidelium. Secundnm autem argumentum propositum art. 1. desumptum ex illis verbis Apostoli, *Omne peccatum extra corpus est, &c.* Omninò procedit universaliter respectu hominum; cùm ex eo constet, corpus hominis inquinari, faedari, & corrumpi non physicè, sed moraliter, fornicatione, & quibusvis obscaenis voluptatibus. Ex duobus autem argumentis articulo proximo subjiciendis, primum potest adaptari respectu infidelium, sicut argumentatio hujus articuli; secundùm autem proponetur ut universale respectu hominum.

ARTICULUS IV.

Duo alia Argumenta ex eodem loco Apostoli.

SUMMARIUM.

Argumentum desumptum ex eo, quod anima fidelis sit templum Spiritus Sancti. n. 53.

Aliud desumptum ex sanguinis Christi pretio, quo empti sumus. n. 55.

Quomodo S. Thomas explicet, & promoveat hac duo argumenta Apostoli. num. 57. *& seq.*

53. PRobatur quinto, & sexto duobus aliis argumentis, quae subjungit Apostolus in fin. ejus cap. sexti. Quintum est. Dedecet, & rationi dissonat, quod Templum Spiritus S. faedetur, & inquinetur obscaenis voluptatibus; sed corpus hominis, praecipuè justi, est Templum Spiritus S. ergò dedecet, & rationi dissonat, quod corpus hominis faedetur, & inquinetur obscaenis voluptatibus.

 54. Dixi,

54. Dixi, *præcipuè justi*, eò quod corpus hominis non justi, & si non sit actualiter templum Spiritus Sancti, tamen à sua creatione conditum est, ut sit templum Spiritus Sancti; sicut creatum est ad Deum tanquam ad ultimum finem.

55. Sextum est. Dedecet, & rationi dissonat, eum, qui est emptus locupletissimo pretio, se ipsum vilipendat, & inquinet contra voluntatem emptoris: sed homo emptus est pretioso sanguine Christi D. ergò dedecet, & rationi dissonat, quod se ipsum vilipendat, & inquinet fœdis voluptatibus contra voluntatem Christi Domini Redemptoris.

56. Hæc duo argumenta proposuit Apostolus in fine ejus capitis his verbis. *An nescitis, quoniam membra vestra templum sunt Spiritus Sancti, qui in vobis est, quem habetis à Deo? Et non estis vestri: empti enim estis pretio magno: glorificate, & portate Deum in corpore vestro.*

57. Audiendus est *Sanct. Thomas.* in Commentario hujus capitis 6. lect. 3. fine. *Deinde cùm dicit Apostolus, (An nescitis, &c.) ponit quartam rationem, quæ sumitur ex dignitate gratiæ, quæ quidem ex duobus consurgit. scil. ex gratia Spiritus S. & ex redemptione sanguinis Christi.* Ecce proponit duo media, quæ assumuntur in duplici argumentatione proximè facta.

58. Subjungit immediatè. *Circa hoc igitur tria facit Primo proponit dignitatem corporis nostri, quam habet ex gratia Spiritus S. dicens (An nescitis,) quasi dicat, ignorare non debetis, quoniam membra vestra, scilicet corporalia, templum sunt Spiritus Sancti :::: Est autem Spiritus Sanctus principaliter quidem in cordibus hominum, in quibus Charitas Dei diffunditur per Spiritum Sanctum, ut dicitur Rom. 5. sed secundario etiam est in membris corporalibus, in quantum exequuntur opera charitatis. Unde in Ps. dicitur: (Cor meum & Caro mea exultaverunt in Deum vivum.)*

59. Secundum medium assumptum ab Apostolo sic explicat: *Secundo ponit dignitatem, quàm habent corpora nostra ex redemptione sanguinis Christi, dicens, (Et non estis vestri,) sed Iesu Christi, secundùm illud. Rom. 14. (sive vivimus, sive morimur, Domini sumus) ::: Rationem hujus assignat, dicens. (Empti enim estis pretio magno.) & ideo servi estis ejus, qui vos redemit de servitute peccati. Unde infra 7. dicitur: (Qui liber vocatus est, servus est Christi Pretio enim empti estis.) :: Dicitur autem pretium redemptionis magnum, quia non est corruptibile, sed æternam habens virtutem, cùm sit sanguinis ipsius Dei æterni. Unde 1. Petri 1. [Redempti estis de vana vestra conversatione, non corruptibilibus auro, vel argento, sed sanguine agni immaculati, & incontaminati Iesu Christi.]*

60. Explicat deindè Angelicus Doctor, quomodo Apostolus ex eis duobus mediis inferat conclusionem *Tertiò infert conclusionem intentam dicens: (Glorificate ergò, & portate Deum in corpore vestro) Quia enim membra vestra sunt templum Dei, in corpore vestro nihil debet apparere, nisi quod ad gloriam Dei pertinet; & hoc est glorificare Deũ in corpore vestro: quia in Psal. dicitur: (in templo ejus omnes dicent gloriam) ::: Quia verò non estis vestri, sed estis servi Dei, debet corpus vestrum portare Deum; sicut equus, vel aliud animal portat Dominum suũ. Unde in Ps. dicitur, (ut jumentum factus sum apud te) Portat autem corpus nostrum, Dominum, in quantum Divino ministerio* depu-

deputatur: sic ergò homo debet vitare, ne corpus suum peccet fornicando, quod est contra gloriam Dei, & quod contra ministerium, quod corpus nostrum debet Deo. Quæ adeò dilucida sunt, ut majori explicatione, aut ponderatione non egeant.

ARTICULUS V.

Duo alia argumenta ex aliis Apostoli testimoniis.

SUMMARIUM.

Dilemma desumptum ex textu Apostoli. n. 61.

Incestum esse dissonum rationi constat ex verbis Apost. & explicatione S. Tho. n. 63.

Et P. Salmeronis. n. 64.

Magis dissonat rationi luxuria contranaturalis, quàm incestus. n. 65.

Ex verbis Apostoli patet evidenter luxuriam contranaturalem dissonare rationi. n. 68.

Multis Epithetis denotat Apostolus quantum dissonent rationi illæ actiones contranaturales. n. 70.

Et quid dixerit S. Chrisostomus in hunc locum Pauli. n. 71.

Ex eo, quod peccata sint contra naturam, colligitur, quantum dissonent rationi, ex S. Thoma. n. 72.

Ex eo, quod ratio subjiciatur appetitui in peccatis ejusmodi, colligit S. Thomas esse dissona rationi. n. 74.

Quomodo juxta S. Paulum id genus peccatorum sit contumeliosum naturæ rationali? Et quid inde pro conclusione? Ex S. Chrisostomo. n. 75.

Et ex Oecumenio. n. 76.

Et ex S. Thoma. n. 77.

61. Probatur septimo. Nam *cap. 5. ejusdem Epistolæ 1. ad Corinthios* ait *S. Paulus. Omninò auditur inter vos fornicatio; & talis fornicatio, qualis nec inter gentes, ita ut uxorē Patris sui aliquis habeat.* Ex quo testimonio urgens argumentum elicitur contra Caramuelis opinationem. Quod hoc dilemmate concludo.

62. Vel est dissonum rationi, quod quis ad uxorem Patris sui accedat, vel non est dissonum rationi: quidquid dicatur, apertè militat contra eam opinionem: ea ergò absurda est & meritò damnata.

63. Si dicas, non esse dissonum rationi, secluso præcepto Dei; convinceris testimonio Apostoli dicentis: *Qualis nec inter gentes.* Sed quid est (Qualis nec inter gentes)? Audi S. *Thomam in Commentario hujus textus: Qualis inter gentes, nec licita reputatur, vel invenitur. Apud gentiles enim simplex fornicatio non reputabatur peccatum. Unde Apostoli Act. 15 ad hunc errorem excludendum, gentilibus ad Fidem conversis imposuerant, quod abstineant se à fornicatione. Erat tamen quædam fornicationis species, quæ & apud Gentiles illicita habebatur: : Hoc autē erat horribile, etiam apud Gentiles, utpote contrarium naturali rationi existens. Per naturalem enim reverentiam filii ad parentes, secundum omnem statum, & legē, pater, & mater à matrimonio excluditur.*

64. Itaque dictio illa, *qualis nec inter gentes* manifestè significat, id esse horribile, etiam apud gentes, utpotè contrarium rationi naturali; atque adeò ipso jure naturali malum moraliter. Et ideò *P. Salmeron in* hunc locum *disp.* 8. *initio* ait: *Amplificat, cùm ait, qualis nec inter gentes quidem toleraretur, imò semper horrori, & instar*

instar portenti habita est. Et intelligit nil taleunquam extitisse, vel in historiis referri, sed esse scelus prorsus detestabile. Cujus rei confirmationem multis prosequitur.

65. Jam verò si propter hæc adhæreas primæ parti dilemmatis, & dicas fornicationem hominis cum uxore Patris sui, sive cum noverca, esse dissonam rationi, atque adeò juri naturali vetitam, militas etiam contra doctrinam ejus opinationis. Primò. Nam fœdius est, & turpius peccatum luxuriæ contranaturalis, quàm peccatum incestus privignii cum noverca; & tamen Authores ejus opinationis dicunt, secluso præcepto eam luxuriam contra naturalem non dissonare rationi: ergò multò minus dissonabit rationi incæstus privigni cum noverca.

66. Secundò. Quia cum *Caramuel* nihil intrinsecè malum cognoscat in effusione, aut receptione seminis, sed seclusa prohibitione, censeat, eam effusionem aut receptionem esse actionem, omninò indifferentem, cùm nullam injuriam irroget filius Patri, si det novercæ rem indifferentē; seclusa prohibitione, nullam injuriam irrogaret Patri, si cognosceret carnaliter novercam. Quæ omnia quā sint absurda ex utraque parte dilemmatis, quis non videt?

67. Probatur octavo ex *cap. 1. Epistolæ ad Romanos*, ubi sic ait Apostolus *Dicentes enim, se esse sapientes, stulti facti sunt, & mutaverunt gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, & volucrum, & quadrupedum, & serpentium. Propter quod tradidit illos Deus in desideria cordis eorum in immunditiam, ut contumeliis afficiant corpora sua in semetipsis.* Et post pauca subjungit Apostolus. *Propterea tradidit illos Deus in passionis ignominiæ. Nam fœminæ eorum immutaverunt naturalem usum, in eum usum, qui est contra naturam. Similiter autem & masculi, relicto naturali usu fœminæ, exarserunt in desideriis suis in invicem operantes, & mercedem, quam oportuit, erroris sui in semetipsis recipientes. Et sicut non probaverunt, Deum habere in notitia, tradidit illos Deus in reprobum sensum, ut faciant ea, quæ non conveniunt.*

68. Quibus Apostoli verbis consideratis, non possum non vehementer admirari, quod *Caramuel* vir ingeniosus in eam deflaxerit opinationem quod effusio seminis (seclusa prohibitione Dei) sit res indifferens, & quod in aliqua hypothesi posset obligatoria Ex qua opinatione ulteriùs infertur, quod etiam actiones sodomiticæ, & pollutiones exercitæ per manus alterius, (seclusa prohibitione Dei) sint etiam indifferentes: tum quia *Caramuel* asserit, pollutionem, sodomiam, & bestialitatem esse esse ejusdem speciei infimæ; tum etiam, quia si totam suam malitiam accipiunt à prohibitione, hâc seclusâ, parum interest, quod semen effundatur in terra, aut in manibus, aut in aliis membris alterius hominis. Et mirandum iterum est, quod *Caramuel* censuerit has actiones contranaturales (seclusa prohibitione) non esse jure naturali malas moraliter.

69. In his ergò verbis notandum est primò, hoc genus peccati vocari *immunditiam*, actiones *contumeliosas, & passiones ignominiæ*, sive ignominiosas & peccata *contra naturam*. Secundò, per id id verbum *tradidit illos*, denotatur desertos esse à Deo, dum talia abominanda operantur. Ubi *Sanctus Thomas in Commentar. hujus capitis* ait: *Indirectè tradit homi-*

homines in peccatum in quantum abstrahit gratiam, per quam homines continebantur, ne peccarent: sicut si alicujus sustentaculum tolleret, diceretur facere casum ejus. Tertiò asserit Apostolus, in pœnam idololatriæ, quàm exercuerunt, cognoscentes Deum ex creaturis, desertos fuisse, & traditos desideriis suis ignominiosis. *Propter quod tradidit illos Deus &c.* Quartò, addit Apostolus, eam fuisse pœnam proportionatam immani delicto talis idololatriæ, illis verbis: *Mercedem, quam oportuit erroris sui in semetipsis recipientes.*

70. Ex quibus omnibus manifestè infertur, omnes illas actiones obscænas esse dissonas rationi, etiam seclusa prohibitione Dei, atque adeò intrinsecè malas mortaliter, ideoque jure naturæ vetitas. Quid enim magis dissonum rationi, quàm exercere actiones, quæ secundùm Apostolum sunt actiones *immunditiæ*, naturæ rationali *contumeliosa, & ignominiosa & contra naturam*: Dicere autem, quod ex sola prohibitione Dei actiones ex se indifferentes fiunt immundæ, contumeliosæ, ignominiosæ, & contra naturam, est in meridie caligare. Maximè cum Caramuel velit, effusionem seminis nihil aliud esse, quàm effusionem sudoris, vel spumæ, vel sanguinis, vel etiam partis fluidæ corporis. Numquid si Deus prohiberet effusionem sudoris, vel sanguinis, talis effusio fieret immunda, contumeliosa, aut ignominiosa naturæ rationali?

71 Et circa ea epitheta, quæ Apostolus attribuit huic generi actionum obscænarum, multa scribit *S. Chrysostomus serm. 4. in epist. ad Roman.* Inter alia ait: *Vides hanc concupiscentiam tam absurdam non esse aliunde, quàm ex summa immodestia.* Et inferius: *Quemadmodum enim sæpè numero fit, ut multi naturali, ac consueto corporis alimento relicto, terra, parvisque lapillis vescantur .·. Sic habent & illi, qui ad illegitimum illum, qui contra naturam est, morem furibundi anhelant.* In quem sensum multa ibidem adjungit. Quis ergo dicit, tantam fœditatem, & absurditatem, & contranaturalitatem ex sola Dei prohibitione, & non ab intrinseca natura earum actionum, procedere?

72. Confirmatur primò. Nihil enim magis disforme à natura rationali, quàm ea actio, quæ est contra naturam: sed omnis ea actio obscæna, cujus meminit Apostolus, est contra naturam, testè eodem Apostolo: ergo omnis ea actio est disformis à natura naturali sive, quod idem est, dissonat rationi. Et ideò *S. Thomas in Comment.* hujus loci ait: *Dicuntur autem passiones ignominia, quia non sunt nomine digna secundùm illud Ephes. 5. (Quæ aguntur in occulto ab eis, turpe est dicere.) Si enim peccata carnis communiter exprobrabilia sunt, quia per ea homo deducitur ad id, quod est bestiale in homine, multò magis peccatum contra naturam, per quod etiam homo à natura bestiali decidit,* quia natura bestialis non extenditur ad appetendum eumdem sexum.

73. Confirmatur secundò. Nam quod est contra naturam, est contra specialem legem naturæ: ergò contra jus naturale: ergo jure naturali vetitum. Hæc enim nomina sunt synonima, nisi quod is terminus *contra naturam* dicit aliquid specialius. Quare *S. Chrysostomus serm. 4. in epist. ad Rom.* de his loquens, ait: *Naturam siquidem defadarunt, & leges illius conculcarunt.* Et *Oecumenius in epist. ad Roman.*

 cap. 1.

cap. 1. Rem innuit turpissimam, & ostendit, quod non solum in Dei leges, sed in naturæ quoque leges pugnabant.

74. Confirmatur tertiò ex *S. Thoma in Comment.* hujus loci. Etenim nihil magis dissonum rationi esse potest, quàm quod intellectus, & ratio subjiciatur appetitui corporeo: sed per ejusmodi peccata intellectus, & ratio subjicitur appetitui corporeo: ergò ea sunt dissona rationi. Verba S. Thomæ sunt. *Circa quod considerandum est, quod homo medium locum obtinet inter Deum, & animalia bruta, & cum utroque extremorum communicat: cum Deo quidem secundùm intellectualitatem: cum animalibus verò brutis secundùm sensualitatem. Sicut igitur homo id, quod est Dei, mutavit usque ad bestias* (exhibens illis adorationem) *ita Deus id, quod est Divinum in homine secundùm rationem, subdit ei, quod est brutale in ipso, scilicet desiderio sensualitatis ∴ Hoc est quod dicit, (Propter quod tradidit illos Deus in desideria cordis,) ut eorum ratio subderetur desideriis, scilicet sensualis affectus ∴ Quod quidem est contra naturalem ordinem hominis, secundùm quod ratio appetitui sensibili dominatur.* Genes. 4. *(sub te erit appetitus ejus & tu dominaberis illius.)*

75. Confirmatur quartò. Nam contumelia, qua quis afficit ipsam naturam rationalem, ex ipsa terminorum apprehensione constat, esse rationi dissonam, atque adeò intrinsecè malam moraliter, & jure naturali vetitam: sed contumelia, qua juxta Apostolum, afficiunt corpora sua in semetipsis illi, quos tradidit Deus in desideriis suis in immunditiam, est contumelia in ipsam naturam rationalem: ergò talis contumelia est rationi dissona, atque adeò intrinsecè mala, & jure naturæ vetita. Minor, præterquam quod ex terminis constat, traditur à *S. Chrysostomo serm. 4. in epist. ad Rom.* illis verbis: *Hic verò pro mundi factura voluptatem posuit eam, quæ juxta naturam est* (scilicet matrimonialem) *qua videlicet potuissent ex majore securitate, & pleniore animi jucunditate frui. Sed quia noluerunt, omni se ipsos venia spoliarunt, in ipsam NATURAM contumeliosi facti.* Et verbis supra relatis *Naturam siquidem defadarunt.* Et inferius: *In ipsam etiam naturam nequiter egerunt.* Et propè finem: *Unde irrepsit petulans, & lasciva illa concupiscentia, tam hostiliter humanæ adversa naturæ?* In quam sententiam multa immediatè subjungit. Et *S. Thomas in præfato Comment. Debitum erat, ut qui in Dei naturam injuriosi fuerant, id, quod est proprium sibi, creaturis attribuendo, in sui natura contumeliosi existerent.*

76. Consonat *Oecumenius in Comment.* hujus loci. *Quod autē subdit, (Exarserunt,) magnam infamiam, ac œstrum significat, nec dixit, concupiscentiam suam perpetrantes sed (turpitudinem,) designans, quod ipsam quoque naturam pudefecerint.*

77. Confirmatur quintò ex *S. Thoma* ubi supra. Nam ad illa verba Apostoli, *Tradidit illos Deus in reprobum sensum, ut faciant ea, quæ non conveniunt.* Quæ sic explicat *Dicitur autem sensus reprobus, quo aliquis reprobandum judicium habet de agendis ∴ Et ideò subdit, (ut faciant ea, quæ non conveniunt) id est, ea quæ à recta ratione discordant.* Docet ergo Apostolus, juxta explicationem *S. Thomæ*, omnia ea peccata obscænæ voluptatis esse ex obscænitate sua rationi dissona, atque adeò intrinsecè mala.

ARTI-

ARTICULUS VI.

Aliud argumentum ex doctrina ejusdem Apostoli?

SUMMARIUM.

Infideles non peccarent exercendo luxuriam contranaturalem, si hac non esset dissona rationi. num.78.
Id constat ex verbis Apostoli. num.80.
Item ex Commentario S.Thoma. num. 81.
Quod infideles peccaverint exercendo luxuriam contranaturalem, constat ex verbis Apostoli, & ex Commentario S.Thoma. num. 82.

78. PRobatur nonò conclusio, præcipuè circa malitiam intrinsecam peccatorum contranaturalium. Si hæc peccata non essent ab intrinseco mala moraliter, sed solum ab extrinseca positiva prohibitione Dei, gentes infideles, & idololatriæ exercentes eam luxuriam contranaturalem non peccarent: sed re ipsa peccarunt: ergò ea peccata sunt ab intrinseco mala moraliter, & non solum ab extrinseca positiva prohibitione Dei.

79. Major est evidens. Non enim peccant qui non cognoscunt malitiam: si ergo tota malitia provenit à sola positiva prohibitione Dei; cum hæc illis gentibus non fuerit prædicata, maximè ante adventum Christi D. & prædicationem Apostolorum; aliunde autem non potuerint cognoscere eam malitiam ex ratione naturali; cum juxta opinionem oppositam, ea malitia non dissonet rationi naturali, fit, eas gentes non peccavisse exercendo eas actiones luxuriosas. Neque potest dici, jam ignorantiam fuisse vincibilem & culpabilem, cum non sit in potestate eorum infidelium, quod prædicetur, & intimetur illis illa Dei positiva prohibitio.

80. Sed constat ulterius ea Major Silogismi ex verbis Apostoli ad *Rom. cap. 2. Cum enim gentes, quæ legem non habent, naturalitr ea, quæ legis sunt faciunt, ejusmodi legem non habentes, ipsi sunt lex, qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis testimonium reddente illis conscientia ipsorum, & inter se invicem cogitationum accusantium, aut etiam defendentium,* &c. Ex quibus verbis Apostoli clarè constat, quod gentes, quæ non habent legem positivam sibi intimatam, ipsi sunt sibi lex, quoad præcepta naturalia, quatenus rationis lumen *scriptum in cordibus suis*, manifestat illis, quæ actiones sint malæ moraliter, utpote quæ sunt dissonæ ipsi rationi naturali; ita ut cogitationes eorum ipsos accusent, cum operantur aliqua dissona lumini naturali. Et paulò ante dixerat Apostolus ad idem propositum: *Quicunque enim sine lege peccaverunt, sine lege peribunt.* Scilicet, qui non habentes legem positivam sibi intimatam, habent legem naturalem scriptam in cordibus suis.

81. Ubi *S. Thomas in commentario Epistolæ ad Rom. cap 2.* ea verba: *Naturaliter ea, quæ sunt legis, faciunt*, sic explicat: *Commendat in eis legis observantiam, cum dicit, (Naturaliter faciunt, quæ sunt legis) id est, quæ lex mandat, scilicet quantum ad præcepta moralia, quæ sunt de dictamine rationis naturalis, sicut & de Iob dicitur, quod erat justus, & rectus, ac timens Deū, & recedens à malo.* Ex quibus omnibus clarè infertur, quod peccabāt gentes, quā-

vis lex positiva divina non esset eis intimata, quia operabantur contra dictamen rationis. In illis autem, quæ non erant dissona dictamini rationis, non peccabant. Ex quo fit manifestum, quod si actiones luxuriæ contranaturalis non sunt dissonæ dictamini rationis, illæ gentes exercentes eas actiones non peccabant; quia prohibitionem positivam non habebant sibi intimatam.

82. Jam vero Minor prioris Syllogismi, scilicet peccavisse gentes exercentes actiones luxuriæ contranaturalis, constat ex verbis Apostoli *ad Rom.* 1. supra relatis. Ubi agens de actibus luxuriosis, quos exercuerant gentiles ait: *Propter quod tradidit illos Deus in desideria cordis eorum in immunditiam, ut contumeliis afficiant corpora sua in semetipsis.* Et paulò post. *Tradidit illos Deus in reprobum sensum, ut faciant ea, quæ non conveniunt.* Ubi S. Thom. ait: *Dicitur autem sensus reprobus, quo aliquis reprobandum judicium habet de agendis ∴. Et ideò subdit (ut faciant ea, quæ non conveniunt:) id est, ea, quæ à recta ratione discordant.*

83. Cum ergo constet, peccasse eos gentiles, de quibus loquitur Apostolus, peccatis contranaturalibus; cum tamen non habuerunt notitiam de positiva prohibitione Dei, quæ nondum illis fuerat prædicata seu intimata; & consequenter peccavisse sine lege, evidens est, quod peccarunt operantes contra lumen rationis: ergo contra lumen rationis peccant, qui exercent eas actiones luxuriæ contranaturalis.

* * *

CAPUT III.

An demonstretur malitia intrinseca actionum obscænarum ex vehementia passionis, & voluptate nimia

SUMMARIUM.

Illustrissimus Borgias probabat fornicationem esse intrinsecè malam ex venerea delectatione num. 84.

Doctor Verde impugnat id ex eo, quod in copula conjugali fit eadem delectatio. num. 85.

Quomodo actus luxuriæ est intrinsecè malus ex vehementia voluptatis. num. 86.

Non est identitas rationis quoad hoc inter copulam licitam, & illicitam. Ibidem.

Quanta sit disparitas quoad effectus sequutos ex vehementia voluptatis in copula illicita, & non sequutos in licita. num. 87.

An in copula licita non sequantur pravi effectus propter auxilia, quæ Deus confert. num. 88.

In matrimonio legis gratiæ certum est conferre Deum auxilia supernaturalia. n. 89.

In matrimoniis infidelium confert Deus auxilia naturalia. num. 90.

Quomodo intelligatur S. Augustinus negans infidelibus veram virtutẽ pudicitiæ? n. 91.

Specialis Dei protectio datur in omni matrimonio. num. 92.

Quomodo aliquando etiam ex copula conjugali oriantur pravi effectus? num. 93.

Qui, & quales sint effectus vitiosi, qui oriuntur ex actu luxuriæ, ex S. Gregorio, & S. Thoma num. 94.

Quomodo ea vitia criantur ex actu luxuriæ, ex S. Thoma, num. 95. & seqq.

Intrinsecè mala est omnis operatio, quæ est prin-

principium per se effectus vitiosi. n.101. & seqq.

*Quam gravia sint mala, quæ oriuntur ex actibus luxuriæ.*num.105. & seq.

Quomodo hæc mala non oriantur ex copula conjugali? num.107.

*Alii effectus vitiosi orti ex luxuria, juxta S. Augustinum.*num.108.

84. ILlustrissimus D. Ludovicus Crespinus Borgias Episcopus Placentinus, & Orator Catholici Regis apud Romanum Pontificem pro causa Conceptionis Immaculatæ Dei genitricis, apologiam edidit adversus duodecim opiniones Caramuelis; & inter alias, has duas acriter impugnat. Probatque fornicationem esse intrinsecè malam ex inordinata venerea delectatione, contenta in illa copula.

85. Doctor Franciscus Verde edidit pro Caramuele Apologiam adversus D. Borgiam, ubi *quæst.*3. *num.*43. respondet sic. *Impugnatur: quia assumit, & non probat. delectationem illam esse intrinsecè malam. Certè delectatio venerea est etiam in Matrimonio; nec per hoc matrimonia damnanda sunt.* Quod postea multis prosequitur respondens ad instantias Borgiæ. Ex eo autem, quod in matrimoniali copula interveniat eadem delectatio venerea, suadere conatur, fornicationem non esse illicitam propter voluntatem.

86. Assero primò, quemlibet actum obscænum, sive luxuriæ naturalis, sive contra naturalis, esse intrinsecè malum moraliter propter vehementiam voluptatis, non ut cumque, sed propter effectus, qui ex ea vehementia voluptatis oriuntur; quos postea enumerabo. Assero secundò, non posse argui ab identitate rationis, esse illicitam copulam matrimonialem; eò quod effectus, qui per se resultant ex copula illicita, non resultant per se ex copula matrimoniali.

87. Explico utramque assertionem. Coitus viri cum fœmina est intrinsecè malus, dum non fuerit factus eo modo, & ordine, quo determinaverit supremus naturæ conditor, pro multiplicatione, sive conservatione speciei humanæ. Quia dum non fuerit factus eo modo, & ordine, ex vehementia voluptatis, sequuntur per se effectus, qui dedecent naturam rationalem, & dissonant rationi. Quando vero fuerit factus eo modo, & ordine, quo supremus naturæ conditor determinaverit, non sequuntur per se tales effectus, qui faciunt, eam voluptatem dedecere naturam rationalem.

88. Sed quare non sequuntur illi pravi effectus, quando is coitus fit eo ordine, quo supremus naturæ conditor determinat? Ratio est. Nam in eo ordine, quem Deus determinat, dat auxilia in ordine ad evitandos pravos effectus, quæ non dat operantibus extra eum ordinem.

89. Sed dices: unde constat, quod Deus conferat ejusmodi auxilia? Respondeo, id constare ex ratione moraliter certa, & ex doctrina Sanctorum Patrum. Et quidem in hoc ordine matrimonii, quem Deus instituit in lege Evangelica & in quo contractum matrimonii elevavit ad rationem Sacramenti, clarius constat, Deum conferre auxilia supernaturalia, ut conjuges Fideles se contineant intra fines matrimonii, & ut vitent pravos effectus, qui inclinant vehementer ad peccatum; cum certum sit, omne Sacramentum novæ legis conferre auxilia supernaturalia proportionata suo uniuscujusque

cujusque fini. Id quod multis in locis tradit *S. Augustinus lib 4. contra Iulianum cap. I.* ait: *Non itaque parvum Dei donum est, ita frenari hoc malum* (concupiscentiam) *ut ad nihil relaxetur illicitum, sed generationi tantum regenerandorum serviat filiorum.* Quod sæpius repetit in eo *lib. 4.* & in aliis locis.

90. In aliis autem matrimoniis, scilicet infidelium, & illis, quæ fiebant ante legem Evangelicam, certũ esse debet, quod Deus confert auxilia saltem entitativè naturalia, ut homines se contineant intra fines matrimonii, ut vitent pravos effectus, qui ex fornicatione per se oriuntur. Nam cum experientia compertum sit, aliquos infideles, aut homines legis veteris se continuisse intra metas matrimonii? & id fit valdè difficilè, nisi ex auxilio Dei, inde certum efficitur, quod Deus cõferat ejusmodi auxilia.

91. Neque his obstat, quod ait ibidem cap. 8. S. Augustinus, in infidelibus conjugibus non esse veram virtutem pudicitiæ conjugalis, quæ Deo placeat, quia *sine fide impossibile est placere Deo.* Loquitur enim S Augustinus de virtute supernaturali, & quæ placeat Deo in finem vitæ æternæ. Possunt ergo conjuges infideles habere virtutem pudicitiæ naturalis propter motivum honestatis conformis naturali rationi; sed id non possunt sine auxilio naturali. Non tamen possunt habere veram virtutem supernaturalem pudicitiæ conjugalis; quia nulla est virtus supernaturalis, nisi sit ex motivo Fidei, sive per Fidem proposito; ut latius ostendi *dissert. 16. cap. 5. conclus 3. à num. 41.*

92. Itaque si qui sunt infideles, qui se continent intra fines matrimonii, id præstant ex quadam Dei protectione. Nam cum ipse Dominus constituerit hunc ordinem conjugii pro conservatione speciei humanæ; & attenta hominum fragilitate, & vehementia inclinationis ad hoc genus voluptatis; dat Deus saltem auxilia naturalia, ut possint se continere intra fines hujus ordinis. Ex qua protectione Dei fit, quod ex copula conjugali per se non oriantur illi effectus pravi, qui ex fornicatione oriuntur.

93. Dixi *per se:* quia per accidens solent etiam oriri; scilicet, quia homines vitio suo resistunt illis auxiliis Dei, sive naturalibus, sive supernaturalibus; & sic ipsi etiam conjuges labuntur in peccata turpissima: & tunc ex vitioso congressu conjugum oriuntur illi pravi effectus trahentes ad perditionem, qui oriuntur à copula illicita.

94. Sed operæ pretium est declarare, qui nam sunt hi effectus, qui ex actu luxurioso oriuntur, & qui faciunt actum luxuriosum esse intrinsecè malum. *S. Gregorius lib. 31. Moral* ponit octo filias luxuriæ, id est, octo vitia, quæ à luxuria per se oriuntur. Et *S. Thomas 2. 2. quæst. 153. art. 5.* per totum explicat has luxuriæ filias, & modum, quo per se oriuntur ex luxuria. *Hæ sunt Cæcitas mentis, inconsideratio, præcipitatio inconstantia, amor sui, tædium Dei, affectus præsentis sæculi, horror, vel desperatio futuri.* Ex quibus quatuor priores pertinent ad intellectum; quatuor vero posteriores ad voluntatem. Et, ut benè notavit *Cajetanus ibid. Illarum nomina formaliter important actus, seu dispositiones interiores animi.*

95. Quomodo autem illa octo vitia oriantur per se ex actibus luxuriosis, optimè explicuit *S. Thomas in corp. Quando inferiores potentiæ vehementer afficiuntur ad*

sua

sua objecta, consequens est, ut superiores vires impediantur, & deordinentur in suis actibus. Per vitium autem luxuriæ maximè appetitus inferior, scilicet concupiscibilis, vehementer intendit suo objecto, scilicet delectabili, propter vehementiam passionis, & delectationis: & ideo consequens est, quod per luxuriam maximè superiores vires deordinentur, scilicet ratio, & voluntas. Ecce quomodo vehementia passionis, & delectationis luxuriosæ est principium per se de ordinationis actuum potentiarum superiorum, nempe intellectus, & voluntatis.

96. Prosequitur, explicans modum, quo ea vitia per se consequuntur ad vehementiam delectationis; sive quomodo impediantur actus intellectus, & voluntatis à sua rectitudine. De cæcitate mentis sic disserit. *Primò quidem simplex intelligentia, quæ apprehendit aliquem finem ut bonum; & hic actus impeditur per luxuriam, secundùm illud Danielis 13. (species decepit te, & concupiscentia subvertit cor tuum.) Et quantum ad hoc ponitur cæcitas mentis.*

97. Subjungit deinde modum, quo *Præcipitatio* pullulat ex vehementia delectationis. *Secundus actus est consilium de his, quæ sunt agenda propter finem: & hic etiam impeditur per concupiscentiam luxuriæ. Unde Terentius dicit in Eunucho loquens de amore libidinoso: (Quæ res in se neque consilium, neque modum ullum habet, ea consilia regere non potest) Et quantum ad hoc ponitur præcipitatio, quæ importat subtractionem consilii.*

98. Deinde de *inconsideratione* sic discurrit *Doctor Angelicus. Tertius actus est judicium de agendis: & hic etiam impeditur per luxuriam Dicitur enim Danielis 13. de senibus luxuriosis (Averterunt sensum suũ, ut non recordarentur judiciorum justorum.) Et quantum ad hoc ponitur inconsideratio.*

99. *Inconstantiam* procedere luxuria, sic ostendit. *Quartus autem actus est præceptum rationis de agendo: qui etiam impeditur per luxuriam, inquantum scilicet homo impeditur ex impetu concupiscentiæ, ne exequatur id, quod decrevit esse faciendum. Unde Terentius dicit in Eunucho de quodam, qui dicebat, se recessurum ab amica, hæc verba: una falsa lachrymula restringet.*

100. Explicat deinde ea vitia, quæ spectant ad voluntatem, pullulantia ex actibus luxuriosis, scilicet amorem inordinatum sui quærentis pro fine delectationem; tædium Dei ut prohibentis eam delectationem; amorem præsentis sæculi pro delectatione illa non amittenda; horrorem futuri: *quia dum nimis detinetur carnalibus, non curat pervenire ad spirituales sed fastidit.*

101. Ex his conficitur demonstratio. Illa operatio est dissona rationi, & intrinsecè mala, quæ est principium per se cæcitatis mentis, præcipitationis, inconsiderationis, inconstantiæ, &c. Sed delectatio luxuriosa est principium per se horum effectuum perversorum: ergo delectatio luxuriosa est dissona rationi, & intrinsecè mala.

102. De minori hujus syllogismi quis dubitare audebit? Tum propter authoritatem S. Gregorii Magni, tum propter authoritatẽ Præceptoris Angelici, & propter rationes, quibus eam confirmat, quas ideo tam formaliter retuli, ne mihi incumberet probatio Minoris; cum id S. Thomas tam dilucidè præstiterit.

103. Major etiam mihi videtur evidens. Primò, quia arbor bona non potest malos fructus facere; quod si arbor malos fructus facit, ab intrinseco mala est: ergo si actus luxuriosus ex se producit eos fructus malos, ab intrinseco malus est.

104. secundò. Nam qui se inebriat advertentur,

vertenter, peccat mortaliter, & talis actio est ab intrinseco mala & rationi dissonans; eo quod pro aliquo tempore brevi amittit usum rationis; ut docet *S. Thom. 2. 2. q. 150. art. 2 corp.* quem omnes Theologi sequuntur: sed non est minus malum, quod pro diuturno tempore homo per actus luxuriosos exponat cæcitati mentis, præcipitationi, inconsiderationi, inconstantiæ, &c. Ex quibus resultare solent mala gravissima: ergo malitia actus luxuriosi est etiam intrinseca tali actui.

105. Quæ autem sint ea mala gravissima, quæ ex luxuria propter præcipitationem inconsiderationem, cæcitatem mentis, &c. oriuntur, quotidiana experientia, & vetusta annalium totius orbis monumenta demonstrant. Legat, qui volet, *Aristotelem lib. 5. Politic. cap. 10.* ubi inter alia ait: *Multa etiam impressiones facta sunt in quosdam Principes Monarchas, propterea, quod alicui pudicitiam, corpore ejus constuprato, eripuissent.* Ubi multa hujus asserti exempla refert. Dolet adhuc vehementer Hispania, quod propter luxuriam Henrici VIII. maneant adhuc Anglia & Scotia sub dominio Diaboli, & sub hæresiarcharum servitute.

106. Legat etiam *P. Adamum Contzen lib. 3. Politic. c. 12.* ubi postquam multa hujus generis exempla retulit, *§. 4.* hæc habet: *Amor, & cupiditas vehementes sunt, nunquam spem ponunt* (id est, deponunt) *Quidquid servatur, cupiunt magis. Flamma illa primo tenui igne tepefacit; mox totam virtutem, animumque exurit. Nunquam in licito, nunquam in parvo sistit. Pecunia, vita, fama, illicita redimit. Et si ullum aliud vitium, hoc certè citissimè in monstrum migrat.* Et ex hoc monstro quanta alia mala exorta fuerint, deinde memorat.

107. Ubi maximè notare oportet, quod cum ex hac arbore tam venenati fructus prodeant; ex conjugali copula, dum conjuges se continent intra fines matrimonii, nihil tale unquam auditur. Ut jam inde videant adversarii, quantum distet voluptas copulæ luxuriosæ à copulæ conjugalis voluptate, si hæc intra fines suas coerceatur. Nam cùm Deus Author sit matrimonialis conjunctionis, protectione sua facit (in illis conjugibus, qui se continent intra terminos præscriptos) ne ex voluptate conjugali procedant illi mali effectus; ut experientiâ ipsa comprobâtur. Et sancti Patres, qui hos, & alios effectus attribuũt actibus luxuriosis, nunquam hos, aut similes effectus attribuerunt copulæ conjugali intra terminos suos coercitæ.

108. Confirmatur ex S. Augustino (cujus verba refert *P. Contzen supra citatus §. 6*) asserente, voluptatem luxuriosam hebetare aciem intellectus, & advertentiam rationis obstruere. Quomodo ergo non est ab intrinseco mala, quæ talem producit fructum. Verba S. Doctoris sunt, *Libido luxuria ita totum corpus interius, & exterius sibi vendicat, & totum commovet hominem, affectu animi, & appetitu carnis conjuncto, ut sequatur voluptas, omnibus corporis voluptatibus major: ad ejus tamen pervenitur extremum, ut pene omnis acies, & vigilia cogitationis obstruatur.*

* * *

CAPUT

CAPUT IV.

Quid censendum sit de ratione à priori, quam assignat S Thomas, spectante ad damnum prolis?

SUMMARIUM.

Proponitur ratio S. Thomæ. n.109.

In ea ratione invenit Cajetanus triplex argumentum. n.110.

Invenitur etiam quartum argumentum. num.111.

Enumerantur plura pericula, quæ imminere solent proli illegitimæ. n.112.

Forma argumentationis tradita à S. Thoma. num. 113.

Ostenditur, eam esse mentem S. Thomæ. n. 114. & seq.

Quomodo juxta hanc argumentationem sit rationi dissonum generare prolem extra matrimonium. n. 116. & seq.

109 S. *Thomas 2.2. quæst. 154. art. 2. corp.* sic probat, fornicationẽ esse intrinsecè malam, & graviter peccaminosam. *Ad hujus evidentiam considerandum est, quod peccatum mortale est omne peccatum, quod committitur directè contra vitam hominis. Fornicatio autem simplex importat inordinationem, quæ vergit in nocumentum vitæ ejus, qui ex tali concubitu nascitur. Manifestum est autem, quod ad educationem hominis non solùm requiritur cura matris, à qua nutritur, sed multò magis cura Patris, à quo est instruendus, & defendendus, & in bonis tam interioribus, quàm exterioribus promovendus. Et ideò contra naturam hominis est, quod utatur vago concubitu: sed oportet, quod sit maris ad determinatam fœminam, cum qua permaneat, non per modicum tempus, sed diu, vel etiam per totam vitam. Et inde est, quod naturaliter est maribus in specie humanâ solicitudo de certitudine prolis, quia eis imminet educatio prolis: hæc autem solicitudo tolleretur, si esset vagus concubitus. Vnde cùm fornicatio sit concubitus vagus, utpote præter matrimonium existens est contra bonum prolis educandæ: & ideò est peccatum mortale.*

110. *Cajetanus ibid* in ea periodo Angelici Doctoris invenit tria argumenta. Sic enim ait: *Primum est Fornicatio simplex importat inordinationẽ, quæ vergit in nocumẽtum vitæ nascituri. Secundum est, quod fornicatio privat prolem cura Patris, &. Tertiũ est, quod fornicatio, seu vagus concubitus tolleret certitudinem prolis.*

111. Et quidem mihi videtur, in ea periodo S. Thomæ esse etiam aliud quartum argumentum, quod auget vim aliorum trium, & contineri in illis verbis: *Oportet, quod sit maris ad determinatam fœminam, cum qua permaneat, non per modicum tempus, sed diu, vel etiam per totam vitam.*

112. Pro cujus explicatione notandum est, innumera pericula imminere proli, quæ non nascitur ex legitimo thoro. Periculum vitæ experimur quotidie, cùm matres ipsæ occidant filios, vel propter occultadũ delictum, vel ob aliud iniquũ motivũ. In quodam Hispaniæ oppido inveni fœminã occidisse quinq; soboles animatas, & duas alias anima rationali carentes; & hujus generis utinam non essent tam frequentes casus. Et quæ minus impiæ sunt, conantur occultè parere, & filios ad hospitalia expositorũ infantiũ mittunt, in quib' pueri traditi nutricib' extraneis, magna ex parte malè nutriti moriũtur. Iminet etiã eis periculũ amittendi vitã æternã; occiduntur enim sæpissimè

Hhhh absque

absque Baptismo. Impendet etiam periculum miseræ paupertatis, qui superstites manent; quia deficit cura paterna; cùm Patres, vel ob suspicionem alienæ conversationis cum matribus; vel ne cogantur eos alere, nolint illos tamquam filios suos agnoscere. Imminet etiam periculum defectus educationis, & instructionis; & inde innumera mala procedunt: nam tales filii, ubi adolescunt, accedunt perversis aliis, & in barathrum delictorum labuntur. Quod si fæmellæ sint, vitam meretriciam assumunt.

113. Hinc instruitur argumentum, quod *S. Thomas* satis clarè insinuat. Etenim recta ratio postulat, ut in re tanti momenti, qualis est conservatio speciei humanæ, & generatio hominis, habeat modum destinatum à Supremo naturæ Domino, ex quo, quantum fieri possit, vitentur ea pericula vitæ, salutis æternæ, miseræ paupertatis, & pravæ educationis; ergò dissonat rationi quicumque alius modus generandi hominem, qui non sit destinatus à Supremo naturæ Domino. Sed modus, quem destinavit supremus naturæ Dominus, est, *ut sit maris ad determinatam fæminam, cum qua permaneat* (id est, cum qua sit obligatus ex contractu permanere) *per totam vitam*: ergò rationi dissonat quicumque alius modus generationis, distinctus à contractu matrimoniali.

114. Quod autem hæc sit mens *S. Thomæ* in illis verbis relatis, certum mihi videtur. Nam illud verbum *Oportet*, idem significat apud S. Doctorem, atque ex rationis lumine est necessarium, cùm ibi non agat de necessitate orta ex lege positiva, sed ex ipsa ratione naturali, sive ex consonantia cum natura rationali. Censet ergò, esse dissonum rationi quemlibet alium modum generationis distinctum à modo, quem Supremus naturæ Dominus præscripsit.

115. Dices, jam à nobis fieri recursum ad legem positivam Dei, qua prohibuit alium modum generationis distinctum à copula conjugali.

116. Respondeo. Antequam intelligatur positiva prohibitio Dei, intelligi, esse dissonum rationi, quod fiat generatio hominis exposita tam innumeris periculis sine modo præscripto, aut præscribendo à Supremo naturæ Domino, maximè cùm modus generationis à Deo ordinatus, vel ordinandus muniatur protectione Dei, ut dixi *cap. præced. art. ult.* Et quia id est dissonum rationi, & intrinsecè malum, ideò prohibuit Deus.

117. Et hanc esse mentem *S. Thomæ*, loqui scilicet de eo, quod dictat judicium rationis, antequam intelligatur lex, aut prohibitio Dei positiva, patet ex illis: *Cum qua permaneat, non per modicum tempus, sed diu, vel etiam per totam vitam.* Si enim loqueretur de conjunctione legitima maris, & fæminæ introducta lege Dei, non uteretur disjuncto illo, *diu, vel per totam vitam.* Utitur autem illo, quia uno, vel altero modo potuit Deus instituere matrimonium. Et sensus eorum verborum est: [judicium rationis dictat, esse necessarium ad rectam generationem hominis, quod constituatur à Supremo legislatore cum firma permanentia per diuturnum tempus, aut per totam vitam.] Ex quo patet, loqui S. Doctorem, antecedenter ad legem Dei, quâ constituit matrimonium per totam vitam. Quæ omnia dilucidiora fient solutione argumentorum, quibus *Caramuel* arietare conatus est hanc *S. Thomæ* argumentationē.

CA-

CAPUT V.

Solvuntur argumenta Caramuelis cap. *1. relata.*

SUMMARIUM.

118. PRomittit *Caramuel* (ut retuli *cap. 1. num. 6.*) se ostensurum evidenter, fornicationem, & mollitiem non esse intrinsecè mala, sed solùm esse mala extrinsecè à prohibitione Divina. Videamus, quanta sit hæc evidentia. Incipit à dilemmate, interrogans, an sit intrinsecè mala ipsis delinquentibus, an solùm proli? Et respondeò, quamvis multis modis sit intrinsecè mala ipsis delinquentibus, ut patet ex *capitibus 1. 2. 3. & 4.* cæterum argumentum *S. Thomæ* solùm loquitur de damno prolis. Subinde contendit, fornicationem (imò, & mollitiem) non esse malam proli physicè, neque moraliter. Quod utrumque nego.

119. Probat autem, fornicationem non esse malam proli: quia fornicator dat illi esse; melius est autem esse quàm non esse; sive (ut *Caramuel* loquitur) in causa est, ut homo, qui alias in rerum natura non esset, producatur, ideòque beneficus est proli. Sed debuit advertere *Caramuel*, id esse beneficium multis malorum periculis admixtum; & esse rationi dissonum, quod conferat illi beneficium præter ordinem ab Authore naturæ præscriptum, ad viranda ejusmodi pericula vitæ, paupertatis, pessimæ educationis, &c. Et quidem negari non potest, peccaturos graviter conjuges, qui ita uterentur copula conjugali, ut prolem subjicerent periculo incidendi in monstrositatem, cæcitatem, aut mutilationem membrorum; si possibilis esset talis copula, quæ ejus effectus produceret: neque ad excusandum peccatum sufficeret beneficium essendi, quod darent proli.

120. Ad secundum argumentum, quod retuli *numer. 7.* desumptum ex eo, quod fornicatio non est nociva moraliter, sive quo ad educationem prolis: quia dum proles non existit actualiter, nihil est: sed ei, quod nihil est, nulla fieri potest injuria, quia id, quod nihil est, nullũ jus habet. Respondeo, hoc argumento optimè probari, fornicatione non peccari contra justitiam; est enim certum, quod proles, antequam existat, non habet jus, ut hoc, vel illo modo generetur. Et ideò *S. Thomas* in hoc *art. 2. ad 4* ait: *Fornicatio simplex contrariatur dilectioni proximi, quantum ad hoc, quod repugnat bono prolis nascituræ.* Sic mater prægnans peccat contra charitatem comedendo ea, quæ proli futuræ afferre possunt morbum gravem.

121. Ad tertium, quod proposui *num. 8.* respondeo, si *S. Augustinus* dixit, *melius esse damnari, quàm annihilari*, Christus Dominus dixit *Matth. 26. Bonum* (id est melius) *erat ei, si natus non fuisset homo ille*, scilicet Iscariotes. Et tamen hæ duæ propositiones non sibi invicem repugnant. Nam *S. Augustinus* loquitur de esse physico,

sico, & Christus Dominus de esse morali; sive de eo, quod ipsi subjecto optabilius est. Cùm autem inde infert *Caramuel*, melius esse proli esse malè educatã, quàm absolutè in rerum natura non existente, respondeo, melius esse physicè, non moraliter.

122. Ad quartum ibidem relatum, omittendo, respondeo quod videamus, aliquos Principum nothos optimè educatos; sed negari non potest, alios malè educatos, vel quia Principes nolunt eos recognoscere ut filios, propter incertitudinem filiationis, ex eo quod fœmina, quæ libidinosè conversata est cum uno, forsitan eodem modo se gessit cum aliis; vel quia mœchus suspicione tangitur alienæ conversationis fæminæ, etiam ex levissimis indiciis, vel ex pura malignitate hominis. Cùm ergò alii benè, alii malè educentur, inde infertur, quod tempore fornicationis sit periculum malæ educationis, præter cætera pericula jam enumerata.

123. Quando autem subjungit *Caramuel*, inde inferri, quod potius pauperum matrimonia venirent condemnanda, quàm divitum fornicationes, quia melius educantur nothi divitum, quàm legitimi pauperum; probaret aliquid, si quando mœchantur divites, certa esset bona educatio futura prolis futuræ. Sed quia tunc adest periculum hoc, & alia multa, ideò ratio ipsa postulat, ut assignetur à Conditore naturæ unus determinatus modus generandi homines.

124. Ad quintum, quod proposui *num. 9.* contra id, quod dixit *S. Thomas in hoc art. 2.* esse per accidens, quod quandoque aliquis illegitimus benè educetur, respondeo; id dictum *S. Thomæ* duobus modis posse intelligi. Primò juxta opinionem communem, quod quando finis legis cessat in particulari, non propterea lex cessat in illo casu particulari. Et hæc responsio est probabilis; sed est etiam probabilis opinio opposita, quæ docet, cessare in eo casu particulari, & per accidens obligationem legis. De quo latè egi in *3. part. Crist. Theol. disp.*

125. Secundo modo potest intelligi, ita ut lex prohibitoria non respiciat pro fine ipsam pravam educationem prolis, sed periculum illius; & hoc modo est omninò per accidens respectu legis, & obligationis ejus, quamvis postea benè educetur proles, quia tempore delicti non cessabat periculum. Et hoc modo intelligo dictum S. Thomæ. Nam qui legerit totum contextum S. Thomæ, comperiet, loqui potius de periculo, quàm de infortunio actuali. Et patet præcipuè ex illis verbis: *Fornicatio autem simplex importat inordinationem, quæ vergit in nocumentum vitæ ejus, &c.* Dicimus autem vergere in nocumentum, non quæ actualiter nocent, sed quæ afferunt periculum nocendi. Et cùm iterum confugit ad filios Principum, qui benè educantur, & vult magis esse per accidens, quod filii legitimi pauperum benè educentur, quàm nothi Principum, dicendum est, etiam in nothis Principum ab initio esse periculum pravæ educationis propter dicta.

126. Quando autem arguit, quod si per accidens contingit, filios nothos Principum benè educari, etiam per accidens contingit, quod esset obligatio legis, atque adeò quod fornicantes non peccent; respondendum est, negando sequelam: quia sic non cessat periculum malæ educationis, atque adeò nec finis legis, neque ejus obligatio.

gatio. Quod autem postea superaddit de discrimine inter legem Divinam, & humanam, non est contra nos; qui ad tale discrimen non recurrimus.

127. Ad sextum, quod retuli *nn.* 11. cum dicit nulla ratione naturali ostendi posse, simplicem fornicationem esse malam; ex argumentis hucusque propositis constat, quàm id sit falsum.

CAPUT VI.

Argumenta Caramuelis pro secunda Conclusione de luxuria contra naturam, enervantur.

SUMMARIUM.

Quàm sint contumeliosa naturæ rationali ea peccata contra naturalia. n. 128.

Quæcumque nomine appelletur semen, illud est principium generationis humanæ. nu. 129.

Disparitas inter lac fœmineum, & semen, nu. 130.

Discrimen inter expulsionem fœtus inanimati, & emissionem seminis. n. 133.

128. AD primum argumentum, quod proponit pro illa assertione, quod seclusa prohibitione Dei, mollities non est mala, si Deus non prohibuisset, aliquandò esset bona, & posset esse obligatoria, ut retuli *n.* 12. respondeo, illud esse levissimum, & contemnendum. Et quidem rationalis natura, & humana ratio abhorret tam detestandum crimen, & *Caramuel*, seclusa prohibitione Dei, non invenit in eo majorem malitiam, quàm quod mulier projiciat lac ab ubere, aut quod homo emittat sanguinem, aut sudorem. Affirmat Apostolus, ut supra vidimus, peccata contra naturam esse immunda, & naturæ rationali contumeliosa, etiam Deum tradidisse permissivè idolatras in ea delicta, tanquam pœnam idololatriæ, per quod extollit atrocitatem delicti positi in pœnam, & delicti idololatriæ, & author argumenti nullam aliam malitiam intrinsecam invenit, nisi quæ inveniretur in emittendo sudore, lacte aut sanguine. Nunquid si Deus prohibuisset emittere sanguinem, esset contumeliosum naturæ rationali emittere sanguinem? Esset quidem inobedientia; cæterum non propterea haberet in se similem contumeliam naturæ.

129. Ad id, quod subjungit, nempe alios asserere, semen esse sudorem, alios lac, alios sanguinem; & tamen nullus poterit probare, esse contra naturam, emittere sudorem, lac, vel sanguinem; respondeo, quocumque nomine appelletur semen humanum, horret natura, & ipsæ aures humanæ horrent audire, quod instrumentum immediatissimum generationis hominis possit perdi, & profundi, adeò est contrà naturam rationalem.

130. Ad instantiam, quàm proponit, etiam lac fœmineum ordinari ad nutritionem infantis, & tamen non esse contrà naturam illud profundere, respondeo, quod nos habemus ex Apostolo, ubi suprà, id genus peccati esse contumeliosum humanæ naturæ, & esse proprii corporis immunditiam, coinquinationem, & contumeliam: & ex Sanctis Patribus habemus, omnem luxuriam esse productricem pravorum fructuum, ut suprà perpendimus, & ipsum rationis lumen id dictat; quod in profusione lactis non invenimus.

 131. Hinc

131. Hinc sumitur disparitas à priori, nempe ex diverso modo, quo ordinatur lac ad nutriendum, & semen humanum ad generandum. Hoc enim ordinatur ad solam generationem humanam, ita ut rationalis natura horreat, illud ad alium finem adhiberi; ut patet ex proximè dictis: lac autem fœmineum, etsi destinetur ad nutriendum infantem, non horret natura rationalis, quod applicetur ad alium finem.

132. Quod autem infert, mollitiem in aliqua hypotesi esse posse obligatoriam; supponendo, eam non esse intrinsecè malam, rectè infert. Sed eam suppositionem esse falsam, & absurdam, constat ex dictis.

133. Ad secundum argumentum, quod proposui *num.* 14. ex eo, quod sicut, juxta opinionem gravium Doctorum, licet Matri intendere abortum fœtus inanimati, quod proximius deservit generationi humanæ, quàm semen, ita etiam (stando præcisè in ratione naturali) poterit homo pro sanitate tuenda intendere expulsionem seminis; respondeo, disparitatem consistere in eo, quod seminis expulsio non potest intendi sine delectatione luxuriosa, quæ, ut constat ex dictis, semper est ab intrinseco mala; expulsio autem fœtus inanimati invadentis vitam matris, fit sine delectatione luxuriosa. Aliam disparitatem dedi *dissert.* 21. *cap.* 3. *n.* 23.

CAPUT VII.

An opinio docens, præcepta secundæ tabulæ Decalogi esse dispensabilia, incurrat hanc damnationem?

SUMMARIUM.

Authores docentes, Deum posse dispensare, & de facto dispensasse in præceptis secundæ tabula. n. 134.

Opinio illorum non damnatur expressè in hoc decreto, n. 135.

Inquiritur an damnetur virtualiter. n. 136.

Ratio dubitandi. n. 137.

Quod Deus possit dispensare in præcepto sexto, non infert propositionem damnatam. num. 138.

Quomodo in circumstantia, in qua Deus dispensaret, mœchia non esset mala? num. 139.

An in eo casu esset dispensatio, an potius mutatio circumstantiæ. n. 141.

Opinio docens posse Deum sic dispensare, eo quod ea præcepta obligent ex sola prohibitione positiva Dei, subjacet huic damnationi. n. 142.

Non verò quæ docet posse dispensare propter diversitatem circumstantiæ. n. 143.

An possit Deus facere, quod actio mala, mutatis circumstantiis, fiat bona. Et quid de dispensatione cum Osea, ut assumeret mulierem fornicariam? Ibidem.

Quomodo intelligatur dispensatio quinti præcepti cum Abraha; & septimi cum Israelitis? num. 145.

134 MUlti docent, Deum dispensare posse in præceptis secundæ tabulæ Decalogi, atque adeò in hoc præcepto non mœchandi. Ita *Caramuel in Theol. fund. num* 566. ubi pro eadem opinione citat *Ochamum, Aliacensem, Gersonem, Gabrielem, Almainum, & quosdam Recentiores.* Imò aliqui docent, dispensasse Deum de facto in quinto præcepto, quandò *Abrahamo* præcepit, ut immolaret filium: in sexto, quandò jussit *Oseam* gignere filios fornicationum ex meretrice: & in septimo cum filiis *Israel* egressuris de Ægypto permisit, ut spoliarent *Ægyptios.*

135. In-

135. Inquirimus ergò, an hæc opinio subjaceat huic damnationi. Et quidem constat, non damnari expresse in hoc decreto eam opinionem. Etenim propositio damnatur expressè, aut cùm damnatur in suis propriis terminis, aut in æquivalentibus: sed hæc opinio non damnatur hic in propriis, ut per se patet, neque in æquivalentibus, cùm eæ duæ opiniones habeant objecta adeò diversa: ergò non damnatur expressè.

136. Quare quæstio præsens est, an damnetur virtualiter? Et, ut sæpius dixi, tunc virtualiter opinio, quandò hæc est antecedens evidenter inferens propositionem damnatam, sive quod in idem recidit, quandò opinio est incompatibilis cum ipsa damnatione. Ideòque inquirimus, an hæc propositio. *Deus potest dispensare in sexto Decalogi praecepto*, sit antecedens evidenter inferens hanc, *Fornicatio secundùm se nullam involvit malitiam, & solùm est mala, quia interdicta.*

137. Ratio dubitandi est, nam actio, quæ est intrinsecè, & ex natura sua mala moraliter, Deus non potest facere quod sit bona, neque dispensando, neque ullo alio modo; neque enim potest facere quod mendacium sit bonum, neque perjurium sit licitum, cùm implicet contradictionem, quod essentiæ rerum immutentur: ergò à contrario, si Deus dispensat in præcepto non mœchandi, eo ipso erit licitum mœchari in tali hypothesi. Hinc autem infertur, quod mœchatio secundùm se, & ab intrinseco non est mala moraliter, quæ est propositio damnata.

138. Ego quidem censeo, hanc propositionem sic prolatam: *Deus potest dispensare in sexto Decalogi precepto*, non esse antecedens, unde inferatur propositio damnata, neque esse incompossibilem cum ipsa damnatione; imò verò hanc Dei dispensationem posse componi cum ipsa damnatione atque adeò eam propositionem de dispensatione Dei neque virtualiter esse damnatam.

139 Ratio hujus assertionis est: nam benè stat, quod mœchatio sit ab intrinseco & secundùm se mala in omnibus aliis circumstantiis; in circumstantia autem, in qua Deus dispensare dicitur, non sit mala: nam eo ipso quod Deus jussit *Oseam*, ut copularetur cùm muliere fornicaria, jam copulatio fuit quasi matrimonialis, cum ad supremum naturæ conditorem spectet determinare modum, quo multiplicanda est per generationem humana natura. Neque obstat quod societas viri cum meretrice fuisset per tempus breve, nam si per eam dispensationem concessisset Deus eam mulierem ad tempus breve, copulatio eodem modo esset legitima, utpotè præscripta à supremo naturæ Domino.

140. Dices. Ea non est dispensatio, quia tunc non revocat Deus respectu hujus individui legem naturæ; sed solùm est mutatio circumstantiæ, sub qua numquam fuit illicita copulatio.

141. Respondeo, in mea quidem sententia ita esse. Sed quia video, ab aliquibus censeri dispensationem, quamvis mutetur circũstantia; volunt enim (in quæstione de nomine) dici dispensationẽ, quãdò ex concessione Princip. lex generalis nõ comprehendit casũ particularẽ, sive mutatis sit, sive immutatis circumstantiis: ideò retinendo assertionem de modo loquendi, assero, hũc modũ dispensat. non opponi damnationi.

Et

Et ut loquitur *P. Suarez lib. 2 de legib. cap. 15. num. 24. Quia hæc mutatio, quando fit ex peculiari dominio, & potestate Dei, est (ut ita dicam) extra cursum naturæ, & præter leges ordinariæ providentiæ, ideò interdum dispensatio appellatur, non quidem propriè præcepti naturalis (neque hoc dixit Bernardus, si attentè legatur) sed ordinarii cursus legis providentiæ, quæ à Divina voluntate pendet.* Et hinc patet in quo sensu locutus fuerit *S. Bernardus lib de Præcepto, & dispens. cap. 4.* cùm dixit, posse Deum dispensare in præceptis secundæ tabulæ.

142. Sed quia Authores affirmantes, posse Deum dispensare in præceptis secundæ tabulæ dividuntur in duas classes, ex duobus scilicèt inter se oppositis fundamentis; dicendum est primò, propositionem, quæ affirmat posse Deum dispensare in omnibus præceptis secundæ tabulæ, atque adeò in præcepto sexto, ex eo fundamento, quod ea præcepta non sunt strictè de jure naturæ sed ex sola prohibitione positiva Dei, subjacere virtualiter huic damnationi. Patet assertio. Nam ea propositio est antecedens, undè clarè infertur, quod si Deus non prohiberet fornicationem, illa esset licita, ut ex terminorum comprehensione constat, atque adeò eam propositionem esse incompossibilem cum hac damnatione.

143. Dicendum est secundò, propositionem, quæ affirmat, posse Deum dispensare in præceptis secundæ tabulæ, atque adeò in sexto præcepto ex eo fundamento, quod circumstantia est diversa, modo supra explicato; non subjacere huic damnationi. Quæ assertio patet ex dictis.

144. Hinc patet ad rationem dubitandi, initio positam, distinguendum esse antecedens: Actio, quæ est intrinsecè mala moraliter, Deus non potest facere quod sit bona, (mutatis circumstantiis,) nego; (immutatis circumstantiis,) concedo. Constat autem ex dictis, quod quandò Deus dispensavit modo dicto cum *Osea Propheta*, ut assumeret mulierem fornicariam, in ea circumstantia illam fuisse copulam conjugalem, aut quasi conjugalem: quia nunquam licitus est concubitus viri cum fæmina, nisi eo modo, quo disposuerit supremus naturæ Conditor: & si eo modo fiat, absque dubio est licitus.

145. Similiter, quandò Deus fecit dispensationem quinti præcepti, vel potius communis providentiæ, in tali præcepto, ut *Abraham* immolaret filium; in tali circumstantia fuit licitum, cùm Deus sit supremus Dominus vitæ hominis, & possit illam destruere, quo voluerit medio. Et quandò dispensavit in communi providentia circà septimum præceptum, concedens Israelitis, ut spoliarent Ægyptios, in tali circumstantia, licitè eos spoliarunt; quia cùm Deus sit universalis Dominus omnium rerum, fecit Israelitis donationem omnium eorum: & nemo peccat auferendo, quæ sibi legitimè donata sunt, quamvis alter ea possideat.

* * * * * * * * *

DIS-

DISSERTATIO XXX.

An uxor committat adulterium, consentiente viro in illud delictum?

CAPUT I.

Præmittuntur aliqua.

SUMMARIUM.

An etiam damnata maneat propositio de copula mulieris cum marito uxoris consentientis. n. 1.
Evidens est eam manere damnatam, saltem virtualiter. n. 2.
Item damnata manet expressè, n. 3.
Et quomodo lex loquens in uno individuo extendatur ad reliqua ejusdem ordinis. Ib.
Adulterium non solùm violat Castitatem, sed etiam legem conjugalem. n. 4.
Quis sit Author propositionis damnatæ. n. 5.
Proponitur fundamentum propositionis damnatæ. n. 6.

1. PRopositio quinquagesima ex damnatis hujus tenoris est: *Copula cum conjugata, consentiente marito, non est adulterium; ideò non sufficit in confessione dicere, se esse fornicatum.* Et ante omnia occurrit statim ea quæstio, an damnata maneat formaliter, & expresè hæc propositio: *Copula mulieris cum marito, consentiente uxore, non est adulterium, ideoque sufficit in confessione dicere se esse fornicatam;* an potius damnata maneat tantummodo virtualiter, & implicitè?

2. Et quidem damnatam manere hanc propositionem saltem virtualiter, nemo potest ambigere. Tum enim manet virtualiter damnata propositio, quandò est antecedens, unde evidenter infertur propositio damnata; sic enim tale antecedens est compatibile cum ipsa damnatione, ut sæpius diximus: sed quod copula cum conjugata, consentiente marito, sit adulterium, est antecedens inferens evidenter, quod copula mulieris cum marito, consentiente uxore, non sit adulterium: ergò saltem virtualiter manet damnata secunda propositio. Minor autem ex terminis patet: nam licèt gravior sit culpa uxoris adulteræ quàm mariti adulteri, cæteris paribus; is autem excessus gravitatis est intra eandē speciem, & propter eandem speciem juris utriusvis conjugis in corpus alterius.

3. Adhuc tamen assero, non solùm manere damnatam virtualiter, sed etiam formaliter, & expresè. Ratio est: quia quandò damnatur aliqua propositio circa unum singulare propositum, exempli gratia, & in quo militat evidenter eadem omninò ratio circa reliqua singularia; tunc manet damnata propositio universalis, v. g. Leonardus Presbyter trahitur ad tribunal Judicis, & incarceratur: Ministri ejus tribunalis asserunt *Leonardum Presbyterum, quia non est in dignitate constitutus, posse trahi ad tribunal laicum.* Re ad Roman. Pontificem delatâ declarat, ut minimum scandalosam esse eam assertionem, quod *Leonardus Presbyter, quia non est in dignitate constitutus, possit trahi ad tribunal laicum.* In qua hypothesi quamvis damnatio Pontificis loquatur de Leonardo Presbytero, est tamen damnatio universalis circa quemlibet Presbyterum: quia Leonardus ponitur exempli gratia, ubi evidenter est identitas rationis quoad propositionem universalem. Et in *libris Decretalium* inveniuntur

untur quamplurimi Canones, qui in uno individuo statuunt, quid agendum sit; & ex communi sensu Doctorum sunt leges universales, ubi est identitas rationis. Vide quæ dixi in *2. part. Crif. Theol. disp. 33. cap. 6. n. 96.* circa propositionem ex damnatis ab Alexandro VII. trigesimam quartam, scilicet *In die palmarum recitans officium Paschale satisfacit precepto.*

4. Præmittendum etiam est, adulterium, præter violationem Castitatis, includere aliam speciem peccati, scilicet violationem legis conjugalis. In quo omnes Doctores conveniunt. An autem hæc violatio legis conjugalis sit unica species infima, an duplex, inferius discutietur.

5. Hujus propositionis damnatæ, quis sit Author, nescimus. Nam Mag Gonetus in dissertatione de probabilit. *num.* 120. asserit, id docuisse novos quosdam Casuistas. Adhuc tamen non desunt, qui eam Caramueli attribuere videantur. Nam *P. Moya tom. 1. select. tract. 3. disp. 3. quæst. 3. cap 6. nu. 65.* sic ait: *Non me latet, nonnullos, quos, citato Illustriss. Fr. Angelo Manrique Episcopo Pacensi, sequitur Caramuel in Theol. fundamentali, fundam 35. c. 3. n. 537. fol. 230. duplicem tantùm malitiam in adulterio cognoscere, aliam contra Castitatem, aliam contra justitiam. Vnde inferunt, satis confiteri, qui diceret, (commisi simplicem fornicationem.) & post alia interjecta peccata subnecteret: (intuli cuipiam gravem injuriam, tertia quadam persona cooperante.) Sed non placent: tum quia consentiente viro, sufficeret se accusare, de simplici fornicatione, quod nullus concessit: tum quia eo modo confitendi, duplex numero peccatum inesse moris pro uno individuo ad duplicem speciem pertinente subrogares.* Quæ secunda ratio urget. Et ego adderem tertiam: quia injuria adulterii est specie diversa ab injuria furti, & ab injuria detractionis, &c. Non ergò sufficeret dicere, se irrogasse injuriam; sic enim confiteretur injuriam in genere, & non in specie infima. An autem ex ea assertione Caramuelis inferatur, quod consentiente marito, non esset injustitia, & sufficeret se accusare de simplici fornicatione; atque adeò an ea assertio Caramuelis subjaceat huic damnationi, dicam inferius *cap.* 3. Ille quidem in apolog. de probabilit. negat, ullum Theologum dixisse, fornicationem fæminæ conjugatæ, consentiente viro, non esse adulterium. Ea autem assertio Caramuelis, quam citat *P. Moya*, non invenitur in editione anni 1657. quâ utor.

6. Fundamentum hujus opinationis potest in hanc formam excogitari Tota malitia, quæ reperitur in adulterio fæminæ conjugatæ, ultra speciem luxuriæ, est contra justitiam, & jus mariti: sed scienti, & consentienti non fit injuria; ut dicitur in *Reg. 27. de Regul. juris in 6.* ergò dum maritus scit, & consentit, cessat ea malitia contra justitiam.

CAPUT II.

Ostenditur falsitas propositionis damnatæ.

SUMMARIUM.

Convincitur propositio damnata testimonio Apostoli. n. 7.

Responsio refutata n. 8.

Specialis lex matrimonii, qua tenetur famina non adhærere alteri viro, est independens à voluntate conjugis. n. 9.

Et

Et quomodo id constet ex Sacra Scriptura? num. 10.

Quomodo violetur unitas carnis constituta in matrimonio etiamsi conjux consentiat? num. 11. *&* 12.

Illa circumstantia violandi eam legem matrimonii, facit culpam specie diversam. num. 13.

Matrimonium est vinculum duorum independenter à consensu utriusvis. Et quid inde pro conclusione? n. 14.

Ex eo, quod matrimonium fidelium sit Sacramentum, roboratur conclusio. n. 15.

In adulterio fidelium est alia species peccati, quæ non est in adulterio infidelium n. 16.

7. FAlsitas ejus propositionis constat manifestè ex *cap.* 7. *epist. ad Rom.* ubi sic loquitur Apost. *Igitur vivente viro, vocabitur adultera, si fuerit cum alio viro; si autem mortuus fuerit vir ejus, liberata est à lege viri, ut non sit adultera, si fuerit cum alio viro.* Statuit ergò Apost. propositionem universalem, quæ asserit, *omnem fœminā conjugatam, quæ vivente viro fuerit cum alio viro, esse adulteram.* ergò contradicit Apostolo, qui ponit hanc propositionem particularem negativam, *Aliqua fœmina conjugata, quæ vivente viro fuerit cum alio viro, non est adultera*; scilicet, quando vir suus consentit. Nam hæ duæ propositiones sunt formaliter contradictoriæ.

8. Dices propositionem Apost. non esse ita universalem, sed intelligendam esse cum ea limitatione, scilicet *vivente, & invito viro, vocabitur adultera, &c.* Sed hæc responsio est omninò (ut minimum) improbabilis; imò est multò majori censurâ digna: quia nemini licet limitare propositiones universales, quæ sunt de Fide, nisi quando ex aliis Fidei dogmatibus, aut ex intelligentiâ Ecclesiæ aut sanctorum Patrum, & sacrorum Interpretum, includunt talem limitationem.

9. Probatur secundò eadem falsitas propositionis. Etenim speciali lege matrimonii tenetur fœmina ad non adhærendum alteri viro, idque independenter à consensu, aut dissensu viri: & similiter vir ea speciali lege tenetur, ut non adhæreat alteri fœminæ, idque independenter à consensu, aut dissensu suæ conjugis: ergò sive alter conjux consentiat, sive dissentiat eodē modo peccat contra eam specialem legem matrimonii, si alteri commisceatur. Consequentia patet, quia est ferè idemtica cum antecedenti.

10. Antecedens verò demonstratur ex verbis sacræ Scripturæ Gen. 2. *Adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una.* Quam sententiam Christus Dominus stabilivit denuo in Lege Evangelica *Matt.* 19. dicens: *Adhærebit uxori suæ, & erunnt duo in carne una: Itaque jam non sunt duo, sed una caro.* In quibus verbis constat declarari institutionem, & legem matrimonii: ergò conjuges ea lege tenentur, ut semper maneant duo in carne una. Sed cùm uxor adhæret alteri viro, non manent illi duo conjuges in carne una; quia unitati carnis opponitur divisio ejusdem carnis: quæ divisio manifestè invenitur, quoties conjugata adhæret alteri viro (idem de viro, qui accedit alteri fœminæ) ergò tunc violatur ea lex matrimonii lata in ipsa institutione matrimonii.

11. Quod autem deficiat adultera ab ea unitate carnis, in qua per matrimoniū constituta est, patet: quia rursus fit una caro cum socio criminis; ut constat ex illis verbis Apost. 1. *Corinth.* 6. *An nescuis, quoniam qui adhæret meretrici, unum corpus efficitur?*

rationem Sacramenti, & ad significandam unionem Christi cum Ecclesia: sed id est omni ex parte independens à consensu, aut dissensu mariti: ergò sive consentiat maritus, sive dissentiat, talis fæmina peccat contra legem ejus unitatis sic elevatæ ad rationem Sacramenti.

16. Hinc infero, in adulterio Fidelium esse aliam speciem peccati, quæ non invenitur in adulterio infidelium: nam adultera Fidelis peccat contra specialem legem resultantem ex contractu matrimoniali elevato ad rationem Sacramenti, & significante unionem Christi cum Ecclesia.

CAPUT III.

An in adulterio fæminæ conjugatæ, quod committitur viro invito, sit alia species peccati, quæ non reperitur, cùm fit de consensu viri? Ubi quæ species peccati reperiantur in adulterio.

ARTICULUS I.

Aliquibus prænotatis, proponitur sententia, quæ admittit tertiam speciem injuriæ, cum suis fundamentis.

SUMMARIUM.

In adulterio præter speciem peccati contra castitatem est etiam alia species contra Fidem matrimonii. n.17.

Enumerantur aliæ species injustitiæ, quæ quandoque reperiuntur in adulterio uxoris. n.18.

An in adulterio uxoris, quod fit, invito viro, fit alia species injustitiæ, quæ non datur, consentiente viro; & proponitur prima sententia affirmans, n.19.

Proponitur explicatio ejus sententiæ. n. 20.

Tria fundamenta ejus sententiæ affirmantis, n.21. & seq.

17. Ut satisfiat argumento, quod proposui cap. 1. pro opinione damnata, oportet agnoscere quæ species peccati intercedant in delicto adulteræ (idem proportione servata in adultero conjugato) Et ex cap præcedenti constat primò, præter speciem peccati contra Castitatem, esse etiam speciem aliam contra obligationem servãdi unitatem carnis, seu, ut alii dicunt, contra fidem matrimonii; quæ obligatio nascitur ex ipso contractu matrimoniali. Quæ quidem species peccati est contra justitiam: nam omnis obligatio, quæ nascitur ex contractu, si violetur, violatur justitia; cùm omnis contractus obliget ex justitia.

18. Deinde supponendum est, aliquando solere concurrere alias species injustitiæ in adulterio uxoris; v. g. quando supponit viro suo alienum filium, obligans virum suum, ut ejus sumptibus alat filium alienũ, & ut is filius sit cohæres filiorũ legitimorũ, vel hæres universalis, si non sint filii legitimi; quæ omia sunt contra justitiam. Deinde *S.Thom. 2.2.q.154.art.8.* corpus agnoscit alias duas deformitates in adulterio fæminæ conjugatæ, scilicet contra certitudinem prolis: nescitur enim, an sit filius viri sui, an mæchi; & contra bonum propriæ prolis. Et prima quidem deformitas non semper concurrit; ut cùm fæmina concepit in absentia viri sui; secunda autem non extat, quando ex neutro concepit. Si autem loquatur *S. Thom.* de periculo utriusque deformitatis, cui se exponit uxor adultera; tunc reducetur peccatum, ad eam speciem injustitiæ, ad quam periculũ inclinat.

 19. Qua-

19. Quare restat discutere, an quando fœmina conjugata committit adulterium, invito suo viro, addatur alia circumstantia etiam injustitiæ privatæ, propter individualem injuriam, quæ fit ipsi viro; taliter, quod si ipse vir consentiat in adulterium, deficiat hæc individualis injustitia? In qua quæstione duæ sunt sententiæ; & ambæ quidem valde probabiles. Prima sententia docet in ejusmodi adulterio, præter eas duas species contra Castitatem, & contra fidem matrimonii, esse tertiam aliam speciem contra jus ipsius mariti: uti si maritus renunciet sciens, & consentiens, deficit ea tertia species injustitiæ. Ita *P. Lessius de just. cap. 7. dub. 3. Lugo Card. tom. 1. de just. disp. 8. sect. 1. nu. 6. P. Moya tom. 1. selectar. tract. 3. disp. 3. quæst. 3. cap. 6. n. 65.* Et plures alii.

20. Explicat autem *Lugo*, quo pacto debeat esse iste consensus, ut nõ fiat ei injustitia; scilicet quod sit omninò voluntarius, & liber. Nam qui solvit usuras ex mutuo, non dicitur consentire, quia involuntariè solvit; & ideò fit ei injustitia. Item ita debet esse consensus omninò voluntarius, & liber, ut revera explicitè, vel implicitè cedat jure suo. Quare licèt Martyres patiebantur tormenta volentes, & consentientes, adhuc eis irrogabatur injustitia, quia non cedebant jure suo ad vitam; imò volebant ad majus meritum pati injuriam. Addit etiam idem *Lugo num. 10.* fœminam conjugatam, quæ commisit adulterium, consentiente marito, debere id explicare in confessione Sacramentali; ut Confessarius cognoscat, id adulterium non esse cum ea triplici specie, sed solùm cum duplici; mentitur enim in confessione, qui se accusat de malitia peccati, quam non commisit.

21. Primum argumentum pro hac sententia est. Nam adultera irrogat injuriam marito invito; & non irrogat marito consentienti; quia scienti & consentienti non fit injuria: sed hoc non potest esse, nisi detur specialis malitia injustitiæ contra maritum invitum, ultra malitiam, quæ committitur contra fidem matrimonii: ergò tertia alia species injustitiæ datur in adulterio contra maritum. Probatur minor. Nam si solùm datur malitia contra fidem matrimonii; eodem modo se haberet peccatum, sive maritus esset invitus, sive consentiens. Deinde quia si solùm esset malitia contra fidem matrimonii, nulla esset injuria contra maritum, etiam invitum: id autem est absurdum.

22. Secundum est. Nam *S. Thomas 2. 2. quæst. 59 art. 3. corp.* ita asserit: *Injustum per se, & formaliter loquendo nullus potest facere, nisi volens, nec pati nisi nolens*: ergò maritus nolens patitur injuriam ab uxore adultera: sed non patitur illam per hoc præcisè, quod illa operetur contra fidem matrimonii: ergò per aliam tertiam speciem peccati. Id ultimum antecedens probatur; nam cætera patent. Nam etiam illa operatur contra fidem matrimonii, quando maritus consentit in adulterium: ergò quod operetur contra fidem matrimonii, est quid indifferens respectu injuriæ mariti, & consequenter per hoc præcisè quod operetur contra fidem matrimonii, maritus non patitur injuriam.

23. Tertium. Injuria mariti potest adesse, & abesse ab adulterio uxoris; adest enim, quando est invitus; abest autem, quando consentit in adulteriũ: sed peccatũ contra fidem matrimonii non potest abesse ab adulte-

adulterio uxoris: ergo distincta species peccati est injuria mariti ab specie peccati commissi contra fidem matrimonii.

ARTICULUS II.

Propugnatur vera sententia, quæ tertiam speciem injuriæ non admittit.

SUMMARIUM.

Adultera irrogat injuriam marito sive consentienti, sive dissentienti. n. 24.

Consensus mariti est, quasi non esset. n. 25.

Injuria, quam irrogat adultera statui matrimoniali, eadem est, ac illa, quam infert conjugi. n. 26.

Ius, quod maritus habet, ne uxor violet fidem matrimonii, non est renunciabile. n. 27.

In aliquibus casibus, quamvis pupillus velit donare, ea voluntas nullius momenti est. num. 28.

Si Clericus vult sponte subjici Tribunali laico, ejus voluntas nullius momenti est. numer. 29.

Idem evenit in Religioso, cui scienti, & consentienti aufertur pallium. n. 30.

Martyr consentiens in suam necem, adhuc patitur injuriam, quia non potest cedere jure ad vitam. n. 31.

Opinio docens in adulterio non reperiri eam tertiam speciem non subjacet huic damnationi. n. 32.

Non est necesse, quod adultera explicet in confessione, an commiserit adulterium annuente, an renuente marito. n. 33.

Solvitur argumentum propositum pro opinione damnata. n. 33.

24. Secunda sententia, quam probabiliorem existimo, docet, in adulterio uxoris non dari tertiam aliam speciem injustitiæ contra maritum invitum; nam illa species peccati, per quam uxor peccat contra fidem matrimonii, est injuria mariti: fit autẽ illi injuria, sive consentiat in adulteriũ, sive non consentiat, quia consensus illius in adulterium est nullus, sive nullius valoris, & quasi non esset; quia non est in potestate mariti cedere illo jure. Pro hac stat *Cajet. 2 2 q. 154. a. 6.* quatenus generaliter docet, id proloquium, (Scienti, & consentienti non fit injuria.) intelligendũ esse in illis bonis, quæ cadunt sub dominio, quales sunt opes, fama, &c. posse autem pati injuriam etiam hominem consentientem, circa illa bona, quæ non cadunt sub dominium ejus. Pro eadem sententia stat *P. Luisius Turrianus* apud *Lugo citatum*; & omnes illi, qui in hac quæstione recurrunt ad hoc, quod maritus non potest cedere jure suo.

25. Probatur primò ex *S. Thoma supra citato:* quia postquam dixit, quod per se *nemo potest pati, nisi nolens;* subjungit: *Per accidens autem, & quasi materialiter loquendo potest aliquis id... pati volens; sicut cùm aliquis plus alteri dat sua voluntate, quàm debet.* Id est sua voluntate, quam debet non habere; & quæ *quasi materialiter* se habet, quia cùm nullius valoris sit, est quasi non esset: sed consensus mariti in adulterium uxoris, quasi materialiter se habet, eò quod nullius valoris est ad cedendum jure suo, & est quasi non esset: ergò maritus volens patitur injuriam.

26. Pobatur secundò, & simul explicatur conclusio. Etenim ea obligatio quam habet uxor, non violandi fidẽ matrimonii, est obligatio, quæ oritur ex contractu matrimo-

131. Hinc sumitur disparitas à priori, nempe ex diverso modo, quo ordinatur lac ad nutriendum, & semen humanum ad generandum. Hoc enim ordinatur ad solam generationem humanam, ita ut rationalis natura horreat, illud ad alium finem adhiberi; ut patet ex proximè dictis: lac autem fœmineum, etsi destinetur ad nutriendum infantem, non horret natura rationalis, quod applicetur ad alium finem.

132. Quod autem infert, mollitiem in aliqua hypotesi esse posse obligatoriam; supponendo, eam non esse intrinsecè malam, rectè infert. Sed eam suppositionem esse falsam, & absurdam, constat ex dictis.

133. Ad secundum argumentum, quod proposui *num.* 14. ex eo, quod sicut, juxta opinionem gravium Doctorum, licet Matri intendere abortum fætus inanimati, quod proximius deservit generationi humanæ, quàm semen, ita etiam (stando præcisè in ratione naturali) poterit homo pro sanitate tuenda intendere expulsionem seminis; respondeo, disparitatem consistere in eo, quod seminis expulsio non potest intendi sine delectatione luxuriosa, quæ, ut constat ex dictis, semper est ab intrinseco mala; expulsio autem fætus inanimati invadentis vitam matris, fit sine delectatione luxuriosa. Aliam disparitatem dedi *dissert.* 22. *cap.* 3. *n.* 23.

CAPUT VII.

An opinio docens, præcepta secundæ tabulæ Decalogi esse dispensabilia, incurrat hanc damnationem?

SUMMARIUM.

Authores docentes, Deum posse dispensare, & de facto dispensasse in præceptis secundæ tabulæ. n. 134.

Opinio illorum non damnatur expressè in hoc decreto, n. 135.

Inquiritur an damnetur virtualiter. n. 136.

Ratio dubitandi. n. 137.

Quod Deus possit dispensare in præcepto sexto, non infert propositionem damnatam. num. 138.

Quomodo in circumstantia, in qua Deus dispensaret, mœchia non esset mala? num. 139.

An in eo casu esset dispensatio, an potius mutatio circumstantiæ. n. 141.

Opinio docens posse Deum sic dispensare, eo quod ea præcepta obligent ex sola prohibitione positiva Dei, subjacet huic damnationi. n. 142.

Non verò quæ docet posse dispensare propter diversitatem circumstantiæ. n. 143.

An possit Deus facere, quod actio mala, mutatis circumstantiis, fiat bona. Et quid de dispensatione cum Osea, ut assumeret mulierem fornicariam? Ibidem.

Quomodo intelligatur dispensatio quinti præcepti cum Abraham; & septimi cum Israelitis? num. 145.

134 MUlti docent, Deum dispensare posse in præceptis secundæ tabulæ Decalogi, atque adeò in hoc præcepto non mœchandi. Ita *Caramuel in Theol. fund. num* 566. ubi pro eadem opinione citat *Ochamum, Aliacensem, Gersonem, Gabrielem, Almainum, & quosdam Recentiores*. Imò aliqui docent, dispensasse Deum de facto in quinto præcepto, quandò *Abrahamo* præcepit, ut immolaret filium: in sexto, quandò jussit *Osiam* gignere filios fornicationum ex meretrice: & in septimo cum filiis *Israel* egressuris de Ægypto permisit, ut spoliarent *Ægyptios*.

135. In-

135. Inquirimus ergò, an hæc opinio subjaceat huic damnationi. Et quidem constat, non damnari expresè in hoc decreto eam opinionem. Etenim propositio damnatur expresè, aut cùm damnatur in suis propriis terminis, aut in æquivalentibus: sed hæc opinio non damnatur hic in propriis, ut per se patet, neque in æquivalentibus, cùm eæ duæ opiniones habeant objecta adeò diversa; ergò non damnatur expresè.

136. Quare quæstio præsens est, an damnetur virtualiter? Et, ut sæpius dixi, tunc virtualiter opinio, quandò hæc est antecedens evidenter inferens propositionem damnatam, sive quod in idem recidit, quandò opinio est incompatibilis cum ipsa damnatione. Idcòque inquirimus, an hæc propositio. *Deus potest dispensare in sexto Decalogi præcepto*, sit antecedens evidenter inferens hanc, *Fornicatio secundùm se nullam involvit malitiam, & solùm est mala, quia interdicta.*

137. Ratio dubitandi est, nam actio, quæ est intrinsecè, & ex natura sua mala moraliter, Deus non potest facere quod sit bona, neque dispensando, neque ullo alio modo; neque enim potest facere quod mendacium sit bonum, neque perjurium sit licitum, cùm implicet contradictionem, quod essentiæ rerum immutentur: ergò à contrario, si Deus dispensat in præcepto non mœchandi, eo ipso erit licitum mœchari in tali hypothesi. Hinc autem infertur, quod mœchatio secundùm se, & ab intrinseco non est mala moraliter, quæ est propositio damnata.

138. Ego quidem censeo, hanc propositionem sic prolatam: *Deus potest dispensare in sexto Decalogi præcepto*, non esse antecedens, unde inferatur propositio damnata, neque esse incompossibilem cum ipsa damnatione; imò verò hanc Dei dispensationem posse componi cum ipsa damnatione atque adeò eam propositionem de dispensatione Dei neque virtualiter esse damnatam.

139 Ratio hujus assertionis est: nam benè stat, quod mœchatio sit ab intrinseco & secundùm se mala in omnibus aliis circumstantiis; in circumstantia autem, in qua Deus dispensare dicitur, non sit mala: nam eo ipso quod Deus jussit *Oseam*, ut copularetur cùm muliere fornicaria, jam copulatio fuit quasi matrimonialis, cum ad supremum naturæ conditorem spectet determinare modum, quo multiplicanda est per generationem humana natura. Neque obstat quod societas viri cum meretrice fuisset per tempus breve, nam si per eam dispensationem concessisset Deus eam mulierem ad tempus breve, copulatio eodem modo esset legitima, utpotè præscripta à supremo naturæ Domino.

140. Dices. Ea non est dispensatio, quia tunc non revocat Deus respectu hujus individui legem naturæ; sed solùm est mutatio circumstantiæ, sub qua numquam fuit illicita copulatio.

141. Respondeo, in mea quidem sententia ita esse. Sed quia video, ab aliquibus censeri dispensationem, quamvis mutetur circũstantia; volunt enim (in quæstione de nomine) dici dispensationẽ, quãdò ex concessione Princip. lex generalis nõ comprehendit casũ particularẽ, sive mutatis sit, sive immutatis circumstantiis: ideò retinendo assertionem de modo loquendi, assero, hũc modũ dispensat. non opponi damnationi.

Et

Et ut loquitur *P. Suarez lib. 2 de legib. cap. 15. num. 24. Quia hac mutatio, quando fit ex peculiari dominio, & potestate Dei, est (ut ita dicam) extra cursum naturæ, & præter leges ordinaria providentiæ, ideò interdum dispensatio appellatur, non quidem proprii præcepti naturalis (neque hoc dixit Bernardus, si attentè legatur) sed ordinarii cursus legis providentiæ, quæ à Divina voluntate pendet.* Et hinc patet in quo sensu locutus fuerit *S. Bernardus lib de Præcepto, & dispens. cap. 4.* cùm dixit, posse Deum dispensare in præceptis secundæ tabulæ.

142. Sed quia Authores affirmantes, posse Deum dispensare in præceptis secundæ tabulæ dividuntur in duas classes, ex duobus scilicèt inter se oppositis fundamentis; dicendum est primò, propositionem, quæ affirmat posse Deum dispensare in omnibus præceptis secundæ tabulæ, atque adeò in præcepto sexto, ex eo fundamento, quod ea præcepta non sunt strictè de jure naturæ sed ex sola prohibitione positiva Dei, subjacere virtualiter huic damnationi. Patet assertio. Nam ea propositio est antecedens, undè clarè infertur, quod si Deus non prohiberet fornicationem, illa esset licita; ut ex terminorum comprehensione constat, atque adeò eam propositionem esse incompossibilem cum hac damnatione.

143. Dicendum est secundò, propositionem, quæ affirmat, posse Deum dispensare in præceptis secundæ tabulæ, atque adeò in sexto præcepto ex eo fundamento, quod circumstantia est diversa, modo supra explicato; non subjacere huic damnationi. Quæ assertio patet ex dictis.

144. Hinc patet ad rationem dubitandi, initio positam, distinguendum esse antecedens: Actio, quæ est intrinsecè mala moraliter, Deus non potest facere quod sit bona, (mutatis circumstantiis,) nego; (immutatis circumstantiis,) concedo. Constat autem ex dictis, quod quandò Deus dispensavit modo dicto cum *Osea Propheta*, ut assumeret mulierem fornicariam, in ea circumstantia illam fuisse copulam conjugalem, aut quasi conjugalem: quia nunquam licitus est concubitus viri cum fæmina, nisi eo modo, quo disposuerit supremus naturæ Conditor: & si eo modo fiat, absque dubio est licitus.

145. Similiter, quandò Deus fecit dispensationem quinti præcepti, vel potius communis providentiæ, in tali præcepto, ut *Abraham* immolaret filium; in tali circumstantia fuit licitum, cùm Deus sit supremus Dominus vitæ hominis, & possit illam destruere, quo voluerit medio. Et quandò dispensavit in communi providentia circà septimum præceptum, concedens Israelitis, ut spoliarent Ægyptios, in tali circumstantia, licitè eos spoliarunt; quia cùm Deus sit universalis Dominus omnium rerum, fecit Israelitis donationem omnium eorum: & nemo peccat auferendo, quæ sibi legitimè donata sunt, quamvis alter ea possideat.

* * * * *
* * * *
* *

DIS-

DISSERTATIO XXX.

An uxor committat adulterium, consentiente viro in illud delictum?

CAPUT I.

Præmittuntur aliqua.

SUMMARIUM.

An etiam damnata maneat propositio de copula mulieris cum marito uxoris consentientis. n. 1.
Evidens est eam manere damnatam, saltem virtualiter. n. 2.
Item damnata manet expressè, n. 3.
Et quomodo lex loquens in uno individuo extendatur ad reliqua ejusdem ordinis. Ib.
Adulterium non solùm violat Castitatem, sed etiam legem conjugalem. n. 4.
Quis sit Author propositionis damnatæ. n. 5.
Proponitur fundamentum propositionis damnatæ. n. 6.

1. PRopositio quinquagesima ex damnatis hujus tenoris est: *Copula cum conjugata, consentiente marito, non est adulterium; ideòque sufficit in confessione dicere, se esse fornicatum.* Et ante omnia occurrit statim ea quæstio, an damnata maneat formaliter, & expressè hæc propositio: *Copula mulieris cum marito, consentiente uxore, non est adulterium, ideoque sufficit in confessione dicere se esse fornicatam;* an potius damnata maneat tantummodo virtualiter, & implicitè?

2. Et quidem damnatam manere hanc propositionem saltem virtualiter, nemo potest ambigere. Tum enim manet virtualiter damnata propositio, quandò est antecedens, unde evidenter infertur propositio damnata; sic enim tale antecedens est compatibile cum ipsa damnatione, ut sæpius diximus: sed quod copula cum conjugata, consentiente marito, sit adulterium, est antecedens inferens evidenter, quod copula mulieris cum marito, consentiente uxore, non sit adulterium: ergò saltem virtualiter manet damnata secunda propositio. Minor autem ex terminis patet: nam licèt gravior sit culpa uxoris adulteræ quàm mariti adulteri, cæteris paribus; is autem excessus gravitatis est intra eandẽ speciem, & propter eandem speciem juris utriusvis conjugis in corpus alterius.

3. Adhuc tamen assero, non solùm manere damnatam virtualiter, sed etiam formaliter, & expressè. Ratio est: quia quandò damnatur aliqua propositio circa unum singulare propositum, exempli gratia, & in quo militat evidenter eadem omninò ratio circa reliqua singularia; tunc manet damnata propositio universalis, v. g. Leonardus Presbyter trahitur ad tribunal Judicis, & incarceratur: Ministri ejus tribunalis asserunt *Leonardum Presbyterum, quia non est in dignitate constitutus, posse trahi ad tribunal laicum.* Re ad Roman. Pontificem delatâ declarat, ut minimum scandalosam esse eam assertionem, quod *Leonardus Presbyter, quia non est in dignitate constitutus, possit trahi ad tribunal laicum.* In qua hypothesi quamvis damnatio Pontificis loquatur de Leonardo Presbytero, est tamen damnatio universalis circa quemlibet Presbyterum: quia Leonardus ponitur exempli gratia, ubi evidenter est identitas rationis quoad propositionem universalem. Et in *libris Decretalium* inveni-

 untur

untur quamplurimi Canones, qui in uno individuo statuunt, quid agendum sit; & ex communi sensu Doctorum sunt leges universales, ubi est idemtitas rationis. Vide quæ dixi in *2. part. Crisf. Theol. disp. 33. cap. 6. n. 96.* circa propositionem ex damnatis ab Alexandro VII. trigesimam quartam, scilicet *In die palmarum recitans officium Paschale satisfacit precepto.*

4. Præmittendum etiam est, adulterium, præter violationem Castitatis, includere aliam speciem peccati, scilicet violationem legis conjugalis. In quo omnes Doctores conveniunt. An autem hæc violatio legis conjugalis sit unica species infima, an duplex, inferius discutietur.

5. Hujus propositionis damnatæ, quis sit Author, nescimus. Nam Mag Gonetus in dissertatione de probabilit. *num.* 120. asserit, id docuisse novos quosdam Casuistas. Adhuc tamen non desunt, qui eam Caramueli attribuere videantur. Nam *P. Moya tom. 1. select. tract. 3. disp. 3. quæst. 3. cap. 6. nu. 65.* sic ait: *Non me latet, nonnullos, quos, citato Illustriss. Fr. Angelo Manrique Episcopo Pacensi, sequitur Caramuel in Theol. fundamentali, fundam 35. c. 3. n. 537. fol. 230. duplicem tantùm malitiam in adulterio cognoscere, aliam contra Castitatem, aliam contra justitiam. Unde inferunt, satis confiteri, qui diceret, (commisi simplicem fornicationem.) & post alia interjecta peccata subnecteret: (intuli cuipiam gravem injuriam, tertia quadam persona cooperante.) Sed non placent: tum quia consentiente viro, sufficeret se accusare, de simplici fornicatione, quod nullus concessit: tum quia eo modo confitendi, duplex numero peccatum inesse moris pro uno individuo ad duplicem speciem pertinente subrogares.* Quæ secunda ratio urget. Et ego adderem tertiam: quia injuria adulterii est specie diversa ab injuria furti, & ab injuria detractionis, &c. Non ergò sufficeret dicere, se irrogasse injuriam; sic enim confiteretur injuriam in genere, & non in specie infima. An autem ex ea assertione Caramuelis inferatur, quod consentiente marito, non esset injustitia, & sufficeret se accusare de simplici fornicatione; atque adeò an ea assertio Caramuelis subjaceat huic damnationi, dicam inferius *cap. 3.* Ille quidem in apolog. de probabilit. negat, ullum Theologum dixisse, fornicationem fæminæ conjugatæ, consentiente viro, non esse adulterium. Ea autem assertio Caramuelis, quam citat *P. Moya*, non invenitur in editione anni 1657. quâ utor.

6. Fundamentum hujus opinationis potest in hanc formam excogitari. Tota malitia, quæ reperitur in adulterio fæminæ conjugatæ, ultra speciem luxuriæ, est contra justitiam, & jus mariti: sed scienti, & consentienti non fit injuria; ut dicitur in *Reg. 27. de Regul. juris in 6.* ergò dum maritus scit, & consentit, cessat ea malitia contra justitiam.

CAPUT II.

Ostenditur falsitas propositionis damnatæ.

SUMMARIUM.

Convincitur propositio damnata testimonio Apostoli. n. 7.

Responsio refutata n. 8.

Specialis lex matrimonii, qua tenetur famina non adhærere alteri viro, est independens à voluntate conjugis. n. 9.

Et

Et quomodo id constet ex Sacra Scriptura? *num.* 10.

Quomodo violetur unitas carnis constituta in matrimonio etiamsi conjux consentiat? *num.* 11. & 12.

Illa circumstantia violandi eam legem matrimonii, facit culpam specie diversam. *num.* 13.

Matrimonium est vinculum duorum independenter à consensu utriusvis. Et quid inde pro conclusione? *n.* 14.

Ex eo, quod matrimonium fidelium sit Sacramentum, roboratur conclusio. *n.* 15.

In adulterio fidelium est alia species peccati, quæ non est in adulterio infidelium. *n.* 16.

7. FAlsitas ejus propositionis constat manifestè ex *cap.* 7. *epist. ad Rom.* ubi sic loquitur Apost. *Igitur vivente viro, vocabitur adultera, si fuerit cum alio viro; si autem mortuus fuerit vir ejus, liberata est à lege viri, ut non sit adultera, si fuerit cum alio viro.* Statuit ergò Apost. propositionem universalem, qua asserit, *omnem fœminā conjugatam, quæ vivente viro fuerit cum alio viro, esse adulteram.* ergò contradicit Apostolo, qui ponit hanc propositionem particularem negativam, *Aliqua fœmina conjugata, quæ vivente viro fuerit cum alio viro, non est adultera*; scilicet, quando vir suus consentit. Nam hæ duæ propositiones sunt formaliter contradictoriæ.

8. Dices propositionem Apost. non esse ita universalem, sed intelligendam esse cum ea limitatione, scilicet *vivente, & invito viro, vocabitur adultera, &c.* Sed hæc responsio est omninò (ut minimum) improbabilis; imò est multò majori censurâ digna: quia nemini licet limitare propositiones universales, quæ sunt de Fide, nisi quando ex aliis Fidei dogmatibus, aut ex intelligentiâ Ecclesiæ aut sanctorum Patrum, & sacrorum Interpretum, includunt talem limitationem.

9. Probatur secundò eadem falsitas propositionis. Etenim speciali lege matrimonii tenetur fœmina ad non adhærendum alteri viro, idque independenter à consensu, aut dissensu viri: & similiter vir ea speciali lege tenetur, ut non adhæreat alteri fœminæ, idque independenter à consensu, aut dissensu suæ conjugis: ergò sive alter conjux consentiat, sive dissentiat eodē modo peccat contra eam specialem legem matrimonii, si alteri commisceatur. Consequentia patet, quia est ferè idemtica cum antecedenti.

10. Antecedens verò demonstratur ex verbis sacræ Scripturæ Gen. 2. *Adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una.* Quam sententiam Christus Dominus stabilivit denuo in Lege Evangelica *Matt.* 19. dicens: *Adhærebit uxori suæ, & erunnt duo in carne una: Itaque jam non sunt duo, sed una caro.* In quibus verbis constat declarari institutionem, & legem matrimonii: ergò conjuges ea lege tenentur, ut semper maneant duo in carne una. Sed cùm uxor adhæret alteri viro, non manent illi duo conjuges in carne una; quia unitati carnis opponitur divisio ejusdem carnis: quæ divisio manifestè invenitur, quoties conjugata adhæret alteri viro (idem de viro, qui accedit alteri fœminæ) ergò tunc violatur ea lex matrimonii lata in ipsa institutione matrimonii.

11. Quod autem deficiat adultera ab ea unitate carnis, in qua per matrimoniū constituta est, patet: quia rursus fit una caro cum socio criminis; ut constat ex illis verbis Apost. 1. *Corinth.* 6. *An nescitis, quoniam qui adhæret meretrici, unum corpus efficitur?*

 Erunt

Erunt enim (inquit duo in carne una) Cùm ergò illa, quæ erat una caro cũ marito, fiat etiam una caro cum mæcho; ex una, & una fit binariũ, per quod læditur perfecta unitas im matrimonio instituta. Cùm ergò ex lege matrimonii promulgata per Christum in Evangelio, sit ea perfecta unitas carnis; & hæc unitas lædatur per fornicationem mulieris conjugatæ, etiam si maritus consentiat in adulterium, quia quamvis ipse consentiat, non propterea servatur ea unitas carnis; fit, quod etiamsi maritus consentiat, violatur ipsa lex matrimonii.

12. Confirmatur. Nam Christus D. respondens Pharisæis, qui tentantes eum interrogaverunt, *si licet homini dimittere uxorem suam, quacunque ex causa?* Ex hac unitate duorum in carne una, probavit, jam non licere homini dare uxori libellum repudii: ex quo evidenter infertur, quod hæc unitas duorum in carne una est independens à voluntate mariti; quandoquidem licet ipse velit violare hanc unitatem per libellũ repudii, jam non potest. Cùm ergò ejusmodi lex de unitate duorum in una carne sit independens à consensu mariti; & hæc unitas violetur per fornicationem fæminæ conjugatæ; fit, fæminam conjugatam fornicantem, consentiente marito, violare præfatam legem unitatis conjugalis, atque adeò etiam consentiente marito, illud esse adulterium, & delictum specie distinctum à simplici fornicatione.

13. Quod autem ea circumstantia sit specie diversa, patet: nam violare legem cujuslibet contractus est peccatum specie diversum ab eo, quod est violare Castitatem; alioqui non est malitia specie diversa, quæ reperitur in usura ex mutuo, ac malitia fornicationis: sed fæmina conjugata, quæ fornicatur, violat præfatam legem contractus matrimonialis: ergò hæc circumstantia est specie diversa à simplici fornicatione.

14. Probatur tertiò. Matrimonium est vinculum duorum procedens ex ipso contractu; imò & in hoc conceptu vinculi consistere essentiam matrimonii, censet communis Theologorũ sententia cum *S. Tho.* quæ vinculi appellatio desumpta est ex Apost. ad Rom. 7. ajente: *Mulier alligata est legi, quanto tempore vir ejus vivit.* sed hoc vinculum, seu alligatio est independens à consensu, & dissensu mariti; ideò enim Paulus non dixi (alligata est viro,) sed *alligata est legi*: ergò fæmina conjugata, quæ fornicatur, consentiente viro, peccat contra legem ejus vinculi, & non solùm contra Castitatẽ. Et quidẽ ejusmodi vinculũ stat in eo, quod debeat adhærere huic viro, & non alteri, quando adhæret alteri, quantum est ex se, solvit se ab eo vinculo.

15. Probatur quartò in matrimonio Fidelium; cujus contractum indissolubilem elevavit Christus D. ad rationem Sacramenti, ut docet Fides Catholica juxta Tridentinum *sess. 7. can. 1. & sess. 24.* in decreto *de Sacram. matrim. & ibid. can. 1.* Ex ratione autem Sacramenti habet significare unionem Christi D. cum Ecclesia, juxta Apostolum ad Ephes. 5. *Propter hoc relinquet homo Patrem, & Matrem suam, & adhærebit uxori suæ; & erunt duo in carne una. Sacramentum hoc magnũ est; ego autem dico in Christo, & in Ecclesia.* Ex hac ergò ratione Sacramenti, & significatione unionis Christi cum Ecclesia, resultat specialis obligatio servandi eam carnis unitatem; ideò enim dixit Apost. *Erunt duo in carne una: Sacramentũ hoc magnum est, &c.* Tum sic: quando fæmina conjugata succumbit mæcho, violat eam unitatem carnis elevatam jam ad ratio-

rationem Sacramenti, & ad significandam unionem Christi cum Ecclesia: sed id est omni ex parte independens à consensu, aut dissensu mariti: ergò sive consentiat maritus, sive dissentiat, talis fœmina peccat contra legem ejus unitatis sic elevatæ ad rationem Sacramenti.

16. Hinc infero, in adulterio Fidelium esse aliam speciem peccati, quæ non invenitur in adulterio infidelium: nam adultera Fidelis peccat contra specialem legem resultantem ex contractu matrimoniali elevato ad rationem Sacramenti, & significante unionem Christi cum Ecclesia.

CAPUT III.

An in adulterio fœminæ conjugatæ, quod committitur viro invito, sit alia species peccati, quæ non reperitur, cùm fit de consensu viri? Ubi quæ species peccati reperiantur in adulterio.

ARTICULUS I.

Aliquibus prænotatis, proponitur sententia, quæ admittit tertiam speciem injuriæ, cum suis fundamentis.

SUMMARIUM.

In adulterio præter speciem peccati contra castitatem est etiam alia species contra Fidem matrimonii. n.17.

Enumerantur aliæ species injustitiæ, quæ quandoque reperiuntur in adulterio uxoris. n.18.

An in adulterio uxoris, quod fit, invito viro, sit alia species injustitiæ, quæ non datur, consentiente viro; & proponitur prima sententia affirmans, n.19.

Proponitur explicatio ejus sententiæ. n. 20.

Tria fundamenta ejus sententiæ affirmantis, n.21. & seq.

17. UT satisfiat argumento, quod proposui cap. 1. pro opinione damnata, oportet agnoscere quæ species peccati intercedant in delicto adulteræ (idem proportione servata in adultero conjugato) Et ex cap præcedenti constat primò, præter speciem peccati contra Castitatem, esse etiam speciem aliam contra obligationem servādi unitatem carnis, seu, ut alii dicunt, contra fidem matrimonii; quæ obligatio nascitur ex ipso contractu matrimoniali. Quæ quidem species peccati est contra justitiam: nam omnis obligatio, quæ nascitur ex contractu, si violetur, violatur justitia; cùm omnis contractus obliget ex justitia.

18. Deinde supponendum est, aliquando solere concurrere alias species injustitiæ in adulterio uxoris; v. g. quando supponit viro suo alienum filium, obligans virum suum, ut ejus sumptibus alat filium alienū, & ut is filius sit cohæres filiorū legitimorū, vel hæres universalis, si non sint filii legitimi; quæ omnia sunt contra justitiam. Deinde *S.Thom. 2.2.q.154.art.8.* corpus agnoscit alias duas deformitates in adulterio fœminæ conjugatæ, scilicet contra certitudinem prolis: nescitur enim, an sit filius viri sui, an mœchi; & contra bonum propriæ prolis. Et prima quidem deformitas non semper concurrit; ut cùm fœmina concepit in absentia viri sui; secunda autem non extat, quando ex neutro concepit. Si autem loquatur *S. Thom.* de periculo utriusque deformitatis, cui se exponit uxor adultera; tunc reducetur peccatum, ad eam speciem injustitiæ, ad quam periculū inclinat.

19. Quare restat discutere, an quando fæmina conjugata committit adulterium, invito suo viro, addatur alia circumstantia etiam injustitiæ privatæ, propter individualem injuriam, quæ fit ipsi viro; taliter, quod si ipse vir consentiat in adulterium, deficiat hæc individualis injustitia? In qua quæstione duæ sunt sententiæ; & ambæ quidem valde probabiles. Prima sententia docet in ejusmodi adulterio, præter eas duas species contra Castitatem, & contra fidem matrimonii, esse tertiam aliam speciem contra jus ipsius mariti: uti si maritus renunciet sciens, & consentiens, deficit ea tertia species injustitiæ. Ita *P. Lessius de just. cap. 7. dub. 3. Lugo Card. tom. 1. de just. disp. 8. sect. 1. nu. 6. P. Moya tom. 1. selectar. tract. 3. disp. 3. quæst. 3. cap. 6. n. 65.* Et plures alii.

20. Explicat autem *Lugo*, quo pacto debeat esse iste consensus, ut nō fiat ei injustitia; scilicet quod sit omninò voluntarius, & liber. Nam qui solvit usuras ex mutuo, non dicitur consentire, quia involuntariè solvit; & ideò fit ei injustitia. Item ita debet esse consensus omninò voluntarius, & liber, ut revera explicitè, vel implicitè cedat jure suo. Quare licèt Martyres patiebantur tormenta volentes, & consentientes, adhuc eis irrogabatur injustitia, quia non cedebant jure suo ad vitam; imò volebant ad majus meritum pati injuriam. Addit etiam idem *Lugo num. 10.* fæminam conjugatam, quæ commisit adulterium, consentiente marito, debere id explicare in confessione Sacramentali; ut Confessarius cognoscat, id adulterium non esse cum ea triplici specie, sed solùm cum duplici; mentitur enim in confessione, qui se accusat de malitia peccati, quam non commisit.

21. Primùm argumentum pro hac sententia est. Nam adultera irrogat injuriam marito invito; & non irrogat marito consentienti; quia scienti & consentienti nòn fit injuria: sed hoc non potest esse, nisi detur specialis malitia injustitiæ contra maritum invitum, ultra malitiam, quæ committitur contra fidem matrimonii: ergò tertia alia species injustitiæ datur in adulterio contra maritum. Probatur minor. Nam si solùm datur malitia contra fidem matrimonii; eodem modo se haberet peccatum, sive maritus esset invitus, sive consentiens. Deinde quia si solùm esset malitia contra fidem matrimonii, nulla esset injuria contra maritum, etiam invitum: id autem est absurdum.

22. Secundum est. Nam *S. Thomas 2. 2. quæst. 59 art. 3. corp.* ita asserit: *Injustum per se, & formaliter loquendo nullus potest facere, nisi volens, nec pati nisi nolens*: ergò maritus nolens patitur injuriam ab uxore adultera: sed non patitur illam per hoc præcisè, quod illa operetur contra fidem matrimonii: ergò per aliam tertiam speciem peccati. Id ultimum antecedens probatur; nam cætera patent. Nam etiam illa operatur contra fidem matrimonii, quando maritus consentit in adulterium: ergò quod operetur contra fidem matrimonii, est quid indifferens respectu injuriæ mariti, & consequenter per hoc præcisè quod operetur contra fidem matrimonij, maritus non patitur injuriam.

23. Tertium. Injuria mariti potest adesse, & abesse ab adulterio uxoris; adest enim, quando est invitus; abest autem, quando consentit in adulteriū: sed peccatū contra fidem matrimonii non potest abesse ab adulte-

adulterio uxoris: ergo distincta species peccati est injuria mariti ab specie peccati commissi contra fidem matrimonii.

ARTICULUS II.

Propugnatur vera sententia, quæ tertiam speciem injuriæ non admittit.

SUMMARIUM.

Adultera irrogat injuriam marito sive consentienti, sive dissentienti. n. 24.

Consensus mariti est, quasi non esset. n. 25.

Injuria, quam irrogat adultera statui matrimoniali, eadem est, ac illa, quam infert conjugi. n. 26.

Ius, quod maritus habet, ne uxor violet fidem matrimonii, non est renunciabile. n. 27.

In aliquibus casibus, quamvis pupillus velit donare, ea voluntas nullius momenti est. num. 28.

Si Clericus vult sponte subjici Tribunali laico, ejus voluntas nullius momenti est. numer. 29.

Idem evenit in Religioso, cui scienti, & consentienti aufertur pallium. n. 30.

Martyr consentiens in suam necem, adhuc patitur injuriam, quia non potest cedere jure ad vitam. n. 31.

Opinio docens in adulterio non reperiri eam tertiam speciem non subjacet huic damnationi. n. 32.

Non est necesse, quod adultera explicet in confessione, an commiserit adulterium annuente, an renuente marito. n. 33.

Solvitur argumentum propositum pro opinione damnata. n. 33.

24. SEcunda sententia, quam probabiliorem existimo, docet, in adulterio uxoris non dari tertiam aliam speciem injustitiæ contra maritum invitum; nam illa species peccati, per quam uxor peccat contra fidem matrimonii, est injuria mariti: fit autē illi injuria, sive consentiat in adulteriū, sive non consentiat, quia consensus illius in adulterium est nullus, sive nullius valoris, & quasi non esset; quia non est in potestate mariti cedere illo jure. Pro hac stat *Cajet. 2 2 q. 154. a. 6.* quatenus generaliter docet, id proloquium, (Scienti, & consentienti non fit injuria) intelligendū esse in illis bonis, quæ cadunt sub dominio, quales sunt opes, fama, &c. posse autem pati injuriam etiam hominem consentientem, circa illa bona, quæ non cadunt sub dominium ejus. Pro eadem sententia stat *P. Luisius Turrianus* apud *Lugo citatum*; & omnes illi, qui in hac quæstione recurrunt ad hoc, quod maritus non potest cedere jure suo.

25. Probatur primò ex *S. Thoma supra citato:* quia postquam dixit, quod per se *nemo potest pati, nisi nolens;* subjungit: *Per accidens autem, & quasi materialiter loquendo potest aliquis id... pati volens; sicut cùm aliquis plus alteri dat sua voluntate, quàm debet.* Id est sua voluntate, quam debet non habere; & quæ *quasi materialiter* se habet, quia cùm nullius valoris sit, est quasi non esset: sed consensus mariti in adulterium uxoris, quasi materialiter se habet, eò quod nullius valoris est ad cedendum jure suo, & est quasi non esset: ergò maritus volens patitur injuriam.

26. Pobatur secundò, & simul explicatur conclusio. Etenim ea obligatio quam habet uxor, non violandi fidē matrimonii, est obligatio, quæ oritur ex contractu matrimo-

131. Hinc sumitur disparitas à priori, nempe ex diverso modo, quo ordinatur lac ad nutriendum, & semen humanum ad generandum. Hoc enim ordinatur ad solam generationem humanam, ita ut rationalis natura horreat, illud ad alium finem adhiberi; ut patet ex proximè dictis; lac autem fœmineum, etsi destinetur ad nutriendum infantem, non horret natura rationalis, quod applicetur ad alium finem.

132. Quod autem infert, mollitiem in aliqua hypotesi esse posse obligatoriam; supponendo, eam non esse intrinsecè malam, rectè infert. Sed eam suppositionem esse falsam, & absurdam, constat ex dictis.

133. Ad secundum argumentum, quod proposui *num.* 14. ex eo, quod sicut, juxta opinionem gravium Doctorum, licet Matri intendere abortum fœtus inanimati, quod proximius deservit generationi humanæ, quàm semen, ita etiam (stando præcisè in ratione naturali) poterit homo pro sanitate tu nda intendere expulsionem seminis; respondeo, disparitatem consistere in eo, quod seminis expulsio non potest intendi sine delectatione luxuriosa, quæ, ut constat ex dictis, semper est ab intrinseco mala; expulsio autem fœtus inanimati invadentis vitam matris, fit sine delectatione luxuriosa. Aliam disparitatem dedi *dissert.* 21. *cap.* 3. *n.* 23.

CAPUT VII.

An opinio docens, præcepta secundæ tabulæ Decalogi esse dispensabilia, incurrat hanc damnationem?

SUMMARIUM.

Authores docentes, Deum posse dispensare, & de facto dispensasse in præceptis secundæ tabula. n. 134.

Opinio illorum non damnatur expressè in hoc decreto, n. 135.

Inquiritur an damnetur virtualiter. n. 136.

Ratio dubitandi. n. 137.

Quod Deus possit dispensare in præcepto sexto, non infert propositionem damnatam. num. 138.

Quomodo in circumstantia, in qua Deus dispensaret, mœchia non esset mala? num. 139.

An in eo casu esset dispensatio, an potius mutatio circumstantiæ. n. 141.

Opinio docens posse Deum sic dispensare, eo quod ea præcepta obligent ex sola prohibitione positiva Dei, subjacet huic damnationi. n. 142.

Non verò quæ docet posse dispensare propter diversitatem circumstantiæ. n. 143.

An possit Deus facere, quod actio mala, mutatis circumstantiis, fiat bona. Et quid de dispensatione cum Osea, ut assumeret mulierem fornicariam? Ibidem.

Quomodò intelligatur dispensatio quinti præcepti cum Abraha; & septimi cum Israelitis? num. 145.

134 MUlti docent, Deum dispensare posse in præceptis secundæ tabulæ Decalogi, atque adeò in hoc præcepto non mœchandi. Ita *Caramuel in Theol. fund. num* 566. ubi pro eadem opinione citat *Ochamum, Aliacensem, Gersonem, Gabrielem, Almainum, & quosdam Recentiores*. Imò aliqui docent, dispensasse Deum de facto in quinto præcepto, quandò *Abrahamo* præcepit, ut immolaret filium: in sexto, quandò jussit *Oseam* gignere filios fornicationum ex meretrice: & in septimo cum filiis *Israel* egressuris de Ægypto permisit, ut spoliarent *Ægyptios*.

135. In-

135. Inquirimus ergò, an hæc opinio subjaceat huic damnationi. Et quidem constat, non damnari expresè in hoc decreto eam opinionem. Etenim propositio damnatur expresè, aut cùm damnatur in suis propriis terminis, aut in æquivalentibus: sed hæc opinio non damnatur hic in propriis, ut per se patet, neque in æquivalentibus, cùm eæ duæ opiniones habeant objecta adeò diversa: ergò non damnatur expresè.

136. Quare quæstio præsens est, an damnetur virtualiter? Et, ut sæpius dixi, tunc virtualiter opinio, quandò hæc est antecedens evidenter inferens propositionem damnatam, sive quod in idem recidit, quandò opinio est incompatibilis cum ipsa damnatione. Idcòque inquirimus, an hæc propositio. *Deus potest dispensare in sexto Decalogi præcepto*, sit antecedens evidenter inferens hanc, *Fornicatio secundùm se nullam involvit malitiam, & solùm est mala, quia interdicta.*

137. Ratio dubitandi est, nam actio, quæ est intrinsecè, & ex natura sua mala moraliter, Deus non potest facere quod sit bona, neque dispensando, neque ullo alio modo; neque enim potest facere quod mendacium sit bonum, neque perjurium sit licitum, cùm implicet contradictionem, quod essentiæ rerum immutentur: ergò à contrario, si Deus dispensat in præcepto non mœchandi, eo ipso erit licitum mœchari in tali hypothesi. Hinc autem infertur, quod mœchatio secundùm se, & ab intrinseco non est mala moraliter, quæ est propositio damnata.

138. Ego quidem censeo, hanc propositionem sic prolatam: *Deus potest dispensare in sexto Decalogi præcepto*, non esse antecedens, unde inferatur propositio damnata, neque esse incompossibilem cum ipsa damnatione; imò verò hanc Dei dispensationem posse componi cum ipsa damnatione atque adeò eam propositionem de dispensatione Dei neque virtualiter esse damnatam.

139 Ratio hujus assertionis est: nam benè stat, quod mœchatio sit ab intrinseco & secundùm se mala in omnibus aliis circumstantiis; in circumstantia autem, in qua Deus dispensare dicitur, non sit mala: nam eo ipso quod Deus jussit *Oseam*, ut copularetur cùm muliere fornicaria, jam copulatio fuit quasi matrimonialis, cum ad supremum naturæ conditorem spectet determinare modum, quo multiplicanda est per generationem humana natura. Neque obstat quod societas viri cum meretrice fuisset per tempus breve, nam si per eam dispensationem concessisset Deus eam mulierem ad tempus breve, copulatio eodem modo esset legitima, utpotè præscripta à supremo naturæ Domino.

140. Dices. Ea non est dispensatio, quia tunc non revocat Deus respectu hujus individui legem naturæ; sed solùm est mutatio circumstantiæ, sub qua numquam fuit illicita copulatio.

141. Respondeo, in mea quidem sententia ita esse. Sed quia video, ab aliquibus censeri dispensationem, quamvis mutetur circũstantia; volunt enim (in quæstione de nomine) dici dispensationẽ, quãdò ex concessione Princip. lex generalis nõ comprehendit casũ particularẽ, sive mutatis sit, sive immutatis circumstantiis: ideò retinendo assertionem de modo loquendi, assero, hũc modũ dispensat. non opponi damnationi.

Et

Et ut loquitur *P. Suarez lib. 2 de legib. cap. 15. num. 24. Quia hac mutatio, quando fit ex peculiari dominio, & potestate Dei, est (ut ita dicam) extra cursum natura, & prater leges ordinaria providentia, ideò interdum dispensatio appellatur, non quidem proprii pracepti naturalis (neque hoc dixit Bernardus, si attentè legatur) sed ordinarii cursus legis providentia, qua à Divina voluntate pendet.* Et hinc patet in quo sensu locutus fuerit *S. Bernardus lib de Pracepto, & dispens. cap. 4.* cùm dixit, posse Deum dispensare in præceptis secundæ tabulæ.

142. Sed quia Authores affirmantes, posse Deum dispensare in præceptis secundæ tabulæ dividuntur in duas classes, ex duobus scilicèt inter se oppositis fundamentis; dicendum est primò, propositionem, quæ affirmat posse Deum dispensare in omnibus præceptis secundæ tabulæ, atque adeò in præcepto sexto, ex eo fundamento, quod ea præcepta non sunt strictè de jure naturæ sed ex sola prohibitione positiva Dei, subjacere virtualiter huic damnationi. Patet assertio. Nam ea propositio est antecedens, undè clarè infertur, quod si Deus non prohiberet fornicationem, illa esset licita, ut ex terminorum comprehensione constat, atque adeò eam propositionem esse incompossibilem cum hac damnatione.

143. Dicendum est secundò, propositionem, quæ affirmat, posse Deum dispensare in præceptis secundæ tabulæ, atque adeò in sexto præcepto ex eo fundamento, quod circumstantia est diversa, modo supra explicato; non subjacere huic damnationi. Quæ assertio patet ex dictis.

144. Hinc patet ad rationem dubitandi, initio positam, distinguendum esse antecedens: Actio, quæ est intrinsecè mala moraliter, Deus non potest facere quod sit bona, (mutatis circumstantiis,) nego; (immutatis circumstantiis,) concedo. Constat autem ex dictis, quod quandò Deus dispensavit modo dicto cum *Osea Propheta*, ut assumeret mulierem fornicariam, in ea circumstantia illam fuisse copulam conjugalem, aut quasi conjugalem: quia nunquam licitus est concubitus viri cum fœmina, nisi eo modo, quo disposuerit supremus naturæ Conditor: & si eo modo fiat, absque dubio est licitus.

145. Similiter, quandò Deus fecit dispensationem quinti præcepti, vel potius communis providentiæ, in tali præcepto, ut *Abraham* immolaret filium; in tali circumstantia fuit licitum, cùm Deus sit supremus Dominus vitæ hominis, & possit illam destruere, quo voluerit medio. Et quandò dispensavit in communi providentia circà septimum præceptum, concedens Israelitis, ut spoliarent Ægyptios, in tali circumstantia, licitè eos spoliarunt; quia cùm Deus sit universalis Dominus omnium rerum, fecit Israelitis donationem omnium eorum: & nemo peccat auferendo, quæ sibi legitimè donata sunt, quamvis alter ea possideat.

DIS-

DISSERTATIO XXX.

An uxor committat adulterium, consentiente viro in illud delictum?

CAPUT I.

Præmittuntur aliqua.

SUMMARIUM.

An etiam damnata maneat propositio de copula mulieris cum marito uxoris consentientis. n. 1.
Evidens est eam manere damnatam, saltem virtualiter. n. 2.
Item damnata manet expressè, n. 3.
Et quomodo lex loquens in uno individuo extendatur ad reliqua ejusdem ordinis. Ib.
Adulterium non solùm violat Castitatem, sed etiam legem conjugalem. n. 4.
Quis sit Author propositionis damnatæ. n. 5.
Proponitur fundamentum propositionis damnatæ. n. 6.

1. PRopositio quinquagesima ex damnatis hujus tenoris est; *Copula cum conjugata, consentiente marito, non est adulterium; ideoque sufficit in confessione dicere, se esse fornicatum.* Et ante omnia occurrit statim ea quæstio, an damnata maneat formaliter, & expressè hæc propositio: *Copula mulieris cum marito, consentiente uxore, non est adulterium, ideoque sufficit in confessione dicere se esse fornicatam;* an potius damnata maneat tantummodo virtualiter, & implicitè?

2. Et quidem damnatam manere hanc propositionem saltem virtualiter, nemo potest ambigere. Tum enim manet virtualiter damnata propositio, quandò est antecedens, unde evidenter infertur propositio damnata; sic enim tale antecedens est compatibile cum ipsa damnatione, ut sæpius diximus: sed quod copula cum conjugata, consentiente marito, sit adulterium, est antecedens inferens evidenter, quod copula mulieris cum marito, consentiente uxore, non sit adulterium: ergò saltem virtualiter manet damnata secunda propositio. Minor autem ex terminis patet: nam licèt gravior sit culpa uxoris adulteræ quàm mariti adulteri, cæteris paribus; is autem excessus gravitatis est intra eandē speciem, & propter eandem speciem juris utriusvis conjugis in corpus alterius.

3. Adhuc tamen assero, non solùm manere damnatam virtualiter, sed etiam formaliter, & expressè. Ratio est: quia quandò damnatur aliqua propositio circa unum singulare propositum, exempli gratia, & in quo militat evidenter eadem omninò ratio circa reliqua singularia; tunc manet damnata propositio universalis, v. g. Leonardus Presbyter trahitur ad tribunal Judicis, & incarceratur: Ministri ejus tribunalis asserunt *Leonardum Presbyterum, quia non est in dignitate constitutus, posse trahi ad tribunal laicum.* Re ad Roman. Pontificem delatâ declarat, ut minimum scandalosam esse eam assertionem, quod *Leonardus Presbyter, quia non est in dignitate constitutus, possit trahi ad tribunal laicum.* In qua hypothesi quamvis damnatio Pontificis loquatur de Leonardo Presbytero, est tamen damnatio universalis circa quemlibet Presbyterum: quia Leonardus ponitur exempli gratia, ubi evidenter est identitas rationis quoad propositionem universalem. Et in *libris Decretalium* inveni-

untur quamplurimi Canones, qui in uno individuo statuunt, quid agendum sit; & ex communi sensu Doctorum sunt leges universales, ubi est idemtitas rationis. Vide quæ dixi in *2. part. Crit. Theol. disp. 33. cap. 6. n. 96.* circa propositionem ex damnatis ab Alexandro VII. trigesimam quartam, scilicet *In die palmarum recitans officium Paschale satisfacit præcepto.*

4. Præmittendum etiam est, adulterium, præter violationem Castitatis, includere aliam speciem peccati, scilicet violationem legis conjugalis. In quo omnes Doctores conveniunt. An autem hæc violatio legis conjugalis sit unica species infima, an duplex, inferius discutietur.

5. Hujus propositionis damnatæ, quis sit Author, nescimus. Nam Mag. Gonetus in dissertatione de probabilit. *num.* 120. asserit, id docuisse novos quosdam Casuistas. Adhuc tamen non desunt, qui eam Caramueli attribuere videantur. Nam *P. Moya tom. 1. select. tract. 3. disp. 3. quæst. 3. cap. 6. nu. 65.* sic ait: *Non me latet, nonnullos, quos, citato Illustriss. Fr. Angelo Manrique Episcopo Pacensi, sequitur Caramuel in Theol. fundamentali, fundam 35. c. 3. n. 537. fol. 230. duplicem tantùm malitiam in adulterio cognoscere, aliam contra Castitatem, aliam contra justitiam. Unde inferunt, satis confiteri, qui diceret, (commisi simplicem fornicationem.) & post alia interjecta peccata subnecteret: (intuli cuipiam gravem injuriam, tertia quadam persona cooperante.) Sed non placent: tum quia consentiente viro, sufficeret se accusare, de simplici fornicatione, quod nullus concessit: tum quia eo modo confitendi, duplex numero peccatum inesse moris pro uno individuo ad duplicem speciem pertinente subrogares.* Quæ secunda ratio urget. Et ego adderem tertiam: quia injuria adulterii est specie diversa ab injuria furti, & ab injuria detractionis, &c. Non ergò sufficeret dicere, se irrogasse injuriam; sic enim confiteretur injuriam in genere, & non in specie infima. An autem ex ea assertione Caramuelis inferatur, quod consentiente marito, non esset injustitia, & sufficeret se accusare de simplici fornicatione; atque adeò an ea assertio Caramuelis subjaceat huic damnationi, dicam inferius *cap. 3.* Ille quidem in apolog. de probabilit. negat, ullum Theologum dixisse, fornicationem fæminæ conjugatæ, consentiente viro, non esse adulterium. Ea autem assertio Caramuelis, quam citat *P. Moya*, non invenitur in editione anni 1657. quâ utor.

6. Fundamentum hujus opinationis potest in hanc formam excogitari. Tota malitia, quæ reperitur in adulterio fæminæ conjugatæ, ultra speciem luxuriæ, est contra justitiam, & jus mariti: sed scienti, & consentienti non fit injuria; ut dicitur in *Reg. 27. de Regul. juris in 6.* ergò dum maritus scit, & consentit, cessat ea malitia contra justitiam.

CAPUT II.

Ostenditur falsitas propositionis damnatæ.

SUMMARIUM.

Convincitur propositio damnata testimonio Apostoli. n. 7.

Responsio refutata n. 8.

Specialis lex matrimonii, qua tenetur fæmina non adhærere alteri viro, est independens à voluntate conjugis. n. 9.

Et

*Et quomodo id constet ex Sacra Scriptura? num.*10.

*Quomodo violetur unitas carnis constituta in matrimonio etiamsi conjux consentiat? num.*11. & 12.

*Illa circumstantia violandi eam legem matrimonii, facit culpam specie diversam. num.*13.

*Matrimonium est vinculum duorum independenter à consensu utriusvis. Et quid inde pro conclusione? n.*14.

Ex eo, quod matrimonium fidelium sit Sacramentum, roboratur conclusio. n. 15.

*In adulterio fidelium est alia species peccati, quæ non est in adulterio infidelium. n.*16.

7. Falsitas ejus propositionis constat manifestè ex *cap.* 7. *epist. ad Rom.* ubi sic loquitur Apost. *Igitur vivente viro, vocabitur adultera, si fuerit cum alio viro; si autem mortuus fuerit vir ejus, liberata est à lege viri, ut non sit adultera, si fuerit cum alio viro.* Statuit ergò Apost. propositionem universalem, qua asserit, *omnem fœminā conjugatam, quæ vivente viro fuerit cum alio viro, esse adulteram.* ergò contradicit Apostolo, qui ponit hanc propositionem particularem negativam, *Aliqua fœmina conjugata, quæ vivente viro fuerit cum alio viro, non est adultera*; scilicet, quando vir suus consentit. Nam hæ duæ propositiones sunt formaliter contradictoriæ.

8. Dices propositionem Apost. non esse ita universalem, sed intelligendam esse cum ea limitatione, scilicet *vivente, & invito viro, vocabitur adultera, &c.* Sed hæc responsio est omninò (ut minimum) improbabilis; imò est multò majori censurâ digna: quia nemini licet limitare propositiones universales, quæ sunt de Fide, nisi quando ex aliis Fidei dogmatibus, aut ex intelligentiâ Ecclesiæ aut sanctorum Patrum, & sacrorum Interpretum, includunt talem limitationem.

9. Probatur secundò eadem falsitas propositionis. Etenim speciali lege matrimonii tenetur fœmina ad non adhærendum alteri viro, idque independenter à consensu, aut dissensu viri: & similiter vir ea speciali lege tenetur, ut non adhæreat alteri fœminæ, idque independenter à consensu, aut dissensu suæ conjugis: ergò sive alter conjux consentiat, sive dissentiat eodē modo peccat contra eam specialem legem matrimonii, si alteri commisceatur. Consequentia patet, quia est ferè idemtica cum antecedenti.

10. Antecedens verò demonstratur ex verbis sacræ Scripturæ Gen. 2. *Adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una.* Quam sententiam Christus Dominus stabilivit denuo in Lege Evangelica *Matt.* 19. dicens: *Adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una: Itaque jam non sunt duo, sed una caro.* In quibus verbis constat declarari institutionem, & legem matrimonii: ergò conjuges ea lege tenentur, ut semper maneant duo in carne una. Sed cùm uxor adhæret alteri viro, non manent illi duo conjuges in carne una; quia unitati carnis opponitur divisio ejusdem carnis: quæ divisio manifestè invenitur, quoties conjugata adhæret alteri viro (idem de viro, qui accedit alteri fœminæ) ergò tunc violatur ea lex matrimonii lata in ipsa institutione matrimonii.

11. Quod autem deficiat adultera ab ea unitate carnis, in qua per matrimoniū constituta est, patet: quia rursus fit una caro cum socio criminis; ut constat ex illis verbis Apost. *1. Corinth.* 6. *An nescitis, quoniam qui adhæret meretrici, unum corpus efficitur?*

rationem Sacramenti, & ad significandam unionem Christi cum Ecclesia: sed id est omni ex parte independens à consensu, aut dissensu mariti: ergò sive consentiat maritus, sive dissentiat, talis fœmina peccat contra legem ejus unitatis sic elevatæ ad rationem Sacramenti.

16. Hinc infero, in adulterio Fidelium esse aliam speciem peccati, quæ non invenitur in adulterio infidelium: nam adultera Fidelis peccat contra specialem legem resultantem ex contractu matrimoniali elevato ad rationem Sacramenti, & significante unionem Christi cum Ecclesia.

CAPUT III.

An in adulterio fœmina conjugatæ, quod committitur viro invito, sit alia species peccati, quæ non reperitur, cùm fit de consensu viri? Ubi quæ species peccati reperiantur in adulterio.

ARTICULUS I.

Aliquibus prænotatis, proponitur sententia, quæ admittit tertiam speciem injuriæ, cum suis fundamentis.

SUMMARIUM.

In adulterio præter speciem peccati contra castitatem est etiam alia species contra Fidem matrimonii. n.17.

Enumerantur aliæ species injustitiæ, quæ quandoque reperiuntur in adulterio uxoris. n.18.

An in adulterio uxoris, quod fit, invito viro, fit alia species injustitiæ, quæ non datur, consentiente viro; & proponitur prima sententia affirmans, n.19.

Proponitur explicatio ejus sententiæ. n. 20.

Tria fundamenta ejus sententiæ affirmantis, n.21. & seq.

17. VT satisfiat argumento, quod proposui cap. 1. pro opinione damnata, oportet agnoscere quæ species peccati intercedant in delicto adulteræ (idem proportione servata in adultero conjugato) Et ex cap præcedenti constat primò, præter speciem peccati contra Castitatem, esse etiam speciem aliam contra obligationem servādi unitatem carnis, seu, ut alii dicunt, contra fidem matrimonii; quæ obligatio nascitur ex ipso contractu matrimoniali. Quæ quidem species peccati est contra justitiam: nam omnis obligatio, quæ nascitur ex contractu, si violetur, violatur justitia; cùm omnis contractus obliget ex justitia.

18. Deinde supponendum est, aliquando solere concurrere alias species injustitiæ in adulterio uxoris; v. g. quando supponit viro suo alienum filium, obligans virum suum, ut ejus sumptibus alat filium alienū, & ut is filius sit cohæres filiorū legitimorū, vel hæres universalis, si non sint filii legitimi; quæ omia sunt contra justitiam. Deinde *S.Thom.2.2.q.154.art.8.* corpus agnoscit alias duas deformitates in adulterio fœminæ conjugatæ, scilicet contra certitudinem prolis: nescitur enim, an sit filius viri sui, an mæchi; & contra bonum propriæ prolis. Et prima quidem deformitas non semper concurrit; ut cùm fœmina concepit in absentia viri sui; secunda autem non extat, quàndo ex neutro concepit. Si autem loquatur *S. Thom.* de periculo utriusque deformitatis, cui se exponit uxor adultera; tunc reducetur peccatum, ad eam speciem injustitiæ, ad quam periculū inclinat.

 19. Qua-

adulterio uxoris: ergo distincta species peccati est injuria mariti ab specie peccati commissi contra fidem matrimonii.

ARTICULUS II.

Propugnatur vera sententia, quæ tertiam speciem injuriæ non admittit.

SUMMARIUM.

Adultera irrogat injuriam marito sive consentienti, sive dissentienti. n. 24.

Consensus mariti est, quasi non esset. n. 25.

Injuria, quam irrogat adultera statui matrimoniali, eadem est, ac illa, quam infert conjugi. n. 26.

Ius, quod maritus habet, ne uxor violet fidem matrimonii, non est renunciabile. n. 27.

In aliquibus casibus, quamvis pupillus velit donare, ea voluntas nullius momenti est. num. 28.

Si Clericus vult sponte subjici Tribunali laico, ejus voluntas nullius momenti est. numer. 29.

Idem evenit in Religioso, cui scienti, & consentienti aufertur pallium. n. 30.

Martyr consentiens in suam necem, adhuc patitur injuriam, quia non potest cedere jure ad vitam. n. 31.

Opinio docens in adulterio non reperiri eam tertiam speciem non subjacet huic damnationi. n. 32.

Non est necesse, quod adultera explicet in confessione, an commiserit adulterium annuente, an renuente marito. n. 33.

Solvitur argumentum propositum pro opinione damnata. n. 33.

24. Secunda sententia, quam probabiliorem existimo, docet, in adulterio uxoris non dari tertiam aliam speciem injustitiæ contra maritum invitum; nam illa species peccati, per quam uxor peccat contra fidem matrimonii, est injuria mariti: fit autẽ illi injuria, sive consentiat in adulteriũ, sive non consentiat, quia consensus illius in adulterium est nullus, sive nullius valoris, & quasi non esset; quia non est in potestate mariti cedere illo jure. Pro hac stat *Cajet. 2 2 q. 154. a. 6.* quatenus generaliter docet, id proloquium, (Scienti, & consentienti non fit injuria) intelligendũ esse in illis bonis, quæ cadunt sub dominio, quales sunt opes, fama, &c. posse autem pati injuriam etiam hominem consentientem, circa illa bona, quæ non cadunt sub dominium ejus. Pro eadem sententia stat *P. Luisius Turrianus* apud *Lugo citatum*; & omnes illi, qui in hac quæstione recurrunt ad hoc, quod maritus non potest cedere jure suo.

25. Probatur primò ex *S. Thoma supra citato:* quia postquam dixit, quod per se *nemo potest pati, nisi nolens*; subjungit: *Per accidens autem, & quasi materialiter loquendo potest aliquis id... pati volens; sicut cùm aliquis plus alteri dat sua voluntate, quàm debet.* Id est sua voluntate, quam debet non habere; & quæ *quasi materialiter* se habet, quia cùm nullius valoris sit, est quasi non esset: sed consensus mariti in adulterium uxoris, quasi materialiter se habet, eò quod nullius valoris est ad cedendum jure suo, & est quasi non esset: ergò maritus volens patitur injuriam.

26. Pobatur secundò, & simul explicatur conclusio. Etenim ea obligatio quam habet uxor, non violandi fidẽ matrimonii, est obligatio, quæ oritur ex contractu matrimo-

trimoniali; ſicut ex quolibet alio contractu oritur obligatio ſtandi contractui: atqui contractus non celebratur cum ſtatu matrimoniali, ſed cum conjuge in ordine ad talem ſtatum: ergò obligatio uxoris non eſt præcisè ad non violandam fidem ſtatûs, ſed ad non violandam fidem conjugis prout iſte ſubeſt tali ſtatui: ergò dum uxor adultera violat fidem matrimonii, non violat præcisè fidem ſtatus matrimonialis, ſed fidem etiam debitam conjugi, prout iſte ſubeſt ſtatui matrimoniali: ergò per hoc præcisè irrogat injuriam conjugi: ergò per hoc præcisè violat jus conjugis, ut iſte ſubeſt tali ſtatui.

27. Deinde hoc jus mariti, ut ſubeſt tali ſtatui, non eſt renunciabile, ex ſpeciali natura ſtatus matrimonialis; qui habet inſeparabiliter obligationem non violandi eam fidem: ergò quamvis maritus conſentiens in adulterium uxoris, habeat voluntatem renunciandi id jus, nihil agit; quia ea voluntas eſt nulla, & nullius valoris ad eum effectum renunciandi jus ſuum. Eſt ergò ea voluntas cedendi jure ſuo, quaſi non eſſet; & per conſequens eodem modo uxor adultera injuriā irrogat marito conſentienti in adulterium, ac marito invito: quia maritus invitus non cedit jure ſuo, quia eſt invitus; & maritus conſentiens non cedit jure ſuo, quia quamvis non ſit invitus, ſed volens, ea voluntas non poteſt re ipſa cedere eo jure; quia id jus non eſt renunciabile.

28. Hujus autem propoſitionis univerſalis, quod poſſit fieri injuria ſcienti, & conſentienti, quando ſciens, & conſentiens non poteſt cedere jure ſuo, ſive, quod idem eſt, quando is conſenſus eſt invalidus ad talem effectum cedendi jure ſuo; multa ſuppetunt exempla. Inprimis pupillus in multis caſibus non poteſt ſe obligare civiliter, neque naturaliter; nam leges irritant, & annullant eum contractum pupilli; in quo caſu licèt pupillus habeat voluntatē donandi, ea voluntas nullius momenti eſt: & tunc qui acceptavit donationem pupilli volentis donare, irrogat injuriam pupillo, quia ea voluntas donandi eſt, quaſi non eſſet; & in hoc eodem modo ſe habet, ſive pupillus velit, ſive nolit.

29. Deinde ſi Clericus trahatur ad tribunal Judiciis laici, & ipſe ſpontè velit ſubjici tribunali laico; adhuc ei ſcienti, & conſentienti fit injuria, quia non poteſt cedere jure immunitatis: quia id jus non eſt ab eo renunciabile. Nec ſatisfaciunt, qui dicunt, non poſſe Clericum renunciare eo jure immunitatis; quia id jus eſt totius ſtatus Eccleſiaſtici: quia negari non poteſt iſtud jus immunitatis eſſe jus iſtius Clerici, prout in ſtatu Eccleſiaſtico exiſtentis. Cùm ergò ſit jus iſtius individui, adhuc iſtud individuum non poteſt cedere jure ſuo; quia conſenſus illius nullus eſt, & nullius valoris ad effectū cedendi jure ſuo; atque adeò ei Clerico irrogatur injuria, quamvis ipſe conſentiat.

30. Similiter ſiquis accipiat pallium Religioſi profeſſi ſcientis, & conſentientis, abſque licentia Prælati Regularis; adhuc infert illi injuriam, ſicut infert, ſi acciperet, aut auferret ab eo invito: quia cùm Religioſus profeſſus non habeat dominium ſui pallii, ſed ſolùm uſum, ejus conſenſus nullius momenti eſt ad transferendum dominium, vel cedendum jure ſuo; habet enim jus ad uſum de licentia Prælati.

31. Eodem modo Martyr licèt ſpontè ſe offerat, & conſentiat in occiſionem ſuam, adhuc patitur injuriam, quia jure ſuo ad vitam cedere non poteſt: & quamvis habeat

beat voluntatem subeundi eam mortem, ea voluntas est invalida in ordine ad hunc effectum cedendi jure suo; quia jus ad vitam non est renuntiabile.

32. Ex dictis infertur primò, eam propositionem, quam ex Caramuele refert *P. Moya*, ut supra notavi *num.6.* quoad primam ejus partem, scilicet duplicem tantum speciem inveniri in adulterio, scilicet contra Castitatem, & contra justitiam, non subjacere huic damnationi: nam cum illa assertione componitur, quod etiam consentiente marito, fiat injustitia, ut satis ostensum est.

33. Infertur secundò, uxorem adulteram, pro explicandis speciebus sui adulterii non esse necessarium, quod explicet in confessione, an illud commiserit annuente, an renuente marito. Nam, ut constat ex dictis, eodem modo committit injustitiam annuente, ac renuente viro suo.

34. Infertur tertiò, quid respondendum sit fundamento, quod pro opinione damnata proposui in fine capitis primi. Distinguenda est major: tota malitia, quæ invenitur in adulterio uxoris, ultra luxuriam, est injustitia, quæ infertur marito, (prout subest statui matrimoniali,) omitto; quæ infertur marito, (secundum suam personam præcisè.) nego. Dixi *omitto* & non *concedo*: ut relinquam locum quæstioni cap. seq. proponendæ, an in adulterio inveniatur alia species peccati, eò quod matrimonium Fidelium sit Sacramentum. Deinde distinguo minorem: scienti, & consentienti non fit injuria, (quando consensus est validus ad cedendum jure suo) concedo; (quando non est validus,) nego. Quod satis patet ex dictis.

ARTICULUS III.

Satisfit argumentis primæ sententiæ.

SUMMARIUM.

Adultera irrogat injuriam marito, etiam consentienti in adulterium. num.35.
Per accidens potest fieri, quod consentiens in damnum sibi illatum patiatur injuriam. num.36.
Falsum est, quod injuria mariti possit adesse, & abesse ab adulterio uxoris. num.37.
Quænam sit lex, quæ facit irritum illum consensum mariti? num 39.
Ad dissolvendam legem matrimonii nihil prodest consensus alterius, vel utriusque conjugis. num.40.
Solvitur argumentum Cardinalis. num.41.
Et confirmatio illius. num. 42.

35. AD primum respondeo, negando majorem, quod uxor adultera non irrogat injuriam marito consentienti: eo quod consensus illius sit invalidus, & nullus ad cedendum jure suo, quia jus mariti, ut subest statui matrimoniali, non est renuntiabile. Ad id, quod subjungitur, quod si solum esset malitia contra fidem matrimonii, nulla fieret injuria marito per adulterium, dixi jam, eam injuriam non esse præcisè contra fidem matrimonii ut sic; sed contra fidem matrimonii, quam debet servare viro suo ex lege matrimonii, cui vir renunciare non potest.

36. Ad secundum respondeo, satis constare ex *art.2.num.25* quo sensu dixerit S. *Thomas*, quod *per se nemo patitur injustum volens*; subjunxit enim, per accidens posse fieri, quod patiatur injustum volens; quod

satis explicatum manet ubi supra. Deinde concedo, quod maritus nolens adulterium uxoris, patitur injuriam. Antecedens, quod subjungitur, distinguo: maritus nolens non patitur injuriam per hoc præcisè, quod illa operetur contra fidem matrimonii (quam marito debet,) nego: contra fidem matrimonii, (abstrahendo à jure mariti,) omitto. Et ad probationem dico, etiam marito consentienti fieri injuriam, quia consensus illius non est ullius valoris, sed potius invalidus ad cedendum jure suo, ut constat ex dictis.

37. Ad tertium. Neganda est major, quod injuria mariti possit adesse, & abesse ab adulterio: nam jam constat ex dictis, sive consentiat, sive dissentiat maritus, fieri illi injustitiam; quia quando consentit, ita se habet, ac si non consentiret, in ordine ad cedendum jure suo.

38. Sed instat *Lugo Cardinalis* citatus, quod licèt id fieri possit de possibili, de facto tamen non invenitur aliqua lex, quæ irritet, & annullet consensum mariti; atque adeò licèt peccet consentiendo, tamen ille consensus non est invalidus. Et confirmat. Quia non sufficit, quod quis prohibeatur alienare, ut alienatio facta sit valida. Sic enim prodigus prohibetur alienare prodigè dissipando bona sua; & tamen validæ sunt donationes, quas facit.

39. Respondeo. In sententia Joannis de Lugo, quæ ponit injuriam marito irrogatam diversam à violatione fidei matrimonii, vim habet hæc argumentatio: nam bene intelligitur, quomodo conjux possit ceder jure suo taliter, ut hæc cessio juris sit illicita, sed valida, quia non invenitur lex, quæ illum privatum consensum annullet, & irritet, ita ut consentiente marito violetur fides matrimonii, & maritus delinquat in eo consensu, & uxor adultera non peccet contra eum privatum jus viri sui. In nostra autem sententia, quæ non ponit injuriam diversam respectu mariti, sed eam ipsam, quæ fit fidei matrimonii, fieri marito prout in matrimonio; optimè intelligitur, imò necessariò infertur, dari legem, quæ irritet, & annullet consensum mariti in ordine ad cessionem juris. Ea enim lex est obligatio orta ex contractu matrimoniali, qua se obligarunt conjuges inviolabiliter ad servandam unitatem carnis, sive fidem matrimonii.

40. Dixi *inviolabiliter*, quia neque ex mutuo consensu, neq; ex consensu alterius potest dissolvi ea obligatio ex toto, neque ex parte; ita ut consensus utriusque vel alterius in contrarium sit, quasi non esset. Nam ex natura sua contractus matrimonialis differt à cæteris contractibus; quod hi possunt mutuo consensu dissolvi ex parte, aut ex toto; contractus autem matrimonialis eo vinculo est obstrictus, eaque lege, ut nihil prosit consensus alterius, vel utriusque conjugis ad amputandam, aut minuendam obligationem.

41. Hinc ad argumentum respondetur ex dictis, legem, quæ annullat consensum conjugis in ordine ad cedendum jure suo, esse ipsam legem servandi fidem matrimonii, quæ postquam contractum est matrimonium, non pendet à voluntate conjugum; atque adeò talis lex non est renunciabilis licitè, neque validè.

42. Ad confirmationem dico, verũ esse, quod non sufficit prohibitio alienationis, ut alienatio sit invalida, neq; qualiscumq; prohibitio cõsensus, ut consensus sit nullus, & invalidus. Quando autẽ obligatio ex lege, aut

aut ex contractu procedens talis est, ut nullatenus pendeat effectus ex voluntate subjecti prohibiti, tunc consensus est invalidus, ut contingit in præsenti: nam licet velit conjux renunciare legi de Fide matrimonii, nihil aget.

CAPUT IV.

An in adulterio admittenda sit tertia species malitiæ contra Sacramentum?

SUMMARIUM.

Quid significet matrimonium in lege gratiæ, quatenus est Sacramentum. num. 43.

Fides matrimonii obligat ad hoc, quod conjux reddat debitum, & quod non adhæreat alteri. num. 44.

Et quomodo id constet ex verbis Christi Domini. num. 45.

In illis verbis Christus elevavit matrimonium ad essentiam Sacramenti. num. 46.

An adulterium fidelium includat speciem irreligiositatis. num. 47.

Conclusio affirmativa, & authores ejus. num. 48.

Fides matrimonii specialiter obligat ratione Sacramenti. num. 49.

Fides matrimonii fortius obligat ex ratione Sacramenti, quàm ex ratione contractus. num. 50.

Matrimonium fidelium magis inseparabile est, quàm matrimonium infidelium. n. 52.

Inseparabilitas matrimonii excludit etiam adhæsionem carnalem ad alterum. n 53.

Matrimonium, quatenus est Sacramentum, excludit adhæsionem ad alteram carnem. num. 54.

Objectio solvitur. num. 56.

Matrimonium, qua Sacramentum est, exigit unitatem carnis. num. 57.

Item qua Sacramentum est, significat unionem Christi cum Ecclesia, & cum natura humana. num. 59.

Adulterium fidelis non habet speciem Sacrilegii, sed irreligiositatis. num. 60. & seqq.

43. PRo claritate hujus quæstionis præmitto primò, matrimonium tam ratum, quàm consummatum, in lege gratiæ esse verum Sacramentum, ut docet Fides Catholica; & illud significare unionem Christi D. cum Ecclesia juxta id ad *Ephes 5. Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico, in Christo, & in Ecclesia.* Cum hoc tamen discrimine, quod matrimonium ratum, quia est aliquo modo dissolubile, saltem per professionem Religiosam, significat unionem Christi cum Ecclesia per charitatem, quæ unio aliquo modo est dissolubilis, non cum tota Ecclesia, sed cum singularibus, qui possunt amittere charitatem, scilicet per peccatum; matrimonium vero consummatum, quod est omninò indissolubile, significat unionem Christi cum natura humana per incarnationem; quæ unio est omninò indissolubilis. Vide *P. Thomam Sanchez lib. 2. de matrim. disp. 13.*

44 Præmitto secundò, convenire omnes Theologos in eo, quod Fides matrimonii dicit duo, & quod conjux teneatur reddere debitum suo conjugi, & quod non possit adhærere carnaliter alii. Item quod hæc Fides matrimonii, ut includens hæc duo, instituta, & promulgata est à Christo D. cum majori restrictione, quàm in lege

veteri, in qua permittebatur libellus repudii; illis verbis *Matth. 19. Relinquet homo Patrem, & matrem, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una. Itaque jam non sunt duo, sed una caro. Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet.*

45. Præmitto tertiò, has tres clausulas hujus proximi textus, & unamquamque earum explicare, & continere præfatam fidem matrimonii. Nam prima, quæ dicit, *Adhærebit uxori suæ*, significat obligationem reddendi debitum uxori, & non adhærendi carnaliter alteri; nam qui accedit carnaliter alteri, non adhæret unicè uxori suæ. Secunda, qua dicitur, *Erunt duo in carne una*, clarius explicat utrumque; violari enim hanc obligationem servandi unitatem carnis, si conjux adulteretur, constat ex *cap. 2. num. 14.* Eadem fides matrimonii explicatur à Christo D. per tertiam clausulam. *Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet.* Nam fit divisio, & separatio carnis, si uxor, quàm Deus huic viro conjunxit, ipsa se alteri luxuriosè conjungat.

46. Præmitto quartò, Christum Dominum elevasse matrimonium ad rationem, & essentiam Sacramenti, dum dixit eam sententiam proximè citatam *Matth. 19.* Videatur *P. Thom. Sanchez lib. 2. de matrim. disp. 4. num 5.* & Authores ab eo relati.

47. His præmissis, inquirimus, an adulterium, præter speciem luxuriæ, & injustitiæ contra fidem matrimonii, includat tertiam aliam speciem irreligiositatis, ex eo quod matrimonium sit Sacramentum. Paucissimi sunt Doctores qui hanc quæstionem tetigerunt, nam majori ex parte eam omittunt, agentes de adulterio, quasi contenti invenire in illo rationem injustitiæ, contra fidem matrimonii. Sed tamen cum aliquos invenerim, qui asserant, adulterium habere malitiam contra rationem Sacramenti, etiam consentiente conjuge, nullum tamen invenire potui, qui id negaverit.

48. Sit conclusio. Adulterium conjugis fidelis continet malitiam irreligiositatis, ex eo quod matrimonium sit Sacramentum. Pro hac conclusione stant *Lugo Card. tom. 1. de Iust. disp. 8. sect. num. 6.* Ait enim, agens de adulterio: *Habet tamen malitiam specialem contra bonum Sacramenti. Trullenchus in Decal. præcep 6. cap. 1. num. 2. Busembaum lib. 3. Sum. tract. 3. cap. 2. dub. 2. num. 4.* & videtur idem censere *P. Reginaldus lib. 12. num. 24.* dum ait: *Per ipsum* (adulterium) *violatur conjugii fides, sanctitasque.* Sanctitas enim conjugii est, quæ provenit à ratione Sacramenti.

49. Probatur primò. Fides matrimonii obligat, non solum ratione contractus, sed etiam ratione Sacramenti: sed hæc est duplex obligatio orta ex duplici titulo specificè diverso: ergo violatio utriusque obligationis (qualis violatio reperitur in adulterio) est duplex violatio specificè diversa. Hæc consequentia patet: tum quia violatio obligationis, quæ oritur ex duplici titulo specificè diverso, inducit duplicem speciem malitiæ: sic enim si ad jejunium hodiernum concurrit votum, & præceptum Ecclesiæ, violatio ejus habet duplicem speciem malitiæ, quia obligatio oritur ex duplici titulo specificè diverso. Tum etiam, quia violatio obligationis, quæ opponitur duplici virtuti, inducit etiam duplicem speciem, ut in exemplo allato jejunii; cujus violatio opponitur virtutibus abstinentiæ, & Religionis: ergò si adulterium est violatio obligationis ortæ ex duplici

duplici titulo specie diverso, continebit duplicem speciem, nempè contra justitiam, & contra Religionem Sacramenti. Minor etiam patet, si major est vera.

50. Probatur ergo major. Nam cum ambo conjuges habeant vinculum inseparabile, fortius, & strictius obligat hoc vinculum ex ratione Sacramenti, postquam ambo facti sunt una caro, quàm ex præcisa ratione contractus matrimonialis: sed hæc inseparabilitas producit obligationem servandi finem matrimonii, imò & videtur esse ipsa fides matrimonii: ergò hæc fides matrimonii non solum obligat ex ratione contractus, sed etiam ex ratione Sacramenti. Consequentia patet, & minor etiam constat: nam ut supra dixi, per ea verba, *Iam non sunt duo, sed una caro*, & per illa: *Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet*; significatur ipsa fides matrimonii, qua conjux tenetur obligatione perpetua reddendi debitum, & non adhærendi carnaliter alteri.

51. Major vero hujus proximi syllogismi probatur primò ex *S. Thoma in cap. 7. epistola ad Rom. lect. 1.* ad ea verba Christi D. proximè relata, ubi ait: *Et hæc quidem inseparabilitas matrimonii præcipuè causatur, in quantum est Sacramentum conjunctionis indissolubilis Christi, & Ecclesiæ, vel verbi, & humana natura in persona Christi Ephes. 5. Sacramentum hoc magnum*, &c. Ex quibus verbis constat, quod inseparabilitas vinculi matrimonialis (quæ vel est ipsa fides matrimonii, vel est titulus immediatus, ex quo oritur fides matrimonii) provenit, in quantum est Sacramentum; atque adeo ex ratione Sacramenti præcipuè, & fortius, atque strictius oritur ejusmodi inseparabilitas.

52. Secundò probatur hæc eadem proximi syllogismi major. Nam matrimonium, quod non est Sacramentum, scilicet matrimonium infidelium, est aliqua ratione dissolubile, & separabile, scilicet per conversionem unius ad fidem Catholicam; matrimonium autem, quo est Sacramentũ, est omninò indissolubile, & inseparabile: ergò hæc inseparabilitas matrimonii, qua Sacramentum est, fortius, & strictius obligat, quàm inseparabilitas, quæ provenit præcisè à contractu matrimoniali, qua tali.

53. Dices, hinc rectè probari inseparabilitatem quoad vinculum matrimoniale provenire à ratione Sacramenti; non vero quoad fidem matrimonii, quantum ad non adhærendum carnaliter alteri. Hæc tamen responsio caret fundamento: nam cum ratio Sacramenti consistat in ipso vinculo matrimoniali, ut expressit *S. Thom. in 4. dist. 26. quæst. 2. art. 3. ad 2.* ibi: *Actus exteriores, & verba exprimentia consensum directè faciunt nexum quemdam, qui est Sacramentum matrimonii.* Et tenet *P. Thom. Sanch. lib. 2. de matrim. disp. 1. num 6.* cum multis aliis; attentis etiam iis, quæ docet *disp. 5, num. 7.* Vinculum autem, quo unus conjux alligatus est alteri, non solum excludat solubilitatem, sed etiam divisionem unitatis carnis per adhæsionem carnalem ad alterum; necesse est quod ratione Sacramenti excludatur utrumque. Quod si juxta opinionem aliorum dicatur, rationem Sacramenti consistere formaliter in contractu, non vero in vinculo, quod nascitur ex contractu; eodem modo urget argumentum, cum ex contractu, q à Sacramentum est, oriatur vinculum inseparabile, quod excludit tam dissolutionem vinculi, quàm violationem unitatis carnis; ipse con-

contractus, qua Sacramentum est, erit titulus, ex quo oritur conclusio utriusque violationis; atque adeo ex ratione Sacramenti obligatur conjux ad non adhærendum carni alienæ.

54. Probatur secundò conclusio. Matrimonium, quatenus est Sacramentum, dat gratiam conjugibus, ut contineant se intra fines matrimonii, & consequenter ne adhæreant alteri carni, ut docet *D. Thomas* supra citatus, in hæc verba: *Nexum quemdam, qui est Sacramentum matrimonii*; *& hujusmodi nexus ex virtute divinæ institutionis, dispositivè operatur ad gratiam*: Sed Sacramentum, quod dat gratiam ad excludendum aliquod speciale peccatum, excludit tale peccatum, atque adeo obligat ad vitandum tale peccatum; sic enim qui se rebaptizat, irreligiosè operatur contra Sacramentum Baptismi, quia Baptismus confert auxilia gratiæ contra voluntatem iterandi Baptismum: ergo matrimonium, quatenus est Sacramentum, excludit peccatum adhærendi alteri carni. Violat ergò irreligiosè legem ortam ex Sacramento matrimonii conjux, qui adhæret alteri carni.

55. Dices. Ergò qui accepit, ultra Baptismum, Sacramentum Confirmationis, si deficit à Fide, non solum committit crimen hæresis, sed etiam irreligiositatis contra Sacramentum Confirmationis; cum hoc Sacramentum specialiter det auxilia gratiæ ad retinendam fortitudinem in defendenda fide; atque adeo excludat infidelitatem.

56. Respondeo, concedendo consequentiam. Postulat enim Sacramentum Confirmationis persistentiam in Fide; ideo enim confert auxilia gratiæ ad eam persistentiam, quia ex institutione sua postulat talem persistentiam.

57. Probatur tertiò conclusio. Sacramentum matrimonii, quà tale Sacramentum est, exigit unitatem carnis, sive quod sint duo in carne una: ergò qui violat hanc unitatem carnis, peccat contra exigentiam Sacramenti. Sed adultera (idem est de adultero) violat hanc unitatem, ut supra ostendi: ergo adultera peccat contra exigentiam Sacramenti; atq; adeo irreligiosè peccat.

58. Solum antecedens primum eget probatione, quam sic instituo primò. Nam Christus D. instituit Sacramentum hoc, cũ dixit: *Itaque jam non sunt duo, sed una caro, Matth. 19.* ergò Christus D. instituit hoc Sacramentum super hac unitate carnis: ergò Sacramentum hoc exigit istam unitatem carnis, tanquam fundamentum super quo institutum est hoc Sacramentum.

59. Probatur secundò idem antecedens. Quia matrimonium, quà Sacramentum est, significat unionem Christi cum Ecclesia per charitatem, sive unionem Christi cum natura humana per incarnationem, modo supra explicato: sed hæc significatio istius Sacramenti exigit hanc unitatem carnis: ergò ipsum Sacramentum exigit hanc unitatem carnis.

60. Advertendum tamen est, me non dixisse, adulteriũ continere speciem sacrilegii contra Sacramentum, sed irreligiositatis. Et quidem quamvis omne sacrilegium sit irreligiositas; non tamen omnis irreligiositas est sacrilegium. Nam, ut observat *P. Suarez. tom. 1. de Relig. tract. 3. lib. 1. cap. 1. num. 1.* Irreligiositas est conceptus communis omnibus vitiis, quæ opponitur Religioni; estque species subalterna, quæ conti-

nes

net ſub ſe multas ſpecies infimas Religioni oppoſitas, quales ſunt perjurium, blaſphemia, tentatio Dei, &c.

61. Aſſero ergo, propriè, & ſtrictè loquendo, adulterium non includere ſpeciem ſacrilegii: quia ſacrilegium eſt violatio rei ſacræ: atqui adulterium non violat formaliter, & immediatè ipſum Sacramentum, ſed ſolum mediatè, quatenus violat exigentiam, & legem, quæ immediatè oritur ex ipſo Sacramento. Hanc autem ſpeciem peccati vocamus vocabulo communi irreligioſitatis, quia non habemus vocabulum ſignificans ſpecificè hanc malitiam; aliunde autem ſufficienter limitatur ad ſpeciem infimam, dum dicimus eſſe irreligioſitatem contra Sacramentum matrimonii.

DISSERTATIO XXXI.

An, & quatenus famulus poſſit miniſtrare hero per actiones, quæ ſaltem ex intentione heri ad ejus luxuriam deſerviunt?

SUMMARIUM.

Difficillimum judicium de actionibus ſecundùm ſe indifferentibus. num. 2.

Circumſtantiæ, ſub quibus damnatur hæc propoſitio, notandæ num. 3.

Dubium ortum ex ipſa propoſitione damnata. Et ratio illud excitandi. num. 4.

In eo dubio tutior pars eligenda. num. 5.

Rationes inclinantes in actiones famuli cum periculo vitæ. num. 6. & ſeqq.

Quid intelligatur illis verbis (quid ſimile cooperando.) num. 10.

De actionibus alio modo indifferentibus. num. 11.

1. PRopoſitio 51. ex damnatis hæc eſt: *Famulus, qui ſubmiſſis humeris ſcienter adjuvat herum ſuum aſcendere per feneſtras ad ſtuprandum virginem, & multoties eidem ſubſervit deferendo ſcalam, aperiendo januam, aut quid ſimile cooperando, non peccat mortaliter ſi id faciat metu notabilis detrimenti, puta ne a Domino malè tractetur, ne torvis oculis aſpiciatur, ne domo expellatur.*

2. Cum judicium ferre in hac materia, & in tanta varietate circumſtantiarum, ſit difficillimum, gratias habere debemus SS. D. Innocentio XI. quod hanc damnationem fecerit, qua docemur, quid illicitum ſit in iis circumſtantiis. Et quidem quod id judicium ſit difficillimum, conſtat ex eo, quod ex una parte illæ actiones, cōſideratæ ſecundùm ſe, ſunt indifferentes; ex alia vero exercitæ in talibus circumſtantiis proximè juvant ad peccatum. Ideo authores, qui ante hoc decretum ſcripſerunt, abierunt in diverſas ſententias cum magna varietate; alii enim alias actiones ex memoratis condemnāt, & alias approbant; alii vero è converſo has condemnant, & alias approbant.

3. Ad rectam intelligentiam propoſitionis damnatæ, notandæ ſunt circumſtantiæ, ſub quarum concurſu damnatur propoſitio. Prima circumſtantia eſt illa, quæ ſignificatur illo termino *ſcienter*; nam ſi famulus, qui januam aperit fœminæ ingreſſuræ, ſolum dubitat, an ea ingrediatur ad turpem congreſſum; non debet præſumere ingreſſum ejus eſſe in pravum finem, Secunda

est, quod licet actiones per se sint indifferentes, de facto tamen adjuvant herum ad turpitudinem exercendam. Tertia est, quod damnum ob cujus timorem famulus eas actiones exercet, sit solum, quod malè tractet eum Herus quod torvis oculis aspiciat, aut quod è domo expellat. Et ita his tribus concurrentibus, quod actiones famuli adjuvent ad turpitudinem de facto; & quod fiant sciendo eum pravum finem; & quod fiant ex timore ejus detrimenti memorati; propositio, quæ id asseruerit licitum, damnata manet vi hujus decreti.

4. Sed nunquid licitum erit famulo eas actiones exercere, si timeat aliquod multo majus detrimentum, scilicet mortem, aut mutilationem à Domino valde superbo, & iracundo? Et ratio dubitandi est: nam ex una parte videtur non damnari, cum propositio damnata solum loquatur de timore, quo famulus timet malè tractari, torvis oculis aspici à Domino, &c. non autem loquitur ea propositio de timore gravissimi detrimenti. Ex alia vero parte cum in propositione supponatur, eas actiones adjuvare ad exercendam turpitudinem, & per eas cooperari ad luxuriam, ut denotant ea verba, *aut quid simile cooperando*; videtur supponi eas actiones in illis circumstantiis esse intrinsecè malas, & quæ ex nullo metu, etiam gravissimo possint honestari.

5. Et quidem ego non audeo hoc dubium meo judicio decidere; censeo enim consulendam esse Romanam Cathedram. Et interim dum consulitur, illud mihi erit dubium practicum, in quo tutior pars eligenda est. Nam, ut docui *in 1. part. Crist. Theol. disp. 10. cap. 2. num. 20 & cap 2. num. 59. & 3. part. disp. 56. cap. 9. art. 4. num 598.* & in hoc *lib. dissert. 4.* dubium de probabilitate opinionis est dubium practicum.

6. Dices primò, id verbum *cooperatio* non apposuisse Pontificem, neque ipsum declarasse, eas actiones famuli esse cooperatrices luxuriæ Heri; sed id verbum appositum esse ab Authore propositionis: ergo non est censendum eas actiones pro omni hypothesi esse ita malas intrinsecè, ut in necessitate gravissima non possint honestari.

7. Dices secundò. Cum Pontifex non damnet expresè eas actiones in casu, quo famulus timeret mortē ab Hero sibi inferendam, sed solum pro hypothesi metuendi minus damnum; videtur dici posse, esse saltem tenuiter probabilem propositionem asserentem in aliquo casu posse eas actiones honestari: sed opinio tenuiter probabilis potest deduci ad praxim in gravissima, & urgentissima necessitate, atque adeo in periculo occisionis, eo modo quo diximus *dissert. 4.* ergò illæ actiones famuli poterunt honestari in ejusmodi periculo mortis. Et quidem urgentissima necessitas est circumstantia, quæ aliquando superaddit probabilitatis vim opinioni tenuiter probabili: ergò.

8. Dices tertiò. In hypothesi, in qua famulus ex justo timore occisionis aperiat januam concubinæ advenienti, potest dicere intra se, (Ego aperio januam, non ut intret concubina, sed ut ego eripiar à periculo mortis.) In qua hypothesi apertio januæ non videtur ordinari ad ingressum concubinæ, sed ad vitandum periculum mortis, eritque per accidens, quod deserviat ad ingressum fœminæ. Est enim urgentissima causa, ut ita possit famulus dirigere eam actionem ad evadendum periculum; quamvis ex malitia sua herus eam dirigat ad fovendam suam libidinem.

9. Ad

9. Ad hæc omnia respondeò, ea inclinare aliquanto intellectum ad hanc assertionem; sed non satis fidere posse iis fundamentis in materia tam gravi, donec Romana Cathedra declaret, an illæ actiones famuli, quæ de facto adjuvant ad luxuriam Heri, possint in aliqua circumstantia honestari.

10. Inquires, quæ actiones sint, quæ cõprehenduntur sub illis terminis, ***Aut quid simile cooperando?*** Et respondeò, eas esse, quæ adjuvant de facto ad exequendam luxuriam; quamvis abstractæ ab illis circumstantiis sint indifferentes. Tales sunt deferre scienter concubinam ad domum Heri ad effectum luxuriæ, sive famulus deferat in sella gestaria, sive deferat eam comitando; item ferre scienter litteras provocatorias ab Hero ad concubinam, vel è converso, sive eas litteras scribere; vocare concubinã, ut adeat domum, aut cubile Heri: famulum jussu domini pergere ad sequendam mulierem, ut sciat, ubi habitet, ut id notum faciat domino. Nam hæ omnes actiones adjuvant de facto ad exequendam luxuriam Heri. Plerumque tamen excusantur famuli, eo quod ignorant, ea ministeria esse pro exercenda libidine, & quamvis mera suspicione tangantur, ea solet non esse talis, ut extrahat eos à mera dubitatione.

11. Aliæ autem actiones ministrandi, quæ non adjuvant ad exercendam luxuriam, non est, cur sint illicitæ: v.g. si concubina existens in domo Heri peteret à famulo aquæ poculum, non esset illicitum, aquam illi ministrare, quia ministratio aquæ non adjuvat ad exequẽdam luxuriam: & sic in similibus actionibus, quæ ad id nihil adjuvant.

DISSERTATIO XXXII.

An præceptum servandi festa obliget sub mortali? Ubi etiam an simultaneâ auditione duarum medietatum Missæ impleatur præceptum?

CAPUT I.

Refertur propositio damnata, & præmittuntur aliqua ad priorem quæstionis partem dicendam.

SUMMARIUM.

Leges Canonicas, & quinque præcepta Ecclesiæ solum esse pœnalia, qui dixerunt? num. 1.

Discrimen inter mandatum simplex, & præceptum, n. 2.

Quinque Ecclesiæ præcepta obligare sub culpâ modò certum est, n. 3.

Ex eo, quod aliqua leges non obligent sub culpâ, non sequitur, præceptum servandi festa non inducere obligationem sub culpâ, nu 4.

Leges Ecclesiasticæ aliæ preceptivæ, directivæ aliæ, n. 5.

Non est de essentia legis Ecclesiasticæ obligare sub culpâ, n. 6.

Violatio præcepti absque contemptu peccatum non est, nisi sit contra charitatem, n. 8.

1. PRopositio 51. ex dãnatis hæc est: *Præceptum servandi festa non obligat sub*

 mor-

mortali, seposito scandalo, si absit contemptus. In 2. part. *Chris. Theol. disp. 23. cap. 2. & seqq. notavi Caramuelem in Theol. Regul. disp.* 102. procedere dubitanter circa quinque Ecclesiæ præcepta, an obligent solum sub pœna, & non sub culpâ. Et pro opinionis probabilitate negantis obligationem sub culpâ, citat. in primis *Servatium Layruelzium.* In apologemate autem de probabilitate à n. 265. multos ex veteribus citat. qui dixerint leges Canonicas, & quinque Ecclesiæ præcepta esse solum pœnalia, & non obstringere conscientias. Ibi citat *Cajetanum, Martinum Cromerum,* virum à Pio IV. valde laudatum, *Angelum, Ioannem Ferum, Gersonem, Almainum*; & (quod magis est) *S. Bernardum lib. de Præc. capit* 19. maximè illis verbis. *Non ergo qualiscumque mandati præteritio criminalem facit inobedientiam; sed repugnare, sed nolle obedire.*

2. Et quidem S. Bernardum non credo loqui de præceptis Ecclesiæ, sed de jussionibus simplicibus Prælatorum Regularium, qui non præcipiunt virtute voti obedientiæ; & satis clarè colligitur ex ea voce *mandati*, quæ in rigore non significat præceptũ obstringens conscientiam, nisi ex adjunctis aliud colligatur. Nam his simplicibus jussionibus non obedire, non est peccatum; si autem Prælatus Regularis hoc simplex mãdatum det, & subditus respondeat, (Nolo parere) omnes fatentur, id esse peccatum mortale, quamvis Prælatus Regularis non præcipiat virtute voti obedientiæ; & tunc certum est, esse culpam lethalem, propter contẽptum Prælati, ut talis. Et hoc est, quod *S. Bern.* dixit: *Non ergo qualiscumq; mandati præteritio, criminalem facit inobedientiam; sed repugnare, sed nolle obedire.*

3. Si autem certum est, eos veteres Scriptores dixisse, præcepta Ecclesiæ obligare solum sub pœna, & non sub culpâ; credendum est, eo tempore rem hanc non esse adeo exploratam. procedente vero tempore tam clarè patet hæc veritas, quod quinque præcepta Ecclesiæ obligant sub culpâ lethali, ut nihil in re morali evidentibus esse possit.

4 An autem Recentior aliquis instaurare voluerit hanc opinionem antiquatam, penitus ignoro. Nisi quod *Gonetus in dissertat de probabil. num.* 135. vult, illi opinioni suffragari *Tamburinum*, eo quod dixerit *lib. in Decal. cap. 3. § 8 num. 12. Leges Ecclesiasticas non multum frequenter sub mortali obligare.* In hoc tamen excedit *Gonetus.* Primò, quia hæc est prava consequentia: [Aliquæ leges non obligant sub mortali, ergò præceptum servandi festa non obligat sub mortali.] Quia à propositione particulari ad singularem prava est consequentia.

5. Secundò, quia negari non potest, leges Ecclesiasticas alias esse præceptivas, & alias dumtaxat directivas. Sic enim multæ, quæ leguntur in Rubricis Missalis Romani, solum sunt directivæ, non obligantes sub peccato; ut passim notat *Zacharias Pasqualigus in tract.* de Sacrificio novæ legis. Et leges aliquarum Religionum etiam approbatæ à Romano Pontifice, solum sunt directivæ, quæ non obligant sub culpâ, sed solum sub pœna.

6. Tertiò, quia non est de essentia legis Ecclesiasticæ obligare sub culpâ; potest enim Pontifex Romanus ferre leges, sine intentione obligandi sub culpâ. Quæ intentio vel exprimitur verbis, vel colligitur ex adjunctis.

7. Neque

7. Neque hu... versatur *S.Thom* 1.2. *quæst.96 art.4.* asserens: *Leges humanitus positæ, si justæ sint, habent vim obligandi in foro conscientiæ, à lege æterna, à qua derivantur*, &c. Id enim intelligitur, quando legislator habet intentionem obligandi sub culpâ; ut omnes fatentur. *Neq; propterea approbo*, quod *P.Tamburinus* dixit, non *multum frequenter*; melius enim dixisset, *Aliquando*. Non enim potest negari, aliquando Leges Canonicas non obligare sub mortali, vel ex levitate materiæ, vel quia non habent aliquod signum, ex quo colligatur, non esse intentionem legislatoris obligare sub culpâ gravi.

8. Fundamentum eorum, qui dicebant, præceptum servandi festa non obligare sub mortali, erat: quia nullum est peccatum mortale, nisi quod opponitur charitati Dei, vel proximi, si fit absque contemptu: atqui violatio præcepti indicentis observationem festi, non est contra charitatem Dei, vel proximi; quia ante quam poneretur id præceptum, inveniebatur in Fidelibus charitas Dei, & proximi; & supponimus, non violari legem ex contemptu: ergò violatio ejus præcepti non est peccatum mortale. Quod fundamentum imbecille est, ut constabit ex cap.3.

CAPUT II.

Demonstratur falsitas propositionis damnatæ.

SUMMARIUM.

Firma persuasio fidelium de obligatione præcepti reddit obligationem evidentem moraliter, n.9.

Ecclesiastica consuetudo præmittendi confessionem ante communionem declarat ejus obligationem, n.10.

Ex eadem consuetudine constat obligatio Ecclesiæ Latinæ consecrandi in pane Azymo, n.11.

Consensus fidelium efficit in hac parte plenam probationem, n.12.

Ex hac consuetudine rectè interpretatur obligatio præcepti, n.13. & 14.

Cùm sit de jure Divino ejus cultui aliquot dies deputare, Ecclesiæ est, eos determinare, num.18.

Novus titulus ad obligationem servandi festa, num. 19.

9. DEmonstratur primò. Firma persuasio omnium Fidelium de præcepto graviter obligatorio facit evidentiã moralem; ut late tradidi *in 2.part. Chris. Theol. disp.23.part.5.art 7.* sed est firma persuasio omnium fidelium de præcepto servandi festa, ut graviter obligatorio: ergò moraliter evidens est, dari tale præceptum graviter obligatorium; atque adeo evidens est, illud obligare sub mortali. Quod attinet ad majorem, non potest in dubium verti: cum in tota Ecclesia per totum orbem terrarum diffusa, dum Fideles catechismum doceantur, quinque Ecclesiæ præcepta, ut graviter obligatoria, inter Doctrinæ Christianæ documenta proponantur. Et ideo *P. Suarez tom.1. de Relig. tract 2. lib. 2. c.2. n.2.* dixit, manifestè constare hanc veritatem *ex perpetua traditione, & communi Ecclesiæ consensu.* Quod quidem per multa capita ibidem ostendit.

10. Majorem in loco citato multis ostendi, quæ modo breviter attingam. Nam Concilium Tridentinum *sess. 13. cap. 7.* ut osten-

ostendat, semper fuisse in Ecclesia obligationem præmittendi Confessionem Sacramentalem communioni Eucharistiæ, illud tradit per hæc verba: *Ecclesiastica consuetudo declarat*, &c. Sed quid est *Declarat*, nisi (evidenter ostendit?) Hæc autem evidentia talis obligationis stat in eo, quod detur talis Ecclesiastica consuetudo, nempè cum firma persuasione Fidelium de obligatione gravi: ergo consuetudo Ecclesiastica cum firma persuasione omnium Fidelium facit evidentiam moralem.

11. Secundò probatur eadem major. Nam etiam Concilium Florentinum ex universali consuetudine Ecclesiæ Latinæ cōsecrandi corpus Domini pane azimo, arguit obligationem gravem consecrandi in præfato pane azymo: consuetudo ergo Ecclesiæ de præcepto aliquo tanquam graviter obligatorio, facit evidentiam de obligatione gravi.

12. Demonstratur secundò falsitas propositionis damnatæ. Nam quod de facto impositum fuerit præceptum graviter obligans servandi festa, est quæstio facti: in quæstione autem facti facit evidentiam moralem plena probatio facta per multitudinē testium: Cùm autem omnes Fideles conveniant in eo, quod detur talis obligatio gravis servandi festa, omnes Fideles sunt testes, quod ita semper audierunt à suis majoribus. In qua quæstione facti incredibile est, decipi omnes Fideles, omnes Episcopos, omnes Parochos, omnes Theologos, omnes Scriptores. Quando enim omnes conveniunt firmiter in ea persuasione, nituntur fundamento moraliter certo authoritatis omnium majorum. Quod si pauci aliqui dissentiunt, temerè procedunt; quia contra certitudinem moralem nihil proficit testimonium paucorum ... argumentum latè proposui aliis confirmationibus roboratum in eo art. 7. cit.

13. Demonstratur tertiò. Nam, ut constat ex c. *Cùm dilectus*, de consuetud. *Consuetudo est optima legum interpres.* In præfata autem *disp. 23. cap. 4.* latè ostendi, interpretationem consuetudinis esse authenticam, ac si ipse Princeps daret legi eam interpretationem. Itaque hæc interpretatio, quam dat consuetudo, non est conjecturalis, & probabilis; est enim regula data ab ipso jure. Unde & si lex verbis scriptis non exprimat dari obligationem conscientiæ; tamen adjuncta consuetudine, qua omnes leges, tanquam certò obligantem in conscientia, in praxi servant; tanquam certissima interpretatione, certò tenenda est, ut conscientiam obstringens. Quando ergo aliquis vertit in dubium, an præceptum servandi festa graviter obliget; pro parte affirmativa manifestè convincitur consuetudine ipsa, qua omnes Fideles illam servant tanquam obligatoriam: illa enim ita authēticè declarat legem, ac si ipse Princeps declaret, nam à jure ipso jubemur legem interpretari per consuetudinem. Vide reliqua, quæ in hujus argumentationis confirmationem attuli toto cap. 4.

14. Demonstratur quartò. Nam *S. Augustinus in epist.* 118. in ea quæstione, *Quid faciendum sit in materia Ecclesiastica?* postquam primo loco pro regula posuit Sacrā Scripturam; secundo loco proposuit pro regula certissima consuetudinem universalem Fidelium, illis verbis: *Similiter etiam si quid horum tota frequentat Ecclesia. Nam hoc quin ita faciendum sit, disputare, insolentissima insania est.* Sed tota Ecclesia habet hanc consuetudinem servandi dies festos

ſtos tamquam graviter obligatoriam: ergò inſolentiſſimæ inſaniæ eſt, id in diſputationem vertere. Vide quæ dixi in citato *cap.* 5. *art.* 5. 6. 7. & 9. circa multos textus *S. Auguſtini* hoc idem confirmantis, *ex lib.* 4. *contra Donatiſtas cap.* 6. & *cap.* 24. & *ex lib.* 5. *cap.* 23. & *ex epiſt.* 118. illis verbis, quæ referuntur in c. *Illa diſt.* 12. & *ex epiſt.* 86. ad Caſulanum.

15. Demonſtratur quintò ex *Bellarmino tom.* 1. *controv.* 7. *lib.* 2. *cap.* 10. eſt enim de jure Divino, quod aliqui dies feſti deputentur cultui Dei; illos autem dies non determinat jus Divinum: ergo debuit Eccleſia illos dies determinare obligando fideles ad obſervantiam illorum; alioqui juri Divino non ſatisfaceret.

16. Denique notandum eſt, evidentiam hujus obligationis ſervandi dies feſtos ſpecialiter augeri ex hac damnatione propoſitionis 51. Novo, inquam, titulo, qui non militat in propoſitionibus, quæ ſpectant ad jus naturale vel Divinum. Etenim ejus eſt interpretari legem authenticè, cujus eſt illam condere: ſed Romani Pontificis eſt condere pro tota Eccleſia legem de feſtis ſub gravi obligatione ſervandis: ergò ejuſdem Pontificis eſt illam interpretari, & ejus obligationem declarare. Sed SS. D. Innocentius XI. in hoc decreto declarat, eam legem de feſtis ſervandis eſſe obligatoriam ſub mortali: ergò hoc novo titulo eſt evidens, eam eſſe obligationem ſub mortali.

** † **

CAPUT III.

Evertitur fundamentum partis oppoſitæ.

SUMMARIUM.

Non omne peccatum mortale eſt violatio charitatis Dei, vel proximi n. 17. & ſeqq.

Legiſlator humanus & vult, & poteſt obligare ſub mortali in aliis, præter charitatem. num. 20.

Eccleſia poteſt injungere alia, præter ea, quæ præcepta ſunt jure Divino, vel naturali. nu 21. & ſeqq.

Peccatum mortale opponitur charitati, ſed non ſemper objectivè, licet ſemper ſubjectivè. num. 25.

Contemptus alius eſt rei præceptæ, alius legis præcipientis, aut legiſlatoris. Et quid inde pro qualitate peccati? num. 26.

17. In fine *capitis primi* propoſui fundamentum, quo hallucinabantur veteres, ut exiſtimarent, præcepta Eccleſiæ non obligare ſub mortali. Quod fundamentũ in eo cardine vertitur, quod non eſt peccatum mortale, niſi ſit contra charitatem Dei, & proximi, ſecluſo contemptu, & ſcandalo. Quæ doctrina improbabilis eſt, ut jam oſtendo.

18. Primò. Nam vel ea propoſitio eſt univerſalis de omni peccato mortali, vel ſolùm eſt de peccato mortali, quod committitur contra legem humanam: quidquid dicatur, eſt implicatio, & inconſequentia doctrinæ: ergò ea doctrina falſa eſt, improbabilis, & implicatoria. Probatur minor. Et in primis ſi dicatur primum, quod intelligitur de omni peccato mortali, contra eſt: nam juxta eam doctrinam, violare legem ex contemptu eſt peccatum

LIII 3 mor-

mortale: & tamen contemptus legis non est contra charitatem Dei, aut proximi: ergò datur peccatum mortale, quod non sit contra charitatem Dei, aut proximi.

19. Si verò dicatur, esse peccatum mortale, quod violat legem naturalem, aut Divinam, quamvis non sit contra charitatem Dei, & proximi, ex alio capite oritur inconsequentia: hinc enim infertur, quod conceptus peccati mortalis stat sine eo, quod sit contra charitatem Dei; & hoc semel admisso, nullum potest esse discrimen quoad hoc inter legem Divinam, & humanam. Præterea quia contemptus legis humanæ apud eos Authores est peccatum mortale: & talis contemptus non est violatio formalis legis Divinæ, aut naturalis; quia sicut non servare legem humanam solùm est violatio legis humanæ; ita & contemnere illam: ergò datur peccatum mortale contra legem humanam, quod non sit contra charitatem Dei, & proximi.

20. Secundò. Nam quod leges humanæ non possint obligare sub mortali, nisi in iis, quæ spectant ad charitatem Dei, & proximi, vel est, quia legislator non vult obligare, vel quia non potest: quidquid dicatur, ingentia parturit absurditatum monstra: ergò id tamquam falsum, & improbabile rejiciendum est. Probatur minor. Si enim dicatur primum, quod legislator non vult, id est pugnare contra rei evidentiam. Sæpè enim videmus, legislatorem præcipere, sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, multa, quæ non sunt contra charitatem Dei, aut proximi: sed quæ sic præcipit, vult præcipere sub reatu peccati mortalis, cùm excommunicatio latæ sententiæ fulminari non possit, nisi propter peccatum mortale: ergo evidens est, legislatorem velle obligare sub reatu peccati mortalis.

21. Si verò dicatur, legem humanam non posse obstringere graviter conscientiam, nisi in iis, quæ sunt contra charitatem Dei, & proximi; id est multò absurdius. Hinc enim infertur, Ecclesiam non posse præcipere, nisi quæ præcepta sunt lege naturali, aut Divina. Etenim omne peccatum, quod est formaliter contra charitatem Dei, & proximi, militat contra jus Divinum, & naturale; quia hoc jure interdicitur, quidquid est contra charitatem Dei, & proximi: ergò si Ecclesia non potest interdicere sub mortali, nisi quæ sunt contra charitatem Dei, & proximi; non potest interdicere sub mortali, nisi quæ jure Divino, & naturali interdicuntur.

22. Quod autem Ecclesia non possit præcipere, aut interdicere sub reatu culpæ gravis, nisi quæ jure Divino, vel naturali præcepta, aut interdicta sunt, est error pejor priore. Contra quem militant demonstrationes plusquam duodecim, quas in 2. *part. Crisi. Theol. disp. 21.* proposui contra *Caramuelem* asserentem, non esse evidens, quod possit Ecclesia præcipere, plusquam pœnaliter, & sub reatu culpæ. Sufficiat modò repetere definitiones Concilii Tridentini, ex quibus constat, esse in Ecclesia potestatem præcipiendi, & de facto esse data præcepta ab Ecclesia, quæ graviter obligent, ultrà ea, quæ jure Divino, & naturali constringunt conscientias.

23. *Sess. 6. cap. 8 de Baptismo* sic statuit Concilium: *Si quis dixerit, baptizatos liberos esse ab omnibus Sanctæ Ecclesiæ præceptis, quæ vel scripta, vel tradita sunt, ita ut ea observare non teneantur, nisi se sua sponte illis*

te illis submittere voluerint, anathema sit. Ubi notandum est primò, evidenter constare, in Ecclesia esse præcepta plurima ultrà ea, quæ jure naturali, & Divino præcipiuntur, & Concilium loqui de illis. Secundò, evidens esse, quod dantur in Ecclesia ejusmodi præcepta graviter obligantia, maximè, quæ versantur in materia gravi, & habent annexam excommunicationem latæ sententiæ, nam de his loquitur Concilium; loquitur enim de omnibus. Constat ergo ex Concilio Tridentino posse Ecclesiam sub reatu culpæ gravis, præcipere, ultrà ea, quæ sunt præcepta jure Divino, aut naturali.

24. Deinde præcepta Ecclesiæ constituentia impedimenta dirimentia matrimonii esse multa, quæ non sunt juris naturalis, aut Divini positivi; eaque præcepta graviter obligare, constat etiam ex Concilio Trident. *sess.* 24. *can.* 4 *de matrim. Si quis dixerit, Ecclesiam non potuisse constituere impedimenta matrimonium dirimentia, vel in eis constituendis errasse, anathema sit.*

25. Pro plena ergo responsione ad præfatum argumentum advertendum est, dupliciter posse peccatum esse contra charitatem Dei; scilicet objectivè, & subjectivè. Peccatum objectivè opponitur charitati, quando opponitur ratione objecti, sive ex parte modi tendendi in objectum: v. g. odium Dei directè opponitur charitati Dei; quia odium, & charitas ejusdem objecti opponuntur objectivè. Opponitur peccatum mortale subjectivè charitati Dei, quatenus peccatum mortale expellit à subjecto charitatem, & charitas expellit à subjecto quodlibet peccatum mortale; eò quod sint incompatibilia in eodem subjecto. Et ita distinguenda est major: nullum est peccatum mortale, nisi quod opponitur charitati (objectivè) nego; (subjectivè) concedo. Quæ responsio patet ex dictis.

26. Circa id verò, quod subjungit illud argumentum, supponendo quod qui violat legem ex contemptu peccat mortaliter, videndus est *P. Suarez lib.* 3. *de legib. cap.* 28. ubi distinguit inter contemptum rei præceptæ, & contemptum legis, aut præcepti, ut respicit legislatorem: asseritque posse non esse peccatum mortale contemptum rei præceptæ, eò quod res præcepta habeat aliquem defectum, aut imperfectionem, ratione cujus rem præceptam non dedeceat contemptus internus. Rursus contemptus præcepti, ut respicit legislatorem, vel potest esse contemptus personæ, vel contemptus legislatoris, ut talis, sive contemptus jurisdictionis, quæ quidem est à Deo. Primo modo potest non esse peccatum lethale, quatenus persona legislatoris habeat aliquem defectum, ratione cujus mereatur talem contemptum internum. At verò secundo modo est peccatum mortale, quia sic contemnitur ipsa Prælatio, & jusisdictio.

CAPUT IV.

An præfata propositio digna sit graviori censura?

SUMMARIUM.

Opinio negans gravem obligationem ex præcepto Iejunii, an sit temeraria? n. 28.

Propositio affirmans obligationem servandi festa, an sit de fide? n. 29.

Opinio negans talem obligationem videtur erronea. num. 30. & seqq.

Stare

Stare potest. quod respectu alicujus erronea non sit. num. 33.

27. SAnctissimus Dom... s Innocentius XI. eas propositiones in hoc decreto damnat *ut minimum, tamquam scandalosas*, & dum utitur eo termino, *ut minimum*, satis clarè constat, cum non excludere alias graviores censuras, quibus fortasse dignæ sunt aliquæ ex iis sexaginta quinque propositionibus. Inquirimus ergò, an ea propositio, quæ negat obligationem sub mortali servandi festa, sit digna graviori censurâ.

28. *P. Valentia* agens de præcepto jejunii (ut refert *Amadæus tract. de jejunio prop. 6. n. 4.*) asserit, eam opinionem, quæ negat gravem obligationem, esse temerariam. Quod idem diceret, de præcepto servandi festa; cum de omnibus quinque Ecclesiæ præceptis eadem sit ratio. Ea ergò opinio meritò censetur temeraria. Illa enim propositio temeraria est, quæ opponitur communi sententiæ Doctorum, qui illam tuentur tamquam certam; sic se habet ea opinio damnata, ut constat ex dictis: ergo est temeraria. Quod si duo, vel tres contradicunt, temerè procedunt.

29. *P. Suarez tom. 3. in 3. part. disp. 88. sect. §. Dicendum*, asserit, esse de Fide, dari in Ecclesia præceptum graviter obligans ad auditionem Missæ in diebus festis. Dicit autem esse ex Fide, non quia hæc gravis obligatio sit immediatè revelata, sed quia infertur evidenter ex una præmissa de Fide, adjunctâ aliâ præmissâ evidenti.

30. Juxta quem sensum assero, eam propositionem damnatam esse erroneam. Ita docent aliqui Recentiores agentes de præcepto jejunii, teste Amadæo ubi suprà. Pro cujus confirmatione, præmittendum est, conclusionem Theologicam esse illam, quæ evidenter deducitur ex una præmissa de Fide, & alia evidenti.

31. Probatur conclusio. Illa est propositio erronea, quæ contradicit conclusioni Theologicæ: sic se habet ea propositio damnata: ergò erronea est. Major est certissima. Est enim erronea propositio illa, qua quis vi consequentiæ cogitur negare propositionem de Fide: sed qui contradicit conclusioni Theologicæ, cogitur vi consequentiæ negare præmissam de Fide: ergo propositio erronea est, quæ contradicit conclusioni Theologicæ. Probatur minor: nam conclusio Theologica est, quæ evidenter infertur ex una præmissa de Fide, & altera evidenti: sed in argumentatione legitima, quæ constat una præmissa de Fide, & altera evidenti; cùm nequeat quis negare consequentiam, quæ evidenter infertur, neque præmissam evidentem, quia non potest claudere oculos evidétiæ; cogitur negare præmissam de Fide: ergò qui contradicit conclusioni Theologicæ, vi consequentiæ cogitur negare propositionem de Fide.

32. Jam verò minor prioris syllogismi, quod propositio negans obligationem gravem servandi festa, contradicat conclusioni Theologicæ illatæ ex una præmissa de Fide, & altera evidenti, ostenditur hoc syllogismo: *Ecclesia habet potestatem imponendi gravem obligationem servandi festa: sed de facto illam imposuit: ergo imposita est talis obligatio gravis servandi festa.* Cujus syllogismi conclusio evidenter infertur ex præmissis; nam licet syllogismus non servet formam Aristotelicam; tamen conclusio ex necessaria, & metaphysica connexione an-

ne antecedentis [illegible]n consequenti, evidenter infertur. De[illegible]e propositio major est de Fide; & minor est evidens; cùm ex suprà dictis constet, esse evidens, dari tale præceptum impositum ab Ecclesia. Ea ergo est conclusio Theologica. Sed propositio damnata negat, quod ea conclusio Theologica affirmat: ergò illi contradicit.

33. Advertendum tamen est (ut observavi in 2. *part. Crit. Theol. disp.* 23. *cap.* 8. *nu.* 233.) aliud esse, quod propositio sit erronea secundùm se; & aliud, quod sit erronea, ut ab isto homine asseritur. Dicimus ergò eam propositionem damnatam, esse secundùm se erroneam propter dicta; si verò aliquis in eo syllogismo negaret minorem, quamvis evidentem, nempe claudens oculos evidentiæ; ut ab eo homine asseritur, non est erronea; quia negans propositionem evidentem, non cogitur negare propositionē de Fide; erraret quidem contra evidentiam rei, sed non contra veritatem Fidei.

CAPUT V.

Deciditur secunda pars Dissertationis circa propositionem LIII.

ARTICULUS I.

Referuntur Authores, & refellitur eorum fundamentum.

SUMMARIUM.

Comparatur auditio simultanea duarum Missarum cum simultanea auditione duarum partium Missæ. num. 35.

Quomodo verificatur illud proloquium, sicut se habet totum ad totum, ita se habet pars ad partem? num. 36. & seqq.

Missa est quid compositum, sed successivum. n. 39.

Sicut se habet totum ad totum, ita pars ad partem sibi correspondentem. n. 40.

34. Damnat deinde Pontifex hanc propositionem 53. *Satisfacit præcepto Ecclesiæ de audiendo sacro, qui duas ejus partes, imò quatuor, simul à diversis celebrantibus, audit.* Et quidem multi sunt Scriptores, qui docuerunt hanc opinionem, vel absolutè, vel tamquam probabilem, pro qua *P. Matthæus de Moya tom.* 2. *select. in Appendic. ad tract.* 2. *de Religione disp.* 2. *quæst.* 3. §. 2. refert *Bonacinam Gesualdum, Dianam, Hieronymum Garcia, & Mascarennas,* hos omnes citatis eorum verbis; & alios præterea ex citatione aliorum.

35. Fundamentum, quo aliqui eorum utuntur, & cui nimis fidit *Diana part.* 10. *tract.* 15. *resol.* 3. Est licitum audire simul duas Missas, simul concurrentes in altaribus conjunctis, etiamsi una Missa obliget ex præcepto, & altera ex voto: sed sicut se habet totum ad totum, ita se habet pars ad partem: ergò si licet audire simul duas Missas secundùm se totas ad implendam obligationem; ita licebit audire simul duas partes Missæ.

36. Sed hoc argumentum laborat in æquivoco. Nam eodem argumento probo motum rotæ horologii primæ medietatis horæ posse coexistere simul cum motu ejusdem horologii secundæ medietatis horæ; ita ut ex duabus diversis semihoris non succedat una alteri. Nam motus solis, qui fit v. g. horâ duodecimâ diei coëxistit motui horologii, qui fit eâdem duodecimâ horâ: sed sicut se habet totum ad totum, ita se habet pars ad partem: ergo sicut illi motus totius integræ horæ coexistunt; ita duæ medietates motus horologii possunt

coexistere. Ubi vides exorbitare consequentiam ex eo, quod cum in consequente deberet poni coexistentia partis unius motus cum parte alterius; ponuntur partes unius totius, & non partes utriusque totius.

37. Id autem argumentum ita rectè procederet. Sicut se habet totum ad totum, ita se habet pars ad partem: sed totus motus solis unius horæ coexistit toti motui horologii unius horæ: ergo pars motus solis correspondet parti motus horologii.

38. Jam verò facilè cognoscitur, in quo latet æquivocatio argumenti illius. Quia comparat totum ad totum, & non comparat partem unius totius ad partem alterius totius; sed comparando totum ad totum, postea comparat duas partes unius totius inter se.

39. Itaque Missa est unum compositum successivum; in illo sicut se habet totum ad totum, ita se habet pars unius totius ad partem alterius totius: & ita quia licitum est adimplere præceptum, & votum per duas totas, & integras Missas simul auditas; ita licitum est implere præceptum per duas partes utriusque Missæ simul auditas; & ita licet implere utramque obligationem audiendo simul ambas Epistolas, & simul ambo Evangelia & simul ambo Offertoria, &c. non autem factâ comparatione ad duas partes unius totius.

40. Respondeo ergo ad argumentum, omissâ majori, distinguendo minorem: sicut se habet totum ad totum, ita se habet (pars unius totius ad partem alterius) concedo; ita se habet pars (unius totius ad partem ejusdem totius,) nego. Quare si comparo duos homines simillimos, rectè dicam; sicut se habet Petrus ad Paulum, ita se habent membra ad membrum; & ita sicut caput Petri est oblongum, ita caput Pauli; & sicut manus Petri habet digitos parvos, ita & manus Pauli. Exorbitabit autem consequentia, si inferat; ergò si caput Petri est oblongum, digitus Petri est oblongus; quia comparatio saltat extra propositum. Malè ergò inferunt, quod si possunt audiri duæ Missæ simul, possunt audiri duæ partes unius Missæ simul, ad præceptū implendum. Vide *P. Matthaeum de Moya* suprà citatum, qui optimè agnovit æquivocationem ejus argumenti.

ARTICULUS II.

Quàm sit certum, non impleri præceptum per duas Missæ medietates simul auditas?

SUMMARIUM.

Præceptum audiendi Missam ita est intelligendum, ut impleri nequeat per duas medietates simul auditas. n. 41.

Duæ medietates non constituunt unam Missam totam. n. 43.

Contra naturam entis successivi est ponere ejus partes simul. n. 45.

Absurda, quæ sequuntur ex propositione damnata. n. 46. & seq.

41 OMnes propositiones, quæ adversantur propositionibus in hoc decreto damnatis, habere omnimodā certitudinē, præcipuè in ordine ad praxim, constat ex dissertatione proœmiali. Illas tamen, quæ versantur in materia Ecclesiastica, novo, & specialiori titulo debere esse certas, observavi supra *cap. 2. in fine*. Itaque controvertebant Doctores an impleatur præceptum Ecclesiasticum audiendi Missam, per duas medietates Missæ simul auditas? Cùm ergò hoc præceptum sit purè Ecclesiasticum, & propterea pertineat ad Romanum Pontificem declarare, quo sensu intelligendum sit il-

sit illud præceptum; in damnatione hujus propos. 53 declarat Pontifex, utpotè legislator Ecclesiasticus, ita esse intelligendum præceptum, ut nullo modo impleatur per eas duas medietates simul auditas.

42. *Lugo Cardinalis de Eucharist. disp* 22. *sect.* 1. optimis argumentis refutat eam propositionem, quod possint audiri duæ medietates, non solùm simul, sed & successivè, ad præceptum implendum. Sed fusius *Caramuel* multas instantias *in Theol. fundam. à num.* 778. *fund.* 31. etiam in hypothesi, in qua concedatur, posse impleri præceptum per duas medietates successivè auditas. Breviter proponam argumenta efficaciora.

43. Primum ex *P. Suario de Euchar. disp.* 81. *sect.* 2. Præceptum obligat ad audiendam unam Missam totam: sed illæ duæ medietates non constituunt unã Missam totam; cùm reverà illud non sit unum Sacrificium: ergò non impletur præceptum audiendo illas duas medietates. Confirmatur. Nam si unus Sacerdos diceret usque ad consecrationem hostiæ; & alius diceret à consecratione Calicis partem residuam; nemo dixisset Missam integram: & similiter si unus consecraret hostiam, & calicem, & statim (extra casum extremæ necessitatis morbi repentini) cessaret à prosecutione Missæ; & alter Sacerdos diceret reliqua post consecrationem; neuter diceret Missam integram: eodem modo si hodie Sacerdos consecraret hostiam, & non sumeret illam, sed eam, quam consecravit heri, non celebraret Missam integram, sed poneret substantiam unius, & complementũ alterius Missæ: ergo neque audit Missam integram, qui duas medietates audit.

44. Deinde infert *Suarius* tamquam absurdum, quod hoc modo posset dici quod impleret præceptum, qui audiret simul duas medietates Missæ, asserens nullum Authorem ausum fuisse id asserere ad sua usque tempora. Et subjungit hæc verba: *Propter hæc suspecta mihi semper fuit illa doctrina, quam nonnullis etiam Theologis & jurisperitis displicere video: quia reverà est parum consentanea intentioni Ecclesiastici præcepti, & Religioni, ac reverentiæ debitæ huic sacrificio.* Quod totum argumentum instruit *P. Suarez* contra doctrinam de duabus medietatibus Missæ audiendis successivè; illud autem fortius militat in opinione damnata de duabus medietatibus simul audiendis.

45. Secundò. Contra naturam entis successivi, cujus partes sunt priores, & posteriores, est, quod tales partes sumantur simul: sed Missa est ens successivum cùm tota Missa fiat per motum labiorum: ergò contra naturam Missæ est, quod illæ partes priores, & posteriores audiantur simul.

46. Tertium ex *Caramuele* suprà (dato quod esset licitum duas Missæ partes successivè audire ad præceptum implendum) illud quidem constatum ex pluribus absurdis, quæ ex ea opinione inferuntur. Primò illis verbis ex num. 781. *Ergò si essent multa altaria, quibus simul esse præsens Petrus posset, & in uno Missa inciperetur, in altero Epistola, in altero Evangelium, in altero oblatio, in altero Canon, in altero consecratio, in altero Postcommunio, & in altero ultimum Evangelium, posset Petrus uno quasi momento temporis integrã Missam audire.* Responsiones autem ex *Diana*, & *Leandro* optimè refutat.

incompossibilis cum damnatione. Et ideò propositio, quæ est antecedens, unde infertur propositio damnata, est virtualiter damnata: quia benè valet ab opposito contradictorio consequentis ad oppositum contradictorium antecedentis, & ideò bene valet à contradictoria propositionis damnatæ ad contradictoriam antecedentis, quod infert propositionem damnatam: sed propositio, quæ admittit satisfieri præcepto per successivam auditionem duarum medietatum Missæ, est antecedens, unde infertur, quod satisfiat etiam per simultaneam auditionem earum: tum quia *Pater Suarez*, & alii eam consequentiam colligunt, tum quia præcipua argumenta, quæ militant contra simultaneam auditionem, militant etiam contra successivam; ut constat ex cap. præced. ergo ea opinio de auditione successiva duarum medietatum manet virtualiter damnata.

53. Dicendum tamen est, neque virtualiter manere damnatam eam opinionem de auditione successiva duarum medietatum, sive pars prior, sive posterior audiatur prius, Ratio est: Nam, ut propositio maneat virtualiter damnata, debet esse evidenter incompatibilis cum damnatione, sive debet esse antecedens, unde inferatur evidenter propositio damnata: atqui quamvis valde probabiliter opinio de successiva auditione inferat opinionem damnatam de simultanea auditione duarum medietatum Missæ, ut constat ex ratione dubitandi proposita; ast non illam infert evidenter; & consequenter non est evidenter incompatibilis cum ipsa damnatione. Et hinc patet responsio ad rationem dubitandi.

CAPUT VII.

An opinio de successiva auditione duarum medietatum Missæ maneat practicè probabilis?

SUMMARIUM.

Opinio est practicè probabilis, dum absque peccato deducitur ad praxim, numer. 54.

Opinio de auditione successivà videtur tenuis probabilitatis, n. 55. & 56.

Authores, quibus habetur suspecta, hæc probabilitas, n. 57. & seqq.

Absolutè manet practicè probabilis, donec aliter determinetur, n. 61.

54. Ut propositio sit practicè probabilis, necesse est, quod licitè & absq; peccato possit deduci ad praxim sive quod dum eam opinionem deducimus ad praxim, censeamur prudenter operari. Inquirimus ergo, an hæc opinio, quæ docet, satisfieri præcepto per successivam auditionem duarum medietatum, ita sit probabilis, ut licitè, & absque peccato possit deduci ad praxim, eaque ad praxim deducta, operemur prudenter.

55. Ratio dubitandi est: nam ea opinio non est practicè probabilis, quæ est tenuiter probabilis: sed illa opinio de successivà auditione est tenuiter probabilis: ergò non est practicè probabilis. Major est evidens ex damnatione tertiæ propositionis in hoc decreto contenta: damnatur enim hæc propositio: *Generatim dum probabilitate, sive intrinseca, sive extrinseca, quantumvis TENUI, modo à probabilitatis*

 fini-

finibus non exeatur, confisi aliquid agimus, semper prudenter agimus. Non est igitur probabilis practicè, neque prudenter practicabilis ea, quæ est tenuiter probabilis.

56. Quod vero ea opinio sit tenuiter probabilis, quæ est minor ejus syllogismi, probatur. Nam, ut late ostendi dissert.4. illa opinio est tenuiter probabilis, de cujus probabilitate dubitant non pauci viri docti; sic se habet ea opinio: ergò illa est tenuiter probabilis.

57. Probatur minor. Nam in primis de ejus probabilitate dubitat *P. Suarez* ubi supra *cap.5* illis verbis. *Propter hæc suspecta mihi semper fuit illa doctrina, quam nonnullis etiam Theologis, & jurisperitis displicere video*, &c. Dicitur autem doctrina suspecta illa, de cujus probabilitate dubitatur. Auget autem fundamentum dubitandi de ejus probabilitate, ex verbis immediatè subjunctis: *Quia revera est parum consentanea intentioni Ecclesiastici præcepti, & Religioni, ac reverentiæ debitæ huic Sacrificio.* Ut autem propositio sit absolutè, & practicè probabilis, non debet esse parum consentanea præcepto, &c. cum propositio ut sit absolutè probabilis debeat habere magnum fundamentum, atq; adeò esse valde consentanea præcepto. Ex quibus etiam constat, non solum Suarium, sed nonnullos etiam Theologos, & Jurisprudentes dubitare de securitate, sive de probabilitate practica ejus opinionis.

58. *P. Azor tom. 1. Inst moral. lib. 7. capit. 3. quæst. 3.* ait, loquens de hac opinione: *Mihi sanè illa prima sententia magis placeret, si aliqua firma ratione, aut argumento niteretur: neque enim video, quo pacto Missam totam, & integram audiat, qui fragmenta, & partes audit.* Cùm autem non sit probabilis propositio, quæ firma ratione non nititur, idem est dicere, quod illa opinio non nititur firma ratione, ac dicere quod non est probabilis.

59. *Card. Toletus lib. 6. Sum capit. 7.* ita ait: *Profectò non est visus audire Missam integram, sed duas dimidietates duarum Missarum, quæ inter se non faciunt integritatem.* In quibus verbis videtur Toletus non invenire firmam rationem, quæ essentialiter requiritur ad probabilitatem. Quibus simi'ia invenies in aliis Doctoribus.

60. Quibus accedit, quod cum Pontifex damnaverit eam opinionem asserentem, (satisfieri præcepto per simultaneam auditionem duarum partium Missæ,) creditur, ea præcipuè ratione nixum esse, quod duæ medietates Missæ non faciunt integritatem; ex quo sequitur, similiter deferendam esse opinionem de successivà auditione duarum partium Missæ: nam in utraque opinione militat eadem ratio; quamvis magis monstrosè in simultanea.

61. Et quidem si solum attenderemus ad principia intrinseca, rectè dici posset, hanc opinionem de auditione successiva duarum medietatum, esse tenuiter probabilem, propter dicta; & consequenter non esse practicè probabilem propter damnationem tertiæ propositionis contentam in hoc decreto, quam retuli suprà numer. 55. Attendendo tamen ad principia extrinseca, & ad authoritatem Doctorum, qui eam opinionem tuentur, admittere possum in ea opinione sufficien-

ficientem probabilitatem ad praxim. Et ita *Pater Suarez*, ubi suprà dixit: *Propter authoritatem prædictorum Doctorum non potest contraria sententia practicè condemnari; & ille, qui ex illa fuerit operatus, non peccabit mortaliter.* Et eodem modo *Lugo Card. disp 22 de Euchar. nu 8.* admittit probabilitatem ejus sententiæ solum per principia extrinseca. Quod intellige, dum Romna Cathedra cujus est declarare intentionem legum suarum, oppositum non declaraverit.

DISSERTATIO XXXIII.

An ille, qui non potest recitare matutinum, & Laudes, teneatur ad reliquas horas, quas potest?

CAPUT I.

Præmittuntur aliqua ad intelligentiam quæstionis?

SUMMARIUM.

Refertur propositio damnata, n.1.
Sententia negans obligationem, & ejus fundamentum n.2.
Discrimen inter Beneficiarios, & reliquos, qui tenentur ad horas Canonicas, n.3.
Præceptum aliquando versatur circa materiam dividuam, aliquando circa indivisibilem, num.4.
Si intentio præcipientis est ad totum, ut totum, qui nequit implere totum, non tenetur ad partem, n 5.
Ex quo principio pendeat resolutio præsentis dubii, num. 6. & 7.

1. PRopositio inter damnatas quinquagesima quarta hæc est: *Qui non potest recitare Matutinum, & Laudes, potest autem reliquas horas, ad nihil tenetur; quia major pars trahit ad se minorem.* Primus author hujus opinionis fuit Doctor *Navarrus in capit. Quando.* De *consecr. dist 1. capit. suo 11. nu. 15.* asserens, eum, qui non potest persolvere majorem partem Officii Canonici, non teneri ad minorem, quam potest. Quem sequitur *Diana part. 4. tract. 4. resol. 225.* & alii quos ipse refert.

2. Fundamentum eorum est. Quia non quælibet potentia recitandi aliquam partem, ad eam recitandam obligat, quando est impotentia ad reliquas. Nam si ea potentia ad recitandam minorem partem obligaret, innumeris scrupulis & perplexitatibus pateret: vix enim erit ægrotus, qui saltem brevem aliquam horam recitare non possit; cùm tamen experientia compertum sit, neminem cum ægrotis ita minutatim agere, ut illum urgeat ad recitandam aliquam brevem horam, quam posset; sed absolutè declaratur ægrotus exemptus ab ea obligatione recitandi. Cùm ergo non definiatur in jure, ad quantam partem teneatur ægrotus, aut quilibet alius impeditus ad partem præcepti, videtur nullum aptius judicium efformari posse, quàm ut major pars trahat ad se minorem. Quod axioma desumptum est ex cap. 1. de iis quæ fiunt à majori.

3. *Thomas Hurtado tom.* 1. de Residentia *lib. 5. Resol. 7. sub resol.* 10. *namer.* 42. (*teste Filguera* in expositione hujus proposítio-

sitionis 54.) mediam subivit semitam, dicens, Beneficiarios, quia ex justitia tenentur restituere fructus correspondentes singulis horis, & si non possint recitare Matutinum, & Laudes, teneri ad reliquas horas; Regulares vero non teneri, quia eorum obligatio solum fundatur in virtute Religionis. Subjungit Filguera citatus hæc verba: [Si autem *P. Hurtadus* differentiam, quam excogitaverat, mordicus defendisset, probabile forsan alicui videretur post damnationem Pontificiam, quod qui non potest recitare Matutinum, & Laudes, potest autem ad reliquas horas, ad nihil tenetur, si solum ad recitandum obligatur virtute Religionis; non autem ratione Beneficii Ecclesiastici...... Cùm in odiosis, ut loquuntur Anthores, debeat fieri restrictio, sicut in favorabilibus ampliatio, poterat non injuriosè, seu non violenter damnatio Pontificia intelligi de obstricto ad recitandum ex virtute justitiæ, non autem Religionis, quod quidem minus est.] Ubi vides, inclinare Filgueram ad hoc, quod damnatio Pontificia extendatur solum ad obligationem recitandi ex justitia; quamvis id non absolutè asserat.

4. Pro cujus rei claritate præmitto, duplicem esse materiam præcepti, aliam dividuam, & aliam individuam. Dicitur dividua, quando habet plures partes, ad quarum singulas seorsim ab aliis obligat præceptum. V.g. jejunium Quadragesimæ, quæ dividitur in quadraginta dies, in quorum singulis obligat præceptum. Dicitur individua, quæ non habet plures partes, ad quarum singulas obliget præceptum seorsim ab aliis: v.g. præceptum Cōfessionis annuæ, & præceptum communicandi in Paschate. Itaque materia individua præcepti dicit duo, vel quod non habeat plures partes, vel si eas habeat, non obliget ad eas, seorsim ab aliis. Communio Paschatis est materia individua, quia non habet plures partes; & Confessio annua quam præcipit Ecclesia, & si habet tres partes, cordis contritionem, oris Confessionem, & operis satisfactionem, tamen materia individua est præcepti Ecclesiastici, quia non præcipit singulas earum seorsim ab aliis, sed illas tres partes simul, sive ut conjungendas ad conficiendum unum Sacramentum.

5. Hinc fit, quod quando materia est individua, si quis non possit implere totam materiam, & possit implere unam partem materiæ, non tenetur ad hanc partem implendam. Et ita si quis voveat unum psalterium integrum indivisibiliter, ita ut intentio voventis feratur ad totum, ut totum, & non aliter; quamvis psalterium dividatur in partes, si non possit quis recitare totum psalterium, non tenetur ad partem, quia obligatio ejus voti est de materia individua ex intentione voventis. Et idem evenit in præceptis, si constat, intentionem legislatoris esse, præcipere totum ut totum, & non singulas partes seorsim ab aliis.

6. Quare præsens quæstio, [An qui non potest recitare Matutinum, & Laudes, teneatur ad reliquas horas?] Pendet ab hac altera quæstione, (An præceptum recitandi Officium Canonicum contineat materiam dividuam, an individuam?) & juxtà decisionem hujus secundæ quæstionis decidenda est prima.

7. Casus autem, in quibus frequentius potest habere locum hæc quæstio, sunt, ad

vel quando infirmus non potest recitare Matutinum, & Laudes; judicat autem se posse recitare horas minores: vel quando quis amisit Breviarium, nec potest illo die invenire illud, vel aliud commodatum, & ideò non potest recitare Matutinum, potest autem alias horas recitare; vel aliquando necessariis suæ obligationis negotiis impeditus usque ad unum quadrantem ante mediam noctem, nihil recitavit, & ideò non potest in illo quadrante residuo recitare Matutinum, & Laudes.

CAPUT II.

Ostenditur falsitas propositionis damnatæ.

SUMMARIUM.

Quid ad hoc comferat hæc declaratio? numer.8.

Præceptum de recitatione versatur circa materiam dividuam, n.9.& 10.

Non versatur ad totum, reduplicativè ut totum, n.11.

Qui non potest totum, tenetur ad partem rei dividuæ, n.12.

Inconsequentia in doctrina opposita, numer.13.

Quomodo intelligendum, quod major pars trahit ad se minorem, n.14.

Damnationem intelligi solum de Beneficiario improbabile est, n.16.

8. Veritatem in hac damnatione statutam & falsitatem propositionis damnatæ, defendit, & explicat optimè *P. Suarez tom. 2. de Relig. tract. 1. lib. 4. capit. 28. à numer. 22. & Pater Thomas Sanchez lib. 1. Summæ capit. 19.* & alii. Ostenditur primò ex hac ipsa damnatione, ex qua novo, & speciali titulo fit evidens, eum, qui non potest recitare Matutinum, & Laudes, potest autem reliquas horas, teneri ad illas recitandas. Nam ut semel, & iterum observavi in disert. præced. Ejus est declarare authenticè præceptum, & obligationem ejus, cujus est condere; sed Romani Pontificis est condere hanc legem recitandi Officium Canonicum: ergò ejusdem est declarare authenticè hoc præceptum, & obligationem ejus. Sed Romanus Pontifex in hoc decreto declarat, de obligatione hujus præcepti extendi ad recitandas reliquas horas ab eo, qui non potest recitare Matutinum, & Laudes, potest autem reliquas: ergò jam evidens est, in prædicto casu illum teneri ad reliquas horas recitandas. Quo eodem modo discurrendum est in reliquis propositionibus damnatis, quæ versantur in materia juris Ecclesiastici.

9. Ostenditur secundò. Quando materia præcepti non est individua, qui non potest implere totam materiam præcepti, tenetur ad partem, quam potest: sed materia hujus præcepti, quod indicit Officium Canonicum, non est individua, sed potius dividitur in septem horas Canonicas: ergò qui non potest implere totum præceptum, tenetur ad partem, quam potest: ergò qui non potest implere majorem partem præcepti, tenetur ad minorem, quam potest: ergò qui non potest recitare Matutinum, & Laudes, tenetur ad reliquas horas, quas potest. Hæ duæ postremæ consequentiæ evidenter inferuntur ex prima; & hæc ex præmissis.

10. Minor ostenditur. Nam si materia

ria hujus præcepti esset individua, & talis, ut præceptum non obligaret nisi ad totum Officium ut totum & non ad singulas ejus partes, fieret, quod qui non posset recitare Completorium, non teneretur ad reliquas horas; id enim est obligari ad totum ut totum indivisibiliter: id autem quàm sit absurdum, & quàm alienum à mente Ecclesiæ, quis non videat?

11. Præterea, quia quando materia præcepti in se ipsa est divisibilis & dividitur in plures partes, non potest dici, quod præceptum respiciat totam materiam ut totam indivisibiliter, nisi detur aliqua specialis ratio, vel aliquis titulus ratione cujus constet, præceptum procedere in totam materiã ut totam indivisibiliter. Cùm ergo nulla sit ratio, nullus titulus ratione cujus hoc præceptum respiciat horas Canonicas, ut totum quoddam indivisibiliter, dici non potest, hoc præceptum ita procedere. Ita si quis diceret præceptum solvendi decimas suam materiam respicere indivisibiliter, sieret, quod qui non potest solvere decimam, potest autem solvere vigesimam, ad nihil teneretur; quod esset ingens absurdum. Ideò autem est absurdum, quia nullus est titulus ratione cujus id præceptum accipiatur tanquam respiciens totam materiam, ut totam indivisibiliter.

12. Major autem prioris Syllogismi, si penetrentur termini, evidens esse comperietur, scilicet quod quando materia præcepti non est individua, qui non potest implere totam materiam, tenetur ad partem, quam potest. Quia quando non est individua habet partes, & præceptum non respicit illas, ut totum quoddam indivisibiliter, quia si respiceret illas partes, ut totum quoddam indivisibiliter, jam illa materia, ut comparata ad præceptum, esset individua: si ergo materia præcepti habet plures partes, & præceptum respicit illas divisibiliter, qui non potest ponere unam partem, vi præcepti tenetur ad ponendas alias.

13. Ostenditur tertiò. Nam Authores primæ sententiæ videntur inconsequenter procedere. Nam vel dicunt materiam hujus præcepti de recitando officio Canonico esse individuam, vel dicunt esse dividuam. Si primum: perperam dicunt, quando quis non potest recitare minorem partem, potest autem majorem, teneri ad hanc recitandam: quia quando materia comparata ad præceptum est individua, qui non potest ponere totam materiam, ad nihil tenetur; & ita qui non posset recitare Completorium, ad nihil tenetur. Si autem dicunt, esse dividuã, cùm hanc respiciat præceptũ non solum secundum se totam, sed secundum singulas sui partes; perperam asserunt, quod qui non potest ponere majorem partem, non tenetur ad minorem, cum præceptum ad singulas extendatur.

14. Ostenditur quarto ex *P. Suarez cit.* tum quia id fundamentum, quo nituntur adversarii, quod major pars trahit ad se minorem, ex *cap* 1. de iis, quæ fiunt à majori, non est ad rem; loquitur enim textus de Canonicis ferentibus suffragium, præcipitq; standum esse pro majori parte suffragiorum, & hoc sensu dicitur, quod major pars trahit ad se minorem; quod quid prodest ad excusandam recitationem partis minoris? Tum etiam, quia plerumque contingit, quod Matutinum, & Laudes sint medietas officii, & non pars major: ergò ut reliquæ horæ omittantur, cessat ratio, quod major pars trahat ad se minorem; cùm sic non detur pars major, & pars minor.

15. Et

15. Et hinc convincitur, falsam esse sententiam *Thomæ Hurtado relatam cap.1.* quod in præcepto recitandi officium, quod provenit ex virtute Religionis, qui non potest recitare Matutinum, & Laudes; & potest reliquas horas, non teneatur ad has. Primò ex demonstratione 1. Ex quâ manifestum est, legislatorem declarare mentem sui præcepti de obligatione recitandi eas horas officii, quas potest; etsi aliquas alias non possit. Secundò, ex eo quod materia hujus præcepti, etiam qua procedit ex sola virtute Religionis, est materia dividua, & ut talis respicitur ab ipso præcepto; ut constat ex dictis.

16. Id autem, in quod inclinat Filguera, quod dum Pontifux damnat eam propositionem, solum loquitur de officio, quod Beneficiarius recitat ex obligatione justitiæ, caret probabilitate. Nam cùm Pontifex declaret, præceptum recitandi horas Canonicas extendi ad singulas horas seorsim; qui dicit intelligi debere de præcepto quod oritur ex justitia, & non solum ex Religione, contradicit declarationi Pontificiæ. Nam damnatio Pontificis est universalis; illa autem interpretatio negat eam universalitatem. Id autem fundamentum quo nititur, scilicet quod leges odiosæ restringendæ sunt, habet locum in dubiis; in iis autem, quæ tam universaliter, & tam indubitanter damnat Pontifex, quomodo potest habere locum ejusmodi restrictivâ interpretatio.

* * *

CAPUT III.

An qui non potest recitare Matutinum, & Laudes, & dubitat, an possit reliquas horas, teneatur ad illas?

SUMMARIUM.

Status præsentis dubii proponitur, n.17.
De graviter ægrotante non est scrupulosè inquirendum, n.18.
Graviter ægrotans dubius, an possit recitare aliquam horam, ad nullam tenetur, num.19.
An tunc standum sit pro præcepto recitandi? num.20.
Standum tunc pro periculo damni causandi à recitatione, n.21. & seqq.

17. Vidimus initio capitis 1. Authores, qui negarunt obligationem recitandi horas reliquas in eo, qui non potest recitare Matutinum, & Laudes, præcipuè id negasse, propter ægrotum, qui Matutinum, & Laudes recitare non potest: eo quod videtur durum, obligare ægrotum ad illas horas recitandas; qui enim erit ægrotus, qui non possit recitare Completorium, maximè si illud memoria ejus retineat?

18. *P. Suarez* ubi suprà *num.* 27. asserit, si certo constet, ægrotum posse sine gravi incommodo recitare aliquas horas, teneri ad illas recitandas. Subjungit tamen limitationem his verbis. *At verò si infirmitas impediat definite Divinum Officium, ut est febris gravis, vel aliquid simile, tunc non censeo esse scrupulosè inquirendũ, an possit infir-*

 mus

mus unam, vel alteram horam dicere, quia excusatio illa ex se indefinita aequivalet universali, ita enim, ut dixi, consuetudo hanc legem interpretatur; & fortasse ratio est, quia est valde difficile in hujusmodi occasionibus attingere punctum in judicando, quid possit homo dicere, vel non dicere sine gravi incommodo. & ideo satis esse creditur, quod officium ipsum dici non possit sine notabili incommodo.

19. Juxtà hanc Suarii doctrinam dicendum est, quando certum est, ægrotum non posse sine gravi incommodo, aut periculo, recitare totum officium, & dubitatur an possit aliquam partem recitare, illum ad nihil teneri. Hæc est sententia *P. Suarii* in verbis proximis relatis, quam sic explicuit *P. Thomas Sanchez lib. 1. Sum. cap. 19 numer. 8. Si vero pars illa non sit omninò certa, sed perplexitatis & scrupulorum occasio esse possit in quantitate partis, ad quam est potentia dignoscenda; tunc censeo, servandam esse regulam numer. 1. traditam, ut major pars trahat ad se minorem, atque ita si desit potentia ad majorem officii partem, cesset obligatio ad reliquam, ad quam forte est potentia.·.·. quia cum pars non sit certa; non potest commodè dividi obligatio, quin multis scrupulis, & perplexitatibus pateat circa quantitatem, ad quam est potentia, dignoscendam.·.·. Et juxtà hanc regulã cessabunt perplexitates, & scrupuli.*

20. Sed contra hanc resolutionem militat hoc argumentum. Dum præceptum est certum, & dubitatur, an in hoc casu obliget ratione alicujus peculiaris circumstantiæ, in hoc dubio præceptum obligat; pro illo stat pro præcepto, ut multis probat *P. Thom. Sanch lib. 1. Sum capit. 10. num. 34.* & pro hac sententia *Decium, Bernardum, Alciatum, Nevizanum, Surdum, Glossam, Francum, Salicetum, Everardum, Abbatem, Covarrubiam, Goncalez, & Medina contra P. Salas tom. 2. quæst. 21. tract. 8. disp. unic. sect. 25. num. 259.* sed in hoc casu præceptum recitandi omnes, & singulas horas Canonicas, est certum; & dubitatur, an ratione ægritudinis obliget ad eas horas; quinimo dum dubitatur, an possit illas recitare sine gravi incommodo, dubitatur, an obliget hic, & nunc: ergò re ipsa obligatur ægrotus in hoc dubio.

21. Sed solutio hujus objectionis multum prodest ad confirmandam doctrinam traditam. Etenim quando præceptum tale est, quod non obliget cum gravi detrimento, & ea dubitatio inducit, aut constituit periculum ejus detrimenti, tunc præceptum non obligat; nam idem judicium fit de detrimento, ac de periculo illius. In nostro ergo casu id ita evenit: nam præceptum recitandi horas Canonicas non obligat cum gravi detrimento valetudinis, cum ergo dubitatur, an possit ægrotus recitare aliquam partem officii Canonici ea dubitatio est, an recitatio ejus partis allatura sit detrimentum ægroto; id enim perinde se habet, ac timere periculum ejusmodi detrimenti: & ideò dum dubitatur, an possit recitare, rationabiliter timetur periculum detrimenti: & ita ægrotus liber manet ab obligatione præcepti.

22. Deinde, quando dubitatur de obligatione præcepti ob talem circumstantiam, quæ ex una parte minitatur detrimentum, ex altera vero inducit in perplexitatẽ, & scrupulum; cum homo ex tali circumstãtia versetur inter duo pericula valetudinis, & conscientiæ, talis circumstantia, quæ talem dubitationem producit, omninò excusat

cusat ab obligatione præcepti. Dicendum ergò est, ægrotum non solùm excusari ab obligatione recitandi eam partem officii, quam pro certo non potest; sed etiam eam partem, de qua dubitatur, an possit illam recitare sine gravi detrimento.

23. Ad objectionem ergò dicendum est, quando humanum præceptum est certum, & dubitatur an talis circumstantia excuset, standum est pro possessione præcepti, si id dubium non inducit periculum nocumenti, maximè quando inducit simul periculum incidendi in perplexitatem conscientiæ ob difficultatem determinandi, quantum futurum sit detrimentum, non potest prævalere possessio præcepti, sicut nec ipsum præceptum cum eo periculo detrimenti. Et in his patet, quid dicendum sit ad rationem dubitandi propositam initio capitis primi.

CAPUT IV.

An qui non potest recitare unam horam integram, teneatur ad recitandam partem ejus, quam potest?

SUMMARIUM.

Exemplum de impotentia in Prima, vel in Matutino. n. 24.

Discrimen inter partes unius horæ ad horas, & partes officii ad totum officium. Ex P. Suar. n. 25.

Opinio P. Suarii ex hoc discrimine. nu. 26.

Refertur alia opinio. n. 27.

An illa subjaceat damnationi? n. 28.

Non subjicitur damnationi, neque virtualiter. n. 29.

Præceptum de singulis horis esse præceptum de re dividua probabiliùs est. n 30.

Quælibet hora, & quælibet Psalmus per se est expetibilis ad Dei laudem. n. 31.

Ecclesia ita videtur intendere singulas horas, sicut totum officium, n. 32.

Qui inverteret ordinem unius horæ sine causa aliqualiter peccaret. n. 33.

In materia Religionis, si detur dubium, eligenda est pars, quæ faveat Religioni n. 34.

Ut teneatur ægrotans etiam ad partem horæ, debet esse certum, quod absque nocumento possit. n. 35.

24. EXemplum hujus quæstionis proponi potest in Prima Dominicali officii Canonici: circa quam inquiritur, an qui non potest recitare symbolum S. Athanasii, preces, & reliqua, v.g. quia amputata invenit in Breviario duo folia, neque habet unde suppleat, teneatur ad recitandum quatuor psalmos cum orationibus antecedentibus; an potius, quia non potest recitare totam Primam, ad nihil teneatur? Similiter qui ex matutino non potest recitare Lectiones, & Responsoria, sed solos Psalmos defectu Breviarii, an teneatur ad recitandam eam partem horæ, quam potest.

25. *P. Suarez tom. 1. de Relig. lib. 4. c. 28 nu. 26.* sic disserit: *Aliud est, comparare singulas horas Canonicas ad partes, ex quibus constant, aliud verò comparare omnes septem horas ad totum officium unius diei, quod est velut adæquata materia, vel actus hujus præcepti. Si primam comparationem faciamus, rectè dicitur, neminem obligari ad dicendam aliquam horam, qui non possit saltem majorem ejus partem dicere, quia unaquæque hora præcipitur ut quædam actio perfecta, & ideo si non possit ita fieri, ut nomen illud mereatur, non nascitur obligatio dicendi illam. Minor autem pars Primæ v.g. (& sic de aliis) non potest*

dici Prima, imo neque dimidia pars, sed oportet ut saltem præcipua, & quasi substantiales ejus partes dicantur quocircà etiamsi in singulis horis posset quis dicere aliquas partes minimas, si nullam earum potest majori ex parte dicere: nihil profectò dicere tenetur, etiamsi omnes illæ particulæ simul sumptæ, bonam aliquam partem totius Divini Officii conficere videantur. Quia non possunt per modum unius horæ, nec per modum Canonici Officii recitari. Si ergò in hoc sensu locutus est Navarrus, verum est ejus arbitrium, neque contra hunc sensum procedunt objectiones factæ, ut constat.

26. Itaque juxtà sententiam *P. Suarii*, qui non potest dicere majorem partem Primæ, non tenetur reliquam partem recitare, quia Ecclesia præcipit tibi, ut recites Primam; & minor pars medietatis, imò nec ipsa medietas, potest dici absolutè Prima; dicetur autem Prima, quamvis aliqua minor pars desit, quia v.g. deest aliquod folium in Breviario, quod suppleri non potest.

27. Eamdem sententiam tenet *P. Thom. Sanchez. lib.* 1. *Sum.c.*19.*num.*8. Ubi referens sententiam *Navarri* asserentis, eum, qui defectu Breviarii non possit recitare lectiones, & earum responsoria, teneri ad recitandos psalmos ex eo principio, quod major pars trahit ad se minorem; reprobat hunc discurrendi modum, & ait: *Si matutinum esset feriæ. vel Sancti simplicis, credo, eos non excusari, quia omissio trium lectionum, & earum responsorium, quæ ad integrum matutinum desideratur, esset materia parva, ac proindè moralem matutini integritatem non tolleret. Secùs si esset matutinum festi duplicis, aut semiduplicis, in quo novem lectiones. & octo responsoria omittenda essent: tunc enim cùm ea sit pars notabilis, quæ omissa non satisfit integrè moraliter præcepto, ideo nullatenus id præceptũ obligat.*

28. Et quidem videbitur alicui, hanc opinionem subjici huic damnationi, si non expressè, saltem virtualiter. Nam quod est antecedens inferens propositionem damnatam, virtualiter manet damnatum, ut sæpè diximus; sed ex eo quod ille, qui non potest recitare partem notabilẽ matutini, non tenetur ad reliquum ejusdem matutini; videtur inferri à paritate rationis, quod qui non potest recitare matutinum, & laudes, non teneatur ad reliquas horas: ergò similiter ea propositio manebit virtualiter damnata.

29. Assero tamen, eam sententiã *Suarii* neq; virtualiter manere damnatam: nam ut sæpius dixi, ut propositio maneat virtualiter damnata ex illatione, debet illatio esse evidens. Ex hac autem sententia non infertur evidenter propositio damnata; quia Authores ejus sententiæ assignant manifestum discrimen. Nam præceptum Officii Canonici continet materiam dividuã, quæ dividitur in septem horas Canonicas; at verò præceptum ut terminatur ad unam horam v.g. ad Primam, cùm terminatur ad Primam, ut Primam præceptũ illud continet materiam individuam, & cum una pars Primæ minor medietate non sit absolutè Prima, non censetur moraliter ea minor pars. Admisso ergò hoc discrimine, non infertur evidenter, quod qui non potest recitare matutinum, & laudes, non teneturad reliquas horas, ex eo quod ille, qui non potest recitare majorem partem Primæ, non tenetur recitare minorem. Dicendum ergò est, eam sententiã *Suarii* & *Thomæ Sanchez*, esse probabilem, donec Romana Cathedra non declaraverit oppositũ.

30.

30. Adhuc tamen probabilior mihi videtur sententia afferens, præceptum recitandi singulas horas, terminari ad illas divisibiliter, ita ut teneatur quis partem horæ recitare quam potest, si reliquam partem non potest. Probatur. Ut præceptum censeatur continere materiam individuam, requiritur, ut detur fundamentum urgens ad censendum, quod tale præceptum respicit partes suæ materiæ indivisibiliter, & per modum unius: sed non datur fundamentum urgens, ut censeatur hoc præceptum de singulis horis recitandis, respicere unamquamque horam indivisibiliter, & per modum unius: ergo præceptum de singulis horis recitandis non debet censeri continere materiam individuam; atque adeo qui non potest recitare aliquam partem magnam Primæ, tenetur recitare reliquam partem.

31. Probatur minor. Nam qualibet hora componitur ex psalmis, & quævis oratio per se est expetibilis ad laudandum Deum, & devotionem augendam: ergò non est, cur Ecclesia suo præcepto intendat indivisibiliter illum ordinem Matutini, Primæ, &c. & non intendat recitationem singulorum psalmorum & orationum.

32. Confirmatur primò. Nam sicut Ecclesia ita intendit, recitari omnes horas Canonicas, ut etiam intendet singulas, verisimile est, imò plusquam verisimile, quod ita intendat recitari horam Canonicam, ut intendat etiam singulos psalmos, & orationes: ergo non est, cur præceptum censeatur procedere indivisibiliter circa materiam cujuslibet.

33. Confirmatur secundò. Si propter aliquid præceptum recitandi Primam, deberet procedere indivisibiliter circa suam materiam, maximè propter servandum illum ordinem, & quasi artificium, quod habet illa hora Canonica: sed quamvis ille ordo non servetur, non violatur graviter id præceptum; nam qui diceret symbolum S. Athanasii ante psalmos, & preces diceret post *Pretiosa*, licet peccaret venialiter, non tamen violaret graviter præceptum: ergò id præceptum non procedit indivisibiliter circa suam materiam.

34. Confirmatur tertiò. Nam ut docui in 1. *part. Crist. Theol. disp. 17. cap. 2.* cum *PP. Suario, Thoma Sanchez*, & aliis, quoties in materia favorabili, præcipuè Religionis, oritur dubium ex varietate opinionum, ea opinio eligenda est, quæ est favorabilior Religioni, taliter quod probabilitas opinionis minus favorabilis limitetur, & talis opinio non maneat practicè probabilis; sed sententia, quæ dicit, præceptum recitandi Matutinum, vel Primam, &c. procedere divisibiliter circa suam materiã, ita ut extendatur ad totam horam, & ad singulas ejus partes, est favorabilior Religioni, & cultui Dei: ergo hæc sententia omninò est tenenda in praxi. Minor patet: quia favorabilius est cultui Dei, quod ita obligatus maneat quis ad horam recitandam taliter, quod si non possit totam recitare, teneatur ad partem, quam quod excusetur à recitanda parte, quando non potest recitare totam; quia, quando non potest recitari tota hora, magis favet cultui Dei, recitare aliquid, quam nihil recitare.

35. Neque ex hac sententia sequitur, quod ægrotus incidat in perplexitatem, & scrupulos. Standum enim est in ea doctrina, quam cum *Suario*, & *Thoma Sanchez* tradidi *capite 3.* ut obligetur infirmus recitare aliquam partem officii, debere esse omni-

omnino certum, quod potest recitare sine ullo nocumento; nam si dubitatur, an sit nasciturum, omninò non tenetur propter ibi dicta.

CAPUT V.

Enodantur nonnullæ quæstiunculæ.

SUMMARIUM.

Quid dicendum de cœco sciente memoriter partem officii? n. 36.

Quid de impotente ad Matutinum, & potente ad Laudes? n. 37.

Iste utique tenetur ad Laudes, quas potest. num. 38.

Laudes habent formam unius horæ. num. 39.

Item, possunt dici in choro separatæ. n. 40.

Quid de potente recitare unum tantum Nocturnum ex Matutino? n. 41.

36. Inquires primò, an cœcus excusetur à recitatione partis officii, quam memoria retinet eodem modo ac ægrotus juxta dicta *cap.* 3. Nam aliquibus videtur, eodem modo in cœco, qui non laborat alio morbo, quàm cæcitatis, ac in ægroto discurrendum esse, & asserendum. Dicendum tamen est, non esse in cœco, aliàs sanitatis participe, eamdem rationem, ac in ægroto. De ægroto enim præcipuè febricitante, dubitatur, an illa pars officii afferet nocumentum, & hoc modo periclitatur; quod non evenit in cœco aliàs sano.

37. Inquires secundò. An qui non potest recitare Matutinũ, potest autem Laudes, teneatur ad Laudes recitandas? Ratio, quæ occurrit pro parte negante obligationem, est, quod Matutinum, & Laudes constituunt unam horam; unde solum Matutinum non est hora integra, sed pars unius horæ Canonicæ: at juxtà sententiam *P. Suarii, & P. Thomæ Sanchez*, quam *cap. praced.* proposui, non habet obligationem recitandi partem unius horæ, qui majorẽ partem illius non potest recitare: ergò qui non potest recitare Matutinum, quæ est multò major pars, non tenebitur ad Laudes.

38. Dicendum tamen est, eum, qui non potest recitare Matutinum, potest autem Laudes, teneri ad recitandas, etiam juxtà sententiam *Suarii* suprà memoratam. Tum quia commune est, illas censeri duas diversas horas, ut tenent plures Authores apud *P. Suar. tom. 2. de Relig. tract. 1. lib. 4. c. 6. num.* 3. distinguunt enim inter nocturnas vigilias, & Laudes, quas vocant Matutinas. Quod videtur desumptum ex *cap. 1. de celebr. Missar.* ubi dicitur: *Propheta dicente, Septies in die laudem dixi tibi: qui septenarius numerus à nobis impletur, si Matutinali, Prima, Tertia, Sexta, Nona, Vespera, & Completorii tempore nostræ servitutis officia persolvamus. Nam de nocturnis vigiliis idem ipse Propheta ait: Mediâ nocte surgebam,* &c. Ubi vides, poni diversitatem inter Matutinalem, & nocturnas vigilias; & præter nocturnas vigilias enumerari has septem. Et ideo *Hugo de S Vict. lib. 2. de Eccles. offic. cap. 9.* ait: *Nostra autem consuetudo humana parcens infirmitati, & labori, officio prædicto* (nocturnorum) *Laudes Matutinas continuat, & oratione unâ duo claudit officia.*

39. Tum etiam, quia licet commune sit admittere septem horas Canonicas, & Matutinum, ac Laudes pro una computari; negari non potest, Laudes habere formam unius horæ: Nam (ut loquitur *P. Suarez* ubi supra *num.* 4.) *Nocturni, & Laudes habent propriè initia horarum, qualia esse solent in horis distinctis, & hymnos distinctos;*

stinctas; & Laudes habent suam propriam lectionem, seu capitulum, & alia omnia, quæ ad integritatem horæ in quacumque alia aperitur. Quare dum dicitur, juxtà sententiam *Suarii*, eum, qui non potest recitare partem magnam horæ non teneri ad reliquam partem, id non est intelligendum de ea reliqua parte, quæ per se seorsim sumpta habet formam horæ integræ, quamvis absolutè dicatur complementum Matutini.

40. Tum præcipuè, quia Matutinum, & Laudes possunt dici in choro seorsim, absque peccato, saltem ex causa justa; ut de facto dicuntur in nocte Nativitatis Domini; & olim separatim dicebantur. Quæ autem separatim in choro dici possunt, habent formam horarum distinctarum, quamvis absolutè non reputentur communiter, ut distinctæ: præceptum autem Ecclesiasticum respicit tamquam materiam dividuam orationes illas, quæ possunt, aut solent dividi.

41. Ad argumentum propositum initio hujus quæstionis respondetur, distinguendo minorem: qui non potest recitare magnam partem unius horæ, non tenetur ad reliquam, (si hæc reliqua pars per se habeat formam unius horæ, & possit ipsa seorsim in choro recitari,) nego, (quando aliter se habet,) concedo. Quæ distinctio patet ex dictis.

42. Inquires tertiò. An qui non potest recitare duos postremos nocturnos ex matutino duplici, aut semiduplici, potest autem primum, teneatur ad hunc recitandum? Respondeo, teneri, etiam juxta sententiam *Suarii* suprà relatam; eò quod quilibet nocturnus consideratur ad modum unius horæ integræ. Probatur. Tum quia unus nocturnus constituit totum matutinum Paschatis, & Pentecostæ. Tum etiam, quia Præceptum Ecclesiæ, ut terminatur ad nocturnos, continet materiam dividuam; olim enim dividebantur in choro per diversas horas noctis: ergò præceptum obligat ad quemlibet nocturnum per se, etiam independenter ab alio. Et ita intelligenda est prædicta sententia *P. Suarii.*

DISSERTATIO XXXIV.

An præcepto Ecclesiastico satisfiat per sacrilegam Eucharistiæ sumptionem.

CAPUT I.

Opinio damnata, ejus Authores, & fundamenta referuntur.

SUMMARIUM.

Quæ sit propositio damnata? n. 1.
Argumentum à damnatione alterius propositionis. n. 2.
Discrimen inter utramque propositionem quoad damnationem. n. 3.
Authores pro hac propositione damnata. num. 5.
Duplex eorum fundamentum. n. 5. & 6.

1. PRopositio ex damnatis, quinquagesima quinta sic procedit. *Præcepto communionis annuæ satisfit per sacrilegam Domini manducationem.* Ex qua damnatione constat, eum, qui sacrilegè communicavit, non satisfecisse præcepto, sed potius peccasse contra præceptum Divinum, & contra Ecclesiasticum; atque adeò teneri adhuc præcepto humano ad communicandum dignè.

Sed cum Alexander VII. in primo suo Decreto damnaverit eam propositionem, quæ est decima quarta: *Qui facit confessionem voluntariè nullam, satisfacit præcepto Ecclesiæ*. Videbitur alicui non fuisse necessarium, quod SS. D. Innocentius XI. damnaret similem propositionem, nempe de communione sacrilega; cum sit eadem ratio de utroque præcepto, tam communionis, quàm confessionis. Ideo *Filguera* in expositione hujus prop. 55. ait, remittendum esse lectorem, ut relegat ea, quæ ipse scripserat circa propositionem 14. damnatam ab Alexandro, ne eadem repetere cogatur. Et *Lumbierius tom. 3. Sum. num. 1969. & Hazes* ad hanc propositionem *num 12.* aiunt eamdem esse rationem de utraque propositione.

3. Censeo tamen non sufficere damnationem ejus 14 propositionis, ut hæc 55. damnata censeatur; ideoque hanc Innocentii XI damnationem fuisse necessariam, propter disparitatem, quam multi Theologi quoad hoc inveniunt inter unum, & alterum præceptum. Nam qui facit confessionem voluntariè nullam, non recipit Sacramentum, cum absolutio sit nulla; cum tamen ex præcepto Ecclesiastico teneatur accipere Sacramentum Pœnitentiæ. Quæ ratio non militat in Communione; nam licet quis communicet sacrilegè, recipit verum Sacramentum. Et ideò ante Decretum Alexandri VII. multi Doctores asseruerant, non satisfacere præcepto Ecclesiæ facientes confessionem voluntariè nullam; satisfacere verò præcepto Ecclesiastico, qui tempore Paschatis communicant indignè.

4. Et quidem propositionem damnatam receptam fuisse à compluribus Doctoribus tamquam probabilem, & communem, constat ex multitudine Authorum, qui illam tuentur, ex quibus *Filguera* citat unde triginta, quamvis non omninò fideliter, dum citat pro ea, & pro ejus contradictoria *Patrem Azor* in eodem omninò loco.

5. Duo sunt præcipua fundamenta, quibus Authores ejus opinionis ducuntur. Primum. Nam in præceptis Ecclesiæ distinguere est substantiam materiæ præceptæ, & modi, taliter quod præceptâ substantiâ, non intelligatur modus præceptus; atqui Ecclesia præcipit communionem in Paschate, in quo præcepto ipsa communio est substantia rei præceptæ; quod autem recipiatur dignè, est modus: cùm ergò Ecclesia præcipiat substantiam, & non modum, præcipit, quod fideles communicent, non autem, quod dignè communicent. Peccant ergò gravissimè, qui sacrilegè communicant, contra præceptum Divinum, sed non contra Ecclesiasticum.

6. Secundum. Ecclesia non potest præcipere, nec prohibere actus internos, ut tenent communiter Theologi, cum *S. Thoma 1. 2. quæst. 91. art. 4. & quæst. 100. art. 9.* Sed modus accipiendi indignè Eucharistiam, fit plerumque per actum internum, scilicet per internum actum voluntatis tacendi aliquod peccatum lethale in confessione: ergò Ecclesia non potest prohibere eum modum recipiendi indignè.

*** † ***

CA-

CAPUT II.

Præmittitur, quid possit Ecclesia præcipere circa actus internos.

ARTICULUS I.

Quid possit circa actus mixtos ex internis, & externis?

SUMMARIUM.

Dum Ecclesia præcipit actum, indirectè injungit etiam internum. nu. 7.

Qui dicantur actus mixti ex internis, & externis. n. 8.

Præceptum de actu mixto non est solùm indirectè de actu interno. n. 9.

Ecclesia potest præcipere directè actum mixtum. num. 10. & 11.

Ecclesia non solùm determinat tempus confessionis, sed illam injungit. n. 12 & 13.

Simonia mentalis ex jure Ecclesiastico prohibetur ab Ecclesia. n. 14.

Præceptum de actu mixto constat ex jure Canonico. num. 15.

Ecclesia potest præcipere confessionem de peccato pure interno. n. 16.

7. MAteriam hujus capitis latè discussi in 3. *p. Crist. Theolog. disp.* 9. *cap.* 20. *art.* 12. *& in* 2. *part. disp.* 25 *cap.* 7. sed pro fundamento præsentis quæstionis operæ pretium est aliqua ex ibi discussis recolere, & alia pro dignitate materiæ superaddere. Et in primis ut rectè dignoscatur, quinam sint isti actus mixti, supponendum est, quoties Ecclesia præcipit actum externum, indirectè præcipere internum; quia cum actus externus non possit liberè fieri sine actu voluntatis interno, eo ipso quod præcipit auditionem Missæ, præcipit, ut velint audire Missam. Et quamvis hic interveniant actus internus, & externus, ille non est de actibus qui vocantur mixti.

8. Dicuntur ergo actus mixti præcipi ab Ecclesia, quando actui externo adjungitur alius actus internus, sine quo poterat existere externus, & qui conducit ad esse morale externi: v.g. quando Ecclesia præcipit, quod fiat contractus validus: nam licet contractus externus possit physicè fieri sine intentione interna se obligandi; dum præcipit Ecclesia, quod ille contractus fiat validè, præcipit etiam directè, quod habeat animum se obligandi. Quod etiam cernitur in materia præsentis quæstionis: nam licet actus externus recipiendi Eucharistiam possit physicè fieri cum indignitate, puta ex sola delectatione morosa; si Ecclesia præcipit, quod recipiatur Eucharistia dignè, & sine conscientia peccati mortalis in casu, quo sit necessitas communicandi, & non sit copia Confessarii, præcipit Ecclesia directè, quod eliciat actũ contritionis charitate perfectum. In quo dicitur Ecclesia præcipere directè actum mixtum, quia externum, & internum præcipit.

9. Aliqui Authores contendunt in isto modo præcipiendi actum mixtum, præcipi indirectè actum internum. Contra quos graviter stomachatur *Caramuel in Theol. fundam. editionis an.* 1657. *fundam.* 24. *n.* 700. in hæc verba. [Lego libros, etiam hominũ, qui tenerentur bene loqui, & mirabilia dicunt, cùm agunt de præcepto indirecto. Audio etiam homines, qui Doctores dicuntur, & tam sæpe de rebus, quæ indirectè præcipiuntur, volunt confidenter audiri, & loquuntur non doctè. . . . Isti, qui tenent, Ecclesiam directè præcipere lectionem purè externam, & indirectè atten-

tionem, me judice, improbabiliter loquuntur; & puto, me tam evidenter videre eorum errorem, ut possim digito illum ostendere, & sincero juramento firmare. Sic discurro. Illa præcipiuntur indirectè, sine quibus poni non possunt, quæ præcipiuntur directè: at sine attentione interna potest poni mera, & pura Psalmorum & lectio externa: ergò cùm mera lectio externa directè præcipitur. non compræcipitur attentio interna indirectè.] Hæc *Caramuel*, qui rem hanc fusius prosequitur, & meritò. Aliud enim est, quod Ecclesia præcipiat directè attentionē, quod est verum: & aliud, quod in hoc præcisè, quod præcipiat recitationem, indirectè præcipiat attentionē; quod est manifestè falsum: cùm possit physicè dari recitatio sine attentione; & consequenter potest præcipi recitatio sine eo, quod præcipiatur attentio.

10 Jam verò, quod Ecclesia possit directè præcipere actum mixtum ex interno, & externo, docent communiter Doctores. Ita *P. Suarez*, ubi infra, & apud ipsum, *Angelus, Tabiena, Cajetanus, Sotus, Corduba, & Covarrubias,* & jam est omninò certum. Primò Nam Cathedra Romana damnavit varias propositiones, quæ negabant esse prohibitas aliquas actiones, quæ reverà sunt mixtæ ex actu interno, & externo. Ita Alexander VII. damnavit tamquam scandalosam propositionem asserentem etiam post Decretum Urbani VIII. Eum Sacerdotem, qui acciperet duplex stipendium posse applicare unam Missam pro utroque. Atqui applicatio Missæ, includit duo & celebrationem externam Missæ, & actum internum applicationis, sive intentionis. Ubi id condemnat Alexander propter prohibitionem Urbani VIII. ergò certum est, quod Urbanus potuit prohibere, & prohibuit actum mixtum ex interno, & externo, eâdem certitudine, quà reliquæ damnationes, & declarationes, quas facit Romana Cathedra in materia morum, certæ sunt.

11. Idem Alexander damnavit propositionem 14. scilicet: *Qui facit confessionem voluntariè nullam, satisfacit præcepto Ecclesiæ.* Ex qua damnatione evidenter infertur, Ecclesiam non præcipere confessionem utcumque, sed confessionem validam; confessio autem valida est actus mixtus: includit enim confessionem externam, & contritionem internam.

12. Nec satisfacies, si dicas, Ecclesiam non præcipere actum internum, neque confessionem, sed solùm designare tempus præcepti Divini implendi. Hinc enim sequeretur, quod qui facit confessionem voluntariè nullam, non violat præceptum Ecclesiæ; quod est contra Decretum. Inferri autem probatur: Nemo enim violat præceptum Ecclesiæ, quando Ecclesia non imposuit tale præceptum: sed per te Ecclesia non imposuit tale præceptum confessionis, quia solum designavit tempus: ergo qui facit confessionem voluntariè nullam, non violat præceptum Ecclesiæ.

13. Confirmatur primò à contradictorio consequentis. Qui facit confessionem voluntariè nullam, violat præceptum Ecclesiæ: ergò Ecclesia dat præceptum non faciendi confessionem voluntariè nullam.

14 Confirmatur secundò. Qui facit confessionē voluntariè nullam in tempore determinato ab Ecclesia, non violat præceptū Ecclesiæ quoad tempus determinatum: ergò violat præceptū Ecclesiæ quoad nullitatē confessionis: ergo præceptū Ecclesiæ non

fit non solum determinat tempus, sed etiam, præcipit Confessionem validam.

15. Confirmatur tertiò. Quia cum Ecclesia determinavit tempus confessionis faciendæ, potuit illud determinare dupliciter, vel determinando tempus ad confessionem faciendam, nullâ factâ mentione de valore ejus; vel determinando tempus ad confessionem expressè ut validam: ergò ex eo præcisè, quod determinaverit tempus, non infertur, quod qui facit confessionem voluntariè nullam, violat præceptum Ecclesiæ; nam si determinasset tempus primò modo, qui suo tempore faceret confessionem voluntariè nullam, violaret præceptum Divinum, non autem præceptum Ecclesiæ: ergò si violat præceptum Ecclesiæ, evidens est, quod Ecclesia determinat tempus obligando simul ad confessionem validam. Confessio autem valida includit actum internum, & externum.

16. Secundò ostenditur certitudo ejus positionis, quod Ecclesia potest præcipere, & prohibere eos actus mixtos. Nam in genere simoniæ juris Ecclesiastici est simonia mentalis prohibita ab Ecclesia, ut constat ex dictis dissert. 27. capit. 2. numer. 18. sed simonia mentalis juris Ecclesiastici datur, cum quis dat commodum temporale collatori ea intentione interna, ut sibi conferat præbendam, in quo reperitur actus externus & internus: ergò Ecclesia potest prohibere, & prohibet actum mixtum ex interno, & externo.

17. Tertiò ostenditur ex multis testibus juris Canonici, in quibus Ecclesia præcipit, aut prohibet ejusmodi actus mixtos. Quos textus refert *P. Suarez. lib. 4. de legibus cap. 13. num. 3.* in hæc verba: *Primum fit cap. omnis utriusq. de Pœnit. & remiss. quatenus præcipiendo confessionem annuam, præcipit dolorem necessarium, & confessionē cogitationum merè internarum. Secundum ex capit. Dolentes de celebrat. Missar. & Clement. 1. eod. ubi præcipitur Clericis recitatio attenta, & devota. Tertium ex capit. commissa, §. cæterum de electione in 6. ubi punitur, qui recepit beneficia absque intentione suscipiendi debitum ordinem intra annum, nisi mutata voluntate ordinetur. Quartò. Ex Clement. 1. §. verum de hæret. ubi Inquisitores, qui ex odio, vel intentione turpis lucri omittunt contra justitiam, & conscientiam, procedere contra aliquem in causa Fidei, excommunicantur. Quintò ex Clement. 1. de statu Monachor. ubi Monachus Benedictinus sine licentia se conferens ad curiam, animo accusandi Prælatum excommunicatur; & non sine tali intentione. Sextò ex cap. si quis, 8. dist. 30. ubi ex communicantur, qui ex contemptu, vel interna superstitione jejunium Ecclesiasticum non servaverint, & non alias: cum tamen contemptus interior actus sit. Et eodem modo solent jura Canonica ex communicare facientes hoc, vel illud scienter, aut temerè, &c.*

18. Quartò ostenditur ex eodem Suario ubi suprà. Sequeretur enim ex opposito, quod ille, qui dumtaxat commisisset peccata mortalia interna, v. g. delectationis morosæ, eo anno non teneretur ad confessionem Sacramentalem. Ecclesia enim præcipit confessionem ei, qui habuerit conscientiam peccati mortalis: si autem verum esset, quod Ecclesia non potest præcipere id, quod pertinet ad actum internū, quia non potest de illo judicare, cum non possit judicare de eo, qui habuisset delectationem morosam internam, non posset extendere

præceptum ſum ad illum: quod eſt ingens abſurdum, & à nemine admittendum, ut conſtat ex damnatione facta ab Alexandro VIII. ſuprà relata.

ARTICULUS II.

An Eccleſia habeat poteſtatē præcipiendi circa actus purè internos? Circa quod exploratur mens Sancti Thomæ.

SUMMARIUM.

Authorum placita, n. 17.
An pro parte negante ſtet D. Thom. n. 18.
Lex alia eſt purè directiva, alia directiva, & coactiva, n. 19.
Coactiva alia eſt talis coactione internâ, alia coactione externa, n. 20.
Expenditur ſenſus Angelici Doctoris, num. 21. & ſeqq.
Prima pro hoc ſenſu confirmatio, n. 24.
Alia confirmatio ejuſdem ſenſus, n. 25.
Ulterior probatio ex S. Thoma, n. 26.
Lex, quæ efficaciter inducit, coactiva eſt, numer. 27.
Efficaciter inducit per metum pœnæ, n. 29.
In lege vis directiva aliquando ſeparatur à coactiva, n. 30.
Duplex modus negandi Eccleſiæ poteſtatem directivam in actus externos, n. 31.
Lex humana purè directiva circa actus internos poſſibilis eſt, n. 32.
Præfatus Regularis præcipere poteſt actum internum contentum ſub regula, n. 33.

17. Recepta eſt communiſſimè inter Doctores opinio, quæ negat Eccleſiam poſſe præcipere, aut prohibere actus purè internos, licèt refragantibus non paucis, nempè, *Adriano quodlib. 1. Art. 1. litt. H. Alberto Pibio lib. 6. Hierarc. Eccleſ. cap. 26. Roſella. Verb. Hæreticus. Joanne de Medina cod. de oratione 15. Caramuele in Theolog. fund. editionis anno. 1657. fundamento 25. numer. 698.* Admittunt etiam hanc poteſtatem Eccleſiæ ad actus internos omnes Doctores, qui affirmant, hæreticum purè mentalem incurrere excommunicationem. Ita (apud *P. Thomam Sanchez lib. 2. ſum. cap. 8 num. 1.*) *Gloſſa Clem. 1. § rerum. verb. Eo ipſo*, de hæreticis, & Gloſſa, in cap. *cogitationis*, verb. *Patitur*, de *Pœnit. diſt. 1. Cardinalis, Gofredus, Abbas Felinus*, Repertorium Inquiſitorum, *Stephanus, Paulus, Imola, Baldus, Ananias, Hippol. Albertinus, Giraldus, Carrevius Bonifacius, Botta, Zaballos, Cantera, Vela, Menochius*, & alii.

18. Fundamenta ſententiæ negantis non ſunt valde efficacia. Quod præ omnibus urget, eſt, quod credatur ea eſſe ſententia Sancti Thomæ. Ego tamen id non credo, Opinor enim non eſſe adeo univerſalem ſententiam Sancti Thomæ, ut excludat omnem legē circa actus purè internos.

19. Pro quo ſupponendum eſt, duplicem eſſe legem, aliam purè directivam & aliam directivam ſimul, & coactivam. Purè directivà eſt, quæ præcipit obſtringendo conſcientiam; cujus obligatio ſoli judicio conſcientiæ relinquitur. Et ſic valde communis ſententia docet, Clericos obligari legibus civilibus concernentibus bonum publicum; reſpectu quorum leges civiles ſolum ſunt directivæ, & non coactivæ: nam legibus civilibus non poteſt cogere pœnis Clericos violantes; quod art. 3. latius oſtendam. Directivà ſimul, & coactiva eſt, quæ præter præceptum imponit pœnam tacitè,

vel

vel expressè; quæ etiam dicitur lex comminatoria.

20. Rursus lex coactiva etiam est duplex: alia enim est coactiva coactione interna; & alia coactione externa. Coactione interna procedit, quæ præcipit aliquid sub pœna incurrenda ante sententiam Judicis, qualis est Censura latæ sententiæ: ubi patrato delicto ad incurrendam pœnam non requiritur sententia Judicis. Coactione externa procedit, cum lex imponit præceptũ sub pœna à Judicè infligenda exterius, quæ pœna non solum est corporalis, sed etiam potest esse spiritualis: nam quando Judex excommunicat reum, externè procedit, & ita hujus generis est lex, quæ præcipit sub excommunicatione ferenda.

21. Ad explorandam ergo mentem Sancti Thomæ investigandum est, an S. Thomas loquatur de omni lege humana circa actus internos; an solum loquatur de lege humana coactiva, quæ obligat coactione externa? Primus textus Sancti Thomæ est in 1.2. q.91 a.4. ubi inquirens, *Utrum fuerit necessarium, esse aliquam legem Divinam?* Affirmativæ conclusionis hanc reddit rationem tertiam. *De his potest homo legem facere, de quibus potest iudicare: judicium autem hominis esse non potest de interioribus motibus, qui latent, sed solum de exterioribus actibus, qui apparent: & tamen ad perfectionem virtutis requiritur, quod in utrisque actibus homo rectus existat: & ideò lex humana non potuit COHIBERE, & ordinare SUFFICIENTER interiores act', sed necessarium fuit, quod ad hoc superveniret lex Divina.*

22. In quibus verbis jubeo notari eas duas dictiones *cohibere*, & *sufficienter*. Itaque S. Thomas arguit necessitatem Divinæ legis ex eo, quod circa actus internos non possunt leges humanæ *cohibere* actus internos vitiosos, & *sufficienter* ordinare ad perfectionem virtutis actus internos: nam quamvis humanus legislator possit præcipere per leges purè directivas, istæ non sunt *sufficientes* ad compescendos actus vitiosos internos, dum non potest exequi pœnam, cujus digni sunt violatores legis. Ideò necessaria fuit Lex Divina, cujus supremus Legislator potest fulminare, & exequi pœnam in violatores legis ordinantis ad perfectionem virtutis actus internos.

23. Juxtà hunc sensum relego textum S. Thomæ. *De his potest homo legem* (cohibentem, & sufficienter ordinantem) *facere, de quibus potest judicare.* Et quod iste sit sensus legitimus S. Thomæ, inde probatur, quod si non intelligatur hoc modo, vitiosa videtur evadere consequentia S. Thomæ. Nam ejus consequentia est, *& ideò lex humana non potuit cohibere, & ordinare sufficienter interiores actus.* Esset autem vitiosa, si in consequenti poneret terminos, qui non reperiuntur in præmissis. Cùm ergo sit absurdum dicere; consequentiam S. Thomæ esse vitiosam; est enim formalissimus in consequentiis S. Doctor; eodem modo, & sub eodem conceptu ponendus est ille terminus *lex* in præmissis, ac ponitur in consequenti. Unde si in consequenti loquitur de lege cohibente, & sufficienter ordinante actus internos; de hac etiam loqui debet in præmissis.

24. Et confirmatur primò. Nam si ponamus sic hunc syllogismum: [Legislator humanus potest ferre legem dumtaxat de illis, de quibus potest judicare: sed non potest judicare de actibus internis: ergò non potest ferre legem coactivã, seu cohibitoriam

riam de actibus internis] vitiosa evadit argumentatio. Simile vitium habet iste syllogismus (Nullus lapis est animal, Magnes est lapis: ergò Magnes non est animal rationale;) quæ consequentia, licet vera, non est bona: quia ponitur in consequenti *rationale*, quod non est positum in præmissis. Si autem in majori poneretur expressè, vel implicitè rationale, bona esset consequentia. Quis ergo negabit, perperam procedere consequentiam, afferentem terminos, qui non sunt positi in præmissis? Aut ergo vitiosa censenda est illi consequentia, aut (quod omninò verum est) Major loquitur de ea lege coactiva, & cohibitoria. Maneat ergo firmum, Majorem ejus syllogismi esse hanc: *Legislator humanus potest ferre legem coactivam solum de illis, de quibus potest judicare.* Et ibi lex coactiva intelligitur coactiva coactione externa.

25. Confirmatur Secundò ex ratione quam immediatè subdit Angelicus Doctor. Ait enim. *Quartò, quia sicut Augustinus dicit in 1, de lib. arbitr. Lex humana non potest omnia, quæ malè fiunt, punire vel prohibere, quia dum auferre vellet ut omnia mala, sequeretur, quod etiam multa bona tollerentur, & impediretur utilitas boni communis, quod est necessarium ad conversationem humanam. Ut ergo nullum malum improhibitum, & punitum remaneat, necessarium fuit supervenire legem Divinam per quam omnia peccata prohibentur.* Loquitur ergo S. Thomas de lege, per quam peccata interna non maneant impunita. Quod non tollit, quod legislator humanus ferat leges directivas obligantes conscientiam; quarum violatio subjiciatur pœnis legis Divinæ, *per quam omnia peccata prohibentur* prohibitione punitivâ.

26. Secundus textus S. Thomæ est ex 1. 2. *quæst* 90. *art*. 3. *ad* 2. ubi ait: *Persona privata non potest inducere efficaciter ad virtutem; potest enim solum movere, sed si sua motio non recipiatur, non habet vim coactivam, quam debet habere lex ad hoc, quod efficaciter inducat ad virtutem.* Ubi videtur asserere S. Thomas esse de ratione legis habere vim coactivam, & non dumtaxat directivam; & consequenter non posse legislatorem ferre legem, nisi de iis, de quibus potest judicare.

27. Sed ego existimo debere intelligi S. Thomam non ita, ut sit de ratione quidditativa legis in communi, quod sit coactiva, sed solum de ratione legis, *quæ efficaciter inducit* ad virtutem: Itaque juxtà S. Thomam, lex non inducit efficaciter ad virtutem, nisi imponat tacitè, vel expressè pœnam, quam legislator possit exequi. Juxtà quem sensum lex purè directiva (quã non negat S. Thomas) non inducit efficaciter ad virtutem, scilicet hac efficaciâ coactivâ.

28. Tertius textus est ex *quæst* 100 *art*. 9. ubi inquit: *Sicut suprà dictum est, præceptũ legis habet vim coactivam. Illud ergo directè cadit sub præcepto legis, ad quod lex cogit: coactio autem legis est per metum pœnæ; ut dicitur* 10. *& hic. Nam illud propriè cadit sub præcepto legis pro quo pœna legis infligitur. Ad instituendam autem pœnam, aliter se habet lex Divina, & aliter lex humana Non enim pœna legis infligitur, nisi pro istis de quibus legislator habet judicare, quia ex judicio lex punit.* Ubi ea prima propositio. *Præceptum legis habet vim coactivam,* videtur universalis pro omni lege.

29. Assero tamen, eam universalitatem limitari per ea verba, *sicut suprà dictum* est; nam in margine correspondente ei dictioni

ctioni *suprà*, ponitur *quæst 90. art. 3. ad 2.* qui est textus secundus proximè relatus, ubi dicit S. Thomas, requiri in lege vim coactivam *ut efficaciter inducat ad virtutem.* Cùm ergo dicit, *præceptum legis habet vim coactivam, sicut suprà dictum est*; idem est, ac si dicat [Præceptum legis habet vim coactivam, ut efficaciter inducat, scilicet per metum pœnæ] cum quo stat, quod lex purè directiva, licet obstringat conscientiam, non habeat vim coactivam, quia non inducit efficaciter ad virtutem ea speciali efficacia, quæ oritur ex metu pœnæ.

30. Hæc omnia confirmantur. Nam *S. Thomas* 1.2. *quæst. 96. art. 5. ad 3.* expressè concedit, dali aliquando vim directivam in lege obstringentem conscientiam, sine vi coactiva. Sic enim ait: *Princeps dicitur esse solutus à lege, quantum ad vim coactivam legis:..sed quantum ad vim directivam legis, Princeps subditur legi, &c.* Ex quo evidenter patet, S. Thomam non negare potestatem directam in actus internos, ex eo, quod non possit dari lex directiva in actus internos sine coactiva, sed potius negare potestatem directam ferendi legem coactivam circa actus internos.

31. *P. Suarez lib. 4. de legibus cap. 12. nu. 9.* cum censeat S. Thomam negare potestatem directam in actus internos, ait, id solum fundari in quadam ratione congruenti. Et subdit: & juxtà illam explicanda est ratio D. Thomæ, & communis. Non enim eò tendit, ut persuadeat, aliud (scilicet uti potestate in actus internos) fuisse omninò impossibile, sed solum, ut declaret, hunc esse ordinem consentaneum naturæ hominis. Quo sensu verum est, juxtà rei naturam, & ordinariam legem, solum illum actum posse humana lege præcipi, qui potest per homines judicari.

32. Ex quibus constat, duobus modis posse defendi sententiã, quæ negat Ecclesiæ potestatem directam in actus internos. Primò, si daretur, esse impossibile, quod detur talis potestas, ex eo, quod non possit dari lex nisi coactiva, juxtà quam legislator possit judicare, & exequi pœnam. Quo pacto plures intelligunt sententiam S. Thomæ. Secundò, si dicatur, posse ferri legem circa actus internos, non, quia impossibilis sit lex purè directiva circa illos; sed quia is modus gubernationis imperandi solum actus externos, est conformior naturæ hominis. Quo pacto illam defendit P. Suarez.

33. Primus modus videtur mihi falsus, &, si solum attendatur à principiis intrinsecis, improbabilis. Secundus autem modus probabilis est; sed non nititur fundamento urgenti, sed solum cuidam congruentiæ, quam proponit P. Suarez, qui temperat eam sententiam, asserens, Prælatum Regularem, in cujus regula præscribantur actus interni, puta orationis mentalis, posse præcipere illos; quia votum obedientiæ Religiosæ est secundùm Regulam.

ARTICULUS III.

Rationibus ostenditur Potestas directa Ecclesiæ in actus internos, contra eos, qui negant secundo modo proxime relato.

SUMMARIUM.

Probabiliter dicitur, esse conformius naturæ hominis, quod lex humana feratur solum circa actus externos, n. 34.

Christus D. dedit Ecclesiæ potestatem dirigendi ad finem supernaturalem, nec est, quod eam limitaverit, n. 35.

Ecclesia prohibet actũ mixtum ex interno, & externo. Et quid inde pro conclusione? n. 36.

riam de actibus internis] vitiosa evadit argumentatio. Simile vitium habet iste syllogismus (Nullus lapis est animal, Magnes est lapis: ergò Magnes non est animal rationale;) quæ consequentia, licet vera, non est bona: quia ponitur in consequenti *rationale*, quod non est positum in præmissis. Si autem in majori poneretur expressè, vel implicitè rationale, bona esset consequentia. Quis ergo negabit, perperam procedere consequentiam, afferentem terminos, qui non sunt positi in præmissis? Aut ergo vitiosa censenda est illi consequentia, aut (quod omninò verum est) Major loquitur de ea lege coactiva, & cohibitoria. Maneat ergo firmum, Majorem ejus syllogismi esse hanc: *Legislator humanus potest ferre legem coactivam solum de illis, de quibus potest judicare.* Et ibi lex coactiva intelligitur coactiva coactione externa.

25. Confirmatur Secundò ex ratione quam immediatè subdit Angelicus Doctor. Ait enim. *Quartò, quia sicut Augustinus dicit in 1. de lib. arbitr. Lex humana non potest omnia, quæ malè fiunt, punire vel prohibere; quia dum auferre vellet ut omnia mala, sequeretur, quod etiam multa bona tollerentur, & impediretur utilitas boni communis, quod est necessarium ad conversationem humanam. Ut ergo nullum malum improhibitum, & punitum remaneat, necessarium fuit supervenire legem Divinam per quam omnia peccata prohibentur.* Loquitur ergo S. Thomas de lege, per quam peccata interna non maneant impunita. Quod non tollit, quod legislator humanus ferat leges directivas obligantes conscientiam; quarum violatio subjiciatur pœnis legis Divinæ, *per quam omnia peccata prohibentur* prohibitione punitivâ.

26. Secundus textus *S. Thomæ est ex 1.2. quæst. 90. art. 3. ad 2.* ubi ait: *Persona privata non potest inducere efficaciter ad virtutem; potest enim solum movere, sed si sua motio non recipiatur, non habet vim coactivam, quam debet habere lex ad hoc, quod efficaciter inducat ad virtutem.* Ubi videtur asserere S. Thomas esse de ratione legis habere vim coactivam, & non dumtaxat directivam; & consequenter non posse legislatorem ferre legem, nisi de iis, de quibus potest judicare.

27. Sed ego existimo debere intelligi S. Thomam non ita, ut sit de ratione quidditativa legis in communi, quod sit coactiva, sed solum de ratione legis, *quæ efficaciter inducit* ad virtutem: Itaque juxtà S. Thomam, lex non inducit efficaciter ad virtutem, nisi imponat tacitè, vel expressè pœnam, quam legislator possit exequi. Juxtà quem sensum lex purè directiva (quã non negat S. Thomas) non inducit efficaciter ad virtutem, scilicet hac efficaciâ coactivâ.

28. Tertius textus est ex *quæst. 100 art. 9.* ubi inquit: *Sicut suprà dictum est, præceptũ legis habet vim coactivam. Illud ergo directè cadit sub præcepto legis, ad quod lex cogit: coactio autem legis est per metum pœnæ; ut dicitur 10. & hic. Nam illud propriè cadit sub præcepto legis pro quo pœna legis infligitur. Ad instituendam autem pœnam, aliter se habet lex Divina, & aliter lex humana. Non enim pœna legis infligitur, nisi pro istis de quibus legislator habet judicare, quia ex judicio lex punit.* Ubi ea prima propositio. *Præceptum legis habet vim coactivam,* videtur universalis pro omni lege.

29. Assero tamen, eam universalitatem limitari per ea verba, *sicut suprà dictum est*; nam in margine correspondente ei di-

Ctioni

ctioni *supra*, ponitur *quæst 90. art. 3. ad 2.* qui est textus secundus proximè relatus, ubi dicit S. Thomas, requiri in lege vim coactivam *ut efficaciter inducat ad virtutem.* Cùm ergo dicit, *præceptum legis habet vim coactivam, sicut suprà dictum est;* idem est, ac si dicat [Præceptum legis habet vim coactivam, ut efficaciter inducat, scilicet per metum pœnæ] cum quo stat, quod lex purè directiva, licet obstringat conscientiam, non habeat vim coactivam, quia non inducit efficaciter ad virtutem ea speciali efficacia, quæ oritur ex metu pœnæ.

30. Hæc omnia confirmantur. Nam *S. Thomas 1.2.quæst.96. art. 5. ad 3.* expressè concedit, dali aliquando vim directivam in lege obstringentem conscientiam, sine vi coactiva. Sic enim ait: *Princeps dicitur esse solutus à lege, quantum ad vim coactivam legis: . . sed quantum ad vim directivam legis, Princeps subditur legi, &c.* Ex quo evidenter patet, S. Thomam non negare potestatem directam in actus internos, ex eo, quod non possit dari lex directiva in actus internos sine coactiva, sed potius negare potestatem directam ferendi legem coactivam circa actus internos.

31. *P. Suarez lib. 4. de legibus cap. 11. nu. 9.* cum censeat S. Thomam negare potestatem directam in actus internos, ait, id solum fundari in quadam ratione congruenti. Et subdit: & juxtà illam explicanda est ratio D. Thomæ, & communis. Non enim eò tendit, ut persuadeat, aliud (scilicet uti potestate in actus internos) fuisse omninò impossibile, sed solum, ut declaret, hunc esse ordinem consentaneum naturæ hominis. Quo sensu verum est, juxtà rei naturam, & ordinariam legem, solum illum actum posse humana lege præcipi, qui potest per homines judicari.

32. Ex quibus constat, duobus modis posse defendi sententiã, quæ negat Ecclesiæ potestatem directam in actus internos. Primò, si daretur, esse impossibile, quod detur talis potestas, ex eo, quod non possit dari lex, nisi coactiva, juxtà quam legislator possit judicare, & exequi pœnam. Quo pacto plures intelligunt sententiam S. Thomæ. Secundò, si dicatur, posse ferri legem circa actus internos, non, quia impossibilis sit lex purè directiva circa illos, sed quia is modus gubernationis imperandi solum actus externos, est conformior naturæ hominis. Quo pacto illam defendit P. Suarez.

33. Primus modus videtur mihi falsus, &, si solum attendatur à principiis intrinsecis, improbabilis. Secundus autem modus probabilis est; sed non nititur fundamento urgenti, sed solum cuidam congruentiæ, quam proponit P. Suarez, qui temperat eam sententiam, asserens, Prælatum Regularem, in cujus regula præscribantur actus interni, puta orationis mentalis, posse præcipere illos; quia votum obedientiæ Religiosæ est secundùm Regulam.

ARTICULUS III.

Rationibus ostenditur Potestas directa Ecclesiæ in actus internos, contra eos, qui negant secundo modo proxime relato.

SVMMARIVM.

Probabiliter dicitur, esse conformius naturæ hominis, quod lex humana feratur solum circa actus externos, n. 34.

Christus D. dedit Ecclesiæ potestatem dirigendi ad finem supernaturalem, nec est, quod eam limitaverit, n. 35.

Ecclesia prohibet actũ mixtum ex interno, & externo. Et quid inde pro conclusione? n. 36.

34. QUod Ecclesia habeat potestatem directam circa actus internos, censeo verissimum. Ita Autores suprà relati. Opposita autem sententia, si procedat secundo modo, scilicet non asserendo impossibile, quod potestas humana ferat legē circa id, de quo nō potest judicare; sed asserendo id esse conformius naturæ hominis, ut gubernatio procedat solum circa actus externos, non verò circa internos. Qui dicēdi modus est probabilior, & tolerabilior, ut suprà dixi; adhuc impugnatur primò: quia cum finis potestatis legislativæ, quam Christus D. consuluit Ecclesiæ immediatè, sit in ordine ad finē supernaturalē, & ad hunc finē magis conducant actus interni virtutū, quam externi; absq; sufficienti fundamēto negatur Ecclesiæ ejusmodi potestas directa.

35. Secundò. Quia cum Christus D. cōcesserit Ecclesiæ potestatem illimitatam ad ea omnia, quæ conducunt ad vitam æternam consequendam & actus interni maximè ad eum finē conducant, sine fundamēto limitatur ea potestas ad solos actus externos.

36. Tertiò. Nam, ut ostendi art. 1. Ecclesia prohibet actum mixtum, qui cōponitur ex interno, & externo, qui inter se sunt separabiles; sed major potestas requiritur ad prohibendum utrumq;, quam ad prohibendū unum solum: ergò si prohibere potest utrūque, internum, & externum, illos quidem separabiles inter se; poterit etiam prohibere per se seorsim actum internum.

37. Confirmatur. Nam cum Ecclesia præciperet actum mixtum ex interno, & externo, qui sunt separabiles inter se potuit utique præcipere prius actum externum, & procedente tempore præcipere internum: v.g. potuit præcipere prius orationem vocalē externam; & procedente tēpore attentionem, & devotionem internā: ergò potest dari præceptum Ecclesiæ, quod terminetur duntaxat ad actū internum; quāvis utrumq; præceptum simul sumptum terminetur ad actum mixtum ex interno & externo.

38. Quartò. Nam Ecclesia præcipit facientibus confessionem annuam, ut eliciant cōtritionem, vel saltem attritionē; ut constat ex Decreto Alexandri VII. suprà relato; ita ut sit scandalosum id negare: ergò habet potestatem præcipiendi contritionē in aliis casibus, v.g. Quidam Authores, (quos retuli in *1. part. Christ Theol. disp. 12 c. 2. n. 15.*) docuerunt, & quidem improbabiliter, Ministrum deputatum Sacramenti non peccare lethaliter, quamvis illud conficiat existens in peccato lethali habituali: Quare ergo Ecclesia non poterit præcipere Ministris Sacramentorum, ut cum sibi sint conscii culpæ lethalis, confecturi Sacramentum, conentur ad contritionem perfectam? Deinde opinio est probabilis à multis tradita, nō peccare lethaliter Diaconum, qui existens in statu peccati lethalis exercet ordinē suum in sacrificio solemni; neq, Sacerdotem qui, dum ministrat Eucharistiā fidelibus, est etiam peccato mortali habituali infectus. Quare ergo non poterit Ecclesia præcipere

Diaco

Diacono cum exercet suum ordinē. & Sacerdoti, cum ministrat Eucharistiam fidelibus, dum sibi conscii sunt lethalis peccati, ut conentur ad contritionem perfectam.

39. Confirmatur ex Concilio Tridentino *sess. 21 c. 2.* de communione. *Declarat* (Sancta Synodus) *hanc potestatem perpetuo in Ecclesia fuisse, ut in Sacramentorum dispensatione, salva illorum substantia, ea statueret, vel mutaret, quæ suscipientium utilitati, seu ipsorū Sacramentorum venerationi, pro rerum, tēporum, & locorum varietate, magis expedire judicaret.* Sed potest fieri, quod Ecclesia judicet expedire ad Sacramenti, & Sacrificii venerationem, quod Sacerdos ministrans Eucharistiam, accedat ad hoc Sacramentū in statu gratiæ, atq; adeo cum dispositione contritionis perfectæ, & similiter quod Diaconus, qui ministrat in Missa solemni, cum eadem dispositione accedat ad ministrandum: Ergò Ecclesia habet hanc potestatem præcipiendi illis, ut conentur ad conditionem perfectam. Limitare autem propositionem universalē Concilii ad solos actus externos non est datum privatis hominibus.

40. Quinto. Ecclesia præcipit de facto multa, quæ præcepta sunt de jure Divino circa actus internos (nam quod aliqua possint præcipi lege Divina simul, & humana, in quibus casibus violator peccat contra utrumq; præceptum, indubitabile est,) ergo habet jurisdictionem in actus internos; si enim illam non haberet in actus internos, præcipere illos non posset, quamvis jure Divino antecedenter præceptos.

41. Antecedens probatur primò. Nam Concilium Trid. *Omnibus Christi fidelibus interdicit, ne post hac de Sanctissima Eucharistia aliter credere, docere, aut præcipere audeant, quam, ut ex hoc præsenti decreto explicatum, atq; definitum.* Quæ sunt formalia verba Concilii sess. 13. in Decreto de sanctissima Eucharistia. Interdicit ergo aliter credere, cum aliter credere sit actus internus. Quod præceptum credendi reperies passim non solum in Trid. sed in aliis Conciliis Generalibus, non solum definiendo, sed etiam præcipiendo. Dicere autē, quod concilia generalia, dum id præcipiunt, excedunt suam potestatem; esset impium.

42. Probatur secundò idem antecedens. Nam in hoc decreto SS. D. Innocentii XI. multas opiniones, quæ versantur circa actus internos, & pertinent ad jus Divinum, dānat, & simul prohibet, ne quis in praxi eis utatur; illis verbis *Insuper districtè in virtute sanctæ obedientiæ, & sub interminatione Divini judicii prohibet omnibus Christi fidelibus.... ne prædictas opiniones, aut aliquam ipsarum ad praxim deducant.* Hujusmodi autem opiniones damnatæ, quæ versantur circa actus internos, plurimæ sunt in hoc decreto. Tales sunt quinta, sexta, & septima de actu dilectionis Dei, decima, & undecima de actu interno dilectionis proximi; decima tertia, & duæ sequentes de desiderio mortis proximi, decima sexta, decima septima, decima nona, & quatuor sequentes de actu Fidei Divinæ, sicut & propositio ultima. Talis est etiam propositio prima ex damnatis in Decreto Alexandri VII. cujus praxim idem Pontifex prohibet.

43. Sextò. Nam quod attinet ad Prælatos Regulares, negari non potest eos posse præcipere actus internos, quando regula, quam subditi sponte susceperunt, præscribit actus internos. In multis enim ordinibus Regularibus præscribit regula orationem mentalem: & hi regulares sponte emiserunt votum obedientiæ secundùm regulam: ergò si Prælatus præcipiat in virtute sanctæ obedientiæ orationem menta-

lem; tenētur obedire: possunt ergo obligari ad actus internos. Et ita docet *P. Suarez* relatus suprà in fine art. 2.

44. Septimò. Nam sicut Ecclesia præcipit Medicis, ut obstringant ægrotos, ut saltem tertio ægritudinis die Sacramentum Pœnitentiæ recipiant, ita etiam potuit obligare ægrotos, ut si non confiteantur eo tertiò die, saltem eliciant actum contritionis perfectæ pro securitate suæ salutis æternæ: quomodo enim negari potest, quod Christus non concesserit Ecclesiæ hanc potestatem, cum maximè conducat ad securitatem salutis æternæ.

ARTICULUS IV.

Primus modus negandi Ecclesiæ potestatem in actus internos efficaciter confutatur.

SUMMARIUM.

An possit quis præcipere ea, de quibus nequit judicare? n. 45.

Plures pœnæ imponuntur ab Ecclesia, antequam Judex possit cognoscere de delicto, num. 46.

Non omnis lex debet esse coactiva, n. 47.

Princeps subjicitur legi, & non coactivè, numer. 48.

Et Clericus quandoque legi civili, n. 49.

Prælatus Regularis potest præcipere subdito orationem mentalem, n. 50.

Lex naturalis solum est directiva, n. 51.

Ex potestate Ecclesiæ ad præcipiendos actus mixtos bene infertur potestas ad internos, nu 52. & 53.

45. Qui sic procedunt, docent, Ecclesiam non posse præcipere actus internos, eo quod nullus legislator potest præcipere ea, de quibus non potest judicare, & quorum violationem non potest punire defectus cognitionis causæ; sed Ecclesia non potest judicare de actibus internis, nec punire potest violationem legis de actibus internis, defectu cognitionis causæ: ergò Ecclesia præcipere non potest actus internos. Cujus syllogismi major eo nitur fundamento; quod omnis lex cogit ad sui observationem; sed non potest intelligi, quomodo cogat, nisi metu pœnæ exequēdæ à judice: ergò præcipere non potest nisi ea de quibus potest judicare, & punire. Existimant autem defensores hujusmodi opinādi, hunc discursum esse S. Thomæ, sed art. 2. ostendi, aliam esse mentē S. Thomæ.

46. In duobus ergo exorbitat hic discurrendi modus. Primò in eo, quod intendant, legislatorem non posse ferre legem, nisi ipse legislator, (sive Judex nomine legislatoris) cognoscere possit de violatione legis, ut puniat. Et hoc est manifestè falsum. Sunt enim multæ leges in Ecclesia, quæ important pœnam ipso facto incurrendā, antequā legislator, vel Judex possit cognoscere de violatione illarum; quales sunt, quæ afferunt excommunicationem latæ sententiæ, quæ pœna incurritur, antequam Judex possit cognoscere de delicto, ob quod ea pœna est imposita. Ejusdē ordinis sunt leges, quæ afferunt pœnam suspensionis, vel interdicti ipso facto incurrendam: Sicut etiam leges, quæ imponunt irregularitatem propter delictum, item quæ imponunt impedimentū dirimens matrimonium propter crimen. Quæ omnes incurruntur, quamvis nullus Judex cognoscat de delicto. Assignent ergo adversarii rationem, quare Ecclesia non possit prohibere hæresim internā sub pœna excommunicationis latæ sententiæ; quidquid sit, an de facto sic eam prohibuerit, an non.

47. Exor-

47. Exorbitat 2. is dicendi modus in eo, quod contendit omnem legem esse debere coactivam metu pœnæ, taliter quod Judex possit judicare de violatione ejus, & punire: ita ut si lex non sit hoc modo coactiva, non possit ferri à legislatore. Et quia leges de actibus internis non possunt esse coactivæ hoc modo, ideo existimant, Ecclesiã non posse ferre leges de actibus internis. Convincetur autem is dicendi modus, si probemus, posse dari leges directivas, sine eo, quod sint coactivæ metu pœnæ.

48. Probatur primò. Nam ut supra docui *art. 2. ex S. Thoma*, Princeps subjicitur suæ legi concernenti bonum commune; & non subjicitur suæ legi quoad vim coactivam, sed solùm quoam vim directivam: ergò in lege separabiles sunt vis directiva, & coactiva. Poterit ergò Ecclesia ferre leges directivas obstringentes conscientiam, circa actus internos, sine eo quod habeant vim coactivam.

49. Probatur 2. Leges civiles concernentes bonum commune universorum obligant etiam Clericos, v. g. taxa frumenti, & aliarum mercium facta à Principe, & aliæ similes; & tamen eæ leges non obligant Clericos vi coactiva; non enim potest Judex civilis de eorum violatione judicare, neque eos punire: ergò solùm obligant vi directivâ: ergò possunt leges esse directivæ sine eo, quod sint coactivæ. Poterit ergò Ecclesia præcipere actus internos directivè, quamvis non possit coactivè.

50. Probatur tertiò. Regularibus, in quorum Regula præscribitur oratio mentalis, potest Prælatus præcipere orationem mentalem in virtute voti obedientiæ, cui se spontè subjecerunt: & tamen hoc præceptum solum est directivum, & non coactivum, cùm Prælatus non possit cognoscere, an subditi mentaliter oraverint, atque adeò nec punire ejusmodi violationem: ergò vis directiva in lege separabilis est à vi coactiva, & potest directiva sine coactiva reperiri.

51. Probatur quartò. Lex naturalis, prout condistinguitur à Divina, & æterna, est solùm directiva, & non coactiva ex metu pœnæ; solùm enim respicit conscientiam: & optimè intelligitur, quod posit obstringere conscientiam, sine eo, quod cogat metu pœnæ: potest ergo dari lex directiva sine eo, quod sit eo modo coactiva. Poterit ergò lex Ecclesiæ oligare ad actus internos, sicut lex naturalis obligat ad illos.

52. Probatur quintò. Nam si ad rationẽ legis requireretur, quod esset eo modo coactiva, ut posset Judex punire violationem ejus, cognoscendo illam, & judicando de illa, fieret, quod non posset Ecclesia ferre legem circa actus mixtos: Est autem jam omninò certum, quod Ecclesia potest ferre legem, & quod de facto multas leges tulit, circa actus mixtos, ut constat ex *art. 1.* ergo illud non requitur ad rationem legis. Sequela patet. Nam celebratio Missæ pro fundatore, vel pro dante stipendium, &c. Est actus mixtus ex celebratione, & ex applicatione interna Sacerdotis: & de hac secunda non potest judicare Ecclesia, cùm sit actus omninò internus; Nam si ipse dicat se obtemperasse legi, cùm illam violavit; quomodo probabitur violatio. Quod idem in sententiis aliis poterit reperiri. Ex quo fit, quod vel negandum est, posse Ecclesiam præcipere actus mixtos, vel concedendum, quod potest utrosque. Cùm ergò certum sit, posse Ecclesiam præcipere

actus mixtos, pro certò etiam haberi debet, posse præcipere etiam purè internos.

53. Confirmatur. Bene valet ab opposito contradictorio consequentis ad oppositum contradictorium antecedentis in argumentatione legitima: sed ex argumento proximè facto constat, esse legitimam hanc argmentationem. [Ecclesia non potest præcipere actus purè internos: ergò neque actus mixtos:] ergò bene valet [Ecclesia potest præcipere actus mixtos: ergo potest præcipere actus purè internos.]

CAPUT III.

Quàm sit jam certum, Ecclesiæ præceptum non impleri per sacrilegam Eucharistiæ sumptionem?

Non satisfieri præcepto Ecclesiæ per sacrilegam Eucharistiæ sumptionem, certum jam est. n. 54.

Ante hoc decretum injungebatur reverentia, ex qua constabat interna dispositio. n. 55.

Prudenter infertur ex determinatione præcepti Divini hac interna dispositio. n. 56. & 57.

Vrgentior probatio ex præcepto accedendi in statu gratiæ n. 58.

Ecclesia, dum præcipit communionem, & substantiam præcipit, & modum. n. 59.

Extra dubium est, posse Ecclesiam præcipere actus mixtos. n. 60.

54. QUamvis propositio damnata fuerit communiter admissa, tamquam probabilis; jam est omninò certa ejus contradictoria, non solùm in ratione generali damnationis factæ per Romanam Cathedram, sed ex speciali ratione: legislator enim in hoc decreto declarat intentionem suæ legis esse obligare non solùm ad sumendam Eucharistiam in Paschate, sed etiam ad sumendam eam dignè, sive cum debita dispositione. Quod enim detur potestas in Ecclesia ad præcipiendum mixtum ex interno, & externo, certum est ex *cap. præced. art.* 1. sicut etiam est certum, sumptionem Eucharistiæ cum interna dispositione debita, esse actum mixtum: quod autem de facto utatur Pontifex hac potestate, declarando esse suam intentionem, obligare ad sumptionem Eucharistiæ cum tali dispositione, ex hac damnatione certum relinquitur.

55. Ante hoc decretum, sufficienter propositum erat hoc præceptum in Ecclesia, dignè communicandi, in cap. *omnis utriusque sexus.* de Pœnitent. & remiss. illis verbis: *Suscipientes reverenter ad minus in Pascha Eucharistiæ Sacramentum.* In illo enim verbo *reverenter* satis expresserat Ecclesia obligationem recipiendi Eucharistiam impositam ab Ecclesia, scilicet recipiendi Eucharistiam cum debita dispositione interna. Sed quia multi existimant, per illud intelligi reverentiam externam; jam per hanc damnationem declarat Pontifex intelligi internam, scilicet dispositionis debitæ.

56. Probant alii certitudinem hujus assertionis hoc argumento. Etenim cum detur præceptum Divinum suscipiendi Sacram Eucharistiam cum debita dispositione, & Deus non determinaverit tempus illam suscipiendi; Ecclesia determinavit tempus Paschatis ad illud ipsum Divinum præceptum implendum: ergò Ecclesia determinavit tempus ad illud ipsum præceptum implendum: ergò determinans tempus

tempus præcepit impleri illud ipsum præceptum Divinum suscipiendi Eucharistiam cum debita dispositione.

57. Quo argumento satis prudenter colligitur, hoc modo impositum esse præceptum ab Ecclesia; Sed quia aliqui Authores videntur illam argumentationem reducere ad hoc, quod impossibile fuerit, Ecclesiam, dum determinat tempus, non potuisse aliter præcipere; pro hac secunda parte non admitto illam argumentationẽ. Tum quia solùm loquimur in quæstione de facto: Tum etiam quia potuit Ecclesia præcipere sumptionem Eucharistiæ abstrahendo à dispositione. De facto autem utrumque præcipit.

58. Multò urgentius demonstratur Præceptum Ecclesiæ de suscipiendo Eucharistiæ Sacramento cum debita dispositione, ex duobus sacris Canonibus simul sumptis constat. Nam c. *omnis utriusque*. Præcipitur sumptio sacræ Eucharistiæ in Paschate: & in Concilio Trident *sess.* 13. *cap.* 7. præcipitur, ut quotiescunque fidelis suscipit sacram Eucharistiam accedat cum debita dispositione, illis verbis: *Cavere ille debet, ne absque magna reverentia, & sanctitate ad id percipiendum accedat.* Ubi immediatè declarat, quam probationem adhibere debeat suscepturus Eucharistiã, ut accedat in statu gratiæ. Tum sic: Ecclesia præcipit utrumque, & quod fidelis accipiat Eucharistiam in Paschate, & quod nunquam accipiat illam sine debita dispositione: ergò qui Eucharistiam accipit in Paschate sine debita dispositione, non implet totum præceptum Ecclesiæ. Quod enim id præcipiat Ecclesia per unum, aut per duos canones, non mutat dispositionem.

59. Ex dictis facilè solvuntur argumenta proposita *cap.* 1. pro opinione damnata. Ad primum respondeo, omittendo, quod quando Ecclesia præcipit præcisè substantiam actus, non manet præceptus modus; nego tamen, quod Ecclesia præceperit dumtaxat substantiam sacræ communionis; præcipit enim etiam modum, sive dispositionem debitam ad sacram communionem. Nam in cap. *Omnis utriusque.* Præcepit substantiam, & Tridentinum eo *cap.* 7. præcepit modum, sive dispositionẽ: Dato, & non concesso, quod in cap. *Omnis utriusque.* Modus non sit præceptus. Nam in eo verbo *reverenter* satis exprimitur modus, seu dispositio, sub qua accipienda est sacra Eucharistia.

60. Ad secundum respondeo primò, negando, quod Ecclesia non possit præcipere actus internos; ut constat ex *cap* præcedenti. Respondeo secundò, omittendo, quod non possit præcipere actus merè internos; nam certum est posse præcipere actus mixtos ex interno & externo. Communio autem cum dispositione interna debita est actus mixtus; atque adeo optimè potest ab Ecclesia præcipi.

DISSERTATIO XXXV.

Quomodo susceptio frequens Eucharistiæ sit signum prædestinationis?

NON INDIGET SVMMARIO

1. PRopositio quinquagesima sexta ex damnatis in hoc Decreto sic se habet: *Frequens confessio & communio, etiam in bis,*

his, qui gentiliter vivunt, est nota prædestinationis. Quam propositionem in nullo scriptore invenire potui. Illa tamen communiter attribuitur alicui ex illis, qui pertinaciter propugnabant, præbendam esse quotidianam communionem omnibus indiscriminatim, dummodo non habeant conscientiam peccati lethalis. Illi enim tantâ contentione suam opinionem propugnabant, ut ad non pauca absurda devenerint: sed quæ jam correcta sunt per Decretum SS.D.Innocentii XI. Quam materiam latè tractavi in 3 *p. Cris. Theol. disp.* 66. & ibi ostendi, multos dicendi modos in hac materia manere reprobatos, sive antiquatos vi ejus Decreti Pontificis.

2. Pro explicanda ergo certitudine hujus damnationis, præmittendum est, notam, sive signum Prædestinationis dici illud, ex quo probabiliter, sive conjecturaliter colligitur, aliquem consecuturum esse æternam beatitudinem. Sicut etiam signum reprobationis est illud, ex quo probabiliter colligitur, aliquem subiturum esse æternam damnationem.

3. Igitur præfata propositio triplici ex capite delirat. Primò, quia supponit, eum, qui gentiliter vivit, id est, depravatis, & corruptis continuò moribus, se ritè disponere quotidiè, vel frequenter ad Sacramenta recipienda. Nam si frequenter pœnitet ex corde suorum peccatorum, & depravatæ vitæ, & sub hac pœnitentia accipit Eucharistiam eâdem frequentiâ, impossibile moraliter est, quod diu perseveret in depravata vita. Quod si diu perseverat in illa, quamvis ore confiteatur, impossibile est, quod eum verè pœniteat, & rectè disponatur frequenter cum vero proposito frequenter renovato non peccandi de cætero.

4. Secundò, quia cum moraliter certum sit, eum, qui gentiliter vivit, & depravatis moribus vitam continuat, si accedat ad Sacramenta, malè, & indignè se disponere ad ea recipienda; & consequenter sacrilegam in eo esse receptionem sacramentalem, ea propositio indicat, eam receptionem sacramentorum, quantumvis sacrilegam, esse signum, sive notam prædestinationis. Quo quid absurdius excogitari potest? Quomodo enim ex continuatione sacrilegiorum potest colligi probabiliter, quod homo sacrilegus obtinebit æternam beatitudinem?

5. Tertiò quia nullum est verum signum prædestinationis, nisi associetur diuturna observantia mandatorum Dei. Et ita *P. Montoya tomo de prædestinatione disp.* 56. *sect.* 3. *nu.* 10. postquam in corollario 1. dixit; *Diuturna igitur, & perseverans observantia Divinæ legis est præcipuum signum prædestinationis.* Postea *n.* 11. subjungit: *Secundum corollariū est, ex prædicto signo tanquam vim participare reliqua, quæ verè signa sunt.* Juxta quem sensum frequēs confessio, & communio, quæ dicitur esse signum prædestinationis vim talis signi participat ex diuturna observantia Divinæ legis: ergo nullā vim talis signi habet, si vita sit depravata, & mores continuò corrupti.

6. Confirmatur. Nam una conjectura in re facti, vel faciendi destruitur, per aliam fortiorem, imò & æquè fortem: sed fortior conjectura, sive fortius signum reprobationis est gentiliter vivere, quàm communicare frequenter sine rectitudine morum: ergò conjectura prædestinationis, quæ colligeretur ex ea communione frequenti, destruitur per hoc quod ille vivat gentiliter, & corruptis moribus scateat.

DIS-

DISSERTATIO XXXVI.

An ad Sacramentum Pœnitentiæ sufficiat attritio naturalis ex motivo honesto.

SVMMARIVM.

Refertur propositio damnata; & quæstio duplex excitatur. n. 1.

Nomine attritionis naturalis venit dolor de peccato conceptus ex motivo purè humano. n. 2.

Talis dolor non sufficit ad valorem, neque ad fructum Sacramenti. n. 3.

Discrimen inter hunc dolorem & illum, qui concipiatur ex metu pœnæ ut inflicta à Deo. n. 5. & 6.

Dolor purè naturalis non sufficit. Ex Tridentino. n. 7.

Dolor potest esse supernaturalis solùm quoad modum. n. 8.

Attritio entitativè naturalis nequit de facto deservire ad fructum Sacramenti. n. 9.

Neque potest deservire ad valorem. n. 10.

Probatio desumpta ex Tridentino. n. 11.

1. PRopositio quinquagesima septima inter damnatas, sic se habet: *Probabile est sufficere attritionem naturalem modò honestam.* Et quidem in 3 *part. Crif. Theolog. disp.* 71. per totam debellavi propositionem hanc. Et pro integritate materiæ in hoc volumine assumptæ, repetam per compendium, quæ ibi latius tractata sunt. & sub hoc titulo continentur duæ quæstiones. Prima; An, ad effectum Sacramenti Pœnitentiæ consequendum sufficiat attritio naturalis? Secunda an saltem sufficiat ad valorem Sacramenti?

2. Est autem attritio naturalis illa, quæ efficitur ex motivo purè humano, & nullatenus supernaturalis, qualis est dolor de peccato, v. g. ex timore infamiæ apud homines, & non ut respicit Deum tamquam ultorem peccati. Dolor autem de peccatis ex terrore malorum temporalium, quatenus à Deo infliguntur in pœnam peccati, non elicitur ex motivo merè humano; id enim est motivum supernaturale; quia respicitur Deus ut justus vindex peccati. Ex quo videndi sunt *P. Suarez tom.* 4. *in* 3. *part. disp.* 5. *sect.* 2. *P. Conink* 3. *part. quæstione* 1. *dub.* 5. *n.* 18.

3. Partem affirmativam in utraque quæstione subjacere huic damnationi, compertum est. Nam cùm hæc damnatio declaret. *Non sufficere* intelligitur ad Sacramentum Pœnitentiæ, & Baptismi in adulto; cùm ergò non distinguat inter effectum, & valorem Sacramenti, sed universaliter & indefinitè declaret non sufficere, manifestum est, quod declarat, neque sufficere ad consequendum fructum Sacramenti, neque ad valorem ejus.

4. Et ulterius procedit damnatio, quæ non solùm condemnat propositionem absolutam, sed etiam modalem, asserit esse scandalo dicere, esse probabile, quod sufficiat attritio naturalis.

5. Dices: ergo eodem modo se habet hæc propositio, ac illa, quæ dicit (Probabile esse, quod sufficiat attritio habita ex terrore malorum temporalium, quatenus à Deo infliguntur in pœnam peccati) Probatur consequentia: nam *dissert.* 2. *cap.* 5. *art.* 2. *num.* 72. diximus. Hanc, si dicatur in eo sensu, quod re ipsa advertenter potest practicari, subjacere damnationi primæ propositionis: juxta quam damnationem nemo potest deducere ad praxim opinionem probabilem minus tutam, ver-

fantem circa valorem Sacramenti; cum tamen hæc secunda propositio sit minus tuta, circa valorem Sacramenti.

6. Respondeo, latissimum esse discrimen inter utramque propositionem, nam quæ respicit Deum ut ultorem peccati per pœnas temporales, est probabilis; quamvis, quia versatur circa valorem Sacramenti, & est minus tuta, non possit assumi ad recipiendum validè Sacramentum. Hæc autem quinquagesima septima non est probabilis. Consistit autem discrimen in hoc, quod in ordine ad confessionem bonâ fide jam antea factam, qui confessus est cum attritione respiciente Deum ut ultorem peccati per pœnas temporales, facturus postea secundam confessionē, non tenetur revalidare primā, neque iterum confiteri peccata exposita in prima confessione: quia probabile est, illam primam confessionem esse validam, & fructuosam. Qui verò recordatur, se fecisse confessionem cum sola attritione naturali, tenetur repetere omnia peccata ejus confessionis; quia juxta hanc damnationem non est probabile, quod fecerit confessionem validam.

7. Jam verò attritionem sufficientem ad consequendum effectum Sacramenti esse non posse naturalem, neque ex motivo purè humano habitam, manifestè probatur ex Trid. *sess. 12. cap. 4. de Sacram. Pœnitentiæ*, ubi definit, attritionem, *quæ ad Dei gratiam in Sacramento Pœnitentiæ impetrandam disponit ∴ donum Dei esse, & Spiritus Sancti impulsum*: sed dolor de peccatis naturalis, & ex motivo purè humano, non est donum Dei, neque Spiritus S. impulsus: ergò ejusmodi dolor naturalis non disponit ad Dei gratiam in Sacramento Pœnitentiæ impetrandam. Minor patet: nam donum Dei, & impulsus Spiritus Sancti est quid supernaturale, dolor autem naturalis, implicat, quod sit quid supernaturale. *In 3. part. Crist. Theol. disp. 71. cap. 2. nu. 8. & 9.* retuli varias censuras, quibus plures Theologi reprobârunt hanc propositionem 57.

8. Et ibidem *num.* 10. observavi esse aliquos Theologos, qui propugnant dari attritionem entitativè naturalem ex motivo supernaturali, quæ ideo est supernaturalis quoad modum. Quæ quidem sententia non subjicitur huic damnationi. Et ratio est clara: quia attritio, quæ respicit motivum supernaturale, & est supernaturalis quoad modum, est donum Dei, & ex impulsu Spiritus Sancti: ergo non est absolutè attritio naturalis. Et hæc observatio procedit de sententia illorum Theologorū.

9. Nam mea sententia, licet admittat, actum entitativè naturalem posse attingere objectum, & motivum supernaturale, admittit, quod attritio entitativè naturalis, licet supernaturalis quoad modum, possit de facto deservire ad justificationem in Sacramento. Nam cùm intellectus cognoscit illud objectum supernaturale, tunc voluntas potens attingere illud actu naturali, & supernaturali: si habeat à Deo immissum concursum ad utrumque actum, poterit elicere utrumque. Cùm autem voluntas nunquam eliciat duos actus circa idem omninò objectum, philosophandum est in hac materia, sicut philosophamur circa duos actus solo numero distinctos circa idem objectum. Sicut ergò dicimus, voluntatem non elicere hos duos actus numero distinctos, quia Deus præstat concursum ad unum, & non ad alios; sic enim determinat Deus quoad individuum: sic similiter circa idem objectum supernaturale, non

non habet voluntas eos duos actus supernaturalem, & entitativè naturalem; quia cùm intellectus cognoscit objectum supernaturale, cùm voluntas non possit duos actus elicere circa illud, Deus determinat offerendo concursum ad actum entitativè supernaturalem, & negando concursum alteri.

10. Et quod attinet ad secundam quæstionem non sufficere ad valorem Sacramenti Pœnitentiæ attritionem naturalem, constat, ut dixi, ex hac damnatione. Et oppositam opinionem reprobant Authores non pauci, ut notavi in ea *disp. 71. cap. 3.* Nam *P. Vasquez 3. part. quæst. 92. art. 2. n. 9.* affirmat, ei deficere fundamentum probabilitatis. *P. Castro Palao tom. 1. tract. 23. disp. unic. punct. 7 nu. 5.* eum reprobat, per eum terminum *convincitur. P. Fagundez lib 2. in 2. Ecclesiæ pracep. c. 5. n. 6.* negat esse probabilem.

11. Ostenditur falsitas propositionis damnatæ. Nam ut loquitur Tridentinum *sess. 12. cap. 3. de Sacram. Pœnitentia.* Actus pœnitentis, *quatenus in pœnitente ad integritatem Sacramenti, ad plenamque & perfectam peccatorum remissionem ex Dei institutione requiruntur, hac ratione pœnitentiæ partes dicuntur.* Ex quibus verbis constat quod attritio (vel contritio) quatenus requiritur ad justificationem, est pars Sacramenti: sed attritio, quatenus requiritur ad justificationem, est donum Dei, & impulsus Spiritus Sancti: ergò pars Sacramenti est donum Dei, & impulsus Spiritus Sancti. Sed attritio naturalis non est donum Dei, neque impulsus Spiritus Sancti: ergo attritio naturalis nequit esse pars essentialis Sacramenti; atque adeo tale Sacramentum est invalidum.

DISSERTATIO XXXVII.

An Confessario interroganti teneatur pœnitens fateri consuetudinem peccandi?

CAPUT I.

Præmittuntur aliqua, ubi an teneatur quis per se confiteri consuetudinem peccandi?

SUMMARIUM.

Refertur propositio damnata. n. 1.
An bene tribuatur talis propositio P. Granado? n. 2.
An sit opus aliquando confiteri bis idem peccatum? n. 3.
Quid dicendum de obligatione Confessarii in ordine ad absolutionem pœnitentis ritè dispositi? n. 4 & 5.
An debeat fidem habere asserenti se esse ritè dispositum ad absolutionem? n. 6.

1. PRopositio quinquagesima octava ex damnatis in hoc decreto hæc est: *Nemo tenetur Confessario interroganti fateri peccati alicujus consuetudinem.* Hanc docuit & multis probare conatus est *Ioannes Sancius in select. disp. 9.* adeò, ut asseruerit, interrogatum à Confessario de consuetudine posse negare cum æquivocatione. Et contra ipsum dixit *Lugo Card. disp 14. de pœnit. sect. 10. n 172. Hoc est contra omnes Theologos, contra praxim Ecclesiæ, & contra finem hujus Sacramenti.* Et meritò, ut ex dicendis constabit.

2. *Mag. Hozes in exposit. hujus prop.* citat pro hac opinione damnata *P. Granad. in tr. 9. de Pœnit. disp. 9 nu. 16.* vellem tamen, ut le-

ut legisset textum *P. Granadi*, & non adeò fideret citationibus aliorum, maximè in re tanti præjudicii. Nam inprimis *P. Granadus* in eo loco neque unum verbum habet de consuetudine confitenda, aut neganda, solùm enim ibi agit de circumstantia quantitatis in furto: de qua proposuerat objectionem *Soti* contra aggravantes circumstantias non confitendas. Quam solvit his verbis: *Respondetur nunquam esse licitum mentiri in confessione; & interdum jam diximus accidere posse, ut pœnitens eas circumstantias confiteri teneatur: unde si Confessarius interrogat ex causa rationabili; & ad confessionem necessaria, non dubium est, quin pœnitens omninò teneatur veritatem declarare.* Ex quibus verbis colliget lector, quàm longè distet *P. Granado* à propositione damnata. Sicut & *P. Suarez*, cui *Filguera* attribuit propositionem damnatam: de quo inferius loquar.

3. Fundamentum præcipuum *Sancii* est. Quia nemo tenetur confiteri bis idem peccatum: sed quis post multa peccata, v. g. adulteria diuturno tempore patrata, & jam confessioni exposita, reincidit ter, vel quater, si hæc tria, vel quatuor peccata confitetur de præsenti, & cogitur confiteri consuetudinem antecedentem; cogitur utique ad confitenda peccata præterita in tali consuetudine inclusa: ergo nullo modo tenetur ad talem consuetudinem confitendam.

4 Secundum fundamentum est. Nam ubi pœnitens est rectè dispositus cum vero dolore de peccatis, & proposito non peccandi de cætero, Confessarius tenetur statim impendere absolutionem: sed potest pœnitens esse rectè dispositus cum vero dolore, & proposito, quamvis nolet fateri consuetudinem: ergo etiam nolens confiteri consuetudinem, debet absolvi; & consequenter pœnitens non tenebitur ad illam confitendam.

5. Confirmatur primò. Ideò enim posset Confessarius interrogatione suâ cogere ad confitendum consuetudinem, ut videat, an expediat negare, aut differre absolutionem, donec auferat, aut minuat consuetudinem: sed dum pœnitens est rectè dispositus cum eo dolore, & proposito, non potest Confessarius negare aut differre absolutionem: ergò neque potest suâ interrogatione cogere, ut confiteatur consuetudinem.

6. Confirmatur secundò. Nam pœnitenti dicenti, se habere dolorem de peccatis, & propositum non peccandi de cætero, debet fidem habere Confessarius: ergò pœnitens asserens, se habere talem dolorem, & propositum, sive fateatur, sive non fateatur consuetudinem, tenetur Confessarius illum absolvere. Et pro antecedentis confirmatione affert multos Authorum textus.

CAPUT II.

An pœnitens non interrogatus, teneatur per se fateri consuetudinem peccandi?

SUMMARIUM.

Proponitur quæstio prius decidenda. n. 7.

Quid intelligatur nomine consuetudinis pro præsenti? n 8.

Consuetudo peccandi non est habitus peccati. n. 9.

Non datur per se obligatio confitendi consuetudinem peccandi, quamvis per accidens possit dari. n. 10.

Datur hæc obligatio, quando consuetudo affert secum periculum proximum peccati, n. 11.

Con-

Consuetudo jurandi falso absque advertentia ad falsitatem debet explicari in confessione,n.12.
Etiam est aperienda consuetudo jurādi absq; advertentia ad veritatem,n.13.
Quid senserit P.Vazquez? n.14.
An opinio opposita sit probabilis? n.15.

7. SEd antequam ad resolutionem hujus quæstionis accedamus, oportet præmittere aliam,scilicet, An pœnitens,quando habuit consuetudinem peccati, & jam confessus est omnia peccata contenta in tali consuetudine; & postea reincidit aliquoties,teneatur,cum hæc ultima peccata cōfitetur,fateri etiam præfatam consuetudinem, etiam confessario non interrogante?

8. Præmittendum est,quid sit consuetudo.In qua tria concurrunt: nempè multitudo actuum, habitus, & aliquando voluntas retinendi consuetudinem, sive formalis,quando quis actu positivo vult illam retinere; aut virtualis, & interpretativa, quando quis cognoscens,se esse obligatum ad resistendum consuetudini, non vult illi resistere.

9. Quidam Recentiores dixerunt,consuetudinem esse habitum peccati. Quod falsum est: Consuetudo enim peccandi est peccatum: habitus autem non est peccatū ulterius. Consuetudo ergo peccandi nihil aliud est, quam ipsa multitudo peccatorū. Quando autem adjungitur voluntas expressa,aut interpretativa retinendi consuetudinem,tunc est novum peccatum distinctum ab ipsa consuetudine.

10. Aliqui cum *Sylvestro* verbo, *confessio 1.quæst.9* affirmant circumstantiam consuetudinis necessario esse confitendam, ut status conscientiæ pœnitentis manifestetur confessario. Dicendum tamen est, per se non requiri,quod pœnitens confiteatur consuetudinem; per accidens autem, quando consuetudo est novum peccatum propter aliquam specialem rationem, aut est occasio proxima novi peccati, consuetudinem ipsam necessario confitendam esse.Ita *P.Suarez de Pœnit.disp.22.sect.4.n.15.* attentis iis,quæ docet *tom.2.de Relig.tract.2 lib 3.de juram.cap.8.num.5.Lugo Card.de Pœnit disp.16.sect.4.§.7.num.204. P. Martinus Perez disp.33.de Pœnit.sect.2.à num.8.* & alii.Et ratio prioris partis est: quia peccata præterita sæpius repetita, (in hac repetitione consistit consuetudo) & jam confessioni exposita non addunt novam malitiam peccatis postea commissis.

11. Posterior pars conclusionis probatur,declarando esse aliquas consuetudines, vel quibus adjungitur nova voluntas expressa,aut interpretativa retinendi eas; vel quæ speciali ratione afferunt periculum proximum peccandi. Quod appositis exemplis declarabitur.Sunt enim aliquæ consuetudines,quæ incipiunt per repetitionem actionum,quæ sunt peccata venialia,& solent ita crescere,ut afferant periculum proximum incidendi in peccata lethalia. Talis est consuetudo jurandi,quæ incipit cum advertentia jurandi semper verum,& paulatim laxata conscientia crescit, ita ut exponat periculo pejerandi modo inferius explicando. Talis etiam est consuetudo maledicendi,sive dicendi verba execratoria;quæ communis esse solet fœminis iracundis; quæ consuetudo incipere solet repetitione eorum verborum sine desiderio damni prolati;& paulatim solet crescere ex laxitate conscientiæ, ita ut constituāt peccato-

rem in periculo proximo maledicendi ex animo. Similiter procedere solet consuetudo detractionis, quæ licet incipiat circa levia, crescere solet usque ad periculum detractionum gravium.

12. Et quod attinet ad consuetudinem jurandi, dupliciter potest se habere. Primò, ita ut cogat, sive inclinet ad juramenta falsa frequentanda, sine advertentia falsitatis eorum; & licet juramenta ipsa sint nova peccata in se, sed in causa prævisa, scilicet in ipsa consuetudine, tamen consuetudo ipsa, quatenus inducit periculum incidendi in ea juramenta falsa est novum peccatum, & ideo necessario confitendum. Et quamvis ipsa juramenta non sint nova peccata, ut dictum est; quia tamen retinent deformitatem objectivam afferendi nomen Dei ad confirmandam falsitatem, quamvis inadvertenter, tenetur homo ad compescendam causam, sive occasionem proximam proferendi illa.

13. Secundò. Consuetudo jurandi ita se habet, ut inclinet ad frequentanda juraméta sine examine veritatis, & cum advertentia ejus defectus examinis. Et tunc omnia juramenta, sivè vera, sive falsa, sunt peccata lethalia, & consuetudo cognita tanquam occasio proxima eorum, est etiam peccatum mortale; si non intendatur destrui, ex quo cognita est ut talis, & tunc etiam talis consuetudo, dum cognoscitur afferre periculum sic peccandi, necessario confitenda est. Nam sicut concubinarius non solum peccat lethaliter mæchando, sed etiam retinendo cõcubinam domi potens illam expellere, & ideo debet confiteri retentionem concubinæ tamquam occasionem proximam; ita similiter, qui habet cõsuetudinem jurandi modo proximè dicto, non solum peccat jurando, sed etiam retinendo eam consuetudinem, quæ sibi affert periculum proximum incidendi in ea juramenta; & ideo retentio consuetudinis confitenda est. Quod proportione servata dicendum est circa consuetudinem dicendi verba execratoria & detractoria.

14. Ideò *P. Vazquez tom. 4. in 3 part. quæst. 91 art. 1. dub. 3. num. 4.* cum dixisset, pœnitentem per se non teneri ad confitendum consuetudinem peccandi, subjungit: *Quamvis si confessarius interroget, teneatur respondere, etiam si ipse alias bene dispositus accedat ad Sacramentum; quia non satis est ita bene dispositum accedere, sed oportet, ut confessario constet. Unde si ipse ut sciat hanc dispositionem, interroget consuetudinem.:.:. tenetur pœnitens respondere, quia tenetur ipsum confessarium certiorem facere suæ dispositionis, & cum ille sit humanus Judex, ut ex iis circumstantiis cognoscat hanc causam habet jus.*

15. *P. Martinus Perez tom. de* Pœnitentia (quem edidit in lucem anno 1654) *disp. 33. sect. 2. num. 20.* agens de ea opinione *Joannis Sancii*, ait: *Unde existimo, contrariam sententiam (Joannis Sancii) in praxi esse valde improbabilem & nullo modo tenendã, quia ex illa sequuntur gravissima inconvenientia in maximum, & manifestum damnum animarum, ut infrà dicam.*

CAPUT III.

Ostenditur falsitas propositionis dãnatæ.

SUMMARIUM.

Prima demonstratio ex eo, quod confessarius debeat formare judicium, saltem proba-

probabile de dispositione pœnitentis, numer.16.& 17.

An pœnitens teneatur exponere quidquid Confessarius jure potest interrogare, num.18.

Quid de mente P.Suarii? n.19.& seq.

Secunda demonstratio ex jure confessarii ad vitanda peccata in futurum, num.22. & 23.

Demonstratio tertia ex levitate fundamenti ad propositionem damnatam, n.24.

Sæpè est obligatio exponendi peccatum jam confessum, n.25.& 26.

Ultima ratio ex consuetudine afferente periculum peccandi, n.27.

16. Ostenditur primò Cùm confessarius non possit absolvere pœnitentem, nisi rectè dispositum; ad hoc ut absolvat, debet habere credulitatem saltem probabilem de recta dispositione pœnitentis: habet ergo jus inquirendi, an pœnitens habeat propositum non peccandi. Tum sic: confessarius dubitans de hoc proposito, propter tepiditatem, quâ pœnitens illud significat, aut propter aliam circumstantiam, debet aliquam diligentiam præstare ad examinandum id propositum non peccandi; cùm ergo diuturna consuetudo peccandi soleat dificiliorem reddere efficaciam propositi, poterit interrogare de tali consuetudine, & de animo illam amputandi; ut ita cognoscat, quale sit propositum pœnitentis, & an ille sit rectè dispositus.

17. Ex quibus sic instruitur argumentum. Confessarius habet jus inquirendi, & interrogandi, quæ conducunt ad cognoscendum propositum non peccandi, quod affert pœnitens: sed ad hoc cōducit, an habeat consuetudinem peccandi taliter, & quem animum habeat illam amputandi: ergò habet jus interrogandi, an habet consuetudinem peccandi taliter, & quem animum habeat amputandi illam.

18. Dices. Plures sunt Authores graves, qui docent, quidquid confessarius jure suo potest interrogare, teneri pœnitentem, etiam non interrogatum, confiteri: sed, ut suprà diximus, pœnitens per se non tenetur confiteri consuetudinem, quando ipsa non affert periculum proximum incidendi in peccata lethalia: ergò confessarius jure suo non potest id interrogare, & consequenter nec pœnitens tenetur respondere.

19. Major probatur. Nam *P. Suarez tom.4 in 3.part.disp. 22.sect.3.num.* 10. ait: *In hoc judicio quidquid pœnitens tenetur dicere interrogatus à Iudice, tenetur ipse sua sponte confiteri; quia hoc judicium non est coactum sed voluntarium, & interrogatio confessoris non addit obligationem, sed illam potius supponit: ideo enim confessor justè interrogat, quia pœnitens habet obligationem confitendi. Filguera* in expositione hujus propositionis damnatæ attribuit ill m *P. Suario:* ad quod inductus est authoritate *Patris Moya, qui tom.1.tract.3.disp.3.quæstione 5.cap.2.§.1.* propter hunc textum existimat, P.Suarium dedisse fundamentum ad eam opinionem Sancii propugnandam, ita ut pœnitens non teneatur respondere confessario interroganti, nisi ea, quæ ipse pœnitens per se tenetur confiteri, atq; adeò quia pœnitens per se non tenetur fateri consuetudinem, neq; confessarius habet jus interrogandi illam. Affirmat etiam, quamplures alios Doctores, qui illam doctrinam generalem Suarii sequuntur, dedisse idem fundamentū pro opinione Sancii, & citat (relatis eorum verbis) *Texedam, Verricelium, Filucium, & Franciscum Bona Spei.*

20. Sed

20. Sed contra est: nam hæc doctrina, & Authores illius non sunt, nec afferuntur ad rem. Pro cujus claritate notandum est, aliud esse jus interrogandi, quod habet confessarius circa integritatem materialem confessionis; & aliud jus interrogandi, ut sibi satisfaciat de dispositione pœnitentis. Nam circa primum, verissimum est, quod, quidquid tenetur dicere pœnitens interrogatus à Judice, tenetur ipse sua sponte confiteri. Et hoc est, quod asserit P. Suarez verbis proximè relatis. Agit enim de integritate confessionis, ad quam opinatur necessarium esse confiteri circumstantias aggravantes. Et ex eo, quod confessarius possit jure suo interrogare pœnitentem de circumstantiis aggravantibus, infert, ipsum pœnitentem teneri sua sponte confiteri.

21. Quod autem pœnitens interrogatus à confessario de circumstantia aggravante, teneatur illam confiteri, statuit ibidem, his verbis: *Si confessor interroget à pœnitente hujusmodi circumstantiam, pœnitens tenetur eam dicere, quia confessor jus habet interrogandi; cum hæc notitia necessaria illi sit ut possit convenienter suo munere fungi. Unde si pœnitens neget, planè fallit confessorem in re gravi, & multum ad judicium pertinente.* Vide quam longè absit *Suarius* ab ea propositione, quod pœnitens non teneatur respondere confessario interroganti. Hic enim est discursus ejus: Pœnitens tenetur respondere confessario interroganti de circumstantia aggravante, sed qui tenetur respondere confessario interroganti, tenetur ipse sua sponte confiteri (scilicet in ordine ad integritatem materialem): ergo tenetur sua sponte confiteri circumstantiam aggravantem. De eo autem, quod conducit ad hoc, quod confessarius sibi satisfaciat de dispositione pœnitentis requisita ad absolutionem, nihil pœnitus asserit ibi Suarius.

22. Ostenditur secundò. Confessarius debet consulere pœnitenti ea media, quæ conducunt ad emendationem vitæ in futurum; atque adeo habet jus interrogandi ea, quæ ad hunc finem conducunt; ut constat ex cap. *omnis utriusq; sexus.* Illis verbis. *Sacerdos autem sit discretus, & cautus, ut more periti medici superinfundat vinum, & oleum vulneribus sauciati; diligenter inquirens, & peccatoris circumstantias, & peccati: quibus prudenter intelligat quale debeat ei præbere consilium, & ejusmodi remedium adhibere diversis experimentis utendo ad salvandum ægrotum.* Ex his enim ultimis verbis *diligenter inquirens* & constat, debere interrogare ea, *quæ conducunt ad præbendum consilium, & remedium adhibendū*, quod pertinet ad futuram emendationem.

23. Sed inquirere consuetudinem peccati maximè conducit ut *prudenter intelligat, quale debeat ei præbere Consilium, & cujus modi remedium adhibere*: ergò confessarius habet jus inquirendi, seu interrogandi de consuetudine. Et quidem contra consuetudinem peccandi est maximum remedium frequentia suscipiendi Sacramenta; item assiduus clamor orationis ad Deum, studiosa imploratio Patrocinii B. Virginis, & multa alia. Si ergo confessarius obligationem habet adhibendi hæc, aut similia remedia cōtra depravatam consuetudinem; ad illa adhibenda jus habet inquirendi talem consuetudinem.

24. Ostenditur tertiò. Si propter aliquid pœnitens non teneretur confiteri consuetudinem, etiam interrogatus, maximè quia

quia nemo tenetur confiteri bis idem peccatum; hoc enim est præcipuum fundamentum Joannis Sancii, sed hoc fundamentum laborat in æquivoco: ergo absque fundamento dicitur pœnitens non teneri ad confitendam consuetudinem, etiam interrogatus. Probatur Minor. Nam licet per se loquendo pœnitens non tenetur confiteri bis idem peccatum; sunt tamen multi casus, in quibus tenetur pœnitens iterum confiteri, quæ jam confessus est; v. g Petrus suasit Sociis, ut omnes simul concurrerent ad tale furtum: postea Petrus confessus est furtum, & oblitus est confitendi suasionem, seu scandalum datum sociis. Mox recordatus est, se non esse confessum eam suasionem, & ut satisfaciat suæ conscientiæ, vult illam suasionem confiteri Sed nunquid ritè confitebitur Petrus, si dicat, (suasi sociis, ut patrarent peccatum grave?) Minimè: nam suasio, sive scandalum speciale specificatur ab objecto, ad quod inducit: ergo necesse est, quod pœnitens confiteatur suasionem ad furtum: ergò necesse est, quod hoc modo iterum confiteatur furtum.

25. Item Titius carnaliter cognovit sororem uxoris suæ: & deinde confessus est hoc peccatum; & tunc admonitus est, quod non posset petere debitum à sua uxore. Deinde violavit hanc legem petendo debitum. Quomodo confitebitur Titius hoc secundum peccatum, nisi simul confiteatur primum? Quia si dicat confessario, (petivi debitū ab uxore) respondebit confessarius, in conjugatis illud non esse peccatum: ergò ut confessarius intelligat peccatum illius, necesse erit facere mentionem peccati prioris, ratione cujus ortum est impedimentum affinitatis cum uxore.

26. Similiter ergo quamvis pœnitens non teneatur directè ad confitendum consuetudinem peccatorum, quæ jam confessus est, tenetur tamen indirectè quando judicio confessarii oportet declarare consuetudinem, vel ut confessarius sibi satisfaciat de recta pœnitentis dispositione, præcipuè de proposito non peccandi de cætero; vel ut confessarius adhibeat oportuna remedia ad emendationem vitæ.

27. Probatur quartò specialiter de illis consuetudinibus, quæ ut dixi, *cap. 2.* afferunt periculum, & occasionem proximam incidendi in peccata lethalia, qualis est consuetudo jurandi, maledicendi, detrahendi, &c. Quandoque enim est novum peccatum retinere, & non refragari perfectæ consuetudini. In his enim debet confessarius interrogare pœnitentem, ut examinet, an sint ejus generis, quæ afferant talem occasionem proximam, & quarum retentio constituat novum peccatum.

CAPUT IV.

Satisfit argumentis propositionis cap. 1. pro opinione damnata.

SUMMARIUM.

Per accidens potest oriri obligatio confitendi bis idem peccatum. num. 28.

Non sufficit recta dispositio pœnitentis ad absolutionem, nisi de ea constet confessario. num. 29.

Etsi de dispositione constet confessario, adhuc non tenetur statim absolvere. num. 30.

Confessarius debet habere fidem pœnitenti, nisi ex circumstantiis hæc varietur. n. 31.

Sæpè pœnitens indicat in modo loquendi, se desperare de sua emendatione. num. 32.

28. AD primum argumentum Joannis Sancii constat ex proximè dictis *cap. preced.* Licet nemo teneatur directè, & per se confiteri bis idem peccatum; tamen per accidens, & ratione specialis circumstantiæ posse advenire obligationem iterum confitendi peccatum semel, aut centies expositum in confessione, ut constat exemplis ibidem allatis.

29. Secundùm argumentum peccat in multis, dum dicit, ubi pœnitens est rectè dispositus, debere statim absolvi à confessario. Primò, quia non sufficit, ipsum esse rectè dispositum coram Deo, nisi ipse confessarius, qui daturus est absolutionem, sibi satisfaciat de recta dispositione pœnitentis. Si ergo confessarius ex circumstantiis suspicetur, pœnitentem non afferre firmum propositum emendationis, & id oriri ex prava, & vetusta consuetudine; quomodo tenetur impendere absolutionem, donec habeat satisfactionem sufficientem de vero proposito confitentis? Et quomodo habebit eam satisfactionem sufficientem, nisi examinet consuetudinem, & per aliqua media conetur suadere, ut firmiter proponat deserere consuetudinem? Quod si pœnitens sit Sacerdos, qui quotidie celebrat, & fama est, quod quotidie à multis retro annis peccat cum concubina, & se sistens coram confessario, accusat se de una fornicatione, quam proxima nocte patravit? Nam confessarius videt, moraliter impossibile esse, quod iste habeat propositum firmum non peccandi de cætero; cum nihil speciale videat, quod arceat animum pœnitentis à tam inveterata consuetudine peccandi. Est ergo necessarium, quod tunc examinet eam consuetudinem, & quærat media, ut propositum illud firmum evadat: alioqui videt, se absolvere indispositū.

30. Secundò, nam ut rectè observavit *Lug. Card.* supra relatus, etiamsi confessarius videat pœnitentem rectè dispositum cum vero proposito non peccandi de cætero, non tenetur statim absolvere. Olim enim erat usitatum in Ecclesia non absolvere pœnitentes, donec implerent pœnitentiam impositam à confessario pro satisfactione peccatorum. Multo magis oportebit differre absolutionem, quando confessarius viderit, id esse oportunum remedium ad firmandum propositum, & arcendum pœnitentem à consuetudine peccandi.

31. Ad primam confirmationem constat ex dictis jus, quod habet confessarius ad inquirendum de consuetudine, non esse dumtaxat in ordine ad differendam absolutionem, quando oportuerit; sed etiam confirmandum propositum, quod ex consuetudine solet esse valde imbecillum; & item ad adhibendum remedia, tum pro firmitate propositi, tum pro emendatione vitæ. Sed dato, & non concesso, quod solum interrogaret confessarius in ordine ad differendam absolutionem; constat ex dictis, non teneri confessarium impendere absolutionem statim, ac à pœnitente audierit, dari in eo verum propositum.

32. Ad secundam confirmationem respondeo, debere confessarium habere fidem pœnitenti, asserenti se habere contritionem, & propositum non peccandi de cætero; quando circumstantiæ sunt tales, ut possit illud prudenter credere. Solent tamen concurrere circumstantiæ, in quibus confessarius prudenter dubitat: nunquid ergo tenebitur confessarius vel absolvere dubius de dispositione pœnitentis, vel deponere

ponere dubium, absque aliqua ratione probabili? Et quidem quandoque pœnitens interrogatus de proposito, ita tepidè annuit, ut manifestum sit, illud invitè respondere. Certè cum postulo aliquid à divite, & video illum tepidè promittere, valde dubito de animo donandi postulata. Deinde peccatores, qui toto anno in consuetudine luxuriandi versantur, & si abundent prudentia hujus sæculi; in rebus tamen salutis æternæ stolidissimi sunt, ita ut sibi videantur satisfacere confessario interroganti de consuetudine, si verbo tenus proponant, quamvis habeant animum persistendi in suis perditissimis moribus. In his ergo, & similibus casibus, quomodo credet confessarius statim, dicenti, se habere contritionem, & propositum. Cum ergo Theologi dicunt, confessarium debere credere pœnitenti testificanti de sua contritione, & proposito, intelligendi sunt, quando nulla occurrit ratio dubitandi.

42. Ego sanè multa experientia comperi, homines luxuriæ deditos, cum ad confessionem accedunt, & de proposito non peccandi interrogantur, vehementer desperare de sua emendatione; & sic summè impediri ad habendum propositum, quod non sperant implere; ita ut aliquando non parum laboraverim, ut constituerem eos in spe emendationis; & sic ad propositum reducerem. Non est ergo universaliter verum, quod confessarius debeat credere statim pœnitentibus, utcumque dicentibus, se pœnitere, & proponere.

* * *

CAPUT V.

Examinatur alia opinio media circa obligationem confitendi consuetudinem.

SUMMARIUM.

Discrimen inter virum doctum, & rusticum in ordine ad confitendum consuetudinem peccandi. num. 33.

Fundamentum sententiæ negantis viro docto hanc obligationem. num. 34.

Inest, & huic viro talis obligatio. num. 35.

Vir doctus potest decipi ab habitu pravæ consuetudinis. num. 36.

Sæpè vir doctus passione illectus reputat probabile, quod tale non est. num. 37.

Etiam respectu viri docti debet confessario constare de dispositione ad absolutionem. num. 38.

Quandoque vir doctus tenetur respondere interroganti de sua consuetudine. n. 39.

33. PATER Moya *tom. 1. tract. 3. disp. 3. quæst. 5. cap. 2. §. 2.* concedit hominibus rusticis, & indoctis inesse obligationem confitendi consuetudinem peccandi, si interrogentur à confessario; hominibus vero doctis, si certo cognoscant, se non indigere directione confessarii, non inesse eam obligationem; addit tamen limitationem mox subjiciendam. Quod confirmat ex *P. Dicastillo de Pœnit. disp. 3. dub. 21.* ubi asserit, sequendam esse communem sententiam de consuetudine confitenda, *nisi evidentissime constet, confessarium frustra interrogare.* Cum ergo viro docto id possit evidentissime constare, in tali casu non tenebitur respondere. Confirmat etiam ex *P. Gaspar Hurtado de Pœnit. disp. 9. diff. 4.* & ex

P. Baunio in Theolog. morali part. 1. tr. 4. de Pœnit. quæst. 15. dub. 12. sed hi duo majorem super addunt limitationem. Item ex *Leandro à Sacram. tom. 1. de Pœnit. tract. 5. disp 8. § 7 quæst. 21.* qui cum doceat oppositam sententiam, eam limitat, dicens: *Secus autem dicendum, casu quo pœnitenti constet, indigere directione confessarii ad præcavendum peccatum in futurum.* Ubi *P. Moya* immediatè subjungit: *Addo ego, (vel saltem dubitet de hujusmodo indigentia) quia si dubitans non respondet, se exponet periculo peccandi; quia ex conscientia practicè dubia veritatem occultat.*

34. Et hæc sententia potest roborari ex ipsis fundamentis, quibus nostram sententiam confirmavimus. Ideo enim pœnitens interrogatus tenetur fateri consuetudinem, quia id solet oportere ad explorandum propositum emendationis, & adhibenda remedia pro emendatione futura: sed pœnitens doctus potest evidenter cognoscere, nihil horum deficere: ergò pœnitens doctus, si id evidenter cognoscat, non tenetur fateri consuetudinem.

35. His non obstantibus censeo, hanc sententiam non esse admittendam ad praxim. Probatur Primò. Ideo enim tenetur pœnitens interrogatus fateri consuetudinem, quia confessarius vult sibi satisfacere de proposito pœnitentis: sed nihil prodest evidentia viri docti, qua cognoscit, ipsum non indigere directione confessarii; ad hoc ut confessarius sibi satisfaciat de proposito pœnitentis; nam evidentia pœnitentis, quantumvis viri docti, non satisfacit confessario, sed notitia propria, quam per suas interrogationes conatur comparare: ergò etiamsi pœnitens sit vir doctus, & sciat se esse bene dispositum, & non indigere directione confessarii, adhuc interrogatus tenetur fateri consuetudinem.

36. Probatur secundò. Nam is pœnitens, quamvis sit vir doctus, si habet consuetudinem peccandi, v. g. se polluendi, aut mechandi, aut jurandi falso, aut detrahendi in materia gravi; absque dubio habet conscientiam laxam, & facilè sibi persuadebit, se habere evidentiam de recta sua dispositione; cum fortasse in eo decipiatur: ergò eo ipso, quod habeat tam depravatam consuetudinem, debet timere, ne philautia eum decipiat.

37. Probatur tertiò. Constat enim esse aliquos viros doctos, qui admittant opiniones improbabiles, & quæ conscientiam non relinquunt securam. Vir doctissimus fuit Joannes Santius: & tamen sustinuit opiniones, quas prius privata sua authoritate reprobarunt Theologi; deinde authoritate Romanæ Cathedræ damnatæ sunt. Vir doctissimus fuit Caramuel; & propugnavit opiniones, quæ easdem censuras subiere. Non est ergo concedendum indefinitè viro docto, quod possit negare responsionem ad interrogata de consuetudine; qui fortè ad eam taciturnitatem ducitur opinione improbabili: quod multò magis timendum est in eo viro docto, qui in veterata peccandi consuetudine perstitit; cum depravata consuetudo, & philautia judicium hominis obnubilent.

38. Ad fundamentum partis oppositæ respondeo ex dictis, concessa Majori, & Minori, negando consequentiam: nam ut confessarius exploret, quale sit propositum pœnitentis, & circa firmitatem ejus sibi satisfaciat, nihil prodest, quod pœnitens vir doctus sciat, se esse bene dispositum, & non indigere directione confessarii; requiritur

ritur enim, quod confessarius id cognoscat. Illud potest concedi viro docto, quod ubi viderit confessarium frustra interrogare, ostendat huic, qua ratione non sit necesse in hoc casu peculiari interrogare de consuetudine, & simul ei sati faciat de firmitate sui propositi. Et hæc videtur esse limitatio ejus opinionis, quam apponit *P. Moya*, ubi supra *num.16.* ubi cum dixisset, rusticos, & indoctos interrogatos de consuetudine peccandi à confessario, teneri illam explicare, subjungit: *Sicut viri docti, qui æque ac ipse confessarius, & quandoque magis, rem penetrant, quibus proinde constare potest nulla confessarii directione indigere, illumque certiorem possunt reddere, nullum desiderari ex requisitis ad licitam, validamque absolutionem.* Sed ego, ut formalius explicem mentem meam non dico, *illumque certiorem possunt facere, &c.* Sed appono tanquam conditionem actualem, ***dummodo certiorem faciant actualiter confessarium, nullum desiderari ex requisitis ad licitam, validamque absolutionem.***

39. Ex dictis igitur concludo, nunquam concedendum esse absolutè, quod pœnitens vir doctus interrogatus de consuetudine non teneatur respondere. Nam vel vir doctus vi doctrinæ suæ satisfacit, & suadet efficaciter confessario, non esse necessarium explicare consuetudinem; vel non suadet efficaciter. Si secundum, respondere tenebitur, ut probant hucusque dicta. Si verò suadet efficaciter confessario, id non esse necessarium, jam confessarius cessat ab interrogatione.

* * *

DISSERTATIO XXXVIII.

An ratione magni concursus pœnitentium liceat absolvere dimidiatè confessos?

CAPUT I.

Præmittuntur aliqua, & referuntur Sententiæ.

SUMMARIUM.

Proponitur propositio damnata. num.1.
Divisio integræ confessionis in materialiter, & formaliter talem. num.2.
Formalis integritas per se necessaria est. n. 3.
An magnus concursus sit sufficiens causa non ponendi integritatem materialem? n.4.
Doctorum opiniones variæ. num.5.
Fundamentum pro parte affirmativâ. n. 6.

1. PRopositio. 59. damnata hæc est: *Licet Sacramentaliter absolvere dimidiatè tantum confessos, ratione magni concursus pœnitentium, qualis v. g. potest contingere in die magnæ alicujus festivitatis, aut indulgentiæ.* Sensus autem propositionis est, quod sicut negari potest, esse aliquos casus, in quibus ob aliquam causam necessariam licitum est dimidiare confessionem Sacramentalem; ita in magno concursu pœnitentium est causa necessaria ad dimidiandam confessionem, quod omnes pœnitentes, qui concurrunt, possint confiteri; quia alioqui si omnes integrè audian-

tur, multi abibunt absque confessione.

2. Nota est divisio integritatis confessionis in materialem, & formalem. Materialis est, cum pœnitens confitetur omnia peccata, quæ commisit. Formalis est, cum pœnitens confitetur omnia peccata, quæ hic, & nunc potest confiteri. Solent enim concurrere circumstantiæ, in quibus est impotentia physica, vel moralis ad confitendum omnia, quæ commisit. Oblivio enim inculpabilis constituit impotentiam physicam; cum sit physicè impossibile dicere ea, quæ nullo modo in memoriam veniunt. Impossibilitas autem moralis datur, quando occurrit aliquod inconveniens, quod præponderat integritati materiali.

3. Sufficere integritatem formalem, quamvis non detur integritas materialis, omnes Theologi fatentur. Multi autem sunt casus, in quibus Theologi concedunt, posse omitti integritatem materialem, & dimidiari confessionem: alii ex parte pœnitentis, ut si moribundus sit in in extremis: in quo casu audito aliquo peccato absolvitur, & postea prosequitur confessionem, si potest & iterum absolvitur. Alii ex parte confessarii v. g. si timeat mortem ex contagione pœnitentis. Alii ex parte alterius tertii, ut si timeatur verum scandalum. Sed omnes hujus ordinis casus reducuntur, ut dixi, ad impotentiam physicam, vel moralem.

4. Quæstio ergo præsens procedit in casu alicujus magnæ festivitatis, aut indulgentiæ in quo est multa messis pœnitentium, operarii autem pauci; ita ut si audiantur integræ confessiones pœnitentiũ, impossibile sit, omnes concurrentes confiteri; & ideo necessarium est, quod multi redeant desolati absque confessione, quam desiderabant. Inquiritur ergo, an istud sit tam magnum inconveniens, ut propter illud dimidiare liceat confessiones, præcipuè eas, quæ sunt de peccatis diuturno tempore commissis?

5. Affirmativa opinio, quæ in hoc decreto damnatur, tribuitur *Merchanti* *Tribun. tom. 1. tract. 2. tit. 7. quæst. 2.* E. am docuerunt aliqui, quos suppresso nomine refert, & refellit *P. Ægidius de Coninck disp. 7. de Pœnit. dub 9. num. 93.* Secunda opinio est *Lumbierii tom. 3. summa in expositione hujus propositionis. 59. num. 1989. & seq.* docentis, ratione solius concursus pœnitentium non posse dimidiari confessionem; bene tamen in aliquibus casibus, in quibus præter rationem concursus datur alia circumstantia. Quam opinionem, & casus ibi enumeratos examinabo *cap. 3.* Tertiam sententiam, quæ tanquam omninò certa propugnanda est, docuit disertis terminis *P. Coninck* proximè relatus, & aliqui etiam recentiores, qui hujus casus meminerunt, scilicet, eam causam minimè esse sufficientem ad dimidiandam confessionem.

6. Fundamentum primæ opinionis jam damnatæ esse potuit: Nam præceptum integritatis confessionis non obligat contra præceptum charitatis; sic enim dimidiari potest confessio, si ex confessione alicujus peccati resultaret scandalum activum confessario, vel alii tertio, sed contra charitatem esset, si propter audiendas tres, vel quatuor confessiones integras, remaneret magna turba pœnitentium sine optata confessione; una enim confessio de peccatis longo tempore commissis, solet durare per horam integram; quod si unus tantum esset confessarius, & iste vacaret confessionibus ejus durationis, tres, vel quatuor

tuor confiterentur toto tempore ante meridiem,& reliqua turba pœnitentium careret eo solatio spirituali: ergò in eo casu non obligat præceptum integritatis confessionis. Dabitur autem integritas formalis, quamvis non detur integritas materialis, quatenus obligatio charitatis erga turbam populi inducit impossibilitatem moralem faciendi illas confessiones materialiter integras.

CAPUT II.

Ostenditur, quam sit falsa opinio damnata.

SUMMARIUM.

Probatio prima ex præcepto Divino de integritate. num 7.& 8.

Sola impossibilitas physica, vel moralis excusat ab impletione talis præcepti. num.9.

Utilius est confiteri integrè, quàm propter Indulgentiam dimidiare confessionem. num. 10.

Præceptum charitatis erga proximum non obligat præsciè ex magno concursu. n.11.

Absurda plurima, quæ inferuntur ex parte affirmativa. num.12.& seqq.

7. Ostenditur primò. Præceptum Divinum integritatis confessionis obligat ad confitendum omnia peccata, quæ sunt in conscientia, dum non est impossibile physicè, vel moraliter confiteri omnia: ergò concursus pœnitentium non facit, quod auferatur obligatio confitendi omnia. Consequentia obligat.

8. Major autem patet ex *Trident. sess. 14. cap. 5. de Sacram Pœnit.* illis verbis: *Dum omnia, quæ memoriæ occurrunt peccata Christi fideles confiteri student, procul dubio omnia Divinæ misericordiæ ignoscenda exponunt. Qui vero secus faciunt, & scienter aliqua retinent, nihil Divinæ bonitati per Sacerdotē remittendum proponunt.* Ex quibus verbis patet, eos omnes, qui scienter aliqua peccata retinent, invalidè confiteri. A qua universalitate nulla potest esse exceptio, aut limitatio, nisi sola causa impossibilitatis physicæ, aut moralis. Neque enim datum est privatis Doctoribus limitare definitiones universales conciliorum generalium.

9. Deinde ea Major confirmatur primò: Nam omnes casus, in quibus Doctores concedunt, dimidiari posse confessionem, ad impossibilitatem physicam, vel moralem reducuntur; ut singulos perpendenti patebit. Confirmatur secundò. Nam fideles tenentur implere hoc præceptum Divinum, dum possunt illud implere: ergò sola impossibilitas excusat ab ejus impletione.

10. Minor autem ejus syllogismi demonstratur. Quia licet incompossibilia moraliter sint, quod fiant illæ confessiones longo tempore duraturæ, & quod omnis turba populi uno die mane confiteatur: ast nulla ratio impossibilitatis relucet in eo, quod confessiones longo tempore duraturæ rejiciantur in tempus opportunius; neque in eo, quod si eæ confessiones longi temporis fiant, remaneat turba populi sine eo, quod eo die confiteatur; cum nulla sit obligatio confitendi eo die. Et quidem multo utilius est conscientiis fidelium, & multo facilius confessario, quod confessiones longi temporis rejiciantur in diem, in quo confessarius magis sit expeditus à concurrentia populi festinantis ad confessiones. Quomodo ergo fingitur impossibilitas

litas moralis in eo, quod facilius, & utilius est.

11. Hinc evanescit fundamentum, quod pro opinione damnata proposui in fine capitis primi. Nam concessa Majori, quod non obligat præceptum integritatis confessionis contra præceptum charitatis; negatur Minor, quod in eo casu obliget præceptum charitatis, vel ad audiendas in eo die confessiones longi temporis, vel audiendas confessiones totius populi, cum non instet obligatio confitendi eo die; neque instet periculum mortis toti populo confessionem illius diei desideranti.

12. Ostenditur secundò falsitas propositionis damnatæ. Nam ex praxi illius sequerentur ingentia absurda, in quibus nimium conscientiæ periclitarentur. Quæ absurda optimè enumerat *P. Coninck* relatus *num.93. & 94.* his verbis: *Primò, quod illis diebus communiter plurimæ confessiones dimidiarentur. & quidem ferè eorum, quibus, ut bene instruantur, & ad debitum dolorem excitentur, maximè opus est integra confessione. Nam maximi quique peccatores, & qui habent intricatissimas conscientias, & versantur in continuis peccandi periculis, ferè similibus diebus ad confessionē veniunt, & sæpissimè sine sufficienti dolore, aut proposito emendationis, quos Sacerdos nullo modo poterit sufficienter, aut ad dolorem excitare, aut contra futura pericula munire, nisi perfectè eorum statum noverit, ad quod requiritur integra confessio. Unde sequetur secundò, ut multæ confessiones sacrilegæ. & invalidæ fiant, & multi perpetuo in peccatis hæreant, qui aliàs integrè confitendo juvarentur.*

13. *Nec sufficiet, si Sacerdos eos moneat, ut paulò post ad confessionem redeant, reliqua confessuri; quia tales non possunt id apprehendere necessarium, sed videntur sibi suo muneri abunde fecisse satis, quacumque ratione absolutionem obtineant. Imò multi fortè advertentes, se in tali concursu paucis absolvi, occasionem ita confitendi quærerent. Quare longè satius est, tales tunc non confiteri, quam hoc modo absolvi; quia cum apprehendant, sibi necessariò confitendum esse, semper manebunt solliciti, ut hoc faciant. Quod non ita dico, quasi tales tunc a confessione repellendi sint, ut cæteri audiri possint (hoc enim cum offensione, & aliqua eorum injuria fieret) sed quia non ideo in eorum confessionibus audiendis festinandum est, ut omnes audiri possint.*

CAPUT III.

Examinantur quædam asserta Lumbierii.

ARTICULUS I.

Examinatur casus, in quo est in pœnitente periculum non redeundi ad confessionem.

SUMMARIUM.

Quid docuerit M. Lumbier? num.14.

An ratione periculi non redeundi possit dimidiari confessio in magno concursu. n.15.

Pars affirmativa continetur sub hac damnatione. num.16.

Nova hac circumstantia oritur ex pravitate pœnitentis. num.17.

Non datur impossibilitas, etiam moralis. num. 18.

Tunc non audire integrè confessionem oritur

à

à voluntate audiendi reliquas. n. 19.
Conjunctum ex concursu, & periculo etiam non inducit impossibilitatem. n. 20. & seq
Non quavis variatio circumstantia immutat moraliter casum. n. 22. & seq.
Ratio dimidiandi aliquando confessionem solum est impossibilitas vel physica, vel moralis. n. 25.

14. R*Aymundus Lumbier* in expositione hujus propositionis *59.* affert tres casus, in quibus non solùm ratione concursus confessionum, sed ex alia simul circumstantia adjuncta fiat licitum dimidiare confessiones. Quos oportet in præsenti examinare. *Num. 1939* hæc verba habet; quæ fideliter in latinum sermonem transfero [*Num.* 1216 diximus, cùm in missionibus est ingens concursus festinantium ad confessiones; ne pœnitentes abeant absque absolutione cum periculo nō redeundi ad confitendum, si ea occasio transeat, posse dimidiari Confessionem, impositâ pœnitenti obligatione redeundi ad integram confessionem, cùm se dederit occasio opportunior. Si enim dimidiari potest, ob necessitatem temporalem, potius poterit, propter spiritualem proximorum, & ejus pœnitentis, si adest periculum non redeundi ad confessionem. Hoc videtur non manere reprobatum ex hac condemnatione; si quidem non dicimus, ex solo ingenti concursu pœnitentium posse absolvi dimidiata confessione; sed propter periculum non redeundi ad confessionem, si confessarius illum dimittit desolatum. Verum quidem est, si non obstante condemnatione, hæc assertio habitura sit probabilitatem, esse deberet loquendo de homine rustico, cui non esset facile suadere, ut rediret, non autem de alio homine sufficientis capacitatis; nam si iste non redeat, sibi imputet. Huc usque *Lumbier.*

15. Itaque docuerat *Lumbier* in secundo *To.* non ob solam rationem concursus pœnitentium, sed etiam ob adjunctum periculum non redeundi ad confessionem, posse absolvi dimidiata confessione hominem rusticum. Et *tom.* 3. in expositione hujus propositionis dicit, id videri probabile, & non contentum sub hac damnatione; quamvis hoc asserat cum formidine.

16. Existimo tamen, eam assertionem comprehendi sub ea damnatione. Etenim quandò circumstantia adjuncta non est sufficiens ad dimidiandam confessionē, tunc verificatur, quod dimidiatur ratione concursus confessionum: sed ea circumstantia adjuncta de periculo non redeundi ad cō-fessionem, licèt consideretur in homine rustico, non est sufficiens ad dimidiandam confessionem: ergò licet in concursu confessionum detur ea circumstantia, id est, periculum non redeundi; si dimidiatur confessio, verificatur, quod dimidiatur propter concursum confessionum.

17. Probatur Minor. Nam periculum non redeundi ad confessionem oritur à depravata voluntate ipsius pœnitentis, sive rustici, sive politici: quis autem admittere potest, aut aliquandò admisit, quod possit quis dimidiare confessionem propter suam depravatam voluntatem?

18. Confirmatur. Nemo enim potest omittere integritatem confessionis à Christo Domino præceptam, nisi propter impossibilitatem physicam, vel moralem: sed periculum non redeundi ad confessionem, eo ipso, quod est voluntarium, & à depravata voluntate profectum, nullam affert

impossibilitatem: ergò nemo potest omittere integritatem confessionis propter id periculum.

19. Confirmatur secundò Nam si confessarius videt, adesse id periculum non redeundi ad confessionem, quare confessarius non audiet illam confessionem integrè? Dices confessarium nolle illum integrè audire, ne reliquis deficiat locus, & occasio confitendi. Infero. Ergò jam præcipua causa dimidiandi est, ne cæteris desit occasio confitendi. Illa enim dicitur præcipua, imò, & totalis causa faciendi, quâ ablatâ, nulla remanet causa id faciendi: sed ablata causa, de aliorum confessionibus audiendis; id est si confessarius non attendit ad hoc, quod alii eo die, & hora confiteantur, sed audiat, ut debet, confessionem illius integram, nulla remanet causa dimidiandi confessionem; ergò si propter audiendas confessiones aliorum vellet dimidiare istam, præcipua, imò, & tota causa erit ipse concursus confessionum.

20. Dices Neq; concursus confessionum per se, neq; periculum non redeundi per se esse sufficientem causam ad dimidiandam confessionem unius, sed utrumq. simul.

21. Sed contrà est primò. Nam si non obstante concursu confitentium confessarius audiat totam confessionem integram ipsius, disparet omnis causa dimidiandi cōfessionem: sed nulla est impossibilitas moralis in eo, quòd stante eo concursu, audiatur illius confessio integra: ergò nulla impossibilitas moralis resultat ex utroque simul. Atqui ubi nulla impossibilitas moralis resultat, non potest omitti observatio præcepti Divini, de integritate confessionis: ergò neque propter utrumque simul potest omitti.

22. Contra est secundò. Demus enim confessarium dimidiare confessionem ejus pœnitentis propter id motivum quod omnes concurrentes possint audiri, & simul ne pœnitens ille incurrat periculū non redeundi ad confessionem. Tum sic: quando duæ causæ partiales necessariæ sunt ad aliquem effectum, si una deficiat, non potest resultare effectus: & idem evenit quandò duo motiva, partialia sunt necessaria ad consequendum aliquem finem, si unum motivum partiale deficiat, nequit perveniri ad talem finem: sed juxta eam responsionem requiritur, utrumque motivum præfatum simul, ad hoc ut possit dimidiari confessio: ergò si unum eorum deficiat, non potest dimidiari confessio: Sed sic est, quod deficit illud motivū, quod omnes concurrentes debeant audiri à cōfessario, aut confessariis; quandòquidem ex hac damnatione constat, concursum pœnitentium non conducere ad dimidiandam confessionem; & ex terminis constat nullam necessitatem moralem esse in eo, quod omnes pœnitentes audiantur; cum nullo præcepto adigantur ad confitendum in illa die: ergò in eo casu non potest dimidiari confessio.

23. Dices secundò. Additâ, vel variatâ unâ circumstantiâ, variatur casus in moralibus: ergò additâ vel variatâ una circumstātia, jam non comprehenditur casus sub hac damnatione; nam damnatio, quæ respicit hunc casum determinatum, non extenditur ad diversum casum Ergò cum superadditur hæc nova circumstantia nempè periculum non redeundi ad confessionem, jam est diversus casus; atque adeò non comprehensus sub damnatione.

24 Sed contra est. Inquiro enim nunquid excusabitur à damnatione propositio, quæ dicat, in magno concursu pœnitentiū, posse

se dimidiari confessionem ejus, qui habet Bullam Cruciatæ? Et tamen superadditur nova circumstantia. Nunquid excusabitur à damnatione propositio, quæ doceat, in magno concursu pœnitentium dimidiari confessionem ejus pœnitentis, in quo timetur periculum impatientiæ, & furoris contra confessarium, qui nolet audire eum pœnitentem, ne desit multitudini pœnitentium? Nunquid illa, quæ asserat, posse in illo concursu dimidiari confessionem ejus, in quo cernitur periculum talis impatientiæ, ut accessurus sit ad suscipiendam S. Synaxim absque confessione.

25. In quibus casibus nemo concedit, eas propositiones liberari à damnatione, quãvis superaddant novã circumstantiam. Et ratio est: quia nisi circumstantia superaddita afferat impossibilitatem moralem faciendi confessionem integram, nihil conducit circumstantia superaddita, ut variet casum in ordine ad necessitatem dimidiandi confessionem. Sicut ergò in his duobus postremis casibus id periculum impatientiæ nihil prodest ad dimidiandam confessionẽ, quia id periculum impatientiæ oritur ex depravata voluntate pœnitentis, ex qua nõ potest oriri impossibilitas moralis faciendi confessionem integram: eodem prorsus modo periculum non redeundi ad confessionem nihil proderit ad dimidiandã confessionem; & ideò in ordine ad dimidiandã confessionẽ casus non est diversus, atq; adeò manet contentus sub ea damnatione.

26. Ad Argumentum, quod objicit Lumbier illis verbis [si enim dimidiari potest ob necessitatem temporalem, potius poterit propter spiritualem proximorum, & ejus pœnitentis, si adest periculum non redeundi ad confessionem] Respondeo; rationẽ, quare possit aliquandò dimidiari confessio, non consistere in eo, quod necessitas sit temporalis, vel spiritualis; sed in eo quod talis sit necessitas, ut resultet impossibilitas saltem moralis faciendi confessionem integram; quia dum possibile est physicè, & moraliter facere confessionem integram, instat obligatio juris Divini.

ARTICULUS II.

Duo alia asserta ejusdem Scriptoris discutiuntur.

SUMMARIUM.

Secundus casus de non accessu ad communionem. n. 26.

Hoc impedimentum potest auferri, si non attendatur concursus n. 27.

Non qualibet notabilitas sufficit ad dimidiandam confessionem. n. 28.

Quid de rustico, cui imponitur onus redeundi? n. 29.

Etiam in rustico solùm impediret concursus n. 30.

Limitationes appositæ ab aliis Authoribus. n. 31.

26. IDem *Lumbierius ibidem nu.* 1990. hæc habet [Altera assertio est in 1. *to. in Indice Aranæ fol.* 133. scilicet posse dimidiari confessionem in die Jovis Hebdomadæ Majoris, aut in alio die, cùm fieret notabile, si non acciperet Eucharistiam: & difficile est, confessionem esse integram, aut quia est diuturni temporis, aut propter multitudinem concurrentium ad confessionem. Et ibi citavi *Vegam in libello de casibus raris.* Hæc propositio duntaxat intelligi debet, cùm resultabit, esse notabile, quod abstineant à communione illi, quorum confessio dimidiatur. In altero sensu, in quo forsitan aliquis accipiet eam assertionem, nempe quod dimidiari

 potest

potest dumtaxat propter multitudinem pœnitentium, qui confiteri cupiunt: illam censemus falsam, & damnatam)Hucusque *Lumbierius*.

27. Sed hæc assertio videtur mihi clariori indigere explicatione. Quare aliqua notanda veniunt in ea assertione. Primum est, quod dicit[tunc posse dimidiari confessionem, cùm furtum est notabile, quod abstineant à communione illi, quorum confessio dimidiatur.]Est enim necesse explicare, undè proveniat impossibilitas faciendi confessionem integram. Nunquid à multitudine pœnitentium concurrentiũ in illa die ad confitendum? Ipse Author negat, Nunquid ex eo, quod erit notabile, quod illi abstineant à communione? Minime Potest enim integrè audiri, quamvis aliqui ex concursu pœnitentium non possint audiri à confessario, aut confessariis. Debet ergò explicari, id intelligi in casu, in quo aliundè oriatur impossibilitas faciendi confessionem integram; v. g. ex defectu examinis, aut simili causa.

28. Secundum, quod notandum venit, est id, quod asserit, dimidiari posse confessionem, [si furtum est notabile, quod abstineant à communione illi quorum confessio dimidiatur.]Et quidem nisi hæc notabilitas transeat ad scandalum, aut infamiam gravem, non debet admitti, quod accedat ad S. communionem sine integra confessione. Non enim quævis notabilitas illud generet, non est relinquendum judicio pœnitentis, qui ex levissima causa putabit, sibi orituram infamiam; sed judicio confessarii prudentissimi gravitas infamiæ, aut scandali pensanda est.

29. Idem Author ibi refert, se docuisse *to. 1. sum. n. 676.* hanc propositionem, quã fideliter in latinum Sermonem transfero. [Possunt etiam dimidiare confessionem rustici, & peregrini, cùm accedunt bona fide, & cognoscit confessarius, eos non esse sufficienter instructos, neq; examinatam conscientiam, si instat tempus discedendi, & multitudo pœnitentium non permittit, confessarium melius instruere: tunc enim sufficit integritas formalis, cum onere redeundi iterum ad confessionem aliquorum peccatorum;]Et pro hac assertione citat *P. Laiman de Sacram. Pænit. c. 13. nu. 10. & P. Busembaum lib. 6. tract. 4. dub. 5.* sed hi Authores alias circumstantias superaddunt mox considerandas.

30. Existimo tamen, eam propositionem, ut jacet, non eximi ab hac damnatione: nam ea propositio ultra circumstantiam concursus pœnitentium solùm addit eam circumstantiam, quod instat tempus discedendi. Quandò autem circumstantia superaddita circumstantiæ concursus non affert impossibilitatẽ saltem moraliter faciendi confessionem integrã materialiter, si dimidietur confessio verificatur, ut sup. dixi, quod ratione concursus dimidiatur: atqui quod instet tempus discedendi, non affert impossibilitatem moralem faciendi confessionem materialiter integram, nam si conscientia non est sufficienter examinata, dimitti debet, ut eam melius examinet; aut si confessarius sperat, suis interrogationibus illam sufficienter examinare, non est moraliter impossibile, quod turba concurrentiũ detineatur ergò si in hoc casu dimidiatur cõfessio, id fiet ratione concursus pœnitentiũ atq; adeò ea propos. subjicietur dãnationi.

31. Præfati verò Authores alias superaddunt circumstantias, nempe quod pœnitẽs adeò sit rudis, & stolidus, ut non sit capax exami-

examinandi conscientiam suam, nisi interrogationibus Confessarii omni ex parte adjutus: deinde ille sit peregrinus, qui fortasse transacta hac occasione non possit, nisi transacto tempore diuturno, redire ad confessionem, non sine periculo animæ: Item, quod Confessarius interrogationibus suis adjuvet, ita ut talis pœnitens confiteatur, quidquid recordatur adjutus à Confessarii interrogationibus; & quod hoc examen factum per præfatas interrogationes, si non possit exactè perfici, quia Confessarius opprimitur multitudine pœnitentium, absolvatur cum onere accedendi iterum ad Confessionem cum majori examine, à se, vel à Confessario per interrogationes faciendo. Quam ultimam circumstantiam sic intelligo, ut Confessarius oppressus, & fatigatus multitudine confessionum, non sit aptus ad faciendas interrogationes tam exactè, & attentè, ac si non habuisset tantum laborem. Et hæ omnes circumstantiæ faciunt casum omninò diversum ab eo, quem proponit Lumbier: cùm pœnitens confiteatur totum, quod in præsenti ejus memoriæ occurrit; aliunde autem ex parte pœnitentis detur impossibilitas moralis faciendi ampliorem diligentiam, propter ejus ruditatem: ex parte verò Confessarii defatigatio contracta ex multitudine confessionum antea auditarum affert impossibilitatem moralem attendendi expeditè ad exactius examen. Casus ergò sic explicatus non solùm est diversus à casu, quem proponit Lumbier, sed etiam ab eo, quem proponit propositio damnata.

DISSERTATIO XXXIX.

An pœnitenti habenti consuetudinem peccandi possit, aut debeat negari, aut differri absolutio, & quando.

CAPUT I.

Propositio damnata, & sententia Theologorum referuntur.

SUMMARIUM.

Discrimen inter consuetudinem, & occasionem proximam peccandi. n. 1.

Potest differri absolutio de consensu pœnitentis. n. 2.

Certum est, negandam absolutionem, dum constat de defectu propositi. n. 3.

Potest Confessarius impendere absolutionem consuetudinario habenti propositum non peccandi. n. 4.

Diversæ quæstiones excitatæ occasione hujus damnationis. n. 5.

1. INter propositiones damnatas sexagesima hæc est: *Pœnitenti habenti consuetudinem peccandi contra legem Dei, naturæ, aut Ecclesiæ, etsi emendationis spes nulla appareat; nec est neganda, nec differenda absolutio, dummodo ore proferat se dolere, & proponere emendationem.* Ubi ante omnia notandum est, aliquos Scriptores confundere consuetudinem cum occasione proxima peccandi; cùm tamen valdè

diversa sint. Omnis enim occasio proxima plerumque affert consuetudinem peccandi; quamvis aliquando possit esse sine tali consuetudine. Consuetudo autem peccandi plerumque datur sine occasione proxima; ut patet in eo, qui se polluit frequenter ex sola fragilitate propria; & in eo, qui frequenter pejerat, detrahit, & execrationibus utitur in quavis occasione iracundiæ. Quæ diversitas patet ex hoc ipso decreto: nam ex damnatione propositionis 61. constat, nunquam impendendam esse absolutionem ei, qui habet occasionem proximá peccandi, quam potest, & non vult relinquere; habenti autem consuetudinem peccandi, solùm constat posse negari, aut differri absolutionem in circumstantiis in hac propositione 60 expressis.

2. Deinde certum est, pœnitenti habenti consuetudinem peccandi lethaliter posse differri absolutionem de consensu ejus; solet enim Confessarius suadere suaviter pœnitenti, esse ei utilius, quod differatur absolutio pro majori motivo emendationis futuræ; cui suasioni solet annuere pœnitẽs, cùm ex animo desiderat emendationem in posterum. Quæstio ergò procedit de Confessario, qui tali pœnitenti invito negat, aut differt absolutionem.

3. Constat etiam, negandam esse absolutionem ei pœnitenti, quando ex circumstantiis cognoscit, illum non habere firmum propositum resistendi consuetudini, sive abstinendi à peccatis consuetis. Quia Confessarius non potest impendere absolutionem pœnitenti, quem cognoscit, non esse rectè dispositum; alioqui posset data opera impendere absolutionem invalidam.

4 Certum etiam est, posse Confessarium impendere absolutionem pœnitenti habenti consuetudinem peccandi (sine occasione proxima extrinseca, de qua inferius dicetur) si videt pœnitentem habere veram displicentiam de peccatis præteritis, & firmum propositum non peccandi de cætero. An autem in hoc casu possit Confessarius negare, aut differre absolutionem, dubitari potest.

5. Præsens ergò damnatio propositionis nos docet, posse negari, aut differri absolutionem habenti consuetudinem peccandi, quando nulla est spes emendationis, quamvis oretenus dicat pœnitens se dolere, & habere propositum emendationis. Pro cujus recta intelligentia quinque quæstiones veniunt discutiendæ. Prima est, utrum habenti consuetudinem peccandi lethaliter, & habenti propositum emendationis cognitum à Confessario, possit iste negare aut differre absolutionem, etiam pœnitenti invito; Secunda est, utrum quando est utile pœnitenti, non autem simpliciter necessarium, quod ei differatur absolutio, possit differre eam Confessarius; absque consensu pœnitentis? Tertia est, An pœnitenti asserenti, se habere contritionem, & propositum non peccandi de cætero, teneatur id credere Confessarius? Quarta est, An ubi nulla est spes emendationis, & pœnitens solo verbotenus ostendit dolorem, & propositum; possit Confessarius, aut debeat negare, vel differre absolutionem? Quæ opiniones in his quæstionibus subjaceant huic damnationi? Quas omnes singulátim discutiemus.

CA-

CAPUT II.

Prior quæstio deciditur.

SVMMARIVM.

Prima quæstio de consuetudinario, cui volenti potest differri absolutio. n.6.
Quid docuerit Sancius in hac quæstione? n.7.
Plus requiritur ad negandam, quàm ad differendam absolutionem. n.8.
Minus est differre, quàm negare absolutionem. n. 9.
Confessarius potest differre absolutionem consuetudinario dolenti de peccatis. n. 10.
Probatio desumpta ex munere medici, quod competit Confessario. n. 11.
Qua utilitas ex dilata absolutione. n. 12.
Potest differri, non expectato consensu pœnitentis. n. 13.
An ad Confessarium spectet curare etiam affectum peccati? n. 14.
Confessiones consuetudinarii suspectæ sunt de efficacia propositi. n. 15.
Ad Confessarium spectat parare remedium recidivo. n 16. & 17.
Pœnitens sæpe redditur cautior per ablationem Sacramenti. n. 18. & 19.
Major fructus Sacramenti ex meliori dispositione. n. 20.
Melior dispositio communiter in pœnitente deterrito dilatione absolutionis. n. 21.
Hic fructus deprehenditur experientia. nu. 22. & seqq.

6. PRima quæstio est, *Vtrum habenti consuetudinem peccandi lethaliter, & simul habenti propositum emendationis cognitũ à confessario, possit iste negare, aut differre absolutionem, etiam sine consensu ipsius pœnitentis?* Et supponimus, semper expedire, & melius esse per se, quod ubi Confessarius dilaturus est absolutionem, id fiat de consensu pœnitentis; ita ut pœnitens cognoscat, animæ suæ, & emendationi propriæ esse utilem eam dilationem absolutionis: nam correctio, quæ spontaneè accipitur, fructuosior est, quàm ea, quæ accipitur à pœnitente invito, & indignabundo.

7. *Ioannes Sancius disp. 9. num. 6. & seq.* affirmat, Confessarium teneri impendere absolutionem pœnitenti, quantumcumque iste habeat consuetudinem peccandi, si habet dolorem de peccatis, & propositum emendationis; imò verè eum pœnitentem habere jus, ut statim absolvatur. *P. Suárez disp. 32. de Pœnit. sect. 2. P. Azor tom. 1. lib. 11. cap. 3. quæst. 4* & apud *Sancium cit. Reginaldus, Villalobos, P. Sa, Delrius, Henriquez,* & plures alii communiter docent, in tali casu non esse negandam absolutionem; posse tamen differri.

8. Contra hunc dicendi modum arguit *Sancius*, ineptam esse eam advertentiam de non neganda, sed solùm differenda absolutione. Quia ut cumque neget absolutionem Confessarius, illam solùm negabit, donec emendetur: sed id est differre absolutionem, usquequo emendetur: ergò importuna est ea advertentia de non neganda absolutione, sed differenda.

9. Sed *Sancius* nodum in scirpo quærit. Nam valde diversum est, quod ei pœnitenti propter consuetudinem peccandi dicat Confessarius (Nolo te absolvere, donec auferas hanc consuetudinem) quàm quod dicat illi (expedit tibi, quod per unam, vel alteram hebdomadam differatur absolutio, ut vim tibi inferas contra consuetudinem) Ex his ergò duobus modis primum negant

gant præfati Authores, & secundum affirmant.

10. Dicendum ergò est, ei pœnitenti habenti consuetudinem peccandi lethaliter, & simul habenti dolorem de peccatis, & verum propositum emendationis, posse Confessarium differre absolutionem, dum videt id expedire ad ejus emendationem, & ad majorem firmitatem propositi non peccandi de cætero; idque etiam, si pœnitens renuat, & sit invitus. Ita Authores suprà citati, & est communis sententia Theologorum.

11. Probatur. Nam Confessarius non solùm est Judex, sed etiam Medicus Spiritualis; ut constat ex Concilio Tridentino *sess. 14. cap. 8. de Sacram. Pœnit.* ubi agens de satisfactione, quam imponit Confessarius, ait, *Medentur quoque peccatorum reliquiis.* Et inferius: *habeant autem præ oculis, ut satisfactio, quam imponunt, non sit tantùm ad novæ vitæ custodiam, & infirmitatis medicamentum; sed etiam ad præteritorum vindictam.* Constat enim ex Consilio Lateranensi in cap. *omnis utriusque sexus*, illis verbis: *Sacerdos autem sit discretus, & cautus, ut more periti medici superinfundat vinum & oleum vulneribus sauciati*; Sed solet esse remedium opportunum ad emendationem vitæ, quod differatur absolutio modo dicto: ergò poterit Confessarius adhibere id medicamentum vulneribus sauciati.

12. Et sanè experientia docuit, non paucos peccatores hoc remedio avulsos esse à consuetudine peccandi; cujus rei plura referuntur exempla. Inter alia non leve est, quod memoriæ traditum invenimus, apud non vulgarem authorem, qui fide dignus refert, fœminam quamdam, quæ in diuturna peccandi licentia vixerat, accessisse ad Confessarium, qui ùt peritus medicus, opportunum remedium censuit dilationem absolutionis: quam dilationem ipsa cum magna indignatione accipiens, discessit; sed die sequenti rediit, contritione, & lachrymis plena dicens (si cæteri Confessarii sic mecum egissent, non ego tamdiu perstitissem in depravatis moribus.) & per hoc remedium Confessarius lucratus est Christo ovem errantem. Ad hoc autem magna requiritur prudentia in Confessario; nam remedia, quæ aliquibus prosunt, aliis possunt nocere, ob diversas infirmorum dispositiones.

13. Et ex dictis constat, posse Confessarium differre absolutionem præfato pœnitenti, non expectato ejus consensu. Peritus enim medicus, qui mederi debet ulceri inveterato, quod gangrænæ proximum est, videtque, illud combustione indigere, non expectat consensum infirmi; sed infirmo renuente comburit: quod si infirmus omninò renuit, & manum coercet comburentis, & abeat, medicus illum deserit. Eodem modo potest procedere medicus spiritualis in infirmitatibus inveteratis, si prudentia dictaverit, ita expedire.

14. Respondet *Ioannes Sancius ubi suprà num. 17.* Confessarium, quà medicus est, non expectare medelam infirmitatis jam sanatæ per alias Confessiones, sed solam medelam infirmitatis præsentis; atque adeò cùm ea consuetudo peccandi, quæ non distinguitur à multitudine peccatorum præteritorum, jam sit subjecta aliis confessionibus, illa quatenus præterita & confessionibus subjecta, jam est sanata. Et quamvis ex consuetudine remaneat inclinatio vehementior ad peccandum de futuro,

ro, ea inclinatio, sive habitus non est peccatum, sed effectus peccati. Ad Confessarium autem non spectare curare effectum peccati, sed ipsum peccatum.

15. Sed hæc responsio peccat in multis, & maximè in duobus. Primò, quia tamquam certum supponit, infirmitatem consuetudinis, sive multitudinis peccatorum præteritorum esse jam sanatam; cùm tamen sit ordinariè vehemēs suspicio, confessiones factas tempore consuetudinis laborare defectu efficaciæ propositi. Et ideò Confessarii prudentes, & pii his, qui diuturnam consuetudinem peccandi jam deseruerunt, frequenter consulunt, ut de toto eo tempore quo duravit ea prava consuetudo faciant confessionem generalē, ut revalident confessiones præteritas, quæ apud viros prudentes suspectæ sunt, imò pœnitentes ipsi postquam dereliquerunt consuetudinem peccandi frequenter, censent, aut saltem timent, se in confessionibus eo tempore factis, non habuisse firmum propositum non peccandi. Ideò ex hoc capite Confessarius infirmitatem præsentem sanare vult, ita ut propositum pœnitentis cum majori securitate evadat efficax. Nam licèt credat probabiliter, pœnitentem habere propositum efficax non peccandi; at eo ipso, quod credit probabiliter, credit cum formidine, augente formidinem inveterata consuetudine; & consequenter vult ad hunc finem majoris securitatis, adhibere id remedium.

16. Peccat secundò in eo, quod dicit, non spectare ad Confessarium ut medicum spiritualem, adhibere medelam effectui peccati, scilicet inclinationi ad peccandum de futuro. Constat enim ex locis supra citatis Concilii Lateranensis, & Tridentini, spectare ad Confessorem, ut medicum adhibere remedia *ad novæ vitæ custodiam*, quæ sunt verba Tridentini. Et præterea ipse *Ioannes Sancius* ibidem admittit, posse, & debere Confessarium imponere pœnitentiam medicinalem ad vitandum recidivum; & *disp. 13.* asserit, posse Confessarium imponere pœnitenti pro satisfactione medicinali aut frequentem confessionem pro tempore futuro, aut confessionem generalem.

17. Cum ergò constet, posse & debere Confessarium adhibere remedium ad vitandum recidivum, & præcipuè cùm Concil. Lateran. cap. *omnis utriusque* dicat: *Prudenter intelligat, quale debeat ei præbere Consilium, & cujusmodi remedium adhibere, diversis experimentis utendo ad salvandum ægrotum*; nec Concilium determinet, quodnam remedium adhibendum sit; quin potiùs Concilium id remittat ad diversa experimenta Confessarii; quare hoc genus medicaminis restringendum est ad satisfactionem medicinalem; & quare excludendum est remedium differendi absolutionem, quando expedit hæc dilatio.

18. Objicit *Ioannes Sancius n. 11.* Numquam est salubre consilium differre absolutionem pœnitenti: ergò licèt Confessarius sit Medicus Spiritualis, numquam debet adhibere id remedium? cùm medicus non debeat adhibere medicinam, nisi salubrem. Probat antecedens. Nam ad eum finem negatur, aut differtur absolutio scilicet ut pœnitens cautior fiat ad peccata vitanda in posterum; sed pœnitens cautior fit ad peccata vitanda per virtutem Sacramenti recepti, quàm per ablationem Sacramenti. Cùm Sacramentum det uberiorem auxiliorum copiam ad non peccandum, quàm negatio Sacramenti, & quàm dolor, quem pati posset pœnitens ex denegata absolutione:

ergò cùm consilium semper esse debeat de re meliori, numquam erit salubre consilium differre absolutionem pœnitenti.

19. Respondeo primò. Si Confessarius esset omninò certus de veritate, & firmitate propositi non peccandi, aliquam vim haberet id argumentum: Confessarius autem numquam habet eam certitudinem de veritate, & firmitate propositi in eo pœnitente, qui perstitit longo tempore in consuetudine peccandi lethaliter; imò verò semper est suspicio de defectu propositi (propter rationem supra traditam) dum non videtur aliquod singulare indicium de consuetudine derelicta; Non ergò rectè infertur, quod gratia Sacramenti conferet majores vires ad non peccandum, quando forsitan non est validum Sacramentum: Salubrius ergò consilium erit, quod fiat dispositio securior ad Sacramentum recipiendum; quàm quod detur absolutio, cum suspicione nullitatis.

20. Respondeo secundò, supponendo, multò majorem gratiam recipi, quando recipiens Sacramentum habet multò meliorem dispositionem: Demus ergò, quod Confessarius, sibi omninò satisfaciat, & tamquam certum credat, pœnitentem habere firmitatem propositi sufficientem ad valorem Sacramenti, & ad fructum ejus percipiendum; & quod attentis circumstantiis censeat opportunum medium ad roborandum propositum non peccandi, quod differatur absolutio: Quæ dilatio, ut sæpe experientia comprobavit, deterret pœnitentem, & hoc terrore firmat magis propositum non peccandi, & quandoque arcet omninò pœnitentem à consuetudine peccandi.

21. Tunc sic. Pœnitens sic deterritus dilatione absolutionis manet cum firmiore proposito non peccandi, & arcendi consuetudinem illam inveteratam; & consequenter multò meliorem dispositionem ad recipiendum Sacramentum, quàm antea: ergò sic multò majorem fructum recipit ex Sacramento, quàm si antea recepisset; imò & fortasse multò majorem, quàm in omnibus confessionibus toto consuetudinis tempore factis.

22. Instabis. Unde sciemus, non oriturum esse tantumdem fructum ex confessione facta absque dilatione absolutionis, quantum de facto ortum est post dilationem absolutionis: nam cùm supponamus, illum pœnitentem habere propositum non peccandi; credibile est, quod ipsum Sacramentum conferet gratiam qua pœnitens possit resistere, & de facto resistat consuetudini.

23 Respondeo, ab experientia constare, quod post multas confessiones persistit peccator in sua depravata consuetudine, & post unam dilationem absolutionis convellit radicitus eam consuetudinem; ut in exemplo allato: vel quia peccator, quando confitetur in ipso tempore consuetudinis non habebat firmitatem propositi; atque adeò non erat illi fructus ipsum Sacramentum; vel quia si habuit sufficientiam propositi, ejus tamen firmitas fuit tam parvæ intentionis, ut fructus etiam esset parvus, & non talis, qui possit radicitus convellere consuetudinem.

CA-

CAPUT III.

An quando dilatio absolutionis non est necessaria, sed utilis, possit fieri absque consensu pœnitentis?

SUMMARIUM.

Aliqui docent, expectandum esse consensum pœnitentis. n. 24.

Dilatio, vel negatio absolutionis, quæ sæpe est necessaria, sæpe solum utilis, indiget prudentiâ Confessarii. n. 25.

Potest differri absolutio absque consensu pœnitentis. n. 26.

Consuetudinarius est in periculo æternæ damnationis: propterea indigens urgentiori remedio. n. 27.

Talis sæpe deterretur dilatione absolutionis. num. 28.

24. QUidam Doctores Lovanienses in libello supplici oblato Sacræ Congregationi asserunt, hanc esse doctrinam communem in Academia Lovaniensi: nempe dilationem, aut negationem absolutionis, quando illa est simpliciter necessaria, fieri debere absq; consensu pœnitentis; quando verò illa est duntaxat utilis, fieri non posse absque consensu illius. Explicant ibidem causas, quæ negationem, aut dilationē absolutionis faciunt necessariam; & enumerant tres, scilicet ignorantiam mysteriorum Fidei, defectum dispositionis in pœnitente, & proximam peccandi occasionem. In reliquis autem casibus, ut differatur absolutio, petendum esse consensum à pœnitente.

25. Et inprimis negari non potest, negationem, aut dilationem absolutionis quandoque esse necessariam, ut in tribus casibus proximè relatis, quorum posterior majori indiget explicatione; quandoque non esse necessariam, utilem tamen pœnitenti, scilicet ad majorem securitatem emendationis in futurum; quandoque, etiam esse perniciosam; ut quando Confessarius est sufficienter securus de dispositione pœnitentis, & videt signa ingentis tristitiæ, & cujusdam quasi desperationis in pœnitente ex hac negatione, aut dilatione absolutionis; scio enim, nonnullos pœnitentes, quibus negata, aut dilata fuit absolutio, in tam profundam abyssum tristitiæ incidisse, ut per plurimos annos à Sacramento Pœnitentiæ recesserint. Et hæc omnia satis declarant, quàm magna prudentia requiratur in Confessariis, ut hoc pharmacum salutis cum discretione administrent.

26. Sed contra eam assertionem Lovaniensium assero, non solùm differri posse absolutionem à Confessario, absque consensu pœnitentis, quando ea dilatio est necessaria; sed etiam, quando est utilis ad emendationem in futurum. Et hujus sententiæ esse Authores supra citatos, censeo; qui sine eâ limitatione asserunt id posse Confessarium, quando iste judicat expedire ad melius roborandam emendationem in futurum, & propositum ejus. Et probatur primò ex ratione medici Spiritualis: quæ competit Confessario, ad analogiam Medici corporalis. Hic enim non solùm quando necessarium est ad conservandam vitam, sed etiam quando expedit infirmitati non lethali, vult adhibere remedium; in quo prudenter operatur. Quod si omninò resistit ægrotus, deserit illum Medicus.

27. Probatur secundò ex verbis Concilii Lateranensis supra relatis. *Prudenter intelligat* (Confessarius) *quale debeat ei præ-*

bere consilium, & hujusmodi remedium adhibere, diversis experimentis utendo ad salvandum ægrotum, id soli judicio Confessarii committens: atqui homo versatus in diuturna consuetudine peccandi, licèt de præsenti habeat verum propositum non peccandi, adhuc est in magno discrimine amittendæ salutis æternæ; cùm ex diuturna consuetudine oriatur vehemens proclivitas, & propensio ad peccatum; & contingentia subitæ mortis, & incertitudo habendi tempus opportunum ad congruam dispositionem, semper adsit: ergò poterit Confessarius adhibere remedium, quod viderit opportunum ad salvandum ægrotum, sive pro securitate salutis æternæ pœnitentis independenter à consensu illius.

28. Et quidem vidimus plurimos homines, qui toto anno versantur in consuetudine peccandi, puta in concubinatu, in odio lethali contra inimicos, in negotiationibus iniquis, & in Paschate confitentur, & iterum redeunt ad eadem, aut peiora vitia, & in hoc vivendi modo persistunt usque ad mortem. Hos enim, quis dubitet versari in magno periculo damnationis æternæ? Propterea enim multi incurrunt damnationem æternam; repentinâ enim morte adveniente, non habent tempus disponendi se, ut oportet. Videmus etiam, homines quandoque deterreri ab ea consuetudine peccandi per dilationem absolutionis. Qare ergo Confessarius non poterit uti medio opportuno *ad salvandum ægrotum*, quando viderit esse utile, differre absolutionem ad compescendam eam licentiam peccandi, quæ ducit ad perditionem æternam; idque independenter à consensu illius? Homo enim immersus peccatis est ad instar phrenætici, cui etiam renuenti adhibentur remedia opportuna.

CAPUT IV.

An pœnitenti asserenti, se habere verum propositum, teneatur credere Confessarius?

SUMMARIUM.

Qui asserant, teneri Confessarium credere pœnitenti ore testificanti de suo dolore. n. 29. & 30.

Ut in plurimum credendum illi est. n. 31.

Non est illi credendum, dum adest fundamentum contra ipsum. n. 32.

Authores expresse ponentes hanc limitationem. n. 33. & seq.

Nequit quis prudenter credere uni privato, dum adsunt indicia in oppositum. n. 37.

29. QUi propugnabant propositionem damnatam, eo præcipuè nitebantur fundamento, quod Confessarius tenetur credere pœnitenti asserenti se habere dolorem de præteritis, & propositum non peccandi in futurum: ut satis indicant ea verba postrema propositionis damnatæ, *dummodo ore proferas, se dolere, ac proponere emendationem.* Ideò ad hujus damnationis intelligentiam operæ pretium est, præsentē quæstionem discutere.

30. *Ioannes Sancius disp 9. n 6* contendit, semper Confessarium debere credere pœnitenti asserenti, se dolere, ac habere propositum non peccandi. Et ideò non debere fateri consuetudinem peccandi, ut supra vidimus: sed Confessarium teneri absolvere pœnitentem statim, si id asserat. Et citat *P. Ægidium de Coninck disp. 8. de Sacram. dub 17. num. 132.* dicentem: *Credendum esse pœnitenti dicenti, se propositum firmum*

mum

firmum emendationis concipere. Et Cordubam *in sum.* §. 8. *quæst.* 4. ajentem: *Y aunque al penitente se ha de creer lo que dize*: id est, (& quamvis pœnitenti credendum est id, quod affirmat) Et posset citare multos alios, qui eamdem doctrinam tradunt: quæ, si rectè intelligitur, vera est.

31. Pro cujus recta intelligentia animadvertendum est aliud esse, quod pœnitenti, ut inplurimũ, credendum est, quando affirmat, se habere propositum non peccandi; aliud vero, quod semper, & in omnibus circumstantiis illi credendum sit. Deinde aliud est, quod pœnitenti credendum sit, quod dicit de suo proposito, quando nullum indicium, nullave conjectura apparet in contrarium; & aliud quod illi credendum sit, quando apparet indicium de nullitate propositi. Etenim doctrina Theologorum de fide habenda pœnitenti in illis, quæ dicit, intelligitur non pro omni circumstantia, scilicet non pro ea, in qua sunt indicia contraria.

32. Et ipse *P. Ægidius* citatus à Sancio, qui dixit, *credendum esse pœnitenti, dicenti se propositum firmum emendationis concipere*; immediatè subjungit: *si vero aliquid obstet (ut si nollet deserere occasionem) illi non est credendum.* Et *Corduba*, qui dixit: *quamvis pœnitenti credendum est id, quod affirmat*, postea subjicit exceptiones.

33. Sed & reliqui Theologi eam propositionem universalem limitant modo proximè explicato. Audiendus est *P. Antonius Perez tract.* 3 *de Pœnit. disp.* 3. *cap.* 4. *n.* 64. ubi ait: *Secundo quæritur, an confessarius debeat credere pœnitenti, & absolutionem conferre, si dicat, se habere attritionem seu contritionẽ veram? Respondeo, debere, dummodo non sit præsumptio fortior in contrariũ: qualem præsumptionem, meo judicio faciet frequẽtia relapsus, & falsitatis medii emendationis. Impossibile enim est, moraliter loquendo, hominem sæpè confiteri, & semper relabi quando facilis est emendatio, & propositum emendationis est serium. Quare præsumendum est eum, qui ita confitetur, & sic post frequentem confessionem relabitur cum posset facilè emendare peccatum, non habere propositum efficax.*

34. *P. Suarez tom.* 4. *in* 3. *p. disp.* 32. *sect.* 2. *num.* 3. affirmat utrumque, & quod confessarius pœnitenti affirmanti, se habere propositum, tenetur credere; & quod non tenetur, si sint conjecturæ in oppositum. Ita enim ait: *Satis est, ut pœnitens credatur habere firmum propositum suam obligationem implendi, cui CREDENDUM EST; præsertim si tunc primum incidit in eam occasionem seu obligationem .·. neque ex aliis CONIECTURIS potest talis suspicio probabiliter concipi.*

35. *Lugo Card. disp.* 14. *de Pœnit. sect.* 10. *num* 166. quamvis dixisset alibi confessarium debere credere pœnitenti, sic ait: *Certum est, quando Sacerdos attenta consuetudine præterita, & propensione, aliisque circumstantiis, judicat, pœnitentem non averti sufficienter ab illo peccato, non posse eum absolvere, quantumcumque pœnitens dicat se dolere; quia si Sacerdos id non credit, non habet judicium requisitum ad conferendam absolutionem.*

36. *P. Dicastillo tom.* 2. *de Sacr. tr.* 8. *disp.* 10. *dub.* 29. *n.* 571. disertè affirmat utrumque. Ibi enim ait: *Pœnitentique affirmanti se habere retractationem, & propositum non peccandi, CREDENDUM est.* Deinde *nu.* 572. subjungit. *Quando autem ex alio capite, aut circumstantiis constat, aut prudenter time-*

timetur, *illum non esse sufficienter dispositum*, *quantumvis dicat se*, *& dolorem*, *& propositum habere requisitum. Non est illi CREDENDUM.* Eodem modo, & in eodem sensu loquuntur reliqui Theologi, qui hanc rem ex professo tractant; dum dicunt, credendum esse pœnitenti affirmanti, se dolere, & efficaciter proponere.

37. Et ratio hujus assertionis est evidens. Impossibile enim est, quod aliquis credat cum satisfactione dictum unius privati hominis, quandò habet indicia, & conjecturas urgentes in oppositum; & ex parte illius privati hominis nullum aliud est motivum, nisi dictum simplex illius: cùm ergò confessarius non obligetur ad impossibile, utique nequit dici, quod tenetur credere, ubi videt conjecturas urgentes in oppositam partem.

CAPUT V.

An ubi nulla est spes emendationis, teneatur confessarius absolvere dicentem se habere dolorem, & propositum?

SUMMARIUM.

Defectus spei emendationis potest esse ex parte pœnitentis, vel ex parte confessarii. n. 38.

Damnatio loquitur de defectu spei ex parte confessarii. n. 39.

Fundamentum pro parte obligante confessarium ad absolutionem. n. 40. & 41.

Confessarius videns in pœnitente non esse spem emendationis, debet differe, aut negare absolutionem. n. 42.

Oppositum esset assertio scandalosa. n. 43.

In eo casu non solùm potest, sed debet suspendere, vel negare absolutionem. n. 44.

Idem dicendum, dum solus confessarius desperat de emendatione. n. 45.

Etsi cognoscat consuetudinem confessarius, & inquirens sibi suadeat prudenter propositum, potest, sed non debet absolvere. nn. 46. & 47.

Nequit absolvere, si non format judicium prudens de proposito n. 48. & 49.

38. PRopositio damnata contendit non esse negandam nec differendam absolutionem pœnitenti habenti consuetudinem peccandi, si nulla sit spes emendationis. Et quia hic defectus spei emendationis potest se tenere ex parte pœnitentis, ita ut pœnitens non speret emendationem suam futuram, & potest se tenere ex parte confessarii, ita ut iste solus desperet de emendatione; potest dubitari, de cujus desperatione loquitur propositio.

39. Circa quod dicendum est, propositionem loqui, quando confessarius nullam concipit spem emendationis pœnitentis propter consuetudinem peccandi. Et ratio est: quia cum propositio contendat, confessarium non posse negare, aut differre absolutionem; ad eundem refertur desperatio emendationis futuræ, ad quem spectat negare, aut concedere absolutionem. Contendit enim propositio, quod quamvis cõfessarius desperet de emendatione, non potest negare, neque differre absolutionem, si pœnitens dicit, se dolere, & proponere. Quem defectum spei potest dupliciter habere confessarius Primò si videat, ipsũ pœnitentem desperare de sua emendatione futura; in quo casu ipse etiam confessarius amittit spem emendationis futuræ Secundò, si non appareat in pœnitente hic defectus spei; confessarius autem ex diuturna consuetudine, & aliis circumstantiis nullã spem

ſpem concipiat de emendatione pœnitentis futura; quin potius de illa deſperet.

40. Eſt ergò quæſtio quarta an confeſſarius poſſit, aut debeat negare, aut differre abſolutionē pœnitenti habenti conſuetudinem v.g Luxuriandi, deſperans de emendatione in futurum, quandò Pœnitens affirmat, ſe habere verum propoſitum emendationis? Et pro parte affirmante, quod in eo caſu confeſſarius poſſit, & debeat abſolvere (pro qua ſtat *Ioan. Sancius* ſuprà relatus) poteſt hoc efformari argumentum. Eſt ſententia recepta inter Theologos, quod quamvis confeſſarius credat, Pœnitentem non eſſe emendandum, ſi habeat ſatisfactionem, quod Pœnitens verè dolet, eo quod habet verum propoſitum emendationis, poteſt illum abſolvere; quia ſic cognoſcit Pœnitentem de præſenti eſſe rectè diſpoſitum: quare ergò neganda eſt abſolutio Pœnitenti rectè diſpoſito?

41. Antecedens probatur. Nam *P. Suarez diſp. 32. de Pœnit. ſect. 2. n. 2.* ait: *Neque oportet ut confeſſor ſibi perſuadeat, & judicet etiam probabiliter, ita eſſe futurum, ut penitens à peccando abſtineat: ſed ſatis, ut exiſtimet, nunc habere tale propoſitum, quamvis poſt breve tempus illud ſit mutaturus. Ita docent omnes Authores.*

42. Dico primo Cùm confeſſarius videt, Pænitenti habenti conſuetudinem peccandi nullam ineſſe ſpem emendationis ſuæ, debet proponere ei motiva, per quæ melius diſponatur, donec perveniat ad concipiendam ſpem emendationis ſuæ: quod ſi non conſequatur, quamvis dicat Pœnitens, ſe dolere & proponere, poterit negare aut differre abſolutionem Pœnitenti etiam invito. Probatur. Quia quamvis non ſint phyſicè impoſſibilia propoſitum non peccandi, & defectus ſpei de emendatione in futurum; tamen iſte defectus ſpei, ſive deſperatio de emendatione eſt magnum impedimentum, ut eliciat verum propoſitum emendationis, atq; adeò inde provenit, ut non ſibi ſatisfaciat de vera diſpoſitione Pœnitentis. Cùm ergò ex parte Pœnitentis non inveniat confeſſarius, niſi dictum illius de ſuo propoſito, & inveniat in contrarium illam urgentem præſumptionem contra veritatem propoſiti, poterit, & debebit abſolutionem differre Pœnitenti etiam invito, uſque dum ſibi conſtet de recta diſpoſitione Pœnitentis.

43. Et hic eſt ſcopus præcipuus hujus damnationis, nempè, quod ſtante deſperatione Pœnitentis de ſua emendatione, quā etiam cognoſcit confeſſarius, & quod Pœnitens oretenus dicat, ſe dolere, & proponere; neque ſit aliud indicium, ex quo cognoſcatur, quod dolet, & proponit ex animo; ſcandaloſū eſt dicere, quod non poſſit cōfeſſarius negare aut differre abſolutionē.

44. In quo caſu, ſcilicet dum propter id motivum non ſibi ſatisfacit confeſſarius de veritate, & firmitate propoſiti emendationis, non ſolùm poteſt confeſſarius negare, aut differre abſolutionem, ſed etiam, tenetur negare, aut differre illam: quia cùm non poſſit impendere abſolutionem, niſi pœnitenti diſpoſito, donec habeat ſatisfactionem de diſpoſitione Pœnitentis, non poteſt illi impendere abſolutionem.

45. Dico ſecundo. Id, quod dixi de eo caſu, in quo Pœnitens habeat deſperationem emendationis ſuæ cognitam à confeſſario, dicendum etiā eſt in caſu, quo ipſe confeſſarius habeat eam deſperationem emendationis, quamvis ea non appareat in Pœnitente; ſi tamen confeſſarius ex ea deſperatione,

ratione, & ex modo, quo pœnitens affirmat se habere propositum emendationis, quando non videtur dicere ex animo, sed oretenus, credat pœnitentem vacillare in propositio emendationis. Numquam enim potest absolvere, nisi prudenter sibi persuadeat, pœnitentem habere id propositum firmum emendationis, sicut etiam dolorem de peccatis præteritis.

46. Dico tertiò. Quando Confessarius propter diuturnam consuetudinem peccati desperat de emendatione pœnitentis in futurum, & pœnitens dicit se habere apropotū non peccandi, si adhibens diligentiam, sibi prudenter persuadeat, pœnitentem habere dolorem, & verum propositum emendationis, quamvis possit illum absolvere, potest tamen differre absolutionem. Prima pars conclusionis, scilicet quod possit absolvere, constat ex eo, quod dum Confessarius sibi prudenter persuadet, pœnitentem esse rectè dispositū, illum potest absolvere.

47. Secunda pars conclusionis, scilicet quod adhuc potest differre absolutionem; patet ex dictis c. 2. Cùm enim Confessarius sit Medicus Spiritualis, cùm viderit expedire ad salutem animæ pœnitentis, quod differatur absolutio, poterit hoc remedium adhibere. Vide, quæ ibi disserui; ne eadem cogamur repetere.

48. Ad objectionem propositam *n.* 40. respondeo propositionem damnatam non loqui de casu, in quo Confessarius sibi prudenter persuadeat, quod pœnitens habet dolorem de peccatis, & firmum propositum emendationis; sed de casu, in quo pœnitens verbotenus affirmat, se dolere, & proponere; & consequenter non dat indicium sufficiens, quod dolet, & proponit ex animo; & simul desperatur de ejus emendatione, & sic datur indicium, quod non ex animo dolet, & proponit, sed dumtaxat oretenus.

49 Magnum itaque discrimen datur inter hos duos casus. Nam primus est, in quo licèt desperetur de emendatione, non tamē significatur dolor, & propositum ejus solo verbotenus, sed significatur esse ex animo, & ita sibi prudenter persuadet Confessarius. Secundus est, in quo, & desperatur de emēdatione, & solo verbotenus dicit, se dolere, & proponere, sine sufficienti indicio, quo significatur, illum dolere, & proponere ex animo. Primus casus non spectat ad propositionem damnatam; & in eo potest Confessarius absolvere; & potest differre absolutionem, si viderit expedire ad inveteratā consuetudinem evellendam. Secundus casus non differt à propositione damnata; & & ideò in illo Confessarius potest, & debet negare, aut differre absolutionem. Et hanc esse mentem P. Suarii ex verbis relatis satis constat.

CAPUT VI.

Quæ opiniones ex quatuor quæstionibus discussis incurrant hanc damnationē?

SUMMARIUM.

Tres circumstantiæ, sub quibus debet Confessarius negare, aut differre absolutionem. n. 50.

Qui diceret, pœnitenti habenti consuetudinem peccandi, & propositum firmum non peccandi cognitum à Confessario nequire negari absolutionem, nihil diceret contra damnationem formaliter. n. 51.

Neque virtualiter damnatur, ea propositio. num 52.

Non damnatur, qui diceret, non posse negari, aut differri absolutionem, dum solùm est

est utilis, pœnitenti invito, licet falsò dicat. num. 53.

Discrimen inter potestatem negandi, aut differendi absolutionem dependenter, vel independenter à consensu pœnitentis. nu. 54. & seqq.

Qui diceret, confessarium semper teneri credere pœnitenti dicenti se dolere, & proponere, subjicitur damnationi saltem virtualiter. num. 58. & seq.

Expressè damnatur, qui diceret, non posse confessarium negare absolutionem dicenti se dolere, etsi non videat spem emendationis. num. 61.

Similis alia propositio damnatur. num. 62.

Qui assereret, non posse negari absolutionem consuetudinario de quo non sit spes emendationis, dummodo constet de ejus dolore, & proposito, etsi falsò dicat, non subjacet damnationi. num. 63. & 64.

53. INprimis illud certum est, subjici damnationi quamcumque propositionem, quæ negaverit posse confessarium negare, aut differre absolutionem, concurrentibus simul tribus circumstantiis: prima, quod pœnitens habeat consuetudinem peccandi; secunda, quod nulla sit spes emedationis; tertia, quod solo verbotenus asserat pœnitens, se dolere, & prodonere, sine eo, quod detur signum sufficiens, quo colligatur pœnitentem loqui ex animo. Quod ex tenore ejus propositionis damnatæ satis constat. Restat breviter examinaee, num subeant hanc damnationem formaliter, aut virtualiter aliquæ propositiones circa quatuor quæstiones in hac dissertatione discussas.

51. Circa primam quæstionem propositam *cap.* 2. inquiritur, an hæc propositio: *Pœnitenti habenti consuetudinem peccandi, & habenti propositum firmum non peccandi cognitum à confessario, non potest negari aut differri absolutio*, incurrat hanc damnationem? Et dicendum est primò, non incurrere formaliter & expressè. Ratio est: nam propositio damnata loquitur de eo, qui oretenus dicit se dolere, & proponere, i dest, qui ita dicit, se dolere, & proponere, ut nullum signum sufficiens det, quo indicet se dolere, & proponere ex animo: sed in casu hujus conclusionis id non dicit ore tenus, sed ipse confessarius cognoscit, pœnitentem id dicere ex animo, ut supponitur in ipsa hypothesi: ergò hæc propositio longe distat à propositione damnata; atque adeo non est in eâdem damnatione.

52. Dicendum est secundò, neque virtualiter subjacere huic damnationi. Probatur. Illa enim propositio subjacet virtualiter damnationi, quæ est antecedens, unde evidenter infertur propositio, ut constat ex *dissert.* 1. *cap. ult.* & ex plurimis aliis locis: sed quod non possit negari, aut differri absolutio habenti consuetudinem peccandi, sed vere dolenti, ac proponenti, non est antecedens, unde inferatur, quod non possit negari, aut differri pœnitenti affirmanti ore tenus, se dolere, & proponere: ergò ea propositio non subjacet virtualiter damnationi.

53. Circa secundam quæstionem propositam *cap.* 3. inquiritur, an subjiciatur huic damnationi ea propositio Lovaniensium: *Negatio, aut dilatio absolutionis si solum sit utilis, & non simpliciter necessaria, non est exercenda in pœnitentem invitum.* Quam propositionem esse falsam ostendi in *cap.* 3. non tamen subjicitur huic damnationi expressè, & formaliter; quia ut ex

terminis patet, longè distat à propositione damnata. Sed neque virtualiter: nam ex illa non infertur propositio damnata.

54. Objicies. Habenti consuetudinem peccandi, & desperanti de sua emendatione, & dicenti oretenus, se dolere, & proponere, non est simpliciter necessarium, quod negetur, aut differatur absolutio, sed dumtaxat utile; sed juxta hanc propositionem Lovaniensium, quando id est solum utile, non potest negari, aut differri absolutio pœnitenti invito: ergò habenti eam consuetudinem, & desperanti de emendatione, & proponenti oretenus, non potest negari, aut differri absolutio, nisi de consensu pœnitentis. Hæc autem consequentia opponitur damnationi: nam cum damnatio ponit posse in eo casu negari, aut differri absolutionem, manifestè id ponit independenter à consensu pœnitentis; alioqui limitaretur universalitas damnationis. Major probatur. Nam dum damnatio dicit, *non potest negari, aut differri, &c.* damnatio ponit, quod potest negare, aut differre. Atqui dum ponit, quod potest negare, aut differre, hæc verba non dicunt necessitatem, sed ad summum utilitatem.

55. Respondeo, majorem esse falsam: nam in hypothesi propositionis damnatæ, non est dumtaxat utile, sed simpliciter necessarium negare aut differre absolutionem. Etenim quoties confessarius non habet sufficientem satisfactionem de recta dispositione pœnitentis non potest absolvere; atqui quando ex una parte desperatur de emendatione in futurum; & ex altera pœnitens se dolere, & proponere dicit oretenus, id est sine ullo indicio de eo, quod id dicat ex animo; confessarius non habet sufficientem satisfactionem de recta dispositione pœnitentis: ergò in ea hypothesi absolvere non potest; atque adeo necessarium est negare, aut differre absolutionem.

56. Ad probationem Majoris dico, quando damnatio ponit, quod in ea hypothesi confessarius potest negare, aut differre absolutionem, id intelligi independenter à consensu pœnitentis: nam si intelligeretur dependenter à consensu illius, non posset absolutè dici, quod confessarius posset negare, aut differre absolutionem; dissensus enim pœnitentis impediret eam potestatem confessarii, quoad negandam, aut differendam absolutionem, atque adeo dissentiente illo verificaretur, quod confessarius non posset negare, aut differre absolutionem. Ita circa hanc propositionem, *tutor potest negare licentiam pupillo ad alienandam rem mobilem*; si ea intelligeretur dependẽter à consensu pupilli, verificaretur potius contradictoria ejus propositionis; cum dissentienti pupillo, non posset negare eam licentiam.

56. Quod autem damnatio solùm ponat, quod confessarius potest negare, aut differre absolutionem, non propterea verba significant solam utilitatem; cum aliunde significat defectum dispositionis, sine qua non potest impendi absolutio; & consequenter sine illa necessarium est, quod negetur, aut differatur absolutio.

58. Circa tertiam quæstionem propositam *cap. 4.* inquiritur, an subjiciatur damnationi hæc propositio: *Cõfessarius in omni hypothesi tenetur credere pœnitenti dicenti se dolere, & proponere emendationem.* Et videbitur fortasse alicui, eam non subjici; cum propositio nihil dicat de credulitate confessarii.

59. Asse-

59. Assero tamen, eam propositionem saltem virtualiter damnari. Quod manifestè ostendo. Primo ex principiis sæpius statutis: virtualiter enim damnatur propositio, quæ est antecedens evidenter inferens propositionem damnatam, juxta *differt. 1. capt ult.* sed præfata propositio talis est: ergò virtualiter damnatur. Probatur Minor: nam propositio damnata, dum dicit, confessarium debere statim absolvere, dicit (quamvis alio tenore verborum) confessarium debere credere pœnitenti affirmanti oretenus, se dolere, & proponere; cum non possit absolvere, nisi id credens: sed ex eo, quod in omni hypothesi confessarius teneatur credere pœnitenti asserenti se dolere, & proponere, evidenter infertur, quod tenetur ei credere, quando id dicit oretenus, & sine signo indicante, quod illud dicit ex animo, etiamsi nulla sit spes emendationis; quæ est conjectura in contrarium. Tum sic: ergò ex eo, quod confessarius teneatur in omni hypothesi credere affirmanti se dolere, & proponere, infertur evidenter propositio damnata.

60. Ostendo secundò. Propositio enim est virtualiter damnata, cum est incompossibilis cum ipsa damnatione; nam eo ipso, quod duæ propositiones sint incompossibiles in veritate, non possunt esse simul veræ, & consequenter eo ipso quod una sit certò vera, altera debet esse certo falsa: sed præfata propositio est incompossibilis cum ea damnatione; ergò præfata propositio est virtualiter damnata. Minor probatur. Non possunt stare simul hæc duo, & quod confessarius in omni eventu teneatur credere pœnitenti affirmanti, se dolere, & proponere; ac quod possit negare, aut differre absolutionem, qui non credit, pœnitentem id affirmare ex animo, sed verbotenus: sed propositio, de qua in præsenti loquimur, dicit primum; & damnatio statuit secundum: ergò præfata propositio est incompossibilis cum hac damnatione.

61. Circa quartam quæstionem propositam c. 5. constat propositionem oppositam nostræ primæ conclusioni expressè damnari, scilicet hanc. *Cum confessarius in pœnitente habente consuetudinem peccandi, videt, nullam inesse spem suæ emendationis, non potest negare, aut differre absolutionem, quamvis verbotenus dicat se dolere, & proponere.* iste enim est sensus propositonis damnatæ.

62. Similiter constat, propositionem oppositam nostræ secundæ conclusioni expressè damnari, scilicet: *Habenti consuetudinem peccandi, cum confessarius nullam habet spem emendationis quando hæc desperatio emendationis non apparet in pœnitente, non potest negare, aut differre absolutionem, dummodo oretenus proferat, se dolere, & proponere emendationem.* Quia quamvis aliquibus verbis differat à propositione damnata, sensu tamen non differt: nam per ea verba *Etsi emendationis spes nulla appareat,* Non limitatur propositio ad hoc, quod ea desperatio emendationis sit in pœnitente, aut in solo confessario.

63. Quod attinet ad tertiam conclusionem ejusdem quæstionis quartæ, inquiritur, an subeat damnationem hæc propositio: *Pœnitenti habenti consuetudinem peccandi, cujus emendationis nullam spem habet confessarius, sed tamen habet satisfactionē de dolore, & firmo propositio emendationis, non potest negare, aut differre absolutionem.* Et quidem hanc propositionem probabimus esse falsã eo, quod cõfessarius, ut Medicus

cus Spiritualis potest adhibere remedia ad vitandum recidivum; unum autem remedium ejusmodi esse solet dilatio absolutionis.

64. Sed quamvis præfata propositio sit falsa, non tamen subit hanc damnationem. Hæc enim damnatio procedit respectu illius, qui cum nulla sit spes emendationis, ore tenus dicit, se dolere, & proponere, id est, sine ullo indicio, quod illud dicat ex animo. Propositio autem de qua loquimur, omninò mutat hypothesim; supponit enim confessarium, facto prudenti examinet, cognoscere, ejusmodi pœnitentem dolere, & firmiter proponere ex animo.

DISSERTATIO XL.

Qua ratione teneamur fugere occasionem proximam peccandi lethaliter? Ubi, an possit absolvi, qui cum possit, non vult illam deserere?

CAPUT I.

Referuntur propositiones damnatæ; & prænotantur aliqua.

SUMMARIUM.

Quot propositiones exponendæ, & cur istæ adunatæ? num. 1.

Referuntur tres propositiones damnatæ. n. 2.

Quotuplex quæstio hic includitur. num. 3.

Quædam alia discutienda pro majori rei declaratione. num. 4. & 5.

1. IN præsenti Dissertatione sermo erit de illis propositionibus, quarum doctrina spectat ad occasionem peccandi. Et quia materiæ ipsius affinitas eas inter se conjungit, nos illas, ut objectum propositæ dissertationis in eadem adunamus. Dissèremus itaque de tribus propositionibus, quas unico prospectu proponimus illâ ipsa seriè, qua in damnatione proponuntur, & comprehendunt doctrinam de occasione proxima peccandi, & obligatione illam vitandi pro obtinenda Sacramentali absolutione.

2. Igitur Propositio inter damnatas sexagesima prima hæc est. *Potest aliquando absolvi, qui in proxima occasione peccandi versatur, quam potest, & non vult omittere, quin imò directè, & ex proposito quærit, aut ei se ingerit,* Sic se habet sexagesima secunda. *Proxima occasio peccandi non est fugienda, quando causa aliqua utilis, aut honesta non fugiendi occurrit.* Hujus tenoris est sexagesima tertia. *Licitum est quærere directè occasionem proximam peccandi pro bono spirituali, vel temporali nostro, vel proximi.* Et quidem de hac materiâ proximæ occasionis peccandi latissimè egi in 1. *p. cris. Theol. disp. 18.* Ex qua depromam, quæ ad harum propositionum expositionem necessaria sint.

3. Præmittendum itaque est primò, sub titulo hujus dissertationis contineri tres quæstiones circa has tres propositiones damnatas, spectantes ad occasionem proximâ peccandi, Prima quippe est de potestate absolvendi eum, qui vult persistere in occasione proximâ peccandi. Secunda de causa sufficienti ad persistendum licitè in ea occasione proximâ. Tertia, de causa justâ ad quærendam directè occasionem proximam peccandi.

4. Præ-

4. Præmittendum est secundò, in his tribus quæstionibus includi plures alias, quas singillatim oportet discutere, pro majori hujus materiæ claritate, utpote quæ ab istarum enodatione omninò dependeat v. g. quæ, & qualis dicenda sit proxima occasio peccandi: an, & quale periculum peccandi includatur in occasione proximâ: in quantum, & quomodo teneamur vitare periculum peccandi ad fugiendam proximam occasionem peccati. Sunt etiam his similes plures aliæ quæstiones, de quibus satis constabit de cursu totius dissertationis

5. Præmittendum tertiò, etiam esse plures quæstiones, quæ diversimodè à Theologis agitantur, & hic discutiendæ sunt propter materiæ, vel connexionem, vel identitatem: sunt enim vel doctrina ipsa damnatarum propositionum, vel objecta connexa cum eadem doctrinâ: ideoque necessaria earum notitia pro pleniori præsentis materiæ cognitione, desumenda quidem tum ex principiis, quibus nitebatur doctrina damnata, tum ex illationibus, quæ ab ipsa deducuntur.

CAPUT II.

Quid sit, & per quid constituatur proxima occasio peccandi? Vbi etiam, quid sit, & quotuplex peccandi periculum?

SUMMARIUM.

Difficultas exponendi occasionis proximæ quidditatem. num. 6.

Duplex est occasio peccandi, proxima, & remota, & singularum descriptio. num. 7.

Occasio proxima constituitur per duplex prædicatum. num 8.

Discrimen inter periculum proximum, & proximam occasionem peccandi. num. 9.

Quid sit peccandi periculum. n. 10. & seq.

Periculum est multiplex. num. 13. & seq.

Licet periculum dicatur necessarium, adhuc manet liberum absolute, quia necessarium dicitur respectu extrinsecæ circumstantiæ. num, 22.

6. Aliqui recentiores magnam inveniunt difficultatem in explicando, quid sit occasio proxima peccandi. *P. Dicastillo tom. 2. de Sacram. tract. 8. disp. 6 dub. 19. num. 327.* ait: *Celebris est distinctio proximæ, & remotæ occasionis, quamvis non facile sit plene explicare quanam sit occasio proxima.* Et postquam proposuit definitionem *P. Suarii* mox subjiciendam subjungit: *Post Suarium alii* (eodem modo explicant) *qui tamen multa dicunt nec facile est explicare exacte, in quo consistat ratio proximæ occasionis.* Ego tamen existimo non difficilè explicari, si exponatur per formale periculum peccandi. Et difficultas dumtaxat consistit in judicando, an hic & nunc attentis omnibus circumstantiis, detur formale periculum peccandi: quamvis in concubinatu, & similibus facilius dignoscatur. Quare optimè dixit *P. Suarez* proximè citandus: *vix potest certa regula tradi, quia tota hæc res maximè pendet ex prudentia Confessoris.*

6. Igitur occasio peccãdi est duplex, alia proxima, & alia remota. Proximã sic describit *P. Suarez tom. 4. in 3. part. disp. 32 sect. 2. n. 4. Quæ ex suo genere talis sit, quæ frequenter inducat homines similis conditionis ad tale peccatũ; vel certè ut experimento constet in homine habere talem effectum.* Quam etiam definitionem, sive descriptionem admittit *Lugo Card. disp. 14. de Pœnit. sect. 10. n. 149.*

10. *num. 149. P. Thomas Sanchez. lib. 1. in Decal. cap. 8. numer. 1. P. Castro Palao tom. 1. tract. 2 disp. 2. punct. 9. §. 3. num. 2. P. Dicastillo* proximè citatus, & non multum ab ea discrepat *Navarr. in sum. cap. 3. num. 14.* Et hoc modo explicant communiter recentiores. Occasio verò remota est, quæ quamvis aliquo modo inducat ad peccatum, non tamen habet frequentem conjunctionem cum peccato.

8. Sed ut melius cognoscatur, quid sit occasio proxima peccandi opus est, ut explicemus, per quæ prædicata constituatur. Dicendum ergo est, occasionem proximã peccandi constitui per duo prædicata, nempe circumstantiam extrinsecam, & periculum formale proximum peccandi Et ratio est: quia sola circumstantia extrinseca non potest esse occasio proxima peccandi; nam quod homo habitet in eâdem domo cum fœmina, non sufficit, ut sit occasio proxima peccandi, cum multi homines, & fœminæ ita habitent sine tali occasione. Ubi autem ei cohabitationi accedit periculum formale peccandi, tum adest occasio proxima.

9. Et quidem omnis occasio proxima peccandi affert periculum proximum peccandi, sed non omne periculum proxmum peccandi dicit occasionem proximam. Nam occasio proxima dicit circumstantiam extrinsecam; hæc autem non requiritur ad periculum prcximum. Qui enim ex propria fragilitate intrinseca habet diuturnam consuetudinem se polluendi, habet periculum proximum peccandi, ortum ab habitu intrinseco per consuetudinem acquisito, qui habitus, utpote diuturna consuetudine acquisitus est valde intensus, atque adeo inclinat vehementer ad continuanda ea peccata.

10. Ut ergo penitus explicetur occasio proxima, oportet explicare, quid sit periculum peccandi. In relata *disp. 18. num. 8.* dixi periculum *esse inclinationem ad futuritionem mali*; atque adeo periculum peccandi nihil aliud est, nisi *inclinatio ad futuritionem peccati*. Sed adverte, quod nomine inclinationis non intelligitur inclinatio voluntatis, aut judicii; sed motivum antecedens ad futuritionem peccati, ex quo motivo prudentes colligunt impendere eam peccati futuritionem. Et quia quandoque non est omninò certa futuritio, ideo non dicitur illatio, sed inclinatio. Quod si clarius explicare placuerit, dic, periculum peccandi *esse motivum inclinans ad futuritionem peccati*. Inclinans, inquam, in genere motivi.

11. Cum autem dicimus, periculum esse inclinationem ad damnum futurum, ne intelligas, hoc esse re ipsa futurum; id enim falsum est, cum sæpè detur periculum, quin re ipsa sit futurum damnum; sed esse motivum inclinans ad hoc, quod damnum sit futurum. Hinc colliges, periculum duo dicere, & habitudinem, sive motivum inclinans tanquam constitutivum periculi; & futuritionem damni tanquam terminum ejus habitudini, sive inclinationis.

12. Deinde certum est, periculum, & securitatem esse terminos incompossibiles, & sibi invicem repugnantes. Et ita ubi est periculum deficit securitas, & ubi adest securitas, abest periculum. Et quantum minuitur periculum, tantum acceditur securitati.

13. In eâdem *disp. num. 9.* cum *Caramuele*

mulo distinxi triplex periculum, scilicet certum, probabile, & leve. Certum est, quod certitudine morali infert futuritionem damni, quando scilicet quilibet prudens firmiter sibi persuadet, damnum esse eventurum. Ut cum quis propriâ experientia ductus, certò sibi persuadet, cum adierit talem domum, lapsurum in peccatum luxuriæ. Similiter certum mortis periculum est, quando infirmitas adeo gravat hominem, ut medici de vita ejus desperent. Item quando quis appropinquat Leoni, cujus sævitia, & appropinquatio certum sibi argumentum est mortis futuræ.

14. Periculum probabile est, quando adsunt rationes probabiles, quæ suadeant lapsum futurum. Ut cum quis timoratus, fragilis tamen, probabiliter censet in occasione exercendæ luxuriæ, fragilitate sua vincendum contra timorem Dei. Et ubi fragilitas, & occasio absque timore Dei possent illi esse motivum persuadendi sibi certò futuritionem lapsus; adjuncto timore Dei mediocriter sibi insito, qui ad vitandum peccatum inclinat, reddit motivum illud solum probabile. Similiter dum infirmus ita gravatur, ut licet non omninò desperetur de vita ejus, adhuc tamen corrupti humores inclinant ad mortem. Item qui pedester ambulat in quadam campi planitie, & audit à fide dignis ducentis ab hinc passibus sævire Leonem, quamvis non incurrat periculum certum mortis, subit tamen periculum probabile, quod probabiliter arguitur ex vicinitate Leonis, & lenta fuga, quam pedester homo capessere potest.

15. Ubi adverte, periculum probabile etiam esse certum in existendo, & probabile in inferendo futuritionem damni. Nam quando infirmo impendet mors; sed non desperatur adhuc de vita ejus, certum est, quod datur periculum; incerta tamen & probabilis est illatio mortis futuræ.

16. Periculum leve est, quando datur indicium leve, propter quod suspicatur homo, aut timet damnum futurum, ut cum homo religiosus, qui nunquam lapsus est in venerea, & magno Dei timore afficitur, ingreditur domum fœminæ pulchræ, & ex ejus pulchritudine indicium sumit ad suspicandum, se fortè lapsurum in delectationem aliquam morosam. Huc etiam reducuntur pericula peccandi, quæ insunt in humana conversatione, in mercaturâ, in commercio virorum, & mulierum, &c. Nam ultra periculum peccandi, quod unicuique affert propria fragilitas, istæ occasiones communes vitæ humanæ afferunt aliquale periculum.]

17. Dividitur secundò periculum peccati in intrinsecum, extrinsecum, & mixtum. Intrinsecum est, quod oritur à propriâ fragilitate, vel ab habitu vitioso. Extrinsecum est, quod independenter à propria fragilitate, intelligitur inclinare ad peccatum; qualis est violentia, metus, persuasio amici ad peccatum. Mixtum est, quod componitur ex utroque; ut occasio extrinseca adjuncta propriæ fragilitati.

18. Dividitur tertiò periculum peccandi, in formale, & materiale: quæ distinctio necessaria est ad discernendum, quando, aut quomodo periculum formale transit in materiale, quod non raro solet contingere. Periculum materiale est ipsa occasio, aut circumstantia extrinseca, quæ provocat, vel inclinat ad lapsum. Periculum formale est illud, quod consideratis

ratis omnibus circumstantiis extrinsecis, & intrinsecis inclinat ad lapsum.

19. Da duos homines, quorum alter ingressurus Domum, in qua peccare luxuriosè consuevit, secum statuit proposito tepido, & remisso, se non peccaturum: alter ingressurus in similem occasionem ex causa necessaria, Dei timore perculsus, propositum illicit intensissimum non peccandi: superadditque ferventem ad Deum orationem cum magna fiducia obtinendi à Deo speciale auxilium. Rogabis ergo, an uterque incurrerit periculum formale labendi in peccatum? Et respondeo, posse fieri, quod secundus non incurrat periculum formale peccandi, si nimirum magna sit constantia hominis in propositis servandis, & continuandis precibus ad Deum; quod aliquando experientia comprovit. Ea enim firmitate propositi, & fiduciæ in Deum roboratus, & ea certitudine judicii ad securitatem tractus, magnopere extenuat periculum, & aliquando fieri potest, quod illud omninò ex terminet. Primus incurrit periculum formale; nam propositum non peccandi tepidum, & remissum non extenuat periculum peccandi.

20. Et hinc infertur, periculum formale peccandi, quantumvis proximum, posse extenuari, imò, & aboleri omninò per actus internos hominis, sive per externos simul, & internos. Quod non rarò contingit, quando à Deo præventus; & magna animi consternatione detestans peccata sua, amovet se ab ipsa occasione luxuriæ, quam domi necessario, & in voluntariè retinet. Experientia enim comperi, peccatores occasioni proximæ venereæ immersos, quam non poterant à domo sua amovere, tandem à Deo illuminatos recessisse ab eo peccato per detestationem illius, & orationis continuationem, & Sacramentorum frequentiam. Ex quo factum est, ut periculum formale labendi conversum sit in materiale: & occasio proxima peccandi desierit esse proxima per exercitium activum virtutis.

21. Dividitur quartò in periculum voluntarium, & necessarium, sive involuntarium. Voluntarium est, quando est in potestate hominis auferre periculum, nullâ necessitate cogente ad retentionem periculi. Periculum duplici ex capite potest fieri necessarium; aut ex necessitate Theologica, id est, præcepto obligante; quale esset periculum, quod subiret chirurgus, qui ex charitate, vel justitia obligaretur mederi fœminæ extremam necessitatem patienti; cum non esset alius, qui mederetur: & ille, cui ad vitandum scandalum necesse est retinere domi fœminam sibi periculosam. Aut potest oriri periculum necessarium ex necessitate physica, vel morali; ut qui violentia satellitum inducitur in carcerem, ubi invenit periculum percutiendi inimicum in eodem carcere detentum. Ille enim necessitate physica adactus conjicitur in id periculum: & filia familias, quæ morali necessitate cogitur ad existendum in domo paterna, in qua juvenis habitat sibi periculosus, non habens in potestate suæ expulsionem juvenis.

22. Sed adverte, id periculum, quod dicitur necessarium, absolutè non esse tale, nisi quoad circumstantiam externam. Unde fit, quod occasio proxima peccandi dumtaxat sit necessaria, aut involuntaria quoad circumstantiam externam; quod autem sit proxima, voluntarium, & liberum est homini. Nam ut suprà dixi, quod occasio

occasio sit proxima, præter circumstantiam extrinsecam, dicit periculum peccandi ortum ab intrinseco, nempe à propria fragilitate, & aliquando etiam ab habitu vitioso, quibus resistere liberum est homini; & ideò in potestate libera hominis est facere, quod occasio non sit proxima, scilicet per actus proprios virtutis.

CAPUT III.

An ad occasionem proximam requiratur periculum certum peccandi, an verò sufficiat probabile.

ARTICULUS I.

Duæ adversæ sententiæ referuntur.

SUMMARIUM.

Explicato periculo certo peccandi, & periculo probabili; inquiritur, an sit occasio proxima, quando periculum dumtaxat, est probabile? n.23.

Prima sententia Caramuelis, & ejus fundamentum. n 24. & seq.

Retractatio Caramuelis; & sententia aliorum Doctorum sequentium Caramuelem in pristina ejus opinione. n.27.

Secundam sententiam oppositam docent tanquam certam communiter Doctores. n.28. & 29.

Aliqua sunt in præsenti præstanda ad declarationem nostræ veræ sententiæ. n. 30.

23. EX capite proximè præcedenti constat, quod periculum certum pro præsenti dicimus illud, quod certitudine morali infert futuritionem damni. Periculum verò probabile dicimus illud, in quo invenitur motivum inclinans probaliter ad futuritionem damni. Utrumque autem genus periculi est certum in existendo. Certum enim est, existere in periculo mortis infirmum, cujus vita adhuc non desperatur, sed probabiliter timetur. Occasionem, in qua periculum peccandi est certum indubitabile est, esse proximam. Inquirimus ergò in præsenti, an sit etiam occasio proxima, quando periculum est dumtaxat probabile?

24. *Caramuel in Theologia Regul. disp. 70. num. 1056.* ex editione Veneta, anni 1651. docuit, licitum esse, exponere se periculo probabili peccandi. Ex quo evidenter infertur, non esse occasionem proximam peccandi illam, in qua periculum peccandi est dumtaxat probabile: cujus fundamentum cùm sit evidenter sophisticum, satis declarat falsitatem ejus opinionis.

25. Fundamentum proposuit *nu.* 1058. in hæc verba: *Petis, utrum possit se aliquis exponere probabili peccandi periculo? Ego nullam actionem prudentem peccati arguo: nec imprudens censendus est, qui sequitur partem probabilem. Ita efficacissimè superius num.* 1057. *ubi notavi, tunc probabiliter deesse periculum, quando probabiliter adest: etsi tibi sit probabile, quod nullum sit peccandi periculum, non video, quid te urgeat, aut cogat, ne possis licitè operari* Totum itaque fundamentum illius est, quod ubi datur periculũ probabile peccandi, probabile est dari periculum, & probabile est nullum dari periculum peccandi.

26. Ut in Theol. fundam. editionis Francofurtensis *fund. 11. num.* 198. eandem assertionem sic probat: *Sit iterum*

 Ambro-

Ambrosius ad Petronilla domum, & cognoscit probabilis peccati periculum: ergo in tali casu potest, & debet dicere: Ista propositio (Peccabo) est probabilis; atqui possum sequi, quam volo in materia probabili: ergò potero stare huic sententia. (Non peccabo.)

27. Sed *in Theol. fund. editionis Lugdunensis anni* 1657. retractavit Caramuel hanc sententiam, & *fund.* 11. *num.* 504. expressè dicit, esse improbabilem, & ratione demonstrativa probat, illam esse improbabilem. Et tamen *Leander à Murcia lib.* 2. *disquisitionum moral. disp.* 1. *resol.* 16. nixus præcipuè authoritate *Caramuelis*, & ejus sophistico fundamento relato, defendit, licitum esse exponere se periculo probabili peccandi. Et novissimè *M. Hozes ad prop.* 63. *num.* 4 eam opinionem pristinam Caramuelis admittit tamquam probabilem.

28. Oppositam sententiam docent tamquam certam communiter Doctores. Quod clarè cernitur in controversia, quæ his temporibus acerrimè agitatur, scilicet. (An sequi teneamur opinionem probabiliorem, & tutiorem?) Nam omnes Authores, qui affirmativam partem propugnant, eo nituntur fundamento, quod qui operantur secundùm opinionem minus tutam, exponunt se periculo probabili peccandi mortaliter, supponentes esse peccatum mortale exponere se periculo probabili peccandi mortaliter. Et contrà, omnes Doctores, qui tuentur, licitum esse sequi quamlibet opinionem practicè probabilem, etiam minus probabilem, supponunt etiam esse peccatum mortale exponere se periculo probabili peccandi mortaliter, ideòque respondent, eum, qui sequitur opinionem minus probabilem, non se exponere periculo probabili peccandi propter dictamen reflexum certum, quod licitum est sequi quamlibet opinionem probabilem. Ideò neque hi, neque illi Authores admittunt, licitum esse exponere se periculo probabili peccandi lethaliter.

29. Pro hac etiam sententia in ea *disp.* 18. *cap.* 6. *citavi Lorcam Lessium, Ludovicum Lopez, Dianam, Cælestinum, & Caramuelem*, ubi retractavit pristinam opinionem oppositam. Et *num.* 60. hanc periodum subjunxi: [Hanc etiam conclusionem tenent omnes viri prudentes totius orbis terrarum, qui interrogati, an juxta regulas prudentiæ sibi liceat exponere sine necessitate vitam periculo probabili mortis, honorem periculo probabili ignominiæ, rem familiarem periculo probabili jacturæ omnimodæ, certissimè respondebunt, id nequaquam licere: imò verò imprudentissimum ab omnibus judicandum, qui omnia bona sua absque necessitate ei periculo probabili exposuerit. Eadem autem quæstio est mutata materia de iis bonis temporalibus, & de donis gratiæ, & amicitiæ Dei; nisi quod in hoc incomparabiliter urgentius militant argumenta, quando dona gratiæ maxima, pretiosa, & æterna, res minimas viles, perituras excedunt.]

30. Tria ergò in præsenti præstanda sunt. Primum, impugnare demonstrativè eam pristinam Caramuelis opinionem. Secundum, demonstrare obligationem fugiendi periculum probabile peccandi. Tertium, ex dictis inferre, proximam esse occasionem peccandi, in qua est periculum probabile.

AR-

ARTICULUS II.

Impugnatur evidenter ea opinatio Caramuelis.

SUMMARIUM.

Sophisma, quo nititur sententia Caramuelis. n. 31.
Prima ejus impugnatio ex periculo probabili mortis. n. 32.
Alia exempla de periculo probabili prudenter cavendo. n. 33. & seq.
Ostenditur æquivocatio istius sophismatis. n. 36. & 37.
Discrimen inter certitudinem existentiæ periculi, & probabilitatem de futuritione damni. n. 38.

31. IN *disp.* 18. relata *cap.* 3. demonstrativi falsitatem ejus opinationis. Neque enim evidentior probatio datur contra opionem sophistico fundamento suffultam, quàm ostendere, in quo latet dolus sophisticus. Vidimus initio articuli præcedentis totum fundamentum ejus opinationis consistere in hac consequentia. *Datur periculum probabile peccandi: ergò probabile est, nullum dari periculum.* Cùm ergò probabile sit, nullum dari periculum, cùm quis se exponit periculo probabili peccandi, probabile est, quod nulli periculo se exponit; atque adeò probabile est, quod non peccat. Ut ergò clarius, & evidentius dolus sophisticus hujus argumenti conspiciatur, oportet, hoc idem argumentum, & in eâdem forma proponere in aliis materiis, ubi id evidentius cernitur. Quod brevius præstabo remittens Lectorem ad locum citatum.

32. Ostenditur primò iste dolus sophisticus in periculo mortis. Petrus incidit in periculum probabile mortis: ergò est probabile dari, & est probabile non dari periculum mortis. Ergò potest sequi hanc opinionem, quod nullum est periculum; & consequenter ex hac probabilitate poterit non recipere Sacramenta in periculo probabili mortis. Quo quid absurdius dici potest? Si ergò hoc argumentum fallax est in periculo mortis, eodem modo est fallax in periculo peccandi; cùm forma arguendi sit eadem.

33. Ostenditur secundò. In medio campi non longè abest à te leo sævissimus, v. g. per quadraginta passus; & duo alii homines in eodem campo distant à te quadraginta passus, & à leone, & inter se totidem. Inermis es, & equum habes proximum, quo velociter posses fugere. Erisne prudens, si nolis uti eo medio fugiendi? Probo tuo argumento, te esse prudentem, etiamsi nolis uti eo medio fugiendi. Id non est periculum certum mortis, quia leo potest dirigere gressum, & furorem ad alios homines ibi existentes: periculum ergò est dumtaxat probabile: ergò (juxta formam argumenti Caramuelistici) probabile est, nullum esse periculum. (quis prudens admittet hanc consequentiam in tanta approximatione leonis, ex eo, quod periculum solùm sit probabile?) Si ergò probabile est, nullum tibi imminere periculum à leone propinquo; ne fugias. Imò verò acquiesce consilio meo, & arripere medium velocioris fugæ, ut id mortis periculum probabile evadas, & incipe intelligere, hanc esse dolosam consequentiam: *Datur periculum probabile, ergò probabile est nullum esse periculum.*

34. Eodem modo potest formari argumentum in periculo probabili combustionis domus tuæ, *paries cùm proximus ardet*; poteris inferre, *ergò probabile est nullum esse combustionis periculum.* Etsi sequeris hanc regulam novæ prudentiæ, non protegens te nec tuos, nec substantiam tuam ab eo periculo probabili.

35. Et quid, si Gubernator arcis, videat periculum probabile invasionis Maurorum; & dicat apud se: *Hoc periculum est probabile, & ideò probabile est nullum esse periculũ*; & ideò nihil provideat pro defensione? Si re ipsa Mauri expugnent arcem; excusabit ne seipsum coram Judice, ex eo, quod, quia periculum erat, dumtaxat probabile, erat revera probabile, nullum esse periculum; & ideò prudenter operatum esse non providendo de defensione arcis? Numquid non riderent omnes responsionem; cùm ipse non rideret plectendus capite? Vide hæc omnia urgentius ponderata eo *cap.* 3. relato.

36. Impugnatur secundò eadem opinatio, ostendendo æquivocum, in quo laborat. Etenim aliud est loqui de existentia periculi, & aliud de illatione fruitionis damni. Periculum dicitur probabile, quia illatio, aut quasi illatio futuritionis damni est dumtaxat probabilis. Unde fit, quod potest esse certa existentia periculi, & probabilis dumtaxat illatio futuritionis damni. Sic quando infirmus est in periculo probabili mortis, ita ut de ejus salute nondum desperent medici, existentia illius periculi est certa, illatio autem, aut quasi illatio, qui ex periculo colligitur probabiliter futuritio mortis, est dumtaxat probabilis.

37. Tùm sic. Quando datur periculum probabile peccandi, certum est, quod existit periculum, & probabilis est futuritio peccati: ergò dolosa est hæc consequentia: *Datur periculum probabile, ergò probabile est dari periculum*, (Et quia ubi pars affirmativa est probabilis, etiam negativa est probabilis, ut existimat Caramuel,) *ergo probabile est, non dari periculum.* Patet consequentia. Implicat enim contradictionem, esse certam existentiam periculi, & esse dumtaxat probabile, quod existat periculum; cum mutuo inter se repugnent esse *certum*, & esse *dumtaxat probabile.* Quod argumentum clarius cernitur convincere in periculo probabili mortis. Vide duo argumenta demonstrativa, quibus prosequutus sum impugnationem ejus opinationis in præcitato *cap.* 3.

38. Ad argumentum verò *Caramuelis art.* 1. propositum constat ex dictis, quomodo distinguenda sit ea propositio: *Probabiliter deest periculum, quando probabiliter adest.* Non enim deest probabiliter (quoad existentiam) periculum, quando adest probabiliter quoad illationem futuritionis damni; potest tamen concedi, quod quando illatio futuritionis damni est probabilis, sit etiam probabilis illatio non futuritionis. Quod patet in periculo probabili mortis circa infirmum, cujus mors probabiliter timetur, & cujus vita probabiliter speratur. Ad aliud argumentum, quod *art.* 1. retuli ex Caramuele, constabit solutio ex *art. sequenti.* Alias argumentationes minoris momenti, quas affert Murcia, à ratione, & ab authoritate, abundè impugnavi ibidem *cap.* 4 & 5.

CA-

ARTICULUS III.

Quanta sit obligatio fugiendi periculum probabile peccandi lethaliter

SUMMARIUM.

Qui docuerint, esse licitum exponere se periculo probabili peccandi lethaliter. n. 39.
Prima impugnatio hujus sententiæ ex gravi, & certo damno animæ n. 40 *& seq.*
Secunda impugnatio ex securitate quam homo debet sibi comparare. n. 41. *&* 44.
Tenetur quis comparare sibi securitatem istam prudenter, proportione, ad securitatem rei temporalis. n. 45.

39. EX articulo 1. constat, *Caramuelem* olim, (quamvis postea retractavit) *Murciam, & Hozes* docuisse, non esse illicitum exponere se voluntariè periculo probabili peccandi: Qui autem Doctores doceant oppositum, ibidem proposui. Et quia in ea *disp. 18. cap.* 16 illam *Caramuelis* opinationem manifestè debellavi, placuit ex eo loco aliquos periodos transcribere.

40. Igitur esse lethaliter illicitum exponere se periculo probabili peccandi lethaliter ostendo primò [Periculum probabile peccandi, sive amittendi Dei gratiam, est certo grave malum animæ præsens, & à quolibet prudente fugiendum; sed nemini licet abq; necessitate subire id quod est certò grave malum animæ præsens, & à quolibet prudente fugiendum: ergò nemini licet absq; necessitate se exponere periculo probabili peccandi, sive amittendi Dei gratiam. Minor, & consequentia patent.

41. Major probatur. Periculum probabile amittendæ vitæ est certò magnum malum præsens, quod, omnes homines vitare conantur. periculum probabile amittendi honorem, & incurrendi ignominiam, est magnum malum præsens, quod omnes detestantur; periculum probabile amittendi penitus omnem rem familiarem est magnũ malum præsens, quod omnes fugiunt: & periculum probabile cujuslibet magnæ jacturæ temporalis, puta Regiæ, aut Imperialis dignitatis aut cujuslibet alterius, est magnum malum de præsenti, quod omnes prudentes avertere conantur: ergò periculum probabile amittendæ gratiæ divinæ, quæ his omnibus pluris valet incomparabiliter, est de præsenti magnum malũ animæ, quod omes Christianæ prudentiæ compotes aversari debeant.

42 Sanè ea sola terminorum propositio sine ulteriori probatione rem facit evidentissimam. Nam ea consequentia à minori ad majus deducta, est inevitabilis, eo quod fortius militat in pretiosioribus, quàm in minus pretiosis. Antecedens verò qui negaverit, accedat inermis ad Leonem in ea distantia, in qua non est evidens, se occidendum, sed solùm probabile; tempore magnæ tempestatis inducat in navem omnem suam substantiam, & solvat è portu, quandò non est evidens sed solùm probabile, navem submergendam si venditor est, tradat omnes merces suas viro extraneo, & sibi incognito, quem eas furaturum esse, non est evidens, sed probabile: si Rex est, vel Imperator, non adhibeat Regno præsidium defensioni opportunum, quandò probabile est, illud esse expugnandum ab hostibus, non tamen evidens. Cùm ergò homines tàm diligenter incumbant adhibendo

bendo media opportuna ad vitandum quodlibet periculum probabile magnæ jacturæ rei temporalis, manifestum est, id periculum esse magnum malum præsens. Itaque malum, quod imminet de futuro, est ipsa jactura rei; quod verò res habeat eũ statum, ut indè inferatur probabiliter futurũ detrimentum, malum est de præsenti, quia de præsenti datur is rerum status, unde probabiliter infertur jacturæ futuritio.

43. Ostenditur secundò. Homo non solùm tenetur graviter præcepto non peccandi, sive non amittendi gratiam Dei, sed etiam securum se reddendi, quantum moraliter possit, à peccato lethali, & ab amissione gratiæ Dei; sed reddere se securum consistit in eo, quod vitet periculum, etiam probabile: ergò tenetur graviter præcepto vitandi periculum etiam probabile. Minor patet: non enim potest intelligi, quomodò habeat homo vitam securam dum est in periculo probabili mortis.

44. Major probatur primò. Nam charitas erga seipsum obligat, ut quis reddat se securum quantum possit, à summo malo, & ab amissione summi boni. Probatur secundò. Nam quilibet tenetur reddere se securum ab incursione gehennæ: sed peccatum lethale est majus malum, quàm incursio gehennæ: ergò tenetur securum se reddere à peccato lethali.

45. Probatur tertiò eadem major ex dictis eo *cap. 6. num. 20* [Quilibet homo tenetur, sicut ad conservandam prudenter suam vitam, ita ad comparandam prudenter securitatem illius, quando scilicet profusio vitæ non sit necessaria pro majori bono; cogita, pro utilitate publica, charitate, &c. Item tenetur ad reddendum securum prudenter honorem suum, cujus defectus redundaret in alios: item, & honorem suorum. Et ita inter viros prudentes verteretur vitio patri familias, qui filios non reciperet à periculo ignominiæ resultante ex commercio venereo. Tenetur similiter ad reddendum securam rem familiarem, à qua dependent alimenta filiorum, uxoris, &c. quantum prudentia dictat: ergò tenetur homo ad reddendum securam gratiam Dei, & securũ se præstandum à ruina mortis peccati. De antecedente nullus dubitare potest; quia apud omnes certum est, quod ea bona conservare tenetur, nec conservare potest, nisi eripiendo à periculis, quæ imminere solent: nam qui ea omnibus periculis probabiliter exponeret, omnes prudentes censerent eum non conari sufficienter ad eorum conservationem, cum ea pericula media sint ad ruinam. Consequens verò idem esse cum antecedente, mutata materia viliori in materiam digniorem, certum est.

ARTICULUS IV.

An occasio extrinseca in qua est periculum probabile peccandi, eo ipso sit occasio proxima?

SUMMARIUM.

Qui dixerint, occasionem proximam includere periculum moraliter certum peccandi. n. 46.

Ad occasionem proximam satis est periculum probabile peccandi. n. 47. & 48.

Qui credit periculum, judicat id probabile. nu. 49.

Occasio est proxima, in qua quis voluntariè exponitur periculo peccandi. n. 50.

Occa-

Occasionem esse proximam sub periculo probabili, ostenditur exemplis. n. 51. & 52.

Quam periculosa in praxi opinio opposita. nu. 53.

46. **A**D occasionem proximam peccandi requiri periculum certum, nempè illud ex quo certitudine morali inferatur futuritio peccati, olim sustinuit *Caramuel,* ubi supra (quamvis postea id retractaverit) & *Leander à Murcia* supra relatus, quos novissimè sequuntur *Lumbier tom. 3. sum. nu. 2010 pag. 1253. & Hozes in expositione prop. 63 n. 4. pag. 425.*

47. Sed ad occasionem proximam peccandi lethaliter sufficere periculum probabile, firmum est inter Authores majoris notæ. Ita *P. Thomas Sanchez lib. 1. in Decal. c. 8. num. 1.* ajens: *Certissimum est opus ex se veniale, aut indifferens in mortale transire, si operans occasioni ita proxima exponatur, ut eum in morali, ac proximo peccandi mortaliter periculo constituat: constat ex illo Ecclesiastici 3. (Qui amat periculum peribit in illo) Et ratio est: quia salutem spiritualem temnere convincitur, se tàm PROBABILI ejus amittendæ periculo objiciens.* Et num. 3. ait: *In hoc PROBABILI pecandi mortaliter periculo fatendæ sunt circumstantiæ illius peccati, cujus periculo se exposuit.*

48. Idem tenet *Navarrus in sum. cap. 3. n. 14. vers. Hujus autem.* Ubi sic ait: *Nemo potest absolvi, nisi statuat, saltem virtualiter, nunquam se impostèrum mortaliter peccaturum, & consequenter evitaturum occasionem, quæ ex se sit mortifera, aut peculiaris hujusmodi, quam PROBABILITER credit peccati mortalis causam sibi fore; juxta illud Ecclesiastici 3. (Qui amat periculum, peribit in illo.)* Quando autem *Navarrus ibid.* dicit: *Talis est occasio, quæ credit se ferè semper ad sic peccandum impulsum iri;* id verbum *credit*, constat intelligendum esse eo modo, quo paulò ante dixit, nempè *PROBABILITER* credit.

49. Eodem modo intelligendi sunt Authores, dum asserunt, in periculo proximo peccandi versari eum, qui *credit* se in occasione frequenter, aut ferè semper peccaturum. Nam verbum *credendi* extra materiam Fidei Divinæ denotat credulitatem probabilem. Censent ergò, ad occasionem proximam sufficere credulitatem probabilem; atque adeò periculum probabile sufficere ad constituendam occasionem proximam peccandi.

50. Et ex hucusque dictis facile est id convincere. Primò. Illa enim est occasio proxima peccandi lethaliter, cui dum quis sponte se exponit, peccat lethaliter: sed qui se exponit spontè periculo probabili peccandi lethaliter, peccat lethaliter: ergò exponere se spontè periculo probabili peccandi lethaliter, est occasio proxima peccandi lethaliter. Consequentia patet, & Minor demonstrata est in articulo proximo præcedente. Nec minus certa est Major Nam adversarii, qui excludunt à ratione occasionis proximæ periculū probabile, ideò illud excludunt, quia in probabili periculo peccandi lethaliter, nolunt admittere peccatum lethale. Et si in periculo probabili inveniant peccatum lethale, nulla erit ratio, ob quam tale periculum excludant à ratione occcasionis proximæ.

51. Convincitur secundò. Quis enim dubitet, esse in occasione proximæ mortis eum, qui provocans, vel provocatus aggreditur

tram intelligit concubinam. Cæteri Patres universalius intelligunt, quamlibet occasionem cujuscumque personæ, quæ provocat ad peccandum. Ita *S. August. lib. de Serm. D. Euthimius in hunc locum, S. Hilarius. Can* 4. *S. Athanasius quæst.* 70. *S. Pacianus Epistola* 3. *adversus Novitianos, S. Cyrillus lib.* 12. *in Ioan. c.* 18. *S. Anastasius q* 7. *Salvianus lib. de Provid. & Theophylactus in hunc locum.* Quæ conclusio aliis terminis proponi solet, nempè lethaliter peccare eum, qui se exponit periculo peccandi lethaliter, sive occasioni proximæ.

55. Restat explicandū, quomodo debeat deseri Quam explicationē latè prosecutus sum in citata *disp.* 18. *cap.* 8. Et ex ibi dictis in præsenti prosequar. *Caramuel. disp.* 70. *in Regul. nu.* 1067 expostulat cum aliquibus Authoribus, quod materiam hanc de fugiendo periculo confusè tractant. Et si id verum est, ideò confusè eam tractant, ut ego opinor, quia non distinguunt inter occasionem externam, & periculum formale; item quia non distinguunt inter modum evadendi à periculo per fugam occasionis externæ, & modum evadendi ab illo per media homini ipsi intrinseca, id est, per actus ipsius hominis proprios, ut notavi *cap.* 2. fine. Et quamvis aliquibus videatur difficile regulas generales tradere, per quas his implexis quæstionibus satisfiat; at servata hac duplici distinctione, existimo, non esse difficile has regulas generales statuere.

56. Oportet ergo revocare in memoriam id, quod supra *capite* 2. dixi circa divisionem periculi in formale, & materiale, & circa eos duos homines, quorum alter ingreditur in domum periculosam armatus constantia propositi, oratione, & fiducia in Deum, qui propterea non incurrit periculum formale; atque adeò respectu illius occasio non est proxima: alter verò similem domum ingrediens ob propositi tepiditatem incurrit periculum formale; atque adeò respectu illius occasio peccandi est proxima. Et hinc apertè comperies, posse fieri, quod periculum formale evitetur per actus virtutis ipsius hominis. Et antequam regulas generales statuam, sequentes positiones præmitto.

57. Positio prima. Ubi passio est vehemens, & habitus vitiosus intensus, vel interna suggestio, sive tentatio est fortis; magis timenda est occasio externa, magisque fugienda Patet. Nam cùm duplex sit medium vitandi periculum formale lapsus, alterum, vitando occasionem externam: alterum roborando se per actus virtutum: quandò passio, habitus, & tentatio urgent, minus est roboris ad eos hostes vincendos per actus proprios ipsius hominis. Cùm ergò tunc non vitetur periculum formale per actus ipsius hominis proprios, vitandum illud est per fugā occasionis externæ.

58. Positio secunda. In materia luxuriæ magis, quàm in multis aliis, necessè est fugere occasiones externas. Id constat ex præcedēti positione, eo quod in hoc genere passio est vehementior Nam, ut ait *S. Isidorus lib. de sum. Bon* (apud *S. Thomam* 2. 2. *quæst.* 154. *art.* 3. *ad* 1.) *magis per carnis luxuriam humanum genus subditur diabolo, quàm per aliquod aliud; quia scilicet difficilius est vincere vehementiam hujusmodi passionis.* Et ideò quantò major est difficultas vincendi vehementem passionem, tantò minus fortitudinis habet homo, ut per actus proprios extenúet periculum formale; atque adeò ad evadendum illud ne-

cessè est occasionem externam vitare. Et ideò Apostolus 1. *ad Corinth 6.* dixit, *Fuge fornicationem,* explicans per verbum fugiendi, quomodo recedendum sit, non solùm per detestationem, sed etiam per fugam externam, ab hujusmodi vitio; neque enim eo termino *fugiendi* utitur Apostolus, nisi in Luxuria, Idololatria, & Avaritia.

59. Positio tertia. Etiam in materia avaritiæ magnæ, & vehementis divitiarum cupiditatis, periculum peccandi in eo genere, ut inplurimum, vitandum est per fugam occasionis externæ. Etenim passio hæc, ubi invalescit, est vehementissima, & omnem Dei legem pessundat. Ideò Apostolus *1. ad Timoth. 6.* ait: *Qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli, & desideria multa inutilia, & nociva, quæ mergunt homines in interitum, & perditionem: radix enim omnium malorum est cupiditas; quam quidam appetentes erraverunt à Fide, & inseruerunt se in doloribus multis. Tu autem, ô homo Dei, hæc fuge.* Ubi autem vehementior est passio, minor est fortitudo ad actus virtutum intensos quibus periculum formale extenuetur. Et ideò in hoc genere oportet amputare periculum formale per fugam occasionis externæ. Ubi notandum est, circa hæc duo vitia avaritiæ, & luxuriæ usum fuisse Apostolum verbo *fugiendi*, quo denotaret fugam ab occasione externa, ut nuper notabam.

60. Positio quarta Ob eandem rationem in materia magnæ iracundiæ necessè est evitare diligenter occasionem externam. Nam experimento compertum est, etiam homines virtutis studiosos, occasione data, torrente iracundiæ præcipites fieri, ita ut ferè rationis usu spolientur.

61. Positio quinta. In cæteris, in quibus neque vehemens est passio, neque habitus vitiosus nimis intensus, neque tentatio satanæ valdè urgens, ut inplurimum, non est necessè tollere occasionem externam, quæ propterea non est occasio proxima peccandi. V. G. cùm quis omittit auditionem Missæ in die Festo propter confabulationem cum amicis; tunc enim illam omittit, potius ex desidia, & negligentia, quàm ex influxu confabulationis Quæ positio patet ex dictis: quia in hac hypothesi non est difficile elicere actus virtutum, quibus periculum extenuetur, & hostes debiles superentur.

ARTICULUS II.

Statuuntur regulæ generales de modo vitandi periculum formale peccandi.

SUMMARIUM.

Periculum formale peccandi debet vitari, aut fugiendo occasionem, aut periculum dissolvendo. n. 62.

Si per actus proprios vitatur formale periculum, non est opus deserere occasionem, nu. 63.

Qui nequit intrinsecè, tenetur extrinsecè vitare periculum. n. 64.

Qui vitare non potest occasionem extrinsecam, tenetur intrinsecè vitare periculum n. 65. & seq.

Quid de filio familias impotente expellere occasionem. n. 68.

Quando teneatur quis non solùm ad actus internos, sed etiam ad deserendam occasionem externam. n. 69.

Circa

Circa quas materias sit hæc obligatio vigentior. n. 70.

62. PRima Regula est. *Quotiescumque homo advertit, in aliqua occasione esse periculum formale peccandi lethaliter, tenetur fugere periculum uno è duobus modis, vel deserendo occasionem externam, vel dissolvendo periculum formale per actus virtutum à se elicitos.* Probatur. Quoties homo potest vitare periculum formale peccandi, tenetur illud vitare, utpote ingens malum animi. Nam ut optimè dixit *P. Suarez tom. 5. in 3. part. disp. 18 sect. 3. nu. 16. In moralibus ejusdem malitiæ est constituere se voluntariè in morali periculo, & proximo committendi aliquod crimen, & committere illud.* Sed regulariter loquendo semper potest vitare periculum formale peccandi aut per fugam occasionis externæ, aut per actus virtutis à se elicitos, nempe per detestationes peccati per propositum intensum, & preces Deo directas, &c. Ergo semper tenetur vitare periculum formale uno ex illis duobus modis.

63. Secunda Regula. *Quandò quis per actus suos proprios vitat periculum formale, non tenetur deserere occasionem externam.* Patet Nam occasio externa eatenus deserenda est, quatenus est occasio proxima peccandi; sed quandò homo per actus suos proprios extinguit periculum formale peccandi: jam illa non est occasio proxima: ergo tunc non tenetur deserere occasionem externam. Minor ex dictis est manifesta. Occasio enim proxima essentialiter constituitur ex occasione externa, & periculo formali peccandi: ergò deficiente periculo formali peccandi, jam illa non est occasio proxima.

64. Tertia Regula est. *Qui non vitat periculum formale intrinsecus, id est per actus suos proprios tenetur vitare illud extrinsecus id est deserendo occasionem.* Patet ex regula prima. Etenim homo tenetur vitare periculum formale peccandi lethaliter uno è duobus modis, scilicet intrinseco, vel extrinseco: ergò si primo modo non vitat illud, vitare debet secundo modo.

65. Quarta Regula. *Qui non potest vitare occasionem extrinsecam, tenetur periculum formale modo intrinseco, id est, per præfatos actus virtutum à se elicitos.* Patet ex dictis. Tenetur enim vitare id periculũ formale uno ex duobus modis præfatis.

66. Sed adhuc specialiter probatur. Nam qui non potest vitare occasionem extrinsecam, & adhuc non vult vitare periculum formale per actus suos proprios, ipse voluntariè se exponit periculo formali; atqui constat ex superius dictis, peccare mortaliter eum, qui voluntariè se exponit periculo formali: ergò qui non potest vitare occasionem extrinsecam & non vult vitare periculum formale per actus suos proprios, peccat mortaliter: ergò qui non potest vitare occasionem extrinsecam, tenetur sub mortali vitare periculum formale modo intrinseco, sive per actus suos proprios Minor, & ambæ consequentiæ tenēt.

67. Probatur Major. Ille se exponit periculo formali peccādi, qui cùm liberè possit vitare illud, non vitat; sed qui impotens est vitare occasionē extrinsecam, nec vult vitare periculum formale per actus suos proprios. liberè potest vitare periculum formale, & non vitat; cùm sit in libera potestate ejus elicere actus, qui extenuant periculum formale, & non vult illos elicere: ergò ipse se exponit periculo formali.

68. Hinc constat, filium familias, qui non potest expellere è domo concubinam,

posse, & debere extenuare periculum formale peccandi per actus suos proprios, scilicet per magnam detestationem peccati, intensum propositũ, preces ad Deum, &c. Quod si hæc media non apponat ad extenuandum periculum, ipse se exponit periculo formali peccandi, sicut se exponit, qui cùm possit, non vult deserere occasionem externam. Peccatque lethaliter, si non conetur ad hæc media adhibenda pro extenuando periculo; quidquid sit an sit diversum peccatum à concubinatu, an ab illo non distinguatur.

69. Quinta regula est. *Quando occasio externa associatur passione vehementi, vel habitu vitioso, vel acri suggestione vel his omnibus simul, si est in potestate hominis occasionem externã deserere, non sufficit conari ad vitandum periculum formale per actus ipsius proprios, sed tenetur sub mortali deserere occasionem externam.* Infertur ex dictis. Nam cum hostes illi sint validissimi, conflictus cum illis est valde difficilis, & ideò homo tenetur fugere ipsum locum pugnæ, ne succumbat. Deindè quilibet prudens suam timens fragilitatem, debet credere suos actus non futuros esse robustos, ut possint superare tam validos hostes, maximè quando habet aliud medium evadendi periculum, scilicet fugam occasionis externæ. Præterea, quia & si Deus auxilia sufficientia non deneget, ut physicè possit homo vincere; ei tamen qui temerè, & sine necessitate ingreditur occasionem, non offert ea copiosa auxilia, quæ præstat illis, qui necessitate coacti occasione peccandi concluduntur. Quod etiam patet ex prima propositione.

70. Hinc infertur, in materia luxuriæ, avaritiæ, magnæ & vehementis iracundiæ teneri hominem ad vitandas occasiones externas si moraliter possibile sit; nec sufficit conari ad vitandum periculum formale per actus hominis intrinsecos. Hoc enim probant argumenta facta pro assertione quinta. Et constat etiam ex propositionibus, tertia, quarta, & quinta.

CAPUT V.

An qui in occasione proxima pecandi lethaliter versatur, quam potest deserere, possit absolvi, antequam illam deserat? Ubi fit crisis propositionis 61.

ARTICULUS I.

Varia Authorum placita & falsæ citatationes proponuntur.

SUMMARIUM.

Sub quibus terminis difficultas proponitur à Doctoribus n. 71.
Qui dixerint, posse absolvi concubinarium aliquoties, antequam expellat concubinam. n. 72.
Limitatur ab aliquibus prima sententia. num 73.
Qui Authores eandem sententiam docuerint post damnationem. n. 74.
Nequit absolvi concubinarius, antequã tollat occasionem voluntariam n. 75.

71. HÆc quæst. solet ab Authoribus tractari sub terminis *concubinatus*; quia in genere occasionis proximæ, hæc est frequentior, ita ut quidquid de hac occasione dictum

dictum fuerit, intelligi debeat de quavis alia occasione proxima alterius materiæ. Inquirimus ergò in præsenti, an Confessarius possit absolvere pœnitentem concubinarium, qui domi suæ retinet concubinam, habens in potestate sua illam expellere, ita ut nulla impossibilitas physica, vel moralis expulsionem ejus impediat?

72. In *disp*. 18 *cit. cap*. 9. latè proposui varia Authorum placita: Unde breviter se ligam, quæ oportet notari. *Joannes Sancius disp*. 10 *n*. 6. asserit, concubinarium posse absolvi ter, vel quater, antequam realiter expellat concubinam, quando sub omnimoda potestate ejus est illam expellere, dum tamen habeat firmum propositum expellendi illam. Quam opinionem *P. Castro Palao tom*. 1. *tract*. 2. *disp*. 2. *punct* 9. §. 3. *num*. 14. appellavit audaciam. Sed quod magis mirandum est, citat *Joannes Sancius* plurimos Authores pro sua sententia, *Suarium*, *Thomam Sanchez*, *Azorium*, *Medinam*, *Vegam*, *Ludovicum Lopez*, & *Emmanuelem Rodriguez*. Ex quibus aliqui expressè docent oppositam sententiam; alii verò tradunt doctrinam, quæ non spectt ad hanc materiam ut in *cap*. 9. *cit. à num*. 108. manifestè ostendi; Et *P. Suarium* falsò citari, apertè ostendit *P. Castro Palao tom*. 1. *tract*. 2 *disp*. 2. *punct*. 9. §. 3. *num*. 15. Et præterea ipse *Suarius* agens de consuetudine peierandi, & de proposito non peierandi de cætero, quod haberi debet in confessione *tom*. 2. *de Relig*. *tract*. 2. *lib*. 3. *cap*. 8. *num*. 7. ait: *Supposito autem tali proposito observandum est, ut si homo habet aliquas externas occasiones moraliter inducentes illum ad temerè jurandum, illas auferat; alioqui non sufficienter disponetur si proxima sint, & sine magno incommodo auferri possint.*

73. His falsis citationibus Joannis Sancii non pauci Authores decepti sunt habentes fidem illi Doctori. *Machado tom*. 2. *lib*. 7. *part*. 2. *tract*. 3. *docum*. 3 *num*. 3. asserit pro ea opinione præfati *Sancii* stare *graves Authores*, *quos refert Ioannes Sancius*. Similiter *Leander à Murcia lib*. 2 *disquisit*. *disp*. 1. *resolut* 8. *num*. 12. (qui opinionem Joannis Sancii coarctat ad duas vices fractæ promissionis à concubinario) citat pro eâ opinatione eosdem Authores, quos si examinasset, cognovisset falsitatem citationum. Eodem vitio laborat *Leander à SS Sacr. tract* 5. *de Pœnit*. *disp*. 7. *resol*. 35. Imò magis exorbitat in hac citatione authorum, ut clarè demonstravi eo *cap*. 9. *cit*. *num*. 115.

74. Sed (quod magis mirandum est) post damnationem propositionis 61. aliqui Authores admittunt, posse absolvi, bis, ter, vel quater concubinarium habentem occasionem proximam voluntariam, dummodo habeat propositum expellendi illam. Ita *Magister Hozes in prop*. 61. *n*. 12. & 13. affirmat posse absolvi concubinarium prima, & secunda vice, antequam expellat concubinam. Et *Mag. Lumbier tom*. 3. *summa Hispana num*. 2002. *folio* 1:47. ait tolerabilem esse opinionem asserentium, posse absolvi concubinarium bis, aut ter, antequam expellat concubinam, sive occasionem proximam voluntariam. Et *Martinus de Torrecilla Capucinus consult*. 15. *concl*. 7. *n*. 80. affirmat, non subjacere huic damnationi opinionem eorum, qui dicunt, posse absolvi concubinarium usque ad quatuor vices juxta aliquos, sive usque ad secundam vicem juxta alios, antequam expellat concubinam, quam voluntariè retinet.

75. Oppositam sententiam, quæ docet,

Propositum mediocriter intensum non est sufficiens ad justificationem, etiam intra Sacramentum. n. 91. & seq.

Neque prima vice, est absolvendus, qui non deserit occasionem voluntariam. n. 95.

76. PRænotandum est primò (quod certissimum est apud omnes) peccare mortaliter concubinarium, dum retinet occasionem proximam peccandi voluntariā. Nam ut optimè dixit P. Suarius supra citatus, in moralibus ejusdem malitiæ est constituere se voluntariè in morali periculo, & proximo committendi aliquod crimen, & committere illud.

77 Prænotandum est secundò, præceptum vitandi occasionem proximam voluntariam peccandi lethaliter esse præceptum negativum, quod explicatur per hunc terminum, *Ne retineas.* Patet. Nam eo ipso quod teneatur ad non retinendum talem occasionem, datur præceptum *non retinendi*, quod est præceptum negativum: sicut quia homo habet obligationem non furandi, datur præceptum non furandi, illud quidem negativum.

78. Sit conclusio. Ille, qui habet occasionem proximam voluntariam peccandi lethaliter, non potest absolvi, nisi prius eam expellat: *Dixi proximam*, quæ scilicet constituitur ex periculo formali peccandi: nam si permanente occasione, cesset periculum formale peccandi, jam occasio non est proxima, ut supra ostendi. Dixi *voluntariam*: nam si sit impossibilis moraliter expulsio illius, & pœnitens habeat verum propositum non peccandi, & adhibendi omnia media necessaria ad vitandum periculum formale peccandi, absolvi poterit. Quando autem adsit ea impossibilitas moralis, dicam inferius. Quæ autem sint media necessaria ad extenuandum periculum formale, dixi suprà *à n. 62.*

79. Pro qua conclusione hunc syllogismum objicio, quem proposui eâ *disp. 18. num 120.* [concubinarius, dum retinet domi concubinam, cùm possit expellere, est in statu peccati mortalis; dum absolvitur, retinet concubinam domi, cùm possit expellere: ergò dum absolvitur, est in statu peccati mortalis. Sed qui absolvitur manens in statu peccati mortalis, invalidè absolvitur: ergò is concubinarius invalidè absolvitur.]

80. Confirmatur primò. Præceptum negativum obligat semper & pro semper: sed præceptum non retinendi occasionem proximam voluntariam est præceptum negativum, ut constat ex prænotato: ergò præceptum non retinendi occasionem proximam voluntariam obligat semper, & pro semper. Ergò pro eo tempore, quo vadit ad Confessarium, aut facit confessionem, obligat id præceptum; & tamen in eo tempore non implet id præceptum: ergò non implet in eo tempore, pro quo instat præceptum. Est ergò actualiter violans præceptum in eo ipso tempore, quo absolvitur; atque adeò absolutio nulla est.

81. Confirmatur secundò. Ille, cui de præsenti instat obligatio exequendi aliquid, non implet obligationem per hoc; quod habeat propositum, exequendi illud de futuro. Ita tempore tentationis de admittenda hæresi, conveniunt Doctores in eo, quod tunc instat præceptum eliciendi actum Fidei. Numquid si pro tunc instat hoc præceptū, implebit illud per hoc, quod nolens tunc elicere, habeat propositum eliciendi de futuro? Minimè. Quia si per id

casionem non esse proximam; & quomodo propositum, quo communiter afficiuntur homines, qui, cum possint, non expellunt concubinam ante confessionem, non extenuet vim periculi, nec sit verum propositum, latè explicui in ea *disput.18.cit. capit.num.125. & seqq.*

88. Audiendus est *P.Dicastillo de Pœnit. disp.6.dub.19.num.336. Ego sanè vix crederem alicui, quantumvis affirmanti firmissimum propositum, & magnum dolorem, si simul cum possit, (sic enim ponitur hic casus) nolit à tanto periculo se liberare, nec dignus est, cui credatur. Est enim retentio concubinæ, in omnium sententia occasio satis periculosa, cui se exponere sine causa* (ego dixerim sine urgentissima necessitate) *satis indicat, non esse verum illud propositum. Et ita censent plerique docentes, eum, qui vult manere in periculo morali labendi, non censeri habere verum propositum.*

89. Tertium argumentum est. Nam in periculis jacturæ corporalis, imprudentissimus censetur, qui cum possit eripere se statim ab illis, id non præstat, nec censebitur prudens per hoc, quod habeat propositum eripiendi se de futuro ab eo periculo: Item non extenuabitur periculum jacturæ temporalis per hoc, quod habeat propositum eripiendi se de futuro: Sic ille, cui leo sævissimus appropinquat, imprudentissimus erit contra caput suum, si non statim fugiat, etiam si dicat, se habere propositum fugiendi de futuro: neque hoc propositum fugiendi de futuro extenuat vim periculi. Quod idem cernitur in periculo infamiæ: v.g. in hypothesi, in qua quis à satellitibus quæritur, ut publicè vapulet. Item in periculo amittendi per naufragium totam suam substantiam rei familiaris ad suam, & filiorum vitam sustentandam necessariæ. Nunquid prudens censebitur, qui non fugiat statim à satellitibus appropinquantibus, per hoc quod habeat propositum fugiendi de futuro? Nunquid naufragus extenuabit periculum per hoc, quod habeat propositum eripiendi de futuro substantiam rei suæ familiaris.

90. Consequentia autem urget à minori ad majus: est enim multo majus incomparabiliter periculum incidendi in peccatum mortale, quàm periculum incidendi in leonem, in satellites, aut in naufragium. Et sicut in his periculis jacturæ temporalis censetur imprudens, qui, cum possit, non se eripit statim ab illis, ita etiam censendus est imprudentissimus contra conscientiam, & salutem animæ, qui non se eripit statim, cum possit, à periculo peccandi lethaliter. Et sicut, qui patitur periculum jacturæ temporalis non extenuat vim periculi, per hoc, quod proponat, eripere se de futuro ab eo periculo, cum possit statim; ita qui patitur periculum peccandi lethaliter, non evacuat vim periculi, per hoc, quod proponat eripere se de futuro ab eo periculo; atque adeo voluntariè persistit in eo periculo, etiam dum confitetur; & dum persistit in periculo, est in statu peccati mortalis; atque adeò si tunc absolvitur, invalidè absolvitur.

91. Quartum argumentum est. Illud propositum mediocriter intensum, (quale habent communiter homines concubinarii) expellendi de futuro occasionem proximam, non est sufficiens ad justificationem adquirendam in Sacramento Pœnitentiæ: ergò quamvis habeant id propo-

situm, non sunt capaces absolutionis. Consequentia patet, & antecedens probatur. Nam propositum, quod requiritur, ut homo justificetur in Sacramento Pœnitentiæ, est propositum implendi omnem obligationem gravem, atque adeò non permanendi in periculo proximo peccandi lethaliter, cum potest illud vitare; sed illud propositum mediocriter intensum expellendi occasionem de futuro, non est propositum implendi omnem obligationem gravem, neque est propositum non permanendi in periculo proximo peccandi lethaliter: ergò illud non est propositum sufficiens ad consequendam justificationem.

92. Probatur minor ex dictis. Illud enim propositum mediocriter intensum non evacuat vim periculi, atque adeo ille homo permanet in periculo proximo infringendi id propositum; cum tamen habeat obligationem eripiendi se à periculo, cum reipsa potest: ergò illud non est propositum implendi obligationem, neque est propositum eripiendi se ab eo periculo. Et quidem homo, qui, dum confitetur, aufert nummos à confessario, quid prodest, quod habeat propositum non furandi de futuro? Quid ergo proderit, quod concubinarius, qui de præsenti potest ante confessionem expellere concubinam, habeat propositum expellendi de futuro, si actualiter in confessione peccat, non se subtrahendo statim ab eo periculo peccandi lethaliter, à quo potest statim se subtrahere?

93. Confirmatur. Nam dum ille concubinarius confitetur, instat gravis obligatio eripiendi se à periculo formali peccandi lethaliter; à quo potest se eripere uno è duobus modis: scilicet vel expellendo occasionem externam, quod est facilius, vel extenuando periculum formale per contritionem extraordinariam, & propositum constantissimum (tam magnum, ut judicio prudentis cesset periculum formale labendi.) Atqui neutro modo vitat periculum formale labendi in peccatum lethale, non expellendo statim occasionem externam, ut supponitur; non eliciendo actus extraordinarios, qui cessare faciant omnicò periculum, ut etiam supponitur: ergò actualiter dum confitetur, committit peccatum lethale, quamvis sit cum proposito non peccandi lethaliter de futuro.

94. Rogabis, an possit absolvi concubinarius, qui prima vice se accusavit de occasione proxima, ignorans, eam occasionem esse impedimentum ad absolutionem. Filguera in exposit. prop. 61. cùm dixisset, & rectè quidem, numquam posse absolvi pœnitentem, antequam expellat occasionem proximam voluntariam; excipit tamen casum istum, in quo asserit, posse eâ prima vice absolvi; quia tunc non verificatur, quod non vult omittere eam occasionem.

95. Dicendum tamen est, neque in hoc casu posse absolvi, donec expellat: id enim probant omnia argumenta facta. Primum. Quia licet ignoraret obligationem expellendi, at postquam de eâ admonetur à confessario, instat præceptum negativum, *Ne retineas*, quod obligat semper, & pro semper: unde qui antea erat in statu peccati lethalis materialiter propter retentionem, jam est in illo formaliter; atque adeo absolvitur invalidè. Secundò. Quia manet in periculo proximo infringendi pro-

di propositum. Tertium Quia nemo se eripit à periculo necis per hoc, quod proponat fugere de futuro, nisi statim fugiat. Quartò. Quia ad rectam dispositionem pœnitentis, non sufficit, quod habeat propositum eripiendi se à periculo in futurum sed propositum seu voluntatem non permanendi in periculo infringendi propositum.

ARTICULUS III.

Solvuntur objectiones contra doctrinam articuli præcedentis.

SVMMARIVM.

Non valet argumentum à consuetudinario ad habentem occasionem proximam voluntariam, n. 96.

Discrimen inter consuetudinarium, & habentem occasionem quoad obligationem, num. 97.

Consuetudinarius non est in periculo formali peccandi, dum facit, quantum potest pro vitando peccato n. 98. & 99.

Absolvi potest, qui non resistuit ex desidia, sed non qui ex vehementi avaritia, num. 100. & 101.

Intensa contritio nequit stare cum persistentia occasionis voluntariæ, n. 102. & 103.

96. IN præfata disp. 18. cap. 10. proposui argumenta, quæ objici possunt contra doctrinam proximè traditam; quorum solutiones hic per compendium tradere, operæ pretium duxi. Primò. Joannes Sancius vult sumere paritatem ex eo, quod potest absolvi sine dilatione, habens consuetudinem pejerandi, blasphemandi, & se pollnendi, si habet verum propositum non peccandi; ad hoc ut possit etiam absolvi sine dilatione, saltem ter, vel quater, qui habet domi concubinam, si habet verum propositum expellendi illam.

97. Sed ex dictis discrimen est meridianâ luce clarius. Nam qui ex mera fragilitate retinet consuetudinem peccandi, nullam aliam habet obligationem, quàm vincendi illam per actus supernaturales proprios, scilicet per contritionem, & propositum Qui autem habet occasionem extrinsecam inducentem ad peccatum, non solum habet obligationem eliciendi ejusmodi actus, sed etiam arcendi occasionem extrinsecam, & non retinendi illam; quam quamdiu arcere potest, & non arcet, peccat lethaliter, & ideò in ipsa confessione continuat id peccatum; ideoque invalidè absolvitur: à quo reatu solum potest excusare ignorantia invincibilis.

98. Objicitur secundò. Qui habet consuetudinem pejerandi, est in periculo formali peccandi lethaliter: ergò tenetur extenuare id periculum per propositum valde intensum. Sed peccatores habentes eam consuetudinem, frequentius habent propositum non valde intensum: ergò peccant lethaliter, dum absolvuntur; cum teneantur extenuare periculum formale per propositum valde intensum, & id non præstent.

99. Hoc argumentum probat, quod homo affectus habitu vitioso tenetur facere, quantum potest ad extenuandum illud periculum peccandi, quod nascitur ex eo habitu. Unde confessarius meliori modo, quo possit, debebit illum monere de periculo, in quo versatur, & de arte detestandi peccatum, & de firmitate propositi, exhortan-

hortando illum, ut faciat, quantum possit pro extirpanda consuetudine. Si ergo facit, quantum potest, rectè disponitur, & validè absolvitur. Non sic concubinarius, qui potest expellere concubinam, & non expellit; hic enim non facit, quantum potest, nec quantum debet, & ideo peccans in ipsa confessione invalidè absolvitur.

100. Objicitur tertiò. Qui debet restituere rem alienã, potest bis absolvi, quamvis realiter non restituerit, cum proposito tamen restituendi, ut docent *Medina lib. 2. sum cap. 11.* Et *Corduba quæst. 4. Corollar. 8.* & alii: ergò concubinarius, etiamsi bis defecerit promissioni expellendi, poterit absolvi. Consequentia ligat à paritate rationis. Confirmatur. Qui non restituit realiter ante confessionem, retinet rem alienam, dum absolvitur: ergò dum absolvitur, peccat: ergò invalidè absolvitur. Et tamen hoc non videtur concedendum: ergò ea ratio fallit.

101. Respondetur, distinguendum esse in eo, qui nondum restituit ex quadam desidia, & negligentia, & in eo, qui ex avaritia, & vehementi fame pecuniæ non restituit. Et in hoc secundo idem dicendum est, quod in concubinario; in hoc enim ipsa retentio rei alienæ est occasio proxima, & quamvis ostendat propositum restituendi, versatur in periculo formali infringendi propositum. Et in hoc convincit evidenter confirmatio argumenti proximè facta. In altero autem, qui ex quadam desidia, & negligentia nondum restituit, est manifesta ratio discriminis, & quidem duplex. Prima, quia in hoc non est periculum formale non restituendi; cum illa mora non oriatur ex aviditate pecuniæ. Secunda, quia licet urgeat id præceptum negativum, *Ne retineas*, cæterum id est cum dependentia à voluntate creditoris, aut veri domini: cum ergò non sit contra voluntatem domini, quod restitutio differatur una die, & usque ad diem crastinum, inde est, quod ille, qui ex desidia nondum restituit, potest proponere in confessione restitutionem pro die crastina; & quando sic absolvitur, non persistit in statu peccati mortalis; & sic validè absolvitur.

102. Objicitur quartò. Concubinarius domi suæ existens fieri potest, quod habeat contritionem perfectam propter Deum summè dilectum simul cum proposito expellendi concubinam; in quo casu justificabitur: ergò eodem modo poterit justificari in Sacramento, antequam expellat concubinam, quam expellere potest.

103. Solutionem hujus argumenti latè explicui in *cap. 10. cit. numer. 148. & seqq.* Breviter tamen dico, quod in eâ hypothesi vel concubinarius potest statim expellere, vel non potest? Si potest expellere statim, & advertit obligationem expellendi statim, & non expellit statim, non potest elicere verum actum contritionis propter Deum summè dilectum: quia non diligit, qui mandata ejus non custodit. Si autem non potest expellere statim, poterit tunc elicere verum actum contritionis charitate formatum cum firmo proposito expellendi, quamprimum possit, & sic justificabitur. Quod idem poterit fieri in confessione, si non potest expellere. Tenebitur tamen extenuare periculum formale procurando ingentem intensionem contritionis, & propositi, enixè postulando à Deo auxilium, ut inferius dicam.

ARTI-

ARTICULUS IV.

Quæ opinio ex relatis incurrat hanc damnationem?

SUMMARIUM.

Qui dixerint post decretum, posse concubinarium absolvi ante expulsionem concubinæ, quam voluntariè retinet. num. 104.
Eorum fundamentum. num. 105.
Retorquetur hoc fundamentum. num. 106.
Qui non tollit occasionem, quam potest, pro nulla vice habet firmum propositum. num. 107.
Hæ sententiæ subjacent damnationi. n. 108.
In periculo formali permanet, qui se voluntariè exponit periculo. num. 109.
Non vult implere obligationem, qui non implet, cum potest. num. 110. & 111.
Id explicatur exemplo. num. 112.
Eruitur sensus propositionis sexagesimæ primæ. num. 113. & seq.

104. QUæstio eo devolvitur, ut inquiramus, an opinio, quæ docet, posse concubinarium absolvi semel, bis, ter, vel quater, antequam expellat concubinam, cum potest illam statim expellere, subjaceat huic damnationi? Et idem est de quavis alia occasione proxima. Nam ex illis, qui scripserunt post hoc decretum, ut vidimus *art. 1. Hozes* admittit, posse absolvi usque ad secundam vicem; *Lumbier* usque ad tertiam; Torrecilla usque ad quartam, quin propterea contraveniatur decreto, aut damnationi.

105. Quorum assertioni videtur suffragari hoc argumentum. Nam propositio, quæ damnatur est, quæ asserit, *quod potest aliquando absolvi, qui in proxima occasione peccandi versatur, quam potest, & non vult omittere.* Sed de eo, qui absolvitur secundâ, tertiâ, aut quartâ vice ante expulsionem, non verificatur, quod non vult omittere occasionem, cum habeat firmum propositum omittedi illam: ergò ea assertio non coincidit cum propositione damnata.

106. Sed hoc argumentum idem probat de quinta, & sexta, & octava vice: nam eodem modo, quo habet concubinarius tertia, aut quarta vice propositum, imò eodem modo, quo habet illud prima, & secunda vice, potest illud habere, quinta, sexta, aut octava: ergò non loquitur damnatio de eo, qui octava vice absolvitur ante expulsionem, si tamen habet firmum propositum expellendi. Atqui absurdum est dicere, quod non incurrit damnationem propositio docens, quod octava vice absolvi potest ante expulsionem occasionis proximæ, quamvis dicatur habere propositum expellendi de futuro: ergò eâdem absurditate scatet assertio relata.

107. Nec satisfacies si dicas, post quartam vicem censeri propositum non esse firmum. Nam ut in proximè dicendis constabit, neque qui prima vice absolvitur, antequam expellat occasionem, quam potest statim expellere, habet verum propositum non peccandi lethaliter.

108. Assero ergo, subjacere huic damnationi eam assertionem, quæ docet posse absolvi concubinarium prima, secunda tertia, aut quarta vice, qui potest statim expellere, & non expellit ante absolutionem. Probatur primò. Ille non vult omittere occasionem proximam, qui vult permanere

in periculo formali infringendi propositum de omissione occasionis; sed qui ante absolutionem proponit omittere de futuro eam occasionem, vult permanere de præsenti in periculo formali infringendi id propositum de omissione occasionis; ut constat ex *art. 2.* ergò ille concubinarius, qui cum possit, non expellit ante absolutionem, non vult omittere occasionem proximam. Sed damnatur propositio, quæ docet, posse absolvi eum, qui, cum possit non vult omittere occasionem: ergò damnatur propositio, quæ docet, posse absolvi, prima, aut secunda vice, antequam omittat illam, quam potest omittere.

109. Probatur Major eo evidenti asserto *P. Suarii* sæpe repetito. *Nam in moralibus ejusdem malitiæ est constituere se voluntariè in morali periculo, & proximo committendi aliquod crimen, & committere illud*: ergò ejusdem malitiæ est velle permanere in periculo formali infringendi propositum de omittenda occasione, ac velle infringere illud; quod idem est, ac velle non omittere occasionem. Itaque ille homo non vult efficaciter omissionem ejus occasionis, quia vult permanere in periculo proximo infringendi propositum de omissione, dum non expellit statim, quam potest statim expellere.

110. Probatur secundò eadem assertio. Ille non vult omittere occasionem proximam, qualiter requiritur, ut absolvatur, qui caret proposito implendi totam suam obligationem gravem; sed concubinarius, qui potens expellere statim, proponit expellere de futuro, caret proposito implendi totam suam obligationem gravem: ergò ejusmodi concubinarius non vult omittere occasionem proximam, qualiter requiritur, ut absolvatur. Major, & consequentia patent.

111. Minor probatur. Concubinarius enim qui potest expellere statim, habet obligationem gravem expellendi statim; cum illud præceptum. *Ne retineas,* obliget semper, & pro semper; & solum proponit expellere de futuro: ergò non habet voluntatem, neque propositum implendi totam suam obligationem gravem. Patet ergò, propositionem docentem, quod is concubinarius potest absolvi, antequam omittat occasionem, subjacere huic damnationi.

112. Probatur tertiò. Nam ille homo, cui appropinquat leo sævissimus, est in occasione proxima necis: si ergò iste homo non fugiat statim, sed proponat fugere de futuro; nonne dicemus, illum non velle omittere occasionem illam, sive periculum necis; sed potius velle pro tunc permanere in illa occasione suæ necis? Eadem autem est ratio, quoad hoc, de eo, qui non fugit statim periculum proximum peccandi lethaliter, sed solum proponit fugere de futuro.

113. Ad extremum rogabis, quomodo intelligenda sit propositio damnata sexagesima prima quoad eas duas ultimas partes *Et non vult omittere.* Quinimo *directè, & ex proposito quærit, aut ei se ingerit*; an scilicet accipienda sit copulatim, an potius divisim? Posset enim quis existimare, in vim hujus damnationis posse absolvi concubinarium, qui non vult omittere occasionem, dummodo illam non quærat directè, & proposito, neque ei se ingerat: quasi ad damnationem requiratur utrumque simul.

114. Certum tamen est, eas duas partes propo-

propositionis accipi divisim, & seorsim, ita ut damnetur propositio, sive loquatur de eo, qui directè quærit, & se ingerit, sive loquatur de eo, qui non vult omittere occasionem, quam antea habebat. Et quidem valde parva distantia est inter unum & alterum, scilicet inter hoc, quod est, nolle omittere, & hoc, quod est, se ingerere; quia tam voluntariè persistit in occasione uno modo, quam altero.

115. Accipiendas autem eas partes divisim, constat: tum ex ipso sensu verborum; tum etiam ex illa dictione, *Quinimo*, quâ, ut observat *Barbosa tract. de dictionibus usu freq. dict. 321. cum 35.* Juris prudentibus, quos ibi allegat, significat idem, quod *Quin etiam*. Et *dict. 112.* loquens de *dict. etiam*, ait: *Implicativa est hac dictio, & exprimit casum magis dubitabilem, & implicat minus dubitabilem.* Ex quo fit, quod ea dictio, *Quinimo*, aut *quin etiam*, exprimit casum magis dubitabilem, id est majoris difficultatis, scilicet quod absolvatur, qui se ingerit occasioni; & implicat casum minoris difficultatis, scilicet quod absolvatur, qui vult retinere occasionem.

CAPUT VI.

Ad quid teneatur, qui non potest deserere occasionem proximam; & quodnam propositum requiratur ad hoc, quod possit absolvi?

SUMMARIUM.

Nulla occasio proxima est necessaria, nisi quoad circumstantiam extrinsecam. num. 116.

Concubinarius tenetur ad actus proprios, quibus avertat periculum formale peccandi. num. 117.

Quomodo firmandum sit propositum non peccandi. num. 118.

Quid sit opus ex parte confessarii. num. 119.

Concubinarius si hac non prastat, perstat in periculo formali peccandi. num. 120.

Tunc graviter obligatur ad orationem. num. 121. & seq.

Ut confessarius possit absolvere concubinarium, debet iste, prater propositum non peccandi, habere animum ponendi ea media num. 123.

Cum hoc animo absolvi potest. num. 124.

Aliquando erit utilius suspendere absolutionem. num. 125.

116. Relege quæ dixi de occasione proxima voluntaria, & necessaria. Ubi etiam comperies, nullam occasionem proximam esse necessariam, nisi solum quoad circumstantiam extrinsecam: nam quoad periculum peccandi est voluntaria saltem indirectè, quatenus liberum est homini habere summam detestationem peccati, & propositum constans non peccandi; petendo enixè à Deo speciale auxilium ad hanc internam dispositionem animi; quo pacto extenuatur periculum formale peccandi lethaliter. Quinam autem requiratur, ut verificari possit, quod concubinarius non potest expellere occasionem, dicam *cap. seq.* Et quia in præfata *disp. 18. cap. 11.* hanc materiam abunde explicui, placuit aliquas periodos huc inde transferre, paucis mutatis.

117. Dico primò. Concubinarius, qui non potest auferre occasionem extrinsecam, tenetur per actus suos proprios avertere

avertere periculum formale peccandi; quod si ita non conetur avertere, peccat mortaliter. Hæc conclusio constat *ex cap. 4. art. 2. dissert. 4.* Hanc conclusionem propugnat *P. Ægidius de Coninck disp. 8. de Pœnit. n. 134.* ubi de puella existente in domo patris sui, quæ non potest deserere domum suam, sic ait: *Tali igitur primò injungenda omnia media, quæ possunt eam ab eo peccato avertere; & firmiter percipiendum, ut caveat, inquam, tali juveni sine necessitate loqui, præsertim in loco solitario: & ut quoties cum eo peccaverit, certam aliquam pœnitentiam subeat. Deinde ut & ante absolutionem, & postea etiam sæpius per diem coram Crucifixo proponat omninò tale peccatum vitare. Item ut frequentius, & eidem Sacerdoti confiteatur, etsi promittat omnia hæc se facturam, poterit semel, aut etiam secundo si reincidat, absolvi.*

118. Itaque tenetur ad ponenda omnia media opportuna (saltem de consilio confessarii) ad extenuandum periculum. Tenebitur ergo ad confirmandum propositum non peccandi sæpius in die. Proderit, si fiat propositum coram Crucifixo, ut ait *P. Ægydius*; quia id magis hominem confirmat. Item ad postulandum enixè à Deo sæpius in die auxililium speciale, cum fiducia impetrandi, & ex intenso desiderio non peccandi; id enim est medium valde efficax ad extinctionem periculi; & aliqua jejunia, aut mortificationis opera assumere de consilio confessarii.

119. Ex parte etiam confessarii poterit extenuari periculum peccandi, si confessarius difficilem se ostendat ad impendendam absolutionem; significans, quàm indignus absolutione sit pœnitens. Experientia enim docuit, hoc medio pœnitentem deterreri à prosecutione occasionum peccandi. Deinde si confessarius instruat pœnitentem, in quanto periculo mortis æternæ versantur, qui in simili occasione peccandi vitam transigunt; cum subita mors eos fortè maneat.

120. Et quidem, quod teneatur in eo eventu ad avertendum per actus proprios periculum formale, patet ex prædicta assertione quarta. Quia qui non avertit periculum formale, cum possit, ipse voluntariè se exponit, saltem indirectè, tali periculo: Atqui mortaliter peccat, qui voluntariè se exponit periculo formali, ut patet ex dictis. Quod vero teneatur ad media exhibenda, etiam patet. Nam qui tenetur ad consecutionem finis, tenetur ad electionem mediorum; cum impossibilis sit consecutio finis sine electione mediorum. Atqui ea, quæ retulimus, sunt media, quæ Deus nobis reliquit opportunissima ad aversionem periculi, & non multum difficilia ei, qui ex animo desiderat fugam periculi: ergò ad illa tenetur.

121. Nec novum videri debet, quod dicamus, cum hominem in tali casu esse graviter obligatum ad orationem, nempe ad postulandum enixè divinum auxilium. Est enim communis sententia Theologorum, teneri hominem sub mortali ad ejusmodi orationem, cum ingruit tentatio gravis, scilicet propter periculum peccandi, quod sibi ab ea tentatione imminet. Audi. *P. Suarez tom. 2. de Relig. tract. 4. l. b. 1. cap. 3. num. 17.* *Quod si Deus permiserit hominem actu vexari gravissima tentatione, & ea ratione in periculo animæ suæ versari, non est dubium, quin tunc teneatur homo peculiari obligatione ad orationem recurrere, ut omnes Authores docent: quia tunc*

tunc maximè obligat charitas propria, atque etiam Dei. Et confidere tunc de sua libertate, esset magna superbia, & præsumptio: confidere autem de solo auxilio ordinario sufficiente, esset stulta negligentia. Et n. 18. addo insuper in hujusmodi occasionibus, pro quibus hæc oritur obligatio, illam omittere, grave esse peccatum, non solùm contra virtutem, quam vexat tentatio, v. g. contra castitatem, sed etiam contra charitatem.

122. Scio, totam materiam hujus primæ conclusionis in praxi esse difficilem, propter maximam fragilitatem peccantium, eorumque summam rerum æternarum incuriam. Conetur tamen Confessarius, ut ipsi peccatores intelligant hanc eorum obligationem adhibendi media opportuna, & quod proponant ea executioni mandare: quia saltem consequentur quod majorem peccandi formidinem concipiant; & quod aliquam partem ejus obligationis impleant; & quod implendo ex parte uberiorem à Deo gratiam consequantur.

123. Dico secundò. Quando Confessarius, incidit in concubinarium impotem expellendi occasionem, non debet absolvere illum, donec cognoscat, eum peccatorem habere propositum, non solùm non cognoscendi carnaliter concubinã, sed etiam adhibendi suprà dicta media ad extenuandum, & avertendum periculum peccandi. Hæc secunda conclusio patet ex prima. Pœnitens enim non potest absolvi, nisi habeat propositum implendi omnem obligationem gravem, quæ illum obstringit; sed, ut constat ex conclusione prima, ille pœnitens habet obligationem ponendi media per actus suos proprios, quibus extenuetur periculum peccandi: ergò non potest absolvi, nisi habeat propositum ponendi prædicta media.

124. Cum hoc autem proposito posse absolvi ejusmodi concubinarium, qui non potest expellere concubinam, patet: quia sic facit, quidquid facere debet; & aliunde non peccat actualiter. Si enim actualiter in confessione peccaret, vel esset, quia non expellit concubinam; & hoc esse non potest, quia ipsa hypothesis ponit impossibilitatem in expulsione; vel quia non aufert per actus proprios periculum formale peccandi; & neque hoc modo peccat, quia proponit elicere eos actus, per quos extenuatur ejusmodi periculum.

125. Sed quamvis sic possit absolvi, aliquando oportebit differre absolutionem, ut magis deterreatur peccator à delicto suo, & apponat illa media supra memorata ad extenuandum periculum peccandi eo modo, quo dixi in Dissertatione præced. agens de eo, qui habet consuetudinem peccandi.

CAPUT VII.

Quæ causa sit sufficiens, ut possit quis non deserere occasionem proximam peccandi lethaliter? Ubi exponitur 62. propositio.

ARTICULUS I.

Authorum placita referuntur.

SUMMARIUM.

Status difficultatis proponitur. n. 126.

Fuit qui diceret, quamlibet utilitatem esse causam sufficientem non deserendi occasionem proximam. n. 127.

Urgens causa requiritur ad non deserendam occasionem. n. 128.

Quid docuerit Sancius nu. 129.

Male audivit hac doctrina apud Theologos. n. 130.

Doctrina Leandri circa causam urgentem, num. 131.

126. CUm propositio 62. ex damnatis dicat, quod *Proxima occasio peccandi non est fugienda, quando causa aliqua utilis, aut honesta non fugiendi occurrit.* Inquirimus, an detur aliqua causa, & qualis sit, propter quam licitum sit non fugere occasionem peccandi? Et non procedit quæstio in ea hypothesi, in qua homo speciali Dei auxilio adjutus extinguit periculum formale labendi, eliciens vehementem detestationem peccati, & constantissimum propositum; ita ut non magis timeatur lapsus in hac occasione, quàm in reliquis remotis. tunc enim ut diximus, occasio quæ erat proxima, jam non est proxima; quia cessat periculum formale, quod est constitutivum essentiale occasionis proximæ.

127. Author opinionis damnatæ, quicumque ille sit (neque enim multum fido citationibus Recentiorum) quamcumque causam utilem, aut honestam dicit esse sufficientem, ut quis non deserat occasionem proximam peccandi. Ex quo fit, quod si concubina sit utilis ad gubernationem domus concubinarii, ex hac sola utilitate possit illam retinere. Quare jure meritò damnata est ea opinio; & quam evidenter sit falsa constabit ex dicendis.

128. Theologi communiter docent, solam causam urgentem, & quæ afferat gravissima incommoda esse sufficientem, ut quis non deserat occasionem proximam. Alii magis in speciali dicunt, ad id sufficere grave detrimentum sive spirituale, sive temporale, Alii, (quod in idem recidit) esse ad id causam sufficientem, si ex separatione sequatur scandalum, infamia, aut grave detrimentum temporale. Id quidem ita dicitur in generali. Inde autem in speciali conclusiones eliciunt alii laxiores, alii strictiores, quas oportet examinare.

129. *Ioannes Sancius disp.* 10. *num.* 8. ad id requirit causam necessariam, sive urgentem, & postea *num.* 20. asserit, [Negandam non esse absolutionem ei, qui suæ concubinæ, quam domi habet, mutuo dedit centum aureos, quorum recuperandorum spes nulla superit, si domo illam ejiciat ::: Dictum est enim supra, quod nullus teneatur occasionem proximam vitare cum magno suo detrimento. Nec tunc dicetur velle occasionem, sed permittere; cùm non abigere occasionem, non oriatur, quia velit pœnitens in illa permanere; sed quia velit non incurrere damnum, quod abjecta occasione obvenerit.] Et *num* 20. (in impressione Lugdunensi) ait:]Non tenebitur domo ejicere concubinam, si concubinario sit nimis utilis ad lucrandum bona temporalia, mediâ negotiatione.] Tertiò ibidem ita habet: [Si concubina nimis utilis esset ad oblectamentum concubinarii (vulgo regalo) dum deficiente illo nimis ægrè ageret vitam]

130. Hæ tres conclusiones *Sancii* pessimè audiunt apud Theologos. Et *P. Arriaga tom* 8. *disp.* 38. *num.* 35. non solùm appellat eas improbabiles, sed acerrimè in eas invehitur verbis, quæ retuli *disp* 18 *n.* 175. Et *Diana part.* 5. *tract.* 14. *resol.* 108. dubitat de earum probabilitate, quod juxta supradicta præcipuè *dissert.* 4. idem est, ac dicere, in praxi non esse probabiles, Et con-

clusionem tertiam vocant *scandalosam*, *improbabilem*, & *indignam viro Catholico*, *Tho. Hurtado*, & *Martinez de Prado* à me relati *ibidem num.* 174. & (quod majus est) *Alexander VII.* eam conclusionem damnavit tanquam scandalosam, ut ibidem notavi *num.* 199.

131. *Leander à SS. Sacram. tract.* 5. *de Pœnit. disp.* 7. *quæst* 39 admittit illam primam conclusionem *Sancii* de absolvendo concubinario non expellente concubinam propter centum aureos aliàs non recuperandos. Pro qua conclusione citat *Bonacinam*, & *Cardinalem Lugo*, sed quam immeritò citentur hi duo, manifestè ostendi ibidem *num.* 178.

ARTICVLVS II.

Statuitur vera conclusio, explicaturque, & roboratur.

SVMMARIVM.

Sola impossibilitas physica, vel moralis est causa urgens ad non deserendum occasionem proximam. num. 132.

Tenetur quis deserere occasionem, dum potest. n. 133.

Id constat ex damnatione propositionis sexagesimæ secundæ, n. 134.

Tenetur quis sub gravi ponere media ad extenuandum periculum formale. n. 135.

Vtilitas centum aureorum, v.g. non est sufficiens causa. n. 136.

Ostenditur exemplis. n. 137.

Permittere periculū imprudentia est. n. 138.

Sub obligatione fugiendi non est licita voluntas permissiva n. 139.

Quando hæc utilitas pertingeret ad impossibilitatem moralem. n. 140.

Objectio difficilis proponitur, & enodatur. n. 141. & *seq.*

132. Sit prima conclusio. Ut quis non teneatur deserere occasionem proximam peccandi lethaliter, nulla alia causa est sufficiens, nisi sola impossibilitas physica, vel moralis deserendi talem occasionem: at verò nulla omninò causa est sufficiens, ut quis non teneatur avertere periculum proximum peccandi lethaliter.

133. Prima pars conclusionis constat. Nam, ut constat ex superioribus, quoties potest quis deserere occasionem proximam peccandi, tenetur illam deserere: ergò solùm excusatur ab ea obligatione, quandò non potest eam deserere: ergò sola impossibilitas excusat. Nam hæ duæ consequentiæ synonimæ sunt, & evidenter inferuntur ex antecedente.

134. Confirmatur. Nam ex communi Theologorum sententia, ut quis excusetur à deserenda occasione proxima, requiritur causa omninò necessaria; idque manifestè constat ex damnatione propositionis *62.* in qua deciditur, non sufficere ad id causam honestam, aut utilem; ubi autem non sufficit utilitas, requiritur necessitas. Sed necessitas, & impossibilitas sunt correlativæ, ita ut si hoc est necessarium fieri, impossibile sit, id non fieri: ergò si ut quis non deserat occasionem proximam, requiritur necessitas retinendi illam, eodem modo requiritur impossibilitas non retinendi illam.

135. Secunda verò pars conclusionis etiam constat ex dictis cap. præcedenti. Nam in potestate hominis semper est adhibere media, per quæ extenuatur periculum

proximum peccandi lethaliter, nempe summam detestationem peccati, propositum constans, implorationem Divi auxilii, &c. ergò nulla est causa sufficiens excusans hominem ab eo quod conetur extenuare periculum proximum peccandi lethaliter; nisi fortè ignorantia invincibilis.

136. *Ioannes Sancius, & Leander à SS. Sacram.* admittunt, requiri causam necessariam, ut excusetur quis ab obligatione expellendi occasionem proximam, & tamen volunt, esse causam necessariam ad retinendum illam quod concubina debeat centum aureos, non recuperandos, si expellatur. Quam necessitatem applicat etiam Joannes Sancius ad alios duos casus de concubina utili ad negotiationem; & de utili ad condimentum ciborum. Exorbitant ergò hi Authores, dum doctrinam generalem applicant ad hos casus singulares, & quamcumque difficultatem autumant esse impossibilitatem moralem, & in culice considerant elephantem.

137. Contra eos Authores tribus argumentis pugnavi in ea *disp.18. cit. cap.12.* quæ hic oportet reproducere. (Et quidem suppono, apud istos Authores concubinarium, & fæminam manere in eodem periculo formali, ac antea erant. Inquiro nunc ab illis primò, utrū liceat occurrere Leoni sævienti propter centum aureos promissos; vel an cum periculo amittendi centum aureos tenearis fugere periculum proximum mortis à Leone impendens? Respondebis, fugiendum periculum proximum mortis, etiamsi amittantur centies centum. Et inquiro secundò, an sit major obligatio fugiendi periculum proximum mortis, quàm periculum mortalis peccati? Ego enim majorem obligationem invenio fugiendi periculum proximum labendi in peccatum mortale, quàm periculum proximùm labendi in mortem, quanto pejus & infœlicius est incidere in mortem spiritualem peccati, quàm in mortem corporalem, ut Fides Catholica nos docet.]

138. Impugno secundò hos Authores. In eo casu posito, in quo concubinarius non deserit periculum peccandi, ne amittat centum aureos concubinarios [non dicitur velle occasionem, sed permittere; cùm non abigere occasionem non oriatur, quia velit Pœnitens in illa permanere, sed quia velit non incurrere damnum, quod abjecta occasione, obveniret] Quæ sunt verba *Ioan. Sancii citati supra num.129* ergò similiter qui propter centum aureos promissos non fugeret Leonem sævientem, & proximum mortis periculum, non diceretur velle periculum mortis, sed permittere; quia si non fugit sævitiam Leonis, non est quia velit sibi periculum mortis imminens à Leone; sed quia non vult incurrere damnum per amissionē centum aureorum. Tum, sic. Quod voluntas sit solùm permissiva periculi proximi mortis, non excusat hominem ab imprudentia, & à peccato letahli: ergò quod voluntas sit solùm permissiva periculi peccandi, non excusat hominem à peccato lethali.

139. Impugno tertiò. Quandò teneris fugere, non licet voluntas permissiva; sed periculum formale proximum peccandi semper teneris fugere, ut sæpius diximus: ergò nunquam licet voluntas permissiva alis periculi. Itaque aliud est permittere occasionem, amputando periculum;

&

& aliud est est permittere occasionem, & periculum, prius quidem licet, non secundum, ut satis constat ex dictis.

140. Et quidem si illi centum aurei non recuperati reducerent hominem ad extremam, aut quasi extremam necessitatem ex permanentia apud concubinam; tunc diceretur moraliter impossibilis remotio occasionis. Nihilominus tunc, licèt non teneretur expellere occasionem, teneretur tamen exterminare, aut saltem extenuare periculum proximum peccandi, nempe adhibendo media supra memorata.

141. Sed objicies. Etiamsi illi centum aurei non recuperati reducerent hominem ad extremam necessitatem, non liceret exponere se periculo proximo incidendi in sævitiam Leonis: ergò vel exemplum Leonis nihil probat; vel dicendum est deferendam esse occasionem proximam peccandi lethaliter, etiamsi homo reducendus sit ad extremam necessitatem.

142. Respondeo, sicut exemplum Leonis probat, neque propter extremam necessitatem vitandam posse te exponere periculo proximo incidendi in sævitiam Leonis: eodem modo, neque propter extremam necessitatem vitandam posse te exponere periculo proximo incidendi in peccatum mortale; bene tamen occasioni externæ, quando est moraliter impossibile vitare ejusmodi occasionem externam. Itaque si possibile est vitare occasionem externam proximam peccandi, teneris illam vitare; si autem impossibile moraliter est vitare occasionem externam, teneris vitare periculum proximum peccandi lethaliter adhibendo ad id media supra memorata. Quare exemplum Leonis probat, propter nullam necessitatem, quamvis gravem, aut extremam, posse exponere te occasioni proximæ peccandi, supposito quod maneat occasio simul cum periculo peccandi; quod tamen removere potest per actus proprios. Unde si in tali casu vitandæ extremæ necessitatis persisteret concubinarius in periculo proximo peccandi, peccaret quidem, non quia non fugit occasionem externam, cùm ea fuga sit moraliter impossibilis; sed quia non exterminavit periculum formale peccandi, adhibendo media supradicta.

143. Explicatur amplius. Demus superesse duo media ad vitandum periculum mortis impendentis à Leone occurrente: primum, fuga velox; secundum, ostendere Leoni gallum gallinaceum, quo dicitur Leo terreri (fabula sit, an experientia, nihil obest discursui.) In hoc casu non teneris fugere, si gallum ostendis. Similiter concubinario supersunt duo media, alterum fuga occasionis externæ, alterum extenuatio periculi per actus proprios supra memoratos. Quare si fuga occasionis est moraliter impossibilis, tenetur per actus proprios extenuare periculum formale, quo extenuato, occasio non remanebit in esse proximæ.

144. Video multas instantias fieri posse contra hunc discursum, quas quidem proposui in ea *disput. 18. à num.* 187. ac illis abunde satisfeci. Et à repetendis ipsis abstineo, quia ex præjactis principiis non difficile dissolvi possunt. Qui velit eas legere, adeat locum nuper citatum.

* * * *
* * * *
* *

ARTICVLVS III.

An vincenda sit ipsa impossibilitas moralis, quando datur talis complicatio occasionis proximæ, & periculi proximi, ut neutrum vitari possit?

SVMMARIVM.

Hic casus frequenter accidere potest. n. 145.
Tunc vincenda est illa impossibilitas moralis, & deserenda proxima occasio peccandi. n. 146.
Fundamentum pro hac resolutione. n. 147.
Discrimen pro concubinario retinente domi fœminam ex necessitate n. 148.
Quid agere debeat Confessarius cum fœmina habenti talem occasionem? n. 149.
Tunc habet urgens motivum Confessarius ad credendum defectum propositi, & negandam absolutionem, n. 150.

145. VTinam rarò eveniret hæc hypotesis, quam tamen malitia peccatorũ frequentem effecit. Quærit peccator in fomentum suæ luxuriæ puellam suis deliciis idoneam. Incidit in quandam parentibus orbatam, præ fame ferè pereuntem, & omni humanâ spe destitutam. Hæc post diuturnum tempus concubinatus, conscientiæ morsibus lacerata vadit ad Confessarium. Iste agnoscit necessitatem moralem persistendi in ea domo; aliàs fame peribit: & dum hortari conatur, ut persistens in domo resistat luxuriæ sui complicis, & adhibeat media salutaria, propositi, orationis, &c. Respondet illi, id sibi esse impossibile; quia si resistat libinidi complicis, illam certissimè è domo expellet; quo facto præ fame peribit. Habet itaque impossibilitatem moralem deserendi occasionem proximam; & habet impossibilitatem moralem extenuandi periculum proximum per propositum efficax non peccandi. Poteſtque exclamare cum Susanna, *Angustiæ sunt mihi undique.* [Si enim domo egrediar, ut ab occasione proxima eripiar, fame peribo; si autem domi persistens voluero extenuare periculum peccandi per propositum constans resistendi voluptati illius, etiam fame peribo; statim enim à domo excludar]

146. Respondeo, in hoc casu teneri fœminam ad assumendum illud unicum medium egrediendi è domo, etiamsi præ fame peritura sit. Atque adeò quæstioni in titulo hujus articuli præfixæ respondendum est, cùm datur ejusmodi complicatio impossibilitatis eripiendi se ab occasione proxima, & ab ipso periculo peccandi proximo, vincendam esse eam impossibilitatem moralem, deserendamque occasionem proximam, etiam cum periculo vitæ, aut egrediendo, aut patiendo se expelli.

147. Et ratio est evidens. Homo enim tenetur ad vitandum peccatum mortale, etiam cum periculo vitæ; sed fœmina in eâ hypothesi peccat mortaliter, dum persistit in proposito luxuriandi; neque potest desistere ab eo proposito, nisi vel egrediens è domo, vel patiens se expelli; in quo casu incurrit periculum pereundi præ fame: ergò tenetur ab eo proposito desistere egrediens è domo, vel patiens se expelli, etiamsi fame peritura sit.

148. Diversa itaque ratio in concubinario, qui urgentissima necessitate coactus retinet fœminam: iste enim potest per propositum efficax, & implorationem Divini auxilii

auxilii extenuare periculum peccandi. Hæc autem fæmina non potest illud extenuare per propositum, & alia media, nisi expellenda sit à domo, ut supponit hypothesis.

149. Inquires quomoho se geret Confessarius circa absolutionem hujus fæminæ? an scilicet non liceat absolvere, donec ipsa spontè egrediatur domo; an potius videns Confessarius in ea propositum constans resistendi, & patiendi, quod expellatur à domo, possit eam absolvere ante egressum?

150. Respondeo, in hoc casu habere Confessarium urgentissimum motivum ad credendum, ei fæminæ non inesse propositum efficax resistendi suo complici, si nollet spontè domo egredi. Nam cùm illa videat, se ex sua resistentia certissimè expellendam, & ipsa nolit sponte sua egredi; signum evidens est, quod vult persistere, non solùm in domo, sed etiam in concubinatu. Quare nullo modo est absolvenda, nisi prius domo egrediatur. Conabiturque Confessarius illi suadere, ut in Deo confidat, qui quærentibus regnum Dei, & justitiam ejus, promittit se non defuturum; quin potius illis hæc omnia temporalia adjicienda.

ARTICULUS IV.

Quæ opiniones ex relatis incurrant hanc damnationem?

SUMMARIUM.

Subit damnationem omnis opinio, quæ pro retinenda occasione admittit causam non necessariam, n. 151.

Et quia non requirit impossibilitatem, saltem moralem, pro fugienda occasione, n. 152.

Manet damnata opinio docens, non esse expellendam concubinam propter recuperandam pecuniam, n. 153.

Et quæ docet, retinendam propter lucrum; aut propter ciborum condimentum n. 154.

Item quæ docet, non fugiendam occasionem propter jacturam divitiarum. n. 155.

151. Sit prima conclusio generalis. Omnis opinio, quæ admittit causam non omninò necessariam ad hoc, ut quis non teneatur fugere occasionem proximam peccandi mortaliter, incurrit hanc damnationem. Probatur. Causa, quæ non est omninò necessaria, est solùm utilis, aut honesta (non enim loquimur de causa turpi, aut inhonesta, aut indifferenti) sed damnatur opinio docens, ad id sufficere causam utilem, aut honestam: ergò damnatur opinio docens ad id sufficere causam non necessariam.

152. Et eodem modo dicendum est, quod incurrit damnationem opinio docens, non requiri impossibilitatem moralem fugiendi occasionem proximam. Nam necessitas, & impossibilitas sunt necessario correlativa; idem quippe omninò est, quod sit impossibile fugere occasionem proximam, & quod sit necessarium non fugere. Quare si non sit impossibile fugere occasionem, solùm erit utile non fugere.

153. Sit secunda conclusio. Opinio Joannis Sancii relata, (quod non tenetur quis expellere concubinam propter recuperandos centum aureos) subjacet huic damnationi Probatur, supponendo; non loqui Authorem in casu urgentis necessitatis, quam patiatur concubinarius; sed solum,

lùm, quia centum aurei sunt multæ æstimationis. Cùm ergò recuperatio centum aureorum non sit causa necessaria respectu concubinarii, evidenter infertur, esse dumtaxat causam utilem. Sed opinio, quæ ad hoc admittit solùm causam utilem damnatur: ergò sub damnatione includitur ea opinio, quæ id admittit propter solam recuperationem centum aureorum.

154. Subjacet similiter damnationi illa secunda opinio ejusdem, quod scilicet (non tenetur concubinarius expellere concubinam, quæ nimis utilis est ad lucrandum in negotiatione, & venditione mercium) evidens enim est, quod hæc opinio respicit solùm causam utilitatis; quam tamen in præsenti damnat Pontifex. Item, illa tertia opinio, quod (non tenetur concubinarius expellere concubinam propter ciborum condimentum) quamvis in suis terminis formalibus damnata fuerit ut scandalosa ab Alexandro VII. estque quadragesima prima ex damnatis; adhuc tamen comprehenditur sub hac damnatione Innocentii XI. Quia hæc opinio non respicit causam necessariam, sed dumtaxat utilem appetitui.

155 Sit tertia conclusio, subit etiam hanc damnationem opinio, quam non pauci docent, nempe (licitum esse non fugere occasionem proximam cum jactura divitiarum, seu bonorum fortunæ.) Non enim limitat ad urgentem necessitatem moralem concubinarii, neque ad impossibilitatem moralem. Quare ista causa, quam afferunt, ut concubinarius non teneatur expellere occasionem proximam, manet intra terminos solius utilitatis; atque adeò in terminis comprehensis sub damnatione.

CAPUT VIII.

An liceat quærere directè occasionem proximam peccandi lethaliter pro bono spirituali, vel temporali nostro, vel proximi?

SUMMARIUM.

- *Quid senserit Sancius circa propositionem damnatam? n. 156.*
- *An eam docuerint alii Doctores. n. 157.*
- *Rejicitur primo propositio damata. n. 158.*
- *Secunda illius impugnatio. n. 159.*
- *Nequit quis velle vel leve peccatum, etiam pro ingenti bono inde eventuro. n. 160.*
- *An velit quis bonum resultans, & solùm patiatur occasionem peccati. n. 161.*
- *Dum quis quærit occasionem, etiam illam vult. n. 162.*
- *Commercium cum infidelibus an possit haberi cum periculo perversionis. n. 163.*
- *Non potest quis ingredi ad infideles, si adsit probabiliter hoc periculum. n. 164.*
- *Aliqua limitationes non probantur. num. 165.*

156. QUæstio procedit in ipsis terminis propositionis damnatæ, quæ hæc est sexagesima tertia, *Licitum est quærere directè occasionem proximam peccandi pro bono spirituali, vel temporali nostro, vel proximi.* Et in eâ partem affirmantem tuetur *Ioannes Sancius disp. 10. num. 8.* Nam quamvis dicat, licitum esse exponere se involuntariè periculo proximo peccandi, videlicet involuntariè propter urgentem necessitatem; postea tamen admittit plures casus, in quibus homo quærit directè occasionem proximam; nihilominus id non docet

non docet sub eisdem terminis formalibus, sub quibus loquitur propositio damnata. Existimo tamen, id tradere sub terminis æquivalentibus. Nam præter casus particulares hujus generis, quos admittit, ibidem ait: (Unde *P. Lorca* 2.2.*sect.*3. assentiendum non est indistinctè inquienti, non licere exponere se periculo peccandi certo, nec probabili ob bonum spirituale proximi.)

157. Eamdem partem affirmativam tuetur *Soto de just. lib.* 5. *quæst.* 1. ubi docet: *Quod licèt non possit quis pro salute proximi peccare, potest tamen se exponere periculo peccandi.* Idem asserit *Basilius Pontius in Apend. cap.* 6. ut testatur *Diana part* 3. *tit.* 4. *resol.* 169. *& tit.* 5 *resol.* 3. A nonnullis aliis etiam tribuitur quibusdam Theologis Societatis, præsertim Francisco Jacops, qui se ab hac calumnia purgavit in *quæst. Theol.* de neganda, aut differenda absolutione. Cujus doctrina ut longè diversa à damnatione probatur à quàm plurimis Doctoribus, novemque Universitatibus. De aliis, qui velit, adeat Guillelmum Sandæum in Confut. trium viror. Cujuscumque tamen illa sit (hoc enim non spectat ad damnationem) ex principiis supra jactis ostendo præfatæ propositionis falsitatem, & meritam confixionem.

158. Primò Quia quærere directè occasionem proximam peccandi est velle directè periculum proximum peccandi; sed nequit quis velle directè periculum proximum peccandi; alioqui peribit in illo illud amans: ergò nequit quis directè quærere occasionem proximam peccandi. Omnia constant præter majorem. Hæc probatur; nam qui directè quærit occasionem, ita quærit, ut si velit, posset ab ea recedere; si enim nequit, non quæret, sed erit illi necessaria: ergò qui directè quærit occasionem proximam peccandi, directè vult periculum proximum. Atqui moraliter loquendo perinde est velle periculum proximum peccandi ac velle peccatum, *Quia in moralibus idem est committere, ac exponere se periculo committendi*, ut supra ostensum est ex P. Suarez: ergò nequit quis velle occasionem proximam peccandi, quin velit etiam ipsum peccatum.

159. Secundò. Nam bonum spirituale animæ propriæ præferendum est cuicumque bono temporali proprio, & cuicumque bono sive temporali alterius, ita exigente tum ordine recto rerum, tum recto ordine charitatis: ergò non est quærenda illa occasio, in qua sit periculum boni spiritualis proprii, sive propter bonum temporale, vel spirituale alterius. Antecedens constat ex illo Matth 5. *Si oculus tuus scandalizat te, erue eum.* Et ex illo ejusdem. 16. *Quid prodest homini, si universum mundum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur.* Probatur consequentia: quia si posset quæri directè occasio proxima propter alterutrum ex his bonis, præponeretur bonũ temporale bonò spirituali propriò contra rectum ordinem rerum; aut bonum extraneum bono proprio contra ordinem rectum charitatis: ergò talis occasio nequit directè quæri, etiam propter talia motiva.

160. Tertiò Quia nequit quis habere voluntatem committendi vel leve peccatum, etiam propter bonum valde ingens spirituale, vel temporale totius mundi, ut inconfesso est apud omnes: ergò nequit quærere directè occasionem proximam

peccandi pro bono spirituali, temporali proprio, vel proximi. Probatur consequentia: nam occasio illa proxima, dum manet in esse proximæ, affert secum formale periculum peccandi; sed velle periculum formale peccandi, peccatum est, ut omnes fatentur: ergò qui vult ejusmodi occasionem, vult peccatum. Tum sic. Nequit quis velle peccatum, etiam pro ingenti bono spirituali, aut temporali sui, vel alterius: ergò nequit quærere directè ejusmodi occasionem pro tali bono sui, vel alterius.

161. Dices. Qui quærit directè occasionem proximam peccandi propter ingens bonum sui, vel alterius, non vult directè tale periculum, sed intendit directè tale bonum; quia tamen ad illud assequendum medium est ejusmodi occasio, illam quærit, sed non vult: sicut qui interficit impetentem se, non vult homicidium alterius; sed quia nequit propriam vitam protegere absque morte alterius, illam perpetrat intendens bonum servandæ vitæ propriæ. Pariformiter qui quærit occasionem proximam peccandi propter tale bonum, id intendit, & vult, utiturque occasione ad illud consequendum, quin velit ocasionem hujusmodi. Ergò potest illam directè quærere propter ejusmodi bonum; cùm nolit occasionem, sed bonum ex ea consequendum.

162. Sed contra est. Quia nequit non velle ipsam occasionem proximam peccandi ille, cui occasio talis est, ut possit eam vitare; sic enim occasio est in illius potestate, consequenterque ipsi voluntaria. Sed qui eam directè quærit, ita ingreditur occasionem, ut possit eam vitare non quærens, si nimirum eam non aggrediatur: ergò talis occasio est ipsi voluntaria; atque adeò rectè prohibitum, quod eam quæsierit. Neque exemplum de occidente aggressorem aliquid evincit: nam cùm homini sit obligatorium servare propriam vitam, & illam non servare sit illi moraliter impossibile, quia servare est moraliter necessarium; rogo, vel ei superest aliud medium ad tuendam vitam præter occisionem aggressoris, vel non: si superest, nequit occidere, sed eligere illud aliud medium; si non superest, tenetur exequi, cùm sit unicum ad tuendam vitam, cujus conservatio ipsi moraliter necessaria est ad modum quo supra dicebamus de fugiendo Leone, dum non datur aliud medium ad tuendam vitam.

163. Dices iterum. Potest quis adire infideles, & Paganos ad satagendum de eorum conversione, etiamsi subsit periculum perversionis, ut docet *Divus Thomas 2. 2. quæst.* 10. *art.* 9. 10. *ubi sanctus Doctor* ait: *Non sunt prohibendi infidelibus communicare, qui fidem non susceperunt, scilicet Paganis, vel Judæis, & maximè si necessitas urgeat.* Rursus, fieri potest, imò sæpius accidit, quod fæmina catholica matrimonio jungatur viro infideli, & hæretico propter ingens bonum inde resultans, v. g. propter regnorum salutem, vel usum publicum Catholicæ Religionis. Atqui in his, similibusque eventibus quæritur directè occasio proxima peccandi propter ingens bonum inde resultaturum, datur enim in his periculum perversionis: ergò talis occasio quæri directè potest, propter tale bonum. Quod quidem amatur, dum occasio tantum permittitur, & quis eam patitur, etiam cum periculo perversionis; quod sanè est periculum peccandi.

164. Con-

164. Contra tamen est. Quia nihil horum intendi potest, etiamsi adsit urgentissima causa, si subsit periculum formale peccandi; si enim interveniat causa, quæ illam occasionem reddat moraliter involuntariam, adhuc quis obstringitur ad tollendum, vel extenuandum, quantum potest, periculum formale peccandi, ut supra dicebamus de permanente in occasione involuntariâ peccati. Si verò periculum maneat adhuc in esse periculi, etiam probabilis, nequit quæri ejusmodi periculum; quinimò quærentes removendi sunt ab illo. Quod expressè tradit Angelicus Magister de accedentibus ad infideles. *Si autem sint simplices*, inquit loco supra memorato, *Et infirmi in fide, de quorum subversione probabiliter timeri possit, prohibendi sunt ab infidelium communione, & præcipuè, ne magnam familiaritatem cum eis habeant, vel absque necessitate communicent.* Ergò cum periculo, vel solùm probabili, nequit quis directè quærere ejusmodi occasionem propter salutem Infidelium, sed potius ab illa arceri debet, si ei se ingerat. Hac ratione, dum matrimonium contrahitur inter Principes disparis cultus propter ingentem aliquam Reipublicæ utilitatem, eæ conditiones statuuntur, quibus cautum sit periculo perversionis; quia aliter non contraherent absque peccato.

165. Et quidem hæc, quæ diximus in præsenti capite pro rejicienda hac propositione, novum robur accipiunt ex iis omnibus antea traditis in hac dissertatione pro impugnanda sexagesima propositione, quæ partem includit, & istam sexagesimam tertiam. Nec probo ex integro limitationes quasdam, quibus exponit doctrinam istam *M. Lumbier* hic à *numer.* 618. sicut neque alias, quas tradit *Casianus à sanctâ Elia* v. occasio. 3. licèt vir sit alioqui eruditus, & ingeniosus, quique orbi litterario dedit Theologiam moralem expurgatam satis ingeniosè.

DISSERTATIO XLI.

An sit capax absolutionis ignorans mysteria Fidei, etiamsi culpabiliter ignoret Mysterium Trinitatis, & Incarnationis?

CAPUT I.

Refertur propositio 64. & præmittuntur notanda aliqua.

SUMMARIUM.

Ponitur propositio damnata. n. 1.
Duplex quæstio decidenda. n. 2.
Multiplex in prima quæstione sententia. n. 3. *& seqq.*
Fidem horum mysteriorum esse necessariam necessitate præcepti certum est. n. 7.
Duplicem partem continet propositio damnata n. 8.
Quomodo intelligenda prima pars propositionis. n. 9.
Variæ quæstiones hic decidendæ. n. 10.

1. P*Ropositio* 64. *ex damnatis hæc est. Absolutionis capax est homo, quantumvis laboret ignorantia mysteriorum Fidei, & etiamsi per negligentiam etiam culpabilem nesciat Mysterium sanctissimæ Trinitatis,* &

& Incarnationis Domini nostri Iesu Christi.

2. Præmitto primò circa hæc Mysteria Trinitatis, & Incarnationis duplicem esse quæstionem. Prima, an Fides explicita illorum sit necessaria necessitate medii ad justificationem? Secunda, an Fides explicita illorum sit necessaria necessitate præcepti? Et quod attinet ad primam quæstionem, quatuor sunt Theologorum sententiæ.

3. Prima sententia docet, Fidem explicitam sanctissimæ Trinitatis, & Incarnationis post promulgationem Evangelii esse necessariam necessitate medii ad justificationem. ita *S. Thomas, in 3. disp. 25. quæst. 2. art. 1. quæstiunc. 1. ad 2. Durand. ibid. quæst. 1. numer. 9. Gabriel ibid. art. 2. concl. 3. Sanctus Bonav. ibid. art. 2. quæstione 3. Pater Molina 1. part. quæst. 1. art. 1. disp. 2. Pater Valencia. 2. 2. disp. 1. quæst. 2. punct. 4. Pater Thomas Sanchez lib. 2. sum. cap. 2. numer. 8. Pater Granado controv. 1. de Fide tract.* 10 *disp. 2. sect. 2. numer.* 13. & quam plures alii.

4. Secunda sententia docet Fidem explicitam sanctissimæ Trinitatis, & Incarnationis etiam post promulgationem Evangelii non esse simpliciter necessariam necessitate medii ad justificationem, & salutem æternam. Ita *Sotus in 4. dist. 5. quæst. 2. art. 2. & lib. de Natura, & gratia cap. 11. Vega lib. 3. in Trident. cap 19. & 20. Medina. lib. 4. directa in Deum Fide cap.* 10. *Corduba in quæstionario lib. 2. quæst. 5. P. Azor tom. 5. lib. I. cap. 6. quæst. 6. P. Sa Verbo Fides, P. Castro Palao tom. 1. tract. 4. disp. 1. punct. 9. num. 7. P. G. Hurt. de Fide disp. 8. diff 7.* & plures alii.

5. Tertia sententia docet, ejusmodi Fidem explicitam necessariam esse necessitate medii non ad justificationem, sed ad glorificationem. Ita *Canus relect. de Sacrament. ingen. part. 2. Ledesma in 4. part. quæst. 9. art. 2. Castro lib. 2. de lege pœn. cap. 14. Bannez 2. 2. quæst. 2. art. 8. dub. ult.* & alii.

6. Quarta sententia docet, Fidem explicitam horum mysteriorum esse per se necessariam necessitate medii ad justificationem, & salutem æternam; per accidens autem, scilicet ratione ignorantiæ invincibilis, sufficere Fidem explicitam eorum in voto. Itaque sicut Baptismus est necessarius necessitate medii in re, vel in voto, ita Fidem explicitam eorum mysteriorum esse necessariam in re, vel in voto. Ita *P. Suarez disp. 12. de Fide sect. 4. num. 11. Lugo Card. disp. 12. de Fide sect. 4. à num. 88. Leand. à SS. Sacram. part. 6. tract. 2 disp. 2. quæst.* 8. & alii.

7. Et quod attinet ad secundam quæstionem, constat inter omnes Theologos, notitiam seu Fidem explicitam sanctissimæ Trinitatis, & Incarnationis esse necessariam necessitate præcepti. Et ideò non pauci Theologi partem negativam damnant, alii tamquam hæreticam, alii tamquam erroneam.

8. Præmitto secundò, eam propositionem damnatam continere duas partes. In prima parte asseritur, esse capacem absolutionis, qui ignorat mysteria, ubi videtur abstrahere ab ignorantia invincibili, & vincibili. In secunda parte specificatur magis ignorantia vincibilis, & culpabilis, & exprimit ea duo mysteria, affirmatque, sic ignorantem hæc mysteria esse capacem absolutionis.

9. Præmitto tertiò, quomodo intelligenda sit ea prima pars propositionis dam-

damnatæ, quæ dicit, esse capacem absolutionis eum, qui ignorat mysteria Fidei; an intelligatur generaliter de omnibus mysteriis Fidei; an solum de aliquibus? Et quidem si loqueretur solum de aliquibus indeterminatè, ea propositionis pars non esset damnabilis; certum enim est, capacem esse absolutionis eum, qui ignorat aliqua mysteria Fidei; sunt enim aliqua, ad quæ explicitè credenda non tenetur fidelis necessitate medii, neque necessitate præcepti: quale est, quod Christus D. sepultus fuerit in sepulchro novo, & multa alia, quæ sunt in Evangelio de gestis Christi Domini. Quare sensus propositionis damnatæ, & prioris ejus partis est de omnibus Mysteriis Fidei, vel de omnibus præcipuis ex obligatione credendis.

10. Præmittò quartò, quinque quæstiones esse in præsenti decidendas. Prima est, an hic damnetur propositio affirmans, capacem esse absolutionis, qui ignorat invincibiliter mysteria credenda explicitè necessario necessitate medii? Secunda est, an ignorans culpabiliter Mysteria Trinitatis, & Incarnationis sit capax absolutionis? Et an pars affirmativa quæstionis maneat hic damnata? Tertia est, an ignorans inculpabiliter eadem duo mysteria sit capax absolutionis? Quarta est, an dum dicitur in hoc decreto incapax absolutionis, intelligatur esse incapax illicitè, an etiam invalidè? Quas quæstiones singulas per singula capita decidemus.

* * † * *

CAPUT II.

Prima quæstio deciditur.

SUMMARIUM.

Prima quæstio de ignorante invincibiliter, quæ explicitè credenda sunt necessitate medii. num. 11.

Qui hæc ignorat, est incapax absolutionis. n. 12.

Asserere esse capacem, damnatur in hac propositione. n. 13.

11. Prima quæstio est, an hic damnata maneat proposito quæ asserat, [capacem esse absolutionis eum, qui ignorat etiam invincibiliter mysteria, quæ explicitè credenda sunt necessariò necessitate medii] Exemplum est in eo, qui ignorans Deũ esse remuneratorem remuneratione æterna accedit ad confessionem, & petit absolutionem à Confessario. Constat enim ex dissert. Fidem explicitam Dei ut remuneratoris retributione æterna esse medium simpliciter necessarium ad justificationem.

12. Et primò quidem tanquam certum tenendum est, eum non esse capacem absolutionis. Patet. Non est capax absolutionis, qui non adhibet medium necessarium ad justificationem; nam quod est medium necessarium ad justificationem, est mediũ necessarium ad absolutionem, sed qui ignorat Deum ut remuneratorem, non adhibet medium necessarium ad justificationem; cùm Fides explicita, & notitia Dei ut remuneratoris sit medium necessarium ad illam: ergò qui id ignorat, etiam invincibiliter non est capax absolutionis.

13. Deinde dicendum est, eam propositionem

sitionem sub illis formalibus terminis conceptam, esse damnatam in hoc decreto. Etenim prima pars propositionis damnatæ, ut dixi cap. præcedenti, cum non possit habere sensum particularem, habet utique sensum universalem, de omnibus mysteriis Fidei, vel de omnibus præcipuis ex obligatione credendis; sed in hoc sensu universali, quod (capax est absolutionis, qui ignorat omnia mysteria Fidei, vel omnia præcipua) continetur ista, (capax est absolutionis, qui ignorat mysteria Fidei necessaria necessitate medii:) ergo etiam hæc propositio damnata manet. Nam sicut est de Fide, quod Deus vult, Petrum salvum fieri; quia est de Fide, quod Deus vult omnem hominem salvum fieri, quia prima continetur in secunda: ita in hac universali (Ignorat mysteria Fidei) includitur hæc (ignorat mysteria Fidei, quæ sunt necessaria necessitate medii.) Et ideò propositio quæ loquitur de prima, loquitur de secunda; & ubi damnatur prima, damnatur, & secunda.

CAPUT III.

An ignorans culpabiliter ea duo mysteria sit capax absolutionis?

SUMMARIUM.

Qui ignorat hæc Mysteria Trinitatis & Incarnationis, non est capax absolutionis, num. 14.

Quid faciet confessarius cum rustico, de quo suspicatur esse ignarum. num. 15.

Dum suspicatur, & nequit fieri certior, absolvat, n. 16.

Etiamsi certus sit de ignorantia rustici moribundi, absolvat sub conditione, n. 17. & 18.

An id contineatur sub damnatione. n. 19.

14. Pars affirmans in hac quæstione est, quæ expresse damnatur in hoc decreto tanquam scandalosa; hæc enim est secunda pars propositionis damnatæ; censeoque, eam esse evidenter falsam. Probatur. Non est capax absolutionis, qui actualiter peccat mortaliter, dum absolvitur, ut ostendi in 3. part. Cris. Theolog. disp. 70. c. 4. art. 2. sed qui ignorans culpabiliter hæc duo mysteria absolvitur, iste peccat mortaliter, dum absolvitur: ergo est incapax absolutionis. Probatur minor. Nam licet hoc præceptum addiscendi doctrinam Christianam de his mysteriis, quia affirmativum est, non obliget pro semper, sed in talibus circumstantiis, at nulla circumstantia urgentor considerari potest, dum homo vivit, quàm circumstantia confessionis Sacramentalis; unde tunc peccat mortaliter, quia tunc urget præceptum. Deinde, quia etiam est præceptum non ignorandi, sive non differendi notitiam horum mysteriorum, & hoc modo obligat semper, & pro semper. Unde tunc peccat mortaliter, quia tunc urget præceptum non differendi eam notitiam. Præterea, quod hæc ignorantia culpabilis sit peccatum mortale, dubitari non potest, cum materia præcepti sit adeò gravis.

15. Inquires primò. Quid ergo faciet confessarius, qui vocatus ad conferendum Sacramentum Pœnitentiæ homini moribundo rustico, & in sylvis continuo commoranti, præsumit eum esse ignarum horum mysteriorum; & quia summè gravatus est infirmitate, non potest inquirere, an habeat sufficientem notitiam horum mysteriorum, neque potest habere attentionem, ut doceatur?

16. Respondeo, in illo casu debere absolvi,

solvi, saltem sub conditione, cùm non sit certum, illum esse indispositum, aut incapacem absolutionis. & in dubio tutior pars pro salute moribundi eligenda est.

17. Inquires secundò, quid facere debeat confessarius, qui certus est, rusticum moribundum ignorare hæc Mysteria Trinitatis, & Incarnationis, & videt, illum ita esse gravatum infirmitate, ut instrui nequeat, qui tamen signa contritionis edidit, & confessionem postulavit? Qui censent, Fidem explicitam horum mysteriorum esse necessariam necessitate medii ad justificationem; neque sufficere eam Fidem in voto, fortè censebunt hunc hominem non posse consequi salutem, atque adeò non esse absolvendum, etiam sub conditione.

18. Sed dicendum est, eum debere absolvi, saltem sub conditione. Et ratio est; quia non est certum, illum esse indispositum; est enim probabile, Fidem explicitam horum Mysteriorum non esse necessariam necessitate medii in re, sed sufficere in voto, ut tenet quarta sententia cap. 1. relata; atque adeò non est certum illum esse indispositum ex defectu hujus Fidei explicitæ. In hac ergò certitudine tutior pars eligenda est pro salute æterna moribundi.

19. Dices, hanc resolutionem adversari damnationi præfatæ propositionis 64. Ex illa enim asserendum est tanquam certum, rusticum culpabiliter ignarum horum mysteriorum non esse capacem absolutionis; sed ille rusticus baptizatus, quamvis in sylvis sit enutritus, culpabiliter ignorat ea duo mysteria, cùm debuerit ea addiscere: ergò incapax est absolutionis, etiam si moribundus sit. Sed huic objectioni melius satisfaciet cap. ult.

CAPUT IV.

An ignorans inculpabiliter ea duo Mysteria, sit capax absolutionis.

SUMMARIUM.

Incapax est absolutionis etiam qui dum vivit, ignorat inculpabiliter hæc duo Mysteria. n. 20.

Contrarium subjacet damnationi. n. 21.

Objectio de ignorantia omnium mysteriorum. n. 22.

Solutio ex notitia mysteriorum, quæ sunt præcipua. num. 23. & 24.

Moribundus inscius horum Mysteriorum, & incapax instrui, absolvi potest. num. 25.

20. Sit prima Conclusio. Qui dum vivit, inculpabiliter, ignorat hæc duo Mysteria Sanctissimæ Trinitatis, & Incarnationis, incapax est absolutionis, adeò ut Confessarius id advertens peccet gravissimè, absolvendo; & pœnitens petendo absolutionem. Et ratio est: quia dum accedit ad confessionem, ut sibi remittantur peccata sua, non potest moraliter contingere, ut non agnoscat incuriam suam in addiscendo aliquid de doctrina Christiana. Quid enim de ea scire potest, qui hæc ignorat? Confessarius autem non potest moraliter non advertere rusticitatem, & inscientiam hominis; atque adeò facilè intelliget, quam sit ignarus horum Mysteriorum. Tenebitur ergo Confessarius ad instruendum illum prius quam absolvat, & si pœnitens renuerit, jam ignorantia erit

CAPUT V.

An qui ignorat supradicta mysteria, sit incapax absolutionis, non solum quoad licitum, sed etiam, quoad valorem?

SUMMARIUM.

Discrimen inter capacitatem ad recipiendam absolutionem validè, & licitè, n.26.

Ignorans necessaria necessitate medii invalidè absolvitur, etiamsi ignoret invincibiliter, num. 27.

Qui culpabiliter ignorat, & id advertit, invalidè absolvitur, n.28.

Peccat Sacerdos ita absolvens, n.29. & 30.

Opinio docens absolutionem datam ignaro vincibiliter horum mysteriorum, est probabilis speculativè, n.31.

Damnatio loquitur de incapacitate quoad licitum, non quoad validum, n.32.

Multiplex assertionis probatio, num.33. & seqq.

26. SUppono, magnum esse discrimen inter hoc, quod quis sit capax absolutionis quoad valorem, & hoc quod sit capax quoad licitum. Nam quamvis ille, qui cum advertentia de illicito accedit ad confessionem sit etiam incapax quoad valorem, eo quod actualiter peccans invalidè absolvitur, tamen potest contingere, quod accedat ad confessionem cum bona Fide, & ignorans invincibiliter, id esse illicitum, & concurrente eadem bona fide in confessario, absolutio sit valida, quamvis ex se sit illicitum facere confessionem eo modo. Cùm ergo hæc duo diversa sint, & propositio damnata asserat, ejusmodi ignarum mysteriorum, esse capacem absolutionis, restat inquirere, an damnatio loquatur de incapaci quoad valorem, ita ut talis absolutio sit invalida; an loquatur solum de incapaci quoad licitum, ita ut taliter sit illicitum dare, & accipere absolutionem cum ignorantia eorum mysteriorum, ut si pœnitens, & confessarius afficiantur inadvertentia incincibili, adhuc absolutio sit valida?

27. Dico primò. Qui ignorat etiam invincibiliter ea mysteria Fidei, quæ sunt necessaria necessitate medii ad justificationem, si absolvitur à peccatis, invalidè absolvitur. Probatur. Ille invalidè absolvitur, qui non ponit media præcisè necessaria ad justificationem; sed ille homo non ponit omnia media præcisè necessaria ad justificationem; supponimus enim eam notitiam, qua ille caret, esse medium præcisè necessarium: ergò invalidè absolvitur.

28. Dico secundò. Qui culpabiliter ignorat mysteria Trinitatis, & Incarnationis, si advertat gravem culpam suæ ignorantiæ, vel habet inadvertentiam ejus graviter culpabilem, invalidè absolvitur; atque adeò incapax est absolutionis etiam quoad valorem. Probatur ex supradictis. Nam qui mortaliter peccat in confessione actualiter, invalidè absolvitur; sed ignarus ille mortaliter peccat in confessione actualiter, ut patet ex ipsa hypothesi: ergò ille in tali hypothesi invalidè absolvitur.

29. Dico tertiò. Sacerdos qui absolvit eum, qui ignorat culpabiliter, aut inculpabiliter mysteria Trinitatis, & Incarnationis, peccat lethaliter. Quæ conclusio non solum debet certa esse, quia Sacerdos tenetur instruere pœnitentem circa mysteria, quorum notitia est adeo necessaria, & obligatoria, sed etiam ex

alio capite, nempè quia ex damnatione primæ propositionis tenetur confessarius eligere in praxi opinionem tutiorem circa valorem Sacramenti, sed opinio, quæ dicit, absolutionem datam ejusmodi homini ignaro eorum mysteriorum, esse invalidā, est opinio tutior: ergò tenetur confessarius hanc opinionem eligere; consequenter peccat mortaliter, si oppositam in praxi eligat.

30 Sola minor eget probatione, quæ sic ostenditur. Etiam notitiam eorum mysteriorum esse necessariam necessitate medii ad justificationem docent plurimi, & ex illa infertur eum, qui re ipsa caret eâ notitia, sive vincibiliter, sive invincibiliter, non posse justificari. Ex quo fit, quod ei, qui intendit justificari, tutior sit hæc opinio, quàm ea, quæ dicit, eam notitiam non esse necessariam necessitate medii: nam si hæc secunda opinio non sit vera coram Deo, etsi Sacerdos proferat absolutionem in pœnitentē, re ipsa iste non justificabitur; atque adeò absolutio erit invalida. Ergo opinio, quæ dicit absolutionem datam ejusmodi ignaro esse invalidam, est opinio tutior.

31. Ex quo colliges, opinionem, quæ asserit, absolutionem datam homini invincibiliter ignaro eorum mysteriorum esse validam, probabilem esse speculativè, quia probabiliter censet, cum hominem validè absolutum esse; illam tamen non esse practice probabilem; quia cum sit minus tuta, & versetur circa valorem Sacramenti, non licet uti eâ in praxi.

32. Dico quartò (& hæc est præcipua hujus capitis conclusio) Damnatio Pontificia comprehendit propositionem asserentem, eum hominem ignarum mysteriorum esse capacem absolutionis quoad licitum, non verò si solum dicat, esse capacem quoad valorem. Probatur primò. Nam hæc damnatio non distinguit sicut nec ipsa propositio damnata inter capacem absolutionis quoad licitum, & capacem quoad valorem; sed id affirmat abstrahendo ab iis terminis: deinde tam damnatio, quàm propositio damnata sufficienter intelligitur de capaci absolutionis quoad licitum, ita ut sensus damnationis sit, eum esse incapacem absolutionis quatenus illicitum est absolvere, & accipere absolutionem cum præfata ignorantia.

33. Probatur secundò. Nam ex dictis constat, quod in aliquibus casibus relatis absolutio est probabiliter valida, in omni autem casu est certo illicita, nisi excuset inadvertentia invincibilis. Et ita si quis habet ignorantiam invincibilem eorum duorum mysteriorum, illicitè absolvitur, quia opinio docens, notitiam eorum mysteriorum non esse necessariam necessitate medii, est minus tuta, & ideò illicitum est uti eâ in praxi. Si vero pœnitens non advertat id peccatum suæ ignorantiæ, nec confessarius advertat, sed uterque habeat inadvertentiam invincibilem, illa absolutio est probabiliter valida speculativa probabilitate. Quod si Sacerdos advertenter, & malitiosè eum absolvat, peccat mortaliter, quia illicitum est absolvere in eo casu, eò quod non sequitur opinionem tutiorem de necessitate medii ad justificationem. Cùm ergo in aliquibus casibus absolutio sic data ignaro eorum duorum mysteriorum sit probabiliter valida modo dicto, & in omni casu sit semper illicita, constat, intelligendam esse damnationem de incapacitate absolutionis, quoad licitum, non quoad valorem.

34. Pro-

34. Probatur tertiò. Nam *in cap. In obscuris de Regul. jur.* dicitur: *In obscuris, quod minimum est, sequimur.* Cùm ergo dubitatur, an hæc damnatio comprehendat incapacitatem absolutionis quoad licitum, & quoad valorem, an dumtaxat quoad licitum, debemus sequi, quod minimum est, nempè loqui solum de ea incapacitate quoad licitum. Maximè cum certum sit, hanc secundam incapacitatem contineri in damnatione, quæ principaliter respicit doctrinam quoad mores, ut doceantur Fideles, quid licitum sit, & quid illicitum.

CAPUT VI.

Quam meritò jure damnata sit hæc propositio?

SUMMARIUM.

Extat preceptum de credendis explicite his mysteriis, n. 35.

De aliis etiam, quæ sunt necessaria necessitate medii, etiam constat, n. 36.

Probatio incapacitatis ad absolutionem illius, qui hæc ignorat, num. 37.

35. Fuisse justissimè damnatam hanc propositionem, inde constat, quod extet præceptum Divinum, de credendis explicitè præcipuis mysteris, & specialiter his duobus Trinitatis, & Incarnationis. Quod quidem præceptum constat ex Sacra Scriptura. *Marc. cap. ult. Prædicate Evangelium omni creaturæ, qui vero non crediderit, condemnabitur.* Sed numquid Evangelium continet solum ea mysteria Fidei, quæ credebat Synagoga Judæorum? Quod si Evangelium non continet ea sola mysteria, sed etiam alia, quæ sunt præcipua in Evangelio, nisi Mysteria Trinitatis, & Incarnationis? Ergò dum Christus D. præcipit promulgari Evangelium, utique præcipit promulgari Mysteria Trinitatis, & Incarnationis & Joann. 10. *Ego sum ostium, si quis per me introierit, salvabitur.* Ex quibus verbis constat obligatio intrandi per hoc ostium. Sed quomodo intrandum est? *S. Gregor. lib. 7. Registri Epist. 47. Ille intrat per ostium qui intrat per Christum vera sentiendo, & prædicando de illo:* Ergò Christus D. imposuit obligationem Fidelibus intrandi per ipsum, vera credendo de ipso. Et *Act. 16. Custos carceris dixit Paulo, & Silæ: Quid me oportet facere, ut salvus fiam? at illi dixerunt, crede in Dominum Iesum, & salvus eris.* Ergò ad salutem necessarium est credere in Jesum Christum, saltem necessitate præcepti. Alia sunt similia testimonia in Sacra Scriptura ad idem propositum, quæ videri possunt apud *Patrem Suarez disp. 12. de Fide sect. 4. num. 18. & apud P. Granado tract. 10. de Fide disp. 2 sect. 2.*

36. De aliis mysteriis quæ sunt necessaria necessitate medii ad justificationem, nempè de existentia Dei, & de Deo remuneratore, constat præceptum ex illo D. Pauli testimonio ad *Rom. 11. Accedentem ad Deum oportet credere, quia est, & quia inquirentibus se remunerator sit.* Quod si aliquis sit ignarus etiam invincibiliter horum mysteriorum, & aliorum quorumcumque, quæ sint necessaria necessitate medii ad justificationem, dixi suprà cap. 2. eum esse incapacem absolutionis, atque adeo confessarium peccare mortaliter eum absolvendo, & pœnitentem sic ignarum, petendo absolutionem, si advertat suam culpam: quod si suam culpam advertat, jam est invicibiliter ignarus.

 37. Tum

7. Tum sic. Incapax est absolutionis qui accedit ad confessionem violans actualiter quodlibet præceptum, & maximè Divinum, sed qui accedit ad confessionem cum eà ignorantia violat actualiter id Præceptum Divinum: ergò incapax est absolutionis. Quæ quidem assertio constat etiam ex eis, quæ per totam disputationis seriem docuimus.

DISSERTATIO XLII.

An sufficiat semel credidisse hæc duo Mysteria Trinitatis, & Incarnationis? Ubi de damnatione propositionis 65.

CAPUT I.

Refertur propositio damnata, & quàm meritò censura inuratur?

SUMMARIUM.

Propositio damnata, & multiplex sensus illius, num. 1.
Primus sensus non cadit in propositionem, num. 2.
Secundus est consequentia talis propositionis, num. 3.
Tertius sensus proprius, n. 4.

1. PRopositio 65. ex damnatis est. *Sufficit illa mysteria semel credidisse.* *Lumbier tom. 3. sum. num. 1783.* triplicem sensum attribuit huic propositioni. Primum [sufficit semel credidisse, ita ut homo non teneatur præmittere hanc Fidem explicitam reliquis confessionibus totius] Secundum (sufficit semel credidisse, ita ut quamvis postea obliviscatur, aut ignoret ea mysteria, possit esse capax absolutionis.) Tertium (sufficit ad implendum præceptum Fidei semel credidisse: quia unico solo actu impletur id præceptum.) Affirmatque omnes tres sensus esse falsos; sed duos posteriores contineri sub hac damnatione, non autem primum. Quia non constat de obligatione præmittendi actum Fidei receptioni Sacramenti Pœnitentiæ. Et in primis hæc duo non cohærent, & quod sit falsum, quod (postquam homo semel credidit, non tenetur præmittere actum explicitum Fidei reliquis confessionibus) & quod (non constet de tali obligatione præmittendi hunc actum Fidei confessionibus.) Quomodo enim dabitur talis obligatio si de ea non constet? Quod si non datur talis obligatio, quomodo erit falsa propositio, quæ negat eam obligationem?

2. Deinde; ille primus sensus non cadit in propositionem damnatam; quæ nihil dicit de præmittendo confessionibus, aut non præmittendo actu Fidei explicitæ horum duorum mysteriorum.

3. Secundus sensus cadit in eam propositionem damnatam, eo quod est quædam consequentia ex propositione antecedenti illata. Nam ex eo, quod dicatur esse capacē absolutionis eum, qui culpabiliter ignorat hæc duo mysteria, colligitur, esse capacem absolutionis, qui semel ea mysteria credidit, quamvis accedat ad confessionem oblitus, & ignarus eorum, & ideò in hoc sensu damnata manet propositio. Et quam meritò jure damnata sit, constat ex Dissertatione præcedenti.

4. Quare tertius sensus relatus est præcipuus hujus propositionis damnatæ: scilicet sufficere ad implendum præceptum Fidei de his mysteriis illa semel credidisse. In quo sensu

sensu damnatur, & meritò hæc propositio. Quod manifestè probatur iis omnibus quibusin *Dissert.* 9. *c.* 2. *ad* 17 *prop. art.* 3. probavimus, non sufficere, quod quis semel eliciat actum Fidei, ut constat ex iis, quæ ibidem perpendimus circa eum textum Pauli ad Rom. 1. quem repetit ad *Galat.* 3 *& ad* Hebr. 10. nempè *Iustus ex Fide vivit.* In lege autem Evangelica non debet Christianus vivere ex Fide, qualis erat in Synagoga Hebræorum, sed ex Fide Evangelica cujus præcipua Mysteria sunt Trinitatis & Incarnationis. Vide in loco relato reliquos textus Scripturæ, & testimonia Sanctorum *Patrum Ambrosii, Arnobii, Laurentii Iustiniani, & Origenis.*

CAPUT II.

Quoties teneamur elicere actum Fidei de Trinitate, & Incarnatione?

SUMMARIUM.

Tenemur ad eliciendos actus fidei horum mysteriorum frequenter, n. 5.

Modus facilis implendi hoc præceptum, numer. 6.

Hos actus fidei frequenter elicimus, n. 7.

5. JUxtà ea, quæ diximus Dissert. 9. cap. 2. dicendum est, nos teneri ad eliciendos actus Fidei de his duobus mysteriis *frequenter.* Ita ut si Fidelis diuturno tempore cessaverit advertenter ab his actibus Fidei eliciendis, peccabit lethaliter Pro hac assertione loco citato retuli *P. Suarium, Lugo Cardinalem, Illustriss. Petrum de Tapia, & Raimundum Lumbier.* Eamque roboravi multis locis Scripturæ. Probatur assertio. Nam quilibet Fidelis tenetur ad eliciendos frequenter, & sæpiùs, actus Fidei, ut clarè ostendi, tum ex *Suario, Lugo Card. Illustriss. Tapia, & Raimundo Lumbier*: tum etiam ex multis textibus Sacræ Scripturæ, & Patrum. Sed Fidelis Christianus, non tenetur dumtaxat ad eliciendos actus Fidei eo modo, quo olim Hebræi in Synagoga, sed etiam ad eliciendos actus Fidei Evangelicæ, cujus præcipua Mysteria sunt Trinitatis, & Incarnationis: ergò quilibet fidelis in lege Evangelica tenetur elicere frequenter actus Fidei de his duobus Mysteriis.

6. Sed ne quis existimet, id esse onerosum, reflexionem faciat supra suas actionea, & comperiet, se *frequenter* elicere actus Fidei de his duobus Mysteriis. Nam fidelis frequenter adest Missæ Sacrificio, in quo cum Hostiam Consecratam adorat, credit ibi esse realiter præsentem Christum D. Deum pariter, & hominem, frequenter videt imaginem Crucifixi in templis, & extra & tunc credit, Christum D. in sua humanitate passum & crucifixum pro nobis; frequenter se signat in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti & tunc credit illud Mysterium.

7. Item frequenter adest baptismis parvulorum & audit formam baptismi, & tunc credit id Mysterium Trinitatis; frequenter audit vel recitat Symbolum, in quo continetur utrumque mysterium, & tunc illud credit. Et ita contingit in sexcentis aliis circumstantiis, quibus redundat vita Christiana. Quomodo ergo potest dici onerosum, quod tam facilè, & tam prompto animo fit à quibuslibet Fidelibus?

FINIS.

DECRETUM

Circa Communionem quotidianam,

Datum Romæ 12. Februarii 1679.

CUm ad aures Sanctissimi D.N. fide dignorum testimonio pervenerit, in quibusdam Diœcesibus vigere usum quotidianæ Communionis, etiam in Feria sexta Parasceves, & simul affirmari eandem quotidianam Communionem præceptam esse à jure Divino, quin etiam in illius administratione aliquos abusus inolevisse; videlicet, quod aliqui, non in Ecclesia, sed in privatis Oratoriis, & domi, imò cubantes in lecto, & non laborantes ullâ gravis infirmitatis notâ sumant Sacrosanctam Eucharistiam, quam argenteâ thecâ inclusam in crumena, aut secretò illis deferunt Sacerdotes sæculares, aut Regulares; aliique in Communione accipiant plures formas, ac particulas, vel grandiores solitò: ac tandem quis confiteatur peccata venialia simplici Sacerdoti non approbato ab Episcopo, aut Ordinario. Cùm autem hæc Sanctissimus consideranda commiserit S Congregationi Cardinalium Concil. Tridentini interpretum, eadem S. Congregatio prævia maturâ discussione super prædictis unanimi sententiâ ita censuit: Etsi frequens, quotidianusve Sacrosanctæ Eucharistiæ usus à SS. Patribus fuerit semper in Ecclesia probatus; nunquam tamen, aut sæpius illam percipiendi, aut ab ea abstinendi, certos singulis mensibus, aut heddomadis dies statuerunt, quos nec Concilium Tridentinum præscripsit, sed quasi humanam infirmitatem secum reputaret nihil præcipiens, quid cuperet tantùm indicavit, cùm inquit: Optaret quidem Sacrosancta Synodus, ut in singulis Missis Fideles adstantes Sacramentali Eucharistiæ perceptione communicarent; idque non immeritò; multiplices enim sunt conscientiarum recessus; varia ob negotia Spiritus alienationes, multæ è contra gratiæ, & Dei dona parvulis concessa: quæ cum humanis oculis scrutari non possimus, nihil certè de cujusque dignitate atque integritate, & consequenter de frequentiori, aut quotidiano vitalis panis esu potest constitui. Et propterea quod ad negociatores ipsos attinet, frequens ad sacram alimoniam percipiendam accessus, Confessariorum secreta cordis explorantium judicio est relinquendus,

qui

qui ex conscientiarum puritate, & frequentiæ fructu, & ad pietatem processu Laicis negotiatoribus, & conjugatis, quod prospicient eorum saluti profuturum, id illis præscribere debebunt. In Conjugatis autem hoc amplius animadvertent, cum B. Apostolus nolit eos invicem fraudari, nisi fortè ex consensu ad tempus, ut vacent orationi eos seriò admoeant, tantò magis ob sacratissimam Eucharistiæ reverentiam continentiæ vacandum, puriorique mente ad cœlestium Epularum communionem esse conveniendum; in hoc igitur Pastorum diligentia potissimùm invigilabit, non ut à frequenti, aut quotidiana sacræ Communionis sumptione unica præcepti formula aliqui deterreantur, aut sumendi dies generaliter constituantur, sed magis quid singulis permittendum per se, aut Parochos, seu Confessarios sibi decernendum putet; illudque omnino provideat, ut nemo à sacro convivio seu frequenter, seu quotidie accesserit, repellatur; & nihilominus det operam, ut unusquisque dignè pro devotionis, & præparationis modo rarius aut crebrius Dominici corporis suavitatem degustet. Itidem Moniales quotidie sacram communionem petentes admonendæ erunt, ut in diebus ex earum ordinis instituto præstitutis communicent; si quæ verò puritate mentis eniteant, & fervore spiritus ita incaluerint, ut dignæ frequentiori, aut quotidiana sanctissimi Sacramenti perceptione videri possint, id illis à superioribus permittatur. Proderit etiam præter Parochorum, & Confessariorum diligentiam, opera quoque Concionatorum uti, & cum eis constitutum haberi, ut cùm fideles ad sanctissimi Sacramenti frequentiam (quod facere debent) accederint, statim de magna ad illud sumendum præparatione orationem habeant, generatimq; ostendant, eos qui ad frequentiorem, aut quotidianam salutiferi cibi sumptionem devoto studio excitantur, debere, sive laici negociatores sint, sive conjugati, sive quicumque alii suam agnoscere infirmitatem, ut dignitate Sacramenti, ac Divini Judicii formidine discant cœlestem mensam, in que Christus est revereri; & si quando se minus paratos senserint, ab ea abstinere, seque ad majorem præparationem accingere. Episcopi autem, in quorum Diœcesibus viget hujusmodi devotio erga sanctissimum Sacramentum, pro illa gratias Deo agant, eamque ipsi adhibito prudentiæ, & judicii temperamento alere debebunt, & ab eorum officio postulari sibi maximè persuadebunt, nulli labori, aut diligentiæ parcendum, ut omnis irreverentiæ & scandali suspicio in veri, & immaculati agni perceptione tollatur, virtutesque, ac dona in sumentibus augeantur. Quod abundè continget, si ii, qui devoto hujusmodi studio, divinâ præstante gratiâ tenentur, seque sacratissimo pane frequentius refici cupiunt, suas vires expendere, seque probare cum timore, & charitate assueverint; quibus Christum Dominum, qui se fidelibus manducandum, & se pretium in morte tradidit, atque in cœlesti Regno se præmium est daturus, precatur sacra Congregatio, ut suam opem ad dignam præparationem, & sumptionem largiatur. Porrò Episcopi, & Parochi, seu Confessarii redarguant asserentes Communionem quotidianam esse de jure Divino, doceant in Ecclesiis seu oratoriis privatis, ex dispensatione, seu privilegio Pontificis de manu Sacerdotis sumendam sanctissimam Eucharistiam, nec eam ullo mòdo deferendam in crumena, aut secretò ad existentes domi, vel cubantes

CONSTITUTIO CLEMENTIS X. P. M.

In qua Regularium Privilegia quoad Prædicationem Verbi Dei & Sacramenti Pœnitentiæ administrationem declarantur.

De hac materia vide Conc. Trid. Seß. 23. Cap. 15. & Seß. 24. Cap. 4. & Gregorii XV. Constit. inscrutabili, *ubi plura ad rem videre poteris.*

CLEMENS EPISCOPUS,

SERVUS SERVORUM DEI;

Ad perpetuam rei memoriam.

Uperna magni Patrisfamilias præordinatione creditum Nobis universalis Ecclesiæ mysticum agrum circumspecta providentia custodire, atque excolere (quantum ex alto conceditur) satagentes, animũ in eas curas libenter intendimus, quibus valeant dissidia inter villicos, & operarios componi, jurgia tolli, scandalis, atque offensionibus aditus præcludi, ut quibus una Fides, una Mater Ecclesia, & unus Dominus, qui charitas est, & pacis cogitãs cogitationes, fiat etiam cor unum, atque anima una: sic etenim evulsis opportunè zizaniis, dum plantamus, & rigamus, incrementum dabit Deus, quo benedicente messis multa cum fructu centesimo cœleste in horreum congregabitur. *Edita A. D. 1670.* *Exordium.*

§. 1. Sanè cum Sacri Concilii Tridentini decretis providè statutum fuerit, ut Regulares cujuscunque Ordinis, nisi à suis Superioribus de vita, moribus, & scientia examinati, & approbati fuerint, ac de eorum licentia, etiam in Ecclesiis suorum Ordinum prædicare non possint; cum qua licentia personaliter se coram Episcopis præsentare, & ab eis Benedictionem petere teneantur, antequam prædicare incipiant: in Ecclesiis verò, quæ suorum Ordinum non sunt, ultra licentiam suorum Superiorum, etiam Episcopi licentiam gratis ab eo dandam habere teneantur, sine qua in ipsis Ecclesiis non suorum Ordinum nullo modo prædicare possint. Atque ut nullus Sæcularis, sive Regularis etiam in Ecclesiis suorum Ordinum contradicente Episcopo prædicare præsumat. Iidemque cùm nullus Sacerdos Regularis possit confessiones Sæcularium etiam Sacerdotum audire, nec ad id idoneus reputari, nisi aut Parochia- *Statutum Conc. Trid. de Regular.*

 le

le beneficium obtineat, aut ab Episcopis per examen, si illis videbitur esse necessarium, aut aliàs idoneus judicetur; & Approbationem, quæ gratis detur, obtineat, privilegiis, & consuetudine quacumque non obstantibus. Innotuit nobis dubitationes nonnullas circa Benedictionem, licentiam, contradictionem, examen, & approbationem ejusmodi in aliquibus Diœcesibus excitatas fuisse, ex quibus controversiæ & dissensiones permultæ in diem subsequi possent occasione privilegiorum, quæ per Sedem Apostolicam Religiosis Ordinibus concessa fuerunt.

§. 2. Nos attendentes quod aliàs diversis temporibus prædictæ dubitationes, & controversiæ nonnullis Prædecessorum nostrorum Summorum Pontificum Constitutionibus, earumque Declarationibus definitæ fuerint; ejusmodi Definitiones in unum collectas, ut magis, magisque dissensionum tollantur semina, & imposterum firmior in agro Dominico Pax Christi floreat, pro summo, quo fungimur, Apostolatus Officio novis Apostolicis Litteris muniendas duximus & roborandas. Itaque de consilio nonnullorum Venerabilium Fratrum nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, & dilectorum Filiorum Romanæ Curiæ Prælatorum pietate, doctrinâ & prudentia præstantium, & matura deliberatione nostra, atque ex certa scientia, hac generali, & perpetuò valitura constitutione decernimus, & declaramus.

Regulares ab Episcopo Benedictionem petere tenentur.

§. 3. Regulares, qui in Ecclesiis sui Ordinis prædicare voluerint, teneri ab Episcopo Diœcesano Benedictionem petere: prædicare tamen posse, quamvis illam non obtinuerint. Quod si Episcopus Benedictionem nedum non concesserit, sed etiam contradixerit, nec in prædictis quidem Ecclesiis licere Regularibus prædicare; eosque contra venientes ab illo tanquam Sedis Apostolicæ Delegato censuris, aliisque pœnis Ecclesiasticis in vim Constitutionis fel. record. Gregorii XV. Prædecessoris nostri, incipientis: Inscrutabili Dei providētia, coërceri, & puniri posse. Episcopum tamen absque justa & rationabili causa contradicere non debere, & hujusmodi Benedictionem teneri etiam Regulares petere, si in quibuscunque Oratoriis sui Ordinis sermonem coram populo, vel in Ecclesiis, aut ad crates Monasteriorum Sanctimonialium eorum jurisdictioni subjectarum, licèt clausis januis, & nullus Sæcularis ibi intersit, habere voluerint. Posse autem Episcopum licentiam concessurum Regularibus in Ecclesiis, quæ suorum Ordinum non sunt, prædicare volentibus illos, quamvis ab Universitatibus, aut à Magistratibus Laicis nominatos, etiamsi Episcopi Antecessores per tempus immemorabile hanc licentiam absque examine concedere consueverint, quoad doctrinam examinare, si ita ipsius arbitrio, quod moderatum, & discretum esse debet, visum fuerit, & licentiam prædicandi semel iisdem concessam ob rationabiles causas, licèt occultas, prædicationem tamen con-

cernentes, suspendere. Non posse tamen Episcopum generatim prohibere Regularibus, quin in Ecclesiis suorum Ordinum prædicent.

§. 4. Ad hæc Religiosos ab Episcopo ad confessiones Sæcularium in sua Diœcesi audiendas approbatos, non posse in alia Diœcesi eas absque Episcopi Diœcesani approbatione audire, quamvis pœnitentes subditi sint ejus Episcopi, à quo ipsi Religiosi jam fuerant approbati, & generaliter approbatos ab Episcopo ad personarum Sæcularium confessiones audiendas, nequaquam censeri approbatos ad audiendas confessiones Monialium sibi subjectarum, sed egere quo ad hoc speciali Episcopi approbatione: atque approbatos pro audiendis confessionibus Monialium unius Monasterii, minimè posse audire confessiones Monialium alterius Monasterii. Itidemque Confessores extraordinarios semel Deputatos, atque approbatos ab Episcopo ad Monialium confessiones pro una vice audiendas, haud posse expleta deputatione in vim approbationis hujusmodi illarum confessiones audire, sed toties ab Episcopo esse approbandos, quotiès casus deputationis contigerit. Cæterum in Monasteriis, ac etiam Collegiis, ubi juxta Regularia instituta vivitur, posse tam Prælatos Regulares, quàm Confessores Regularium eorundem Monasteriorum, seu Collegiorum audire Confessiones illorum Sæcularium, qui inibi sunt verè de Familia, & continui Commensales; non autem illorum, qui tantum ipsis deserviunt; illos autem Religiosos, qui ad confessiones audiendas Idonei generaliter reperti fuerint, ab Episcopis generaliter quoque, & indistinctè absque aliqua limitatione temporis, certorumque locorum, aut generis personarum in Diœcesi propria admittendos: quo ad cæteros verò, qui non adeo idonei reperiuntur, si petierint se admitti, arbitrio Ordinariorum relinqui, ipsos cum limitata facultate, pro ut eisdem Ordinariis magis expedire videbitur, probare, & admittere, semel autem simpliciter approbatos posse in Diœcesi Episcopi approbantis quovis anni tempore, etiam Paschali, & quorumcunque etiam infirmorum confessiones audire absque ulla Parochorum, vel ipsius Episcopi licentia. De qua tamen confessione teneri dictos Religiosos eorumdem infirmorum Parochum illicò certiorem reddere. Et hoc posse illis ab Episcopo sub pœna suspensionis à facultate audiendi confessiones præcipi: sufficere tamen, ut certioratio hujusmodi fiat saltem per scripturam apud ipsum infirmum relinquendam.

Quid de Confessariis ab uno Ordinario approbatis.

§. 5. Et eos, qui dictis Religiosis simpliciter approbatis Paschali tempore confessi fuerint, constitutioni, quæ incipit: Omnis utriusque sexus, quoad confessionem dumtaxat satisfecisse censendos. Regulares verò ad ejusmodi confessiones audiendas prævio examine simpliciter, & absque ulla temporis præfinitione ab ipsomet Episcopo: secus autem ab ejus Vicario, aut ab Antecessoribus Episcopis approbatos non posse ab

Constitutioni omnis utriusque sexus, inquantum satisfieri censendum sit, declaratur.

ab eodem, qui sic approbavit, iterum examinari, aut ab eisdem confessionibus audiendis suspendi; seu licentias illi concessas revocari, nisi nova superveniente causa, quæ ipsas confessiones concernat. De qua tamen haud necessarium esse, ut in actis constet; nec eam teneri Episcopum, ipsis Regularibus significare, sed sedi Apostolicæ dumtaxat, ubi eam sibi aperiri postulaverit.

Regulares approbati ob scandalum possunt suspendi.

§. 6. Porrò si Regulares cum scandalo, aut alias inhonestè vivant, vel aliquod delictum committant, per quod rationabili Episcopi judicio videantur à confessionibus suspendendi, in quo ipsius Episcopi conscientiam oneratam esse volumus, cum præcipua ministri Sacramenti Pœnitentiæ qualitas sit vitæ integritas, ac morum honestas; Utique eam causam ad confessionis ministerium pertinere, ac proindè nihil obstare, quo minus ob eam possit Episcopus regulares à semetipso approbandos suspendere, aut repellere à confessionibus audiendis: Attamen confessiones audiendi facultatem omnibus simul unius conventus regularibus confessoribus adimi ab Episcopo inconsulta Sede Apostolica nullatenus posse. Ex facultatibus per Mare Magnum, aliavè privilegia regularibus cujuscunque ordinis, instituti, aut societatis, etiam Jesu concessis factam eis non esse potestatem absolvendi in casibus ab Episcopo sibi reservatis, & per confirmationes dictorum privilegiorum, quas regulares à Sede Apostolica post sacrum Concilium Tridentinum obtinuerunt, nequaquam revixisse privilegia prius ab eodem concilio, aut deinde Apostolicis etiam decretis sublata, atque extincta, si quæ habebant, absolvendi à casibus Episcopo reservatis.

§. 7. Et habentes facultatem absolvendi ab omnibus casibus Sedi Apostolicæ reservatis, non ideo casibus Episcopo reservatis posse absolvere. Posse autem regularem confessorem in ea Diœcesi, in qua est approbatus, confitentes ex alia diœcesi à peccatis in ipsa reservatis, non autem in illa, ubi idem confessor est approbatus, absolvere, nisi eosdem pœnitentes noverit in fraudem reservationis ad alienam Diœcesin pro absolutione obtinenda migrasse: Vigore supra dictorum privilegiorum nequaquam licere regularibus etiam satisfacta parte absolvere pœnitentes à censuris quo ad externum, & Judiciale forum, & absolutos ab eis in foro pœnitentiali, utique non censeri absolutos in exteriori Judicio, & contentioso. Quinimo censuris Ecclesiasticis irretitos, & denuntiatos ab Episcopis cogi posse gerere se pro talibus, etiamsi à regularibus fuerint absoluti. Quoties exhibitis aliquibus regularium Apostolicis privilegiis coram Episcopo, ab eo judicetur ipsa non suffragari casui, de quo agitur, si dictorum privilegiorum verba obscura sint, & ambigua, non esse ad Metropolitanum provocandum, sed cum ejus sit interpretari, cujus est condere: Dictorum privilegiorum interpretationem Sedis Apostolicæ

Apostolicæ judicio, pro ut alias consti utione prædecessoris nostri fel. recordationis Clem. IV. statutum fuit, esse requirendum.

§. 8. Decernentes, sic & non alias per quoscunque jud ces Ordinarios, vel delegatos quavis authoritate, & dignitate fungentes, etiam causarum palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos, vicè Legatos, & Nuntios, & quosvis alios, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & authoritate Judicari, & definiri debere. Irritum quoque & inane quidquid secus super his à quoquam quavis authoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. *Decretum irritans.*

§. 9. Non obstantibus quibusvis constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis in favorem quarumcunque personarum, atque quorumvis ordinum tam mendicantium, quam non mendicantium, militarium, etiam S. Joannis Hierosolymitani, congregationum Societatum etiam Jesu, ac cujusv s alterius instituti etiam necessariò, & in individuo exprimendi, Monasteriorum, conventuum, Capitulorum, Ecclesiarum, & aliorum quorumcunque, tam sæcularium, quàm regularium Locorum, nec non illorum etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, vel consuetudinibus, etiam immemorabilibus, exceptionibus quoque, indultis, & privilegiis etiam in corpore juris clausis, aut ex causa, & titulo oneroso, vel in limine fundationis concessis, etiam mari magno, seu Bulla aurea, aut aliàs nuncupatis, Conservatorum Deputationibus, eorumque, atque aliis inhibitionibus, quibus Episcopi deferre minime teneantur, & quibusvis aliis sub quibuscunque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, nec non irritantibus, & aliis decretis, etiam motu proprio, & ex certa scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, aut alias quomodolibet etiam per viam communicationis, seu extensionis concessis, & iteratis vicibus approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus, & formis specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, & forma in illis tradita, & observata, inserti forent, præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis quo ad ea, quæ eisdem præsentibus adversantur, aliàs in suo robore permansuris, harum serie specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscunque. *Contrariis derogat.*

§. 10. Cæterum quia difficile foret præsentes litteras ad singula quæque loca deferri, ut eæ tamen omnibus innotescant, mandamus illas ad valvas Eccle- *Constitutionem jubet publicari.*

siæ lateranensis, & Basilicæ principis Apostolorum de Ur[be] atque Cancellariæ Apostolicæ, & in acie campi floræ affigi, & publicari.

Transumptis fidem adhiberi jubet. §. 11. Volentes, quod earundem præsentium litterarum transumptis, etiam impressis, manu tamen alicujus Notarii publici subscriptis, & Sigillo Prælati, seu personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis in Judicio, & extra illud, ubi opus fuerit, eadem prorsus fides adhibeatur, quæ ipsis originalibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Sanctio pœnalis. §. 12. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam nostrorum decreti, declarationis, derogationis, mandati, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

D.P.An. 1. die 21. Iunii. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, anno Incarnationis Dominicæ 1670. undecimo Kalendas Julii, Pontificatus nostri anno primo.

Publicatio in Urbe. Anno à Nativitate Domini Nostri Jesu Christi Millesimo Sexcentesimo Septuagesimo, indictione octava, die vero secunda mensis Augusti, Pontificatus autem Sanctissimi in Christo Patris, & Domini nostri Domini Clementis Divina Providentia Papæ X. anno ejus primo, Præsens constitutio affixa, & publicata fuit ad valvas Ecclesiæ Lateranensis, Basilicæ Principis Apostolorum, & Cancellariæ Apostolicæ, & in acie campi Floræ, locis solitis, & consuetis Urbis per me Hilarium Centellum Sanctiss. D. N. Papæ Curs.

Petrus Marcheratus Mag. Curs. m. p.